
ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN III
PERIODUS TERTIA

PARS III
CONGREGATIONES GENERALES XC-XCV



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXIV

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS XC

29 septembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS XC

29 septembris 1964

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Moderabitur nonagesimam congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Petrus Gregorius Agagianian.

In hac congregatione, venerabiles Patres, distribuentur relationes circa capp. IV, V et VI schematis *de Ecclesia,* quae suffragationi subicientur crastina, postquam duplex suffragatio facta fuerit de cap. III eiusdem schematis.

Circa hoc, quaesitum est in scriptis ab aliquo Patre utrum liceat uti aliqua methodo, quam quidam episcopatus tamquam bonam immo forte sequendam exhibuerunt; quod nempe unus det suffragium placet iuxta modum, alii vero dent votum, suffragium simpliciter placet. Ad hanc quaestionem ego, de mandato Praesidis, respondi in hesterna congregatione generali et dixi hoc esse contra *Ordinem Concilii celebrandi.*

Unusquisque Pater, qui desiderat modum apponere, debet ipse personaliter modum subscribere et exhibere una cum scheda suffragationis. Hic est modus statutus in *Ordine.* Hic est modus sequendus.

Ceterum omnes Patres frui debent omnimoda libertate in suo suffragio ferendo usquedum decretum vel constitutio non sit approbata; ea vero est approbatio conciliaris quae fit a Summo Pontifice cum Patribus Concilii. Tunc tantum et non antea constitutio vel decretum vim habet. Si ego dico, postquam legi suffragationes: textus est approbatus, intelligo: est approbatus in congregatione generali, non est definitive approbatus. Approbatio conciliaris habetur tantum cum Summus Pontifex cum Patribus Sacri Concilii illum decretum, illam constitutionem approbant. Et hoc dictum sit ad omnem confusionem vitandam, nam non in confusione Dominus!

In hac congregatione generali em.mus ac rev.mus D. card. Paulus Marella, praeses secretariatus pro non-christianis, laetus est distribuere omnibus Patribus fasciculum qui continet aliquas informationes confidentiales, uti dicitur — terminus non est latinus — attamen textus in omnibus, in pluribus linguis redactus est praeter quam in latina.

Distribuet Patribus, attamen distributio non fiet in aula, fiet ad aditus aulae, quando Patres e congregatione egredientur. Patres prope aditus aulae invenient illos fasciculos, quinque linguis exaratos. Unusquisque potest seligere linguam quam callet.

Aliud addam, Patres venerabiles. Quoad modos, qui forte exhibebuntur, possumus certiores reddere omnes Patres quod hi modi attente et perspicue examinabuntur a commissione competenti, etsi forte eorum examen necessarium non esset, quia habita est maioritas requisita.

De hoc Patres certi esse possunt. Nam bonum ipsum Ecclesiae et Concilii postulat, ut textus quam meliores sint, quam perspicui, ita ut in bonum animarum cedant.

Et, ut dixi alia vice, neque radius luminis est obliviscendus. Omnis lux fulgere debet ita ut plena lux, quantum potis est, habeatur.

Lego ergo nomina eorum, qui verbo uti petierunt circa declarationem *de Iudaeis et non-christianis*: em.mus D. card. Ioseph Maria Bueno, arch. Hispalensis in Hispania, exc.mi DD. Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis in Iugoslavia, Ivo Plumey, ep. Garuensis in Cameroun, Sergius Méndez, ep. Cuernavacensis in Mexico, Laurentius Nagae, ep. Urawaënsis in Iaponia, Edmundus Nowicki, ep. Gedanensis in Polonia, Hoa Nguyen Van Hien, ep. Dalatensis in Vietnam, Leo A. Elchinger, ep. coad. Argentinensis in Gallia, Stephanus A. Leven, ep. aux. S. Antonii in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Bernardus Stein, ep. aux. Trevirensis in Germania, Antonius Añoveros, ep. Gadicensis et Septensis in Hispania, Ioannes Heenan, arch. Westmonasteriensis in Anglia, Patricius O'Boyle, arch. Washingtonensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Petrus Sfair, arch. tit. Nisibenus Maronitarum, Ioseph Parecattil, arch. Ernakulamensis in India, Laurentius I. Shehan, arch. Baltimorensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Ioseph Attipetty, arch. Verapolitanus in India, Daniel Lamont, ep. Umtaliensis in Rhodesia Meridionali, Hieronymus Podestà, ep. Avellanediensis in Argentina, Ioseph Tawil, vic. patriarchalis Melchitarum, Ioseph Descuffi, arch. Smyrnensis.

Et nunc procedamus, Patres venerabiles, ad suffragationem prosequendam circa cap. III schematis *de Ecclesia*. Cum textus suffragationis XXXVI iam a congregatione generali approbatus sit, possumus transire ad sequentem suffragationem, nempe XXXVII, pag. 22, quae sic sonat: [*cf. vol. III, pars I, pag. 414*].

Patres clarissimi, videatis notulam, quae adiuncta est, nempe ubi dicitur, pag. 23, secunda: « De secunda phrasi in qua determinatur auctoritas competens », nempe hic proponitur: auctoritas sit coetus territorialis episcoporum. Quod propositum si non placet, iam per se

manet auctoritas competens, Summus Pontifex. Ergo qui dicet *placet,* vult ut auctoritas competens sit coetus territorialis, approbante quidem Summo Pontifice, qui vero dicit *non placet,* iam de se indicat unicam auctoritatem competentem esse Romanum Pontificem.

Placetne an non placet haec propositio cum explicatione adiecta in nota?

PATRUM ORATIONES

(*De Iudaeis et non-christianis*)

1

EM.MUS P. D. IOSEPH M. CARD. BUENO Y MONREAL

Archiepiscopus Hispalensis

Venerabiles Patres,

Equidem Oecumenismus sensu stricto ad christianorum unitatem fovendam ordinatur unde pronum erat, prouti in sua relatione em.mus Bea explicat, caput de Iudaeis et de non-christianis ab illo schemate disiicere. Aliunde vero omnino necessarium videtur ut sacrosanctum Concilium etiam ad non christianos se vertat, quos etiam Deus vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Dialogus Ecclesiae, caritate plenus, nullum hominem excludere vult, nisi quis seipsum voluntarie excludat: omnes gentes docere, omni creaturae praedicare evangelium est Christi mandatum, quod Ecclesia adimplere semper parata est, caritate erga omnes homines compulsa, qui vere fratres nostri sunt simul ac fratres inter sese quum omnes Deum habere Patrem ipsa ratio naturalis docet, qui solem suum oriri facit super alios et alios. Est ergo et aliqua ratio Oecumenismi latiori significatione sumpti, magni momenti hodie in mundo, iuxta quam, prouti Sanctissimus Pater in sua Encyclica *Ecclesiam suam* memorat, dialogus etiam cum non christianis aperiendus est, et habitudo catholicorum consideranda erga centenos milliones hominum, de caritate erga eosdem, de iis fraterne iuvandis vel de cooperando cum eis, sunt verba em.mi relatoris.

Videtur ergo absonum si declaratio *de Iudaeis et de non-christianis* e concilio exularet.

Ast aliunde, verba heri prolata ab em.mo Tappouni, nomine proprio et aliquorum patriarcharum orientalium, gravi ut puto consideratione dignae sunt. Certe, textus declarationis, ut relator aiebat, quaestiones politicas ullo modo tangit et solam considerationem religiosam prae oculis habet. Attamen efficere non possumus ut, etiam praeter in-

tentionem nostram, aliqui ansam ex hac declaratione arripiant improbandi Concilium. Hac consideratione ductus, sequentes emendationes propono:

1. Schemati *de Oecumenismo* addatur tamquam primus appendix declaratio, qua verbum caritatis et invitatio ad dialogum ab Ecclesia catholica ad omnes non christianos amanter offeratur. Titulus huius declarationis opportune esset: De non christianis, sub quo titulo omnes omnino homines includuntur quos Oecumenismus proprie dictus non attingit.

2. Textus huius declarationis inciperet a n. 33 praesentis textus, nempe « Omnes homines Deum ut Patrem habent » usque ad lin. 20, pag. 48. Hos omnes Ecclesia uti fratres amplecti cupit, cum eis dialogum instituere vult, eos caritate prosequi, fraterne iuvare, cum eisdem in omni humano incoeptu, maxime autem in pace fovenda atque in humanae dignitatis exigentiis tutandis, cooperare.

3. Post hunc n. 33, n. 34 pressius ad Iudaeos ordinaretur, quos Ecclesia peculiari ratione amplecti vult, ratione communis patrimonii eorum cum christianis, prouti in actuali n. 32 declaratur.

4. Peto ut ex isto n. 32 expungantur verba: « Ideo curent... » etc., linn. 28-32; nemo cordatus hodie populum israeliticum ut gentem reprobatam habet, neque iam ipsis incriminantur ea quae arcano Dei mysterio evenerunt abhinc viginti saeculis. Sola eorum recordatio, mihi videtur, molesta ipsis erit.

5. Addatur alia paragraphus sub distincto numero, qua significetur Ecclesiam amplecti etiam velle copiosam familiam illam Musulmanorum, quibuscum patrimonium commune etiam quodam modo habemus, uti dicitur in linn. 21-24, pag. 48.

6. Memorentur etiam numerosae familiae quae, sicut arena in littore maris, Indiam, Sinas, Iaponem et alias regiones implent, qui Confucium vel Buddham sequuntur, aut sub aliis formis Deum quasi attrectare conantur quum non longe ab iis sit.

7. Nec etiam malum esset si sub alio numero, verbulum saltem mitteretur ad eos qui Deum ignorant, aut etiam eum e cordibus eradicare volunt; si tamen bona fide hominem, qui ad imaginem Dei creatus est, et mundum quo invisibilia Dei etiam revelantur, iuxta sensus naturalis rationis considerant. Ipsi enim a voluntate Dei salvifica, et a Christi redemptione nullatenus excluduntur, atque de eis etiam Ecclesia curam caritate formatam habet.

8. Claudatur declaratio cum damnatione omnis speciei discriminationis prout in actuali n. 34.

9. Post declarationem de non christianis ad modum alterius appendicis, esset declaratio altera *de libertate religiosa* seu de iure personae et communitatum ad libertatem in re religiosa; quia principia huius declarationis universalia sunt sive pro christianis sive pro non christianis.

Puto quod fortasse istae leviores mutationes structurae schematis aliquatenus dissipare valeant periculum quod supra memoravimus. Dixi.

2

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS ŠEPER
Archiepiscopus Zagrabiensis

Venerabiles Patres,

Iam [1] in II sessione audivimus plures etiam eximios Patres vel contra ipsum textum declarationis vel contra opportunitatem loquentes. Haec oppositio non ex rationibus theologicis procedebat, sed potius ex aliquo timore, ne declaratio falsae interpretationi ansam praeberet. Sed nemo qui bonae voluntatis est in schemate elementum politicum conspicere poterit. Ex explicatione autem quae hic in aula data est, clare patet nec tendentiam ullam politicam declarationi subiacere.

Rationes autem, quae declarationem postulant, graves sunt.

1. Ecclesia cum populo Iudaico intime connexa est. In ipsa liturgia nostra Ecclesia sese saepe cum populo Israel aliquo modo identificat. Quotidie in Canone Missae e. g. Abraham dicimus Patriarcham *nostrum.* In Vigilia autem Paschali oramus, « ut in Abrahae filios — *et sensus est Ecclesia* — *ut in Abrahae filios* [2] — et in Israeliticam dignitatem totius mundi transeat plenitudo »...[3]

2. Coram persecutionibus, quas Iudaei non semel passi sunt, Ecclesia indifferens esse nequit. Est enim ...[4] *Mater* omnium populorum, etiam illorum qui eam qua talem nondum agnoscunt. Nam ex sollicitudine materna, quam erga populos demonstrat, mater esse agnoscetur. Persecutiones atrocissimae, quibus Iudaei nostro saeculo expositi fuerunt, declarationem Concilii urgent. Hic in aula certe sunt, qui — sicut et ego ipse — ex personali experientia sciunt et testificari possunt, quot et quanta pati debuerunt personae innocentes, solum ex ea causa quod ad populum Israeliticum pertinebant.

3. Persecutiones et odia contra Iudaeos saeculis anteactis quandoque iustificabantur rationibus, quae apparenter ex patrimonio christiano desumptae erant. Aequitas, prudentia et sinceritas exigunt, ut conatibus similibus per declarationem Concilii tandem finis ponatur. Haec est occasio singularis Concilii Oecumenici, quando nulla ratio

opportunitatis praevalere debet, sed spiritus evangelicus et munus propheticum Ecclesiae quod exigit ut veritas sine ambiguitate proclametur, clare appareat oportet. Neminem fugit, de cetero, quam bonam impressionem in universo mundo fecit illa declaratio, quam episcopatus Germaniae in pervigilio I Sessionis huius Concilii hac de re dederat! Hodie totus mundus talem declarationem a Concilio expectat!

Ad schema ...[5] propositum quod attinet, nostro iudicio, aliqua emendatione indiget, ut verus et realis dialogus cum Iudaeis institui possit, in sensu litterarum encyclicarum *Ecclesiam suam*. Uti nunc iacet, schema magis doctrinale quam pastorale apparet. Loquitur potius de relatione Ecclesiae ad populum Iudaeorum, qualis erat in historia Veteris Testamenti, paucis autem tantum convertitur ad Iudaeos *hodiernos*. Necesse est, ut textus incipiat a populo Iudaico hodierno et a descriptione situationis et relationis, in quibus Ecclesia et Iudaei ad invicem *hodie* inveniuntur. Proponimus igitur reordinationem materiae, ut magis appareat nos cum Iudaeis hodiernis colloquium habere.

Primo describantur quae sub aspectu religioso nos hodie cum Iudaeis communia habemus. Id est:

1. Libros sacros Antiqui Testamenti, *uti anno elapso dixerat Summus Pontifex Paulus VI membris alicuius associationis iudaicae*:[6] « Adest nobis grande patrimonium commune: Biblia, sacra Israelitis et Christianis » ...[7]

2. Communem habemus spem salutis per Messiam venturum. Triste quidem discrimen adest in intellectu istius spei salutis per Christum, at idea ista religiosa — solo iudaismo et christianismo propria — maximi momenti est et nullatenus praetereunda.

3. Communem habemus historiam salutis, quam veram historiam esse credimus. Haec historia nobis et Iudaeis ex parte eadem est, ex parte autem intima necessitudine coniuncta. Etenim:

Historia salutis Ecclesiae usque ad Christum una et unica erat cum historia Synagogae et in hac inclusa. Hic aperte intexantur ea quae in schemate in linn. 1-16 continentur.

Christus, Maria, apostoli ex populo Iudaico erant. Primus Ecclesiae nucleus fuerunt Iudaei: vinum ex vite David, cui aquae populorum dein admixtae sunt, ut in sanguinem Christi — sanguinem Novi et Aeterni Foederis — transeant et convertantur. Plenitudo gentium nondum in « Israeliticam dignitatem » transiit, sed historia Ecclesiae proprie in hac semper progressiva admixtione plenitudinis gentium consistit.

Exspectatio eschatologica futurae adunationis seu accessus populi Iudaici ad plenitudinem populi Dei (cf. linn. 23-27) ita describenda est, ut non proselytismum sapiat, sed ut clare pateat initium et finem

historiae Ecclesiae et populi Iudaici in idem incidere. Modus enim et tempus huius adunationis est mysterium in divitiis sapientiae et scientiae Dei (*cf. ad Rom. 11* [8]).

Deinde ponatur propositum dialogi nostri cum Iudaeis hodiernis illa quae dicuntur in linn. 17-22, sed complenda. Scopus ultimus religiosus dialogi est, ut quam citius spes eschatologica de adunatione Iudaeorum in novo Populo Dei cum nobis fiat, sive ut spes illa acceleretur. Eum in finem necessaria sunt:

In indaganda et pervestiganda archaeologia et historia iudaica, quae simul est christiana, fraterna et sincera cum Iudaeis collaboratio; in scrutandis Scripturis Sacris prudens cooperatio; in omnibus autem caritas et mutua aestimatio.

Post haec locus esset reprobationi antisemitismi, quod in textu exstat linn. 20-22. Noto tamen hoc melius expressum fuisse in textu priore ubi sermo est de « persecutoribus » (in novo textu « vexationes ») et quidem « sive olim sive nostris temporibus », quod in novo textu omissum est.

Praesertim autem filii Ecclesiae vocantur, ut curent evitare omnia, quae populi Iudaici offensiva essent etc. Hic ponatur ultimum incisum n. 32 ...[9]

Sic schema declarationis magis unitum esset et efficacius elementa colloquii nostri cum Iudaeis hodiernis praedicaret, nihil autem perspectivae historicae et doctrinali adimeret.

Necessarium deinde erit, ut Directorium magis particulare conficiatur, quo dialogus cum Iudaeis regulatus sit. Apud Secretariatum autem pro unione specialis bene ordinata Sectio pro relationibus cum Iudaeis — modo permanenti — constituatur. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] (Oratio post Lect. II). [4] Ecclesia. [5] autem. [6] Hac de re Summus Pontifex Paulus VI in audientia concessa membris "Study Mission United Jewish Appeal" die 14 octobris 1963 dixerat. [7] (*L'Osservatore Romano,* 16 oct. 1963). [8] (cf. *Rom.* 11, 25. 33). [9] (linn. 28-32).

3

EXC.MUS P. D. IVO PLUMEY

Episcopus Garuensis

Venerabiles Patres, carissimi Observatores et Auditores,

Optima videtur declaratio de Iudaeis et de non christianis. Attamen, proponere vellem ut in paragrapho ubi agitur de Musulmanis

addatur, post verba « qui unicum Deum personalem atque remuneratorem adorant », *eumdem ac nostrum* adorant.

Adhuc, secundum strictam logicam, Concilio placeat post illa quae de duodecim millionibus Iudaeis dicuntur, quaedam addere circa quadringentos milliones Musulmanorum, qui sicut nos Iudaeique Deum adorant, eiusque unicitatem tenaciter proclamant, cunctos errores paganorum energice reiicientes, et fidem suam usque ad Abraham referentes.

Huius quidem istius additionis primam rationem invenio in facto relationum inter Papatum et maiorem partem Statuum islamicorum, atque in relationibus et contactibus pacificis, aliquando etiam in collaboratione et amicitia episcoporum missionaliumque cum civilibus personis, imo cum auctoritatibus politicis, quae saepe saepius operam nostram educationis atque caritatis sincere exaltant.

Secundam accipio in casu sacerdotum quos ad districtus ubi praecipue vivunt Musulmani, ut ministerium exerceant quod pluries ingratum vocatur propter exiguos effectus obtentos, ita ut nonnumquam confratres eos inutiles putant, dum pondus aestusque laboris ferre debeant apud tribus paganas quae catervatim ad catechumenatum et baptismum accurrunt... Opus habent illi minus felices maioris solatii, et silentium Concilii tentationes depressionis animi vehementer augeret.

Certo certius viciniores nobis exstant Iudaei, ut clarissime demonstrat textus praedictus. Attamen, non desunt spei fundamenta.

1. Musulmani, magis quam omnes alii non-christiani, mysterium Christi comprehendunt. Abrahami heredes, Iesum plene recognoscunt tamquam primum in sanctitate inter prophetas, virginaliter de B. Virgine Maria natum, et ipsam Mariam tamquam maximam Abrahae filiam. Tum virginitatem Mariae, tum virginalem Iesus nativitatem ferventer tuentur. Huc autem notandum venit quod in tota creatione solus Iesus, nomine matris suae, designatur: videlicet « Iesus filius Mariae ».

2. Sanctuaria Mariae pie visitant, processiones in eius honore sequuntur, imagines eius devote colunt, nomen eius filiabus saepe tradunt ac ubique protectionem eius implorant: quod saepissime refertur in India, Pakistano, Mozambico, Aegypto, Persia, Turchia et, praecipue, Ephesi, Gubernio benigne probante atque *opportunitatem* [1] concedente.

3. Optimum videtur verba Gregorii Papae VII in litteris suis Sultano Africae septemtrionalis evocare: « Hanc itaque caritatem nos et vos specialis nobis quam ceteris gentibus debemus, qui unum Deum, licet diverso modo, credimus et confitemur, qui eum creatorem saeculorum et gubernatorem huius mundi quotidie laudamus et veneramur »... [2]

Proprium est Concilii Vaticani II, revera illud moventibus ac afflantibus Ioanne XXIII, piissimae memoriae, necnon et Paulo VI, feliciter regnante, ut *fidens dialogus* cum omnibus hominibus praesentis temporis, instituatur. Huiusmodi autem sollicitudo in declaratione adeo fastigium adipiscitur ut hominum oculi ad illud sponte sese convertant. Quocirca, hoc evangelico spiritu imbuti, peropportune illi christiani, qui apud Musulmanos vitam degunt, cum istis modo omnino fraterno sese habebunt. Quod ad reliquos attinet christianos, eos scil. qui distantes sunt, ab eisdem iure expectatur ut momentum atque utilitatem praedictae sollicitudinis quamprimum percipiant et magno pretio habeant.

Ita, demum, dilatabitur amicitia plurium sacerdotum atque laicorum, qui ab annis conati sunt *viam amoris* inter christianos, Iudaeos et Musulmanos, i. e. inter filios Abrahae praeducere et paulatim latius extendere, ut iter ad maiorem cognitionem « *viarum Dei* » inter homines bonae voluntatis aperiatur.

Quare, valde optandum est — multorum episcoporum est votum, specialiter in Africa —, ut in Ecclesia catholica commissio specialis vel secretariatus pro Musulmanis instituatur.

In textu scripto tradito: [1] opportunitates. [2] (MIGNE, *PL* t. 148, p. 450).

4

EXC.MUS P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO
Episcopus Cuernavacensis

Venerabiles Patres,

Quaestio de populo iudaico, quae prout relatio card. Bea clarissime effert, expressa voluntate Ioannis XXIII sanctissimae memoriae, introducta est, nunc nobis prostat tamquam declaratio quam substantialiter approbandam sese puto, nam omnino impossibile esset schema totum Oecumenismi ita noviter elaborari ut perspectiva illa Oecumenismi catholici perspicue elucesceret, quae nempe originem duceret a libertate religiosa tamquam a radice et primo capite, et per mundum atheisticum, per homines religiosos non adunatos, per religiones non christianas, per Islamismum, per populum iudaicum, per christianos non catholicos discurreret in singulis capitibus.

Declaratio approbari debet, quia etsi tractat etiam de hominibus non christianis, populus iudaicus (non Status Israel) praesentatur in sua

religiosa et unica singularitate, quam ex revelatione et historia Ecclesia habet.

1. Ex revelatione in primis scimus quid sit populus Iudaicus ante Christum, tempore Christi et post mortem et resurrectionem Christi.

2. Historia Ecclesiae inter alia nos admonet de malis populo iudaico a christianis cuiuscumque ordinis inflictis, non tantum quidem propter rationes religiosas, sed certissime propter erroneam radicitus interpretationem revelationis et practicam oblivionem legis iustitiae et caritatis.

Unde sequitur declarationem esse simul oboedientiam humilem et laetam Evangelio et reparationem generosam et perfectam malorum gestorum.

Sicut in casu declarationis libertatis religiosae, in qua ab iis quae contra libertatem religiosam, nomine Evangelii, a christianis decursu saeculorum patrata sunt, nunc, etsi mundus adhuc *dubitat,*[1] agnitione libertatis pro omnibus hominibus, Deus, qui facit oriri solem super bonos et malos ...[2], nos purgat ut fructum plus afferamus ...[3], ita in hac declaratione circa populum iudaicum de gestis non laudabilibus nos purificamus.

Schema revera continet talia elementa ut imago populi iudaici ex revelatione nobis fulgeat brevis et concinna. Sed lugendum illud factum omissionis in secundo schemate excusationis a Deicidio debet corrigi forsitan ope formulae quae in priori schemate inveniebatur, in qua etiam meliori modo quam in praesenti schemate reiiciebatur Maledictio, quae, ut passim fertur, penderet super populum iudaicum.

Desiderandum esset ut explicita etsi generica reiectio erroneae interpretationis quorundam textuum maxime usitatorum ab antisemitis includeretur, e. g. *Mt.* 27, 25, ...[4] etc.

Praeterea formula seligenda est quae veritatem exspectationis a S. Paulo edoctae clarissime extollat et simul suspicionem nullam insinuet intentae destructionis sociologicae populi iudaici. Inter alias possibiles formulas hanc propono quia quae in secundo schemate de novo introducebatur, inter plurimos iudaeos confusiones genuit.

« Ecclesia enim docente apostolo Paulo ...[5] fide inconcussa et desiderio magno divitias exspectat, quas populus Israel, munus adimplendo a Deo ipsi assignatum in historia salutis ...[6], mundo afferet, cum iterum asserente apostolo ...[7], aliquando hunc Christum quem ipse dedit, agnoscat et ita propriam plenitudinem attingat ».

Agnitio enim Christi donum erit populi iudaici pro mundo et non destructio sed adimpletio suipsius vocationis.

Imagine biblica populi iudaici, non integra quidem, sed vera sic restituta, non onus sed gaudium pro Ecclesia erit agnitio et compunctio

et deploratio gestorum contra populum iudaicum, ita ut in posterum nemo inter christianos praetextu religionis, sive explicito sive larvato, antisemitismum colere et fovere audeat. Talis agnitio magis explicita inveniebatur in priori schemate, pag. 4, linn. 8-10 et nunc ad minimum reducta insufficiens exstat in n. 32, linn. 20-21.

Melius esset non dicere « sicut iniurias hominibus ubicumque illatas severe reprobat » quasi ageretur de casu quodam generico, quod quidem excludebatur per particulam « magis » *in vetere schemate,*[8] sed simpliciter dicere « Ecclesia odia et persecutiones contra Iudaeos, sive olim sive nostris temporibus perpetratas, *addendum esset*[9] « praecipue quae quocumque modo a christianis ortum habuerint, materno animo deplorat et damnat ».

Hac *declaratione*[10] et damnatione illi omnes christiani concluduntur qui ob praeiudicium religiosum tam proclives sunt ad complexus historicos rudimentarios sibi efformandos vel admittendos, pro quibus non est in mundo motus quidam vel coetus hominum qui sit vel videatur anticatholicus, cuius originem aut existentiam non tribuant populo iudaico, Francomuratores e. g., cum quibus non dubito quin quam primum pacem habeamus.

Optimum quidem esset vitare ambiguitatem in usu vocabulorum ita ut plane intelligatur nos constanter agere de populo iudaico prout in revelatione apparet et a Deo indigitatus perseverat.

Ultimo tandem loco, sicut in priori schemate, quod longe superat alterum, agendum esset de iis quae ad bonas relationes in posterum fovendas *vel*[11] valde conferent. Ibi quaedam adprecatio ad Iudaeos maxime opportuna videretur.

Faxit Deus ut Iudaei omnes per orbem diffusi rectitudinem animorum nostrorum, humilitatem, necnon fidelitatem verbo Dei perspiciant et una nobiscum testimonium reddant mundo agnitionis communis Dei sese in Scripturis nobis indesinenter ostendentis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] dubitet. [2] (*Mt.* 5, 45). [3] (*Io.* 15, 1). [4] *Mt.* 24, 2 et par.; *Rom.* 9, 22. [5] (*Rom.* 9-11). [6] (*Rom.* 11, 1-25; 30-32). [7] (*Rom.* 11, 12. 15). [8] deest. [9] (additio mea). [10] deploratione. [11] deest.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis modo peractae, nempe XXXVII:

Praesentes votantes	2.228
Dixerunt *placet*	1.523
non placet	702
Suffragia nulla	3

Ergo textus est approbatus a congregatione generali.

Patres venerabiles, rogamus vos ut in suffragatione facienda, suffragium bene et clare exprimatur; secus nostri assignatores locorum debent cursitare per aulam ut interrogent Patres quidnam voluerint dicere. Suffragatio fit per signum, vel crucem in casella apposita.

Nunc lego, Patres venerabiles, textum suffragationis sequentis.

Suffragatio XXXVIII, pag. 23: « Supremae auctoritati competit decernere, utrum hic diaconatus viris maturioris aetatis etiam in matrimonio viventibus conferri possit ». Placetne an non placet?

5

Exc.mus P. D. LAURENTIUS SATOSHI NAGAE

Episcopus Urawaënsis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine omnium episcoporum Iaponiae. Gaudendum est certo quod in hac declaratione altera, additi sunt nn. 33 et 34 qui agunt de modo quo nos gerendi erga non-christianos. Liceat tamen de his ultimis, praesertim de n. 33 sequentes proponere emendationes.

1. *De titulo declarationis.* Titulus nostrae declarationis sonat: *de Iudaeis et de non christianis.* Attamen, cum Iudaei etiam non sint christiani, in titulo melius diceretur: *de Iudaeis et de ceteris non christianis.*

2. *De citatione textuum Sacrae Scripturae.* In n. 33 ut fundamentum theologicum nostrae habitudinis erga non christianos, ponitur universalis hominum fraternitas sub communi Patre caelesti. Quae fraternitas universalis deinde variis textibus Sacrae Scripturae illustratur.

Notatur tamen quod plures textus citati vel allati ut conferendi, non sunt ad rem; quia non agunt de fraternitate universali *omnium hominum,*[1] sed potius aut *agunt*[2] de fraternitate inter iudaeos aut de fraternitate inter christianos. Ita, e. g., textus *Mal.* 2, 10 agit de fraternitate inter iudaeos; *2 Par.* 19, 7 tractat de modo agendi in iudicio iudaeorum; ad *Eph.* 6, 9 et ad *Col.* 3, 25 agunt de modo quo domini christiani servos suos tractare debent et vice versa; *1 Petr.* 1, 17 et *1 Io.* 4, 20 agunt de caritate inter christianos. Unde alii textus biblici aptiores directeque de fraternitate hominum universali tractantes seligendi sunt.

3. *De ipso argumento theologico.* Textus noster christianos vehementer obsecrat ut non christianos diligant; et quidem, quia qui fratres, ad imaginem Dei creatos non diligunt, reapse Deum Patrem diligere non possunt. Quia tamen, relatio humana non est unilateralis sed est reci-

proca, ad mutuam habitudinem fraternam inter christianos et non christianos inculcandam, praeter illam rationem sublimem et stricte christianam, etiam altera ratio cuiusdam fraternitatis in communi natura, dignitate sortique communi omnium hominum fundatae, clarius exponenda est, utpote facilior intellectu *et acceptabilis* [3] pro non christianis, ad quos *etiam,*[4] veluti « omnes bene cordatos homines » ut dicit textus noster, declaratio nostra *dirigitur.*[5] De cetero hoc modo proceditur etiam in prooemio schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* et in Litteris Encyclicis *Ecclesiam suam* quando sermo est de dialogo instituendo cum mundo et non christianis.

4. *De modo concreto se gerendi cum non christianis.* Recte in textu, in pag. 48, in linn. 17-20, affirmatur sincera voluntas nostra agnoscendi in doctrinis et opinionibus non christianis radium Veritatis, quae illuminat omnem hominem. Et ita feliciter reiicitur ille modus iudicandi et condemnandi a priori, et sub unico vocabulo « paganismi », omnia quae inveniuntur in religionibus non christianis, tamquam pagana et proinde religioni nostrae contraria, et positive affirmatur habitudo nostra fraterne amplectendi sincera conamina non christianorum quaerentium *quidem* [6] ipsam Veritatem, necnon inveniendi vestigia Veritatis ab iisdem possessa tamquam praeparatio quaedam ad Evangelium. Deest tamen in nostro textu mentio de alio modo quo concrete christiani cum non christianis convivere et cooperari possint et debeant. Commendari etenim debet spiritus cooperationis cum non christianis in promovendis valoribus vere humanis sic e. g. in tuenda moralitate sive privata sive publica; in promovenda iustitia sociali; in excolendis operibus assistentiae socialis; in fovendis scientiis et bonis artibus.

5. *Cum* [7] mentio specialis Musulmanorum prout exstat in schemate, *veniat* [8] nimis ex abrupto, *ad evitandam interpretationem erroneam apud* [9] non christianos. Si eam servare placet, saltem modo generali similis mentio facienda erit de aliis religionibus magni nominis.

Concludo. Ex dictis *concludere liceat* [10] quod textus vario sub respectu revisione indiget. Utile videtur in revidendo textu cooperatio habeatur ex parte « Secretariatus pro non christianis » a Summo Pontifice recenter instituti. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] appellat. [6] deest. [7] *De Musulmanis.* [8] venit. [9] imo a non musulmanis interpretari possit nos ipsos inferre aliquam discriminationem inter. [10] patet.

6

EXC.MUS P. D. EDMUNDUS NOWICKI

Episcopus Gedanensis

Venerabiles Patres,

Nomine episcoporum Poloniae, in hoc Sacro Concilio coadunatorum, liceat mihi aperire, declarationem alteram *de Iudaeis et de non christianis* magis placere declaratione priori.

Nonnulla tantum animadvertere videntur, ac quidem:

...[1] *De titulo.* Titulus declarationis aptius inscribatur: *de Iudaeis deque aliis non christianis.* Ratio est, cum etiam Iudaei, de quibus in declaratione, non christiani sint.

...[2] *In lin. 2.* Post verba: « electionis suae », addatur verbum: « prophetica », ac quidem praecisionis causa.

...[3] *In lin. 13.* Post verba: « natos esse », addantur verba: « Petrum ceterosque » eadem praecisionis causa.

...[4] Post verbum « vexationem », addantur verba: « ac persecutionem ».

Ratio autem haec est: Declaratio prior vocabulo « persecutio » utebatur. Ideo vel magis vocabulum, « vexatio » in praeiacenti declaratione adhibitum, sat vehementem disceptationem in ephemeridibus provocavit, utpote non adaequatum tormentis a Iudaeis passis ac cum in usu saltem mundi huius temporis haud synonymam habeat significationem.

Parum iuvat argumentum quorundam, quod Cicero in casu, de quo, praecise vocabulo « vexatio » usus fuisset, cum vocabulum « persecutio» nonnisi pro inquisitione iudiciali reservavisset. Etenim Ecclesiae sanctae utendum esse videtur lingua intelligibili mundo huius temporis potius quam exquisita arte ciceroniana, eo vel magis, cum etiam apud Ciceronem vocabulum « vexatio » non semper habuerit significationem synonymam. Ita, e. g., Georges in glossario suo ...[5] affert, Ciceronem citans, « vexationem » significare quoque posse « Misshandlung » seu « maltrattamento» .

Ceterum ipsemet em.mus relator ultima feria VI in relatione super declaratione altera semper nonnisi vocabulo « persecutio » usus est.

...[6] *In linn. 28-31. a)* Verba in linn. 28-30 ita redigantur, ut positiva mandata pastoralia referant, *b)* textus *vero*[7] in linn. 30-31 deleatur. Rationes sequentes videntur:

Ad *a*): Quae nostris diebus coram oculis nostris summae iniuriae,

immo crudelitatis ferocissimae, populo iudaico allata sunt, non solum corda nostra vehementi dolore afficiunt ac eo suaviore amore christiano, intime quidem compatienti, populo illo appropinquarunt, sed demonstrarunt quoque, quantopere mundus Ecclesia Iesu Christi uti Matre et Magistra indigeat. Re sane vera, quae exposita sunt in n. 32 declarationis alterae, usque ad lin. 26, illam Ecclesiae sanctae teneram virtutem illudque providentiale eius munus luculenter probant.

At quo pulchrius et magnanimius sonat praedicta illa explanatio doctrinalis, eo magis praeparca in linn. 28-30 apparet pastoralis conclusio, tantopere quidem, ut absone commovere possit. Restringitur enim ad duo praecepta, negative concepta, scil. quid agendum *non* sit.

Pastoralis igitur conclusio nova indiget redactione ac quidem in forma positiva.

Ad *b*): Monitum *vero* [8] in linn. 31-32, tantopere parce ac coarctato modo redactum, cum nempe — aliter ac in declaratione priori — de Iudaeis tantum nostrorum temporum doceat, saltem confusionem ex una, reactionem ex altera parte provocare potest, ideoque potius omittendum videtur.

...[9] Pag. 8, *post lin. 20,* addantur verba, quibus populis non christianis spes christiana patefiat de eorum adunatione cum Ecclesia Sancta Dei. Ratio est: *a*) cum eadem spes de essentia sit salvificae missionis Ecclesiae, et *b*) cum spes illa perpulchre patefacta fuerit Iudaeis ideoque heic praetermissa saltem admirationem provocare possit. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] I. Pag. 7. [2] II. Pag. 7. [3] III. Pag. 7. [4] IV. Pag. 7 in lin. 21. [5] ed. V. [6] Pag. 7. [7] deest. [8] deest. [9] VI.

7

EXC.MUS P. D. SIMON HOA NGUYEN VAN HIEN
Episcopus Dalatensis

Venerabiles Patres,

Omnino placet huius declarationis adiunctio quae non tantum opportuna sed et urgens mihi videtur: nam Ecclesia Dei, sicut ipse Christus, non tantum ad christianos (nemo christianus erat in suo adventu) sed ad omnes filios Dei dispersos quos congregaret in unum, missa est. Ad hunc finem Ecclesia cum omnibus sine exceptione ulla, debita tamen via, ad Dei gloriam et salutem animarum non vero tantum ad pacificam conviventiam, frequentes et amicales contactus inire debet, atque, re-

licto antiquioris iuridismi ac triumphalismi sensu, sese ad caritatis spiritum decisive convertit. Mihi *tamen* [1] liceat aliquas observationes facere.

1. *De Iudaeis*. In quolibet dialogo ad bonum fructum obtinendum requiritur inter colloquentes, animi dispositio sympathica. Porro, relate ad ...[2] Iudaeos, puto eos a nobis iure exspectare mentionem de *Moyse,* quem maxime venerantur ut ducem ac legislatorem. *Ita* [3] quoque fecit Christus, perfectionem suae doctrinae referendo quidem ad Abraham et Patriarchas, magis tamen ad Moysen (legem) et Eliam (prophetas) cf. *Mt*. 5, 17. Item et in Transfiguratione « Ecce apparuerunt illis Moyses et Elias cum eo loquentes »...[4]

Item quoque invenitur in schemate *de revelatione* ...[5] « in populum magnum quem post Patriarchas, per Moysen et Prophetas erudiret ».

Proinde in n. 32, pag. 7, lin. 3, addendum esset nomen Moysis « iam apud Patriarchas per Moysen et Prophetas erudiret ».

Item in lin. 5 addatur « duce Moyse »: « et in populi exitu, Moyse duce, e terra servitutis salutem Ecclesiae mystice praesignari »...[6]

In lin. 22: opportune videtur addendum esse « odia et vexationes contra Iudaeos, *undequaque obvenerint vel obveniant,* deplorat et damnat ». Ita enim dicitur in schemate *de Oecumenismo* relate ad christianos non catholicos idem accommodatius dicendum esset de Iudaeis eo magis quod eorum amaritudo directe praeteritum respicit, a certis coetibus christianis provocata. Per talem culpae discretam agnitionem et universalem facti reprobationem Sanctum Concilium gratitudinis ac fiduciae sensum ex parte Iudaeorum absque dubio suscitabit...[7]

2. *De non christianis*. Plus quam dimidia pars populationis totalis mundi non sunt nec christiani nec Iudaei. Concilium bene agit verbum de eis dirigendo. Inter eos plures sunt nationes quae, licet sub duro jugo communistarum oppressae, in quorum manus mea Patria iamiam incidit, fidem in unum Deum supremum caeli et terrae Dominum profitentur doctrinamque moralem naturalem observant ac quasi praedispositi sunt ad libenter amplectendam fidem catholicam, Dei gratia adiuvante, si Evangelii lumen tandem aliquando eos attingat.

De eis *ergo* [8] aut mentio fiat sicut de Musulmanis aut nihil dicatur nec de unis nec de aliis, sicut bene notaverunt em.mi oratores heri.

Erga eos omnes optime commendatur vera caritas quae totum hominem respicere debet: corpus et maxime animam, omnibus in modis possibilibus: affectu et effectu, verbo et opere. In caritate *vere* [9] exercitio, affabilitatem ac conatum comprehensionis comitetur humilitas, abiiciendo omnem superioritatis complexum ac desiderium abrogandi *ea* [10] quae in eorum cultura, doctrinae revelatae non sint opposita.

Item notandum est quod aliquando in ephemeridibus christianis,

quaedam photographiae praesentatae sunt, quae genti evangelizandae honori non sint, vel scripti sunt articuli, describentes usus vel modos agendi vivendique harum nationum, qui caritatem parum sentiant, eo fine ut lectores commoveantur ac largas manus aperiant; attamen hi modi potius difficultates apud evangelizandos suscitant et dialogi via penitus clauditur.

Denique in catechesi, ne amplius in infernum detrudantur quotquot non sint catholici, quia salus dependet a Christi gratia et subiecti fide.

Iuxta has considerationes optarem ut in n. 33, pag. 8, lin. 18 scribatur: « Magna cum observantia consideremus *modos agendi et vivendi,* opiniones et doctrinas quae... etc. ».

Et n. 34, lin. 34, dicatur: « eis praescribit ut diligant, *verbo et opere,* non tantum proximum suum *sed inimicos suos* ».[11]. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] fratres. [3] Sic. [4] (*Mt.* 17, 3). [5] n. 3, pag. 6, lin. 25. [6] lin. 19. Cum dialogi via non sit unica ad mutuam cognitionem et aestimationem promovendam, addendum esset vox « speciatim » et scribatur: « Aestimationem quae *speciatim* studiis theologicis, fraternis colloquiis, *communi S. Scripturae lectione ac psalmorum recitatione,* obtinetur ». [7] lin. 3, n. 3, pag. 8, mutetur vox « renuimus » in aliam propter euphoniam (triplex *re*). [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest.

Secretarius generalis: Notum facio exitum suffragationis XXXVIII:

Praesentes votantes	2.229
Dixerunt *placet*	1.598
non placet	629
Suffragia nulla	2

Ergo textus est probatus a congregatione generali. Nunc transeamus ad ultimam suffragationem.

Velitis attendere, Patres! Haec ultima suffragatio per duo commata proponitur. Sed duorum commatum aliud aliud excludit. Quapropter suffragatio nunc proponitur tantum hac prima formula, nempe primo commate: « vel imo iuvenibus idoneis quibus non imponatur lex caelibatus ».

Evidenter hoc comma supponit periodum praecedentem, ita ut compleri sic possit: « Supremae auctoritati competit decernere utrum diaconatus conferri possit iuvenibus idoneis quibus non imponatur lex caelibatus ».

Ergo suffragatio fiet tantum pro hac phrasi quam legi et quam repeto: « Supremae auctoritati competit decernere utrum hic diaconatus

conferri possit iuvenibus idoneis quibus non imponatur lex caelibatus ». Et sufficit. Haec expressio est suffraganda.

Et aliud comma, quispiam potest quaerere? Aliud comma decidetur automatice ex responsione ad primum. Nam si, v. g., Patres dicent maioritate requisita « Placet » ad propositionem factam, statim corruit secundum comma. Si vero Patres dicent « Non placet » ad primum comma, iam stat secundum comma.

Suffragatio ita est proposita et ego explicavi clarius quam potui. Attamen repeto textum propositionis suffragandae: utrum placeat an non placeat Patribus haec propositio? Lego lente, ita ut scribi etiam possit: « Supremae auctoritati competit decernere utrum hic diaconatus conferri possit iuvenibus idoneis quibus non imponatur lex caelibatus ». Placetne an non placet haec propositio, Patres venerabiles?

8

EXC.MUS P. D. ARTURUS ELCHINGER

Episcopus tit. Antandrinus, coad. Argentinensis

Patres venerati, Periti industrii, Observatores Auditoresque carissimi,

Parcite mihi si adhuc sermo fit de dialogo cum Iudaeis et quidem de huius dialogi momento et conditionibus.[1]

Post ultimum bellum, quod erga Iudaeos maximae atrocitatis fuit, in civitate Strasbourg, ubi ministerium pastorale exerceo, magna Synagoga aedificata est, quae vocatur « Synagoga Pacis ». Frequentes occasiones mihi dantur in colloquiis cum Iudaeis venire. Quapropter testimonium hic modeste afferre audeo, et quidem de his duabus quaestionibus:

1. Quid significant Iudaei *hodierni* pro christianis nostri temporis?

2. Quid significat declaratio nostra pro Iudaeis nostri temporis?

Evidenter, hic agitur non de civibus Reipublicae « Israel » sed de Iudaeis, ubique terrarum dispersis, prout in eis patrimonium biblicum servatur.

I Pars. Quid significant Iudaei hodierni pro christianis nostri temporis?

Iudaei, non tantum Veteris Testamenti sed etiam Iudaei hodierni considerationis particularis digni sunt, in quantum etiam in praesenti, *vivi testes* sunt traditionis biblicae. Tales sunt:

1. *Per scientiam et intelligentiam librorum sacrorum* Primi Testamenti. V. g. in multis regionibus, pueri Iudaeorum, quotidie per unam saltem horam in studio paginae divinae versantur; pulcherrimum exemplum etiam pro christianis! Pro illis Iudaeis Sacra Biblia non documentum mortuum est, non praeterita sed praesens historia. Confiteor me ab aliquibus talibus Iudaeis ad meliorem cognitionem et ad vividiorem amorem Patrum Primi Testamenti pluries incitatum fuisse.

Certo certius, communis inquisitio circa Legem aut Prophetas — vel etiam sic dictos hagiographos — studium de hoc inter Iudaeos et christianos sufficienter peritos, magni spiritualis lucri esset.

2. Inter hodiernos Iudaeos, multi etiam traditionis biblicae testes sunt *vivendo* aliquas *virtutes religiosas,* a Lege vel Prophetis commendatas. V. g. habent sensum egregium divinae transcendentiae, adeo ut saepius gallice vocantur « les pélerins de l'Absolu ». Oboedientiam praebent praeceptis divinae Legis et in primis Decalogi — oboedientiam non tantum moralem sed proprie religiosam. Fidem habent in libertatem Populi Dei a servitute. Cultus eorum et preces, qui non tantum in synagogis per hebdomadam sed etiam in familiis eorum celebrantur, familiarum relationes religiose confirmant et consecrant.

3. Fide certa tenemus quod in aeternitate sua, Deus consilia sua non deneget. Quando Primum Testamentum instituit, iam secundum Testamentum amore suo praevidebat. Ergo, Secundum Testamentum primum non rumpit ...[2]. Nobis christianis certe non licet Iudaeos considerare ut membra reiecta Populi Dei. E contra, divitias nostras communes, quoties fieri potest, explorare et ad fructificationem hodiernam, cum eis, promovere debemus.

Quis non videt quantae efficacitatis hoc esset in isto tempore, ubi viget atheismus ubique diffusus! Christiani et Iudaei, quia testes Divinae Locutionis et Historiae Salutis, — quia testes eiusdem Monotheismi — non possunt amplius incredulitatis defensoribus testimonium tristissimum afferre gravis deficientiae in mutua cognitione et caritate.

II Pars. Quid significat declaratio nostra pro Iudaeis nostri temporis? Defunctus noster Pontifex, sanctae memoriae, qui a Iudaeis nunc « Ioannes bonus » vocatur, per modum suum vere evangelicum, immensam spem apud Iudaeos suscitavit. Pariter debemus nos, hodie, in declaratione nostra, modo illo evangelico uti, qui supponit humilitatem sobriam et decentem reverentiam erga Iudaeos. Sine ullo dubio, declaratio ista maximi momenti est pro dialogo tam necessario inter Iudaeos et Ecclesiam catholicam. Textus noster, non sine anxia interrogatione, a Iudaeis totius mundi nunc exspectatur, et erit fons et causa vel pacis

et gaudii vel, e contra, profundae amaritudinis et gravis damni. Ergo, quid desiderandum est?

1. Iudaei exspectant a Concilio nostro Oecumenico *aliquod solemne verbum iustitiae.*

Negare nequimus quod non tantum in hoc saeculo sed etiam in saeculis transactis crimina erga Iudaeos perpetrata sunt a filiis Ecclesiae et non raro, etsi false, nomine ipsius Ecclesiae. Ignorare nequimus in historia inquisitiones fuisse contra Iudaeos, contumelias, conscientiae violationes, immo conversiones ex coactione natas. Non tandem negare debemus, quod usque ad recens tempus, nimis frequenter, sive in praedicatione, sive in quibusdam libris catecheseos, errores irrepsisse quae spiritui Novi Testamenti offensae sunt.

Cur ex illo spiritu Evangelii non illam magnanimitatem haurire possimus, ut nomine tam multorum christianorum veniam postulemus pro tot ac tantis iniuriis? Procul dubio, etiam Iudaei defectus habent, etiam, pro sua parte, errores et culpas commiserunt. Nemo hoc negat. Sed hoc non obstante, requiritur ab Evangelio Christi, ut confiteamur culpam nostram quin attendamus Iudaeos idem facere erga nos. Praeterea, pro nostro Oecumenico Concilio, iustitiae officium et munus est, doctrinas falsas quoad Iudaeos ex nostra catechetica Institutione delere, sicut optime asseritur in declaratione nostra...[3]

2. Nostra declaratio vitare debet — sicut aliquomodo iam fecit — omnem speciem alicuius praesentis convocationis ad conversionem totius populi iudaici. In praesenti etenim situatione, Iudaei communiter capaces non sunt intelligendi transitum ad Evangelium Christi pro eis non esse apostasiam sed veram plenitudinem. Illa Dei hora de qua Paulus apostolus loquitur in Epistola ad Romanos ...[4] de unione definitiva totius populi electi, a nobis nondum cognoscitur nec cognosci potest.

Concludo. 1. Declaratio « de Iudaeis » separari deberet ab his quae dicuntur de aliis religionibus non christianis et constituere aliquam declarationem propriam. Relatio inter Ecclesiam et Synagogam est omnino specialis: agitur in dialogo inter christianos et Iudaeos de communicatione (ut ita dicam) inter arborem Ecclesiae et eius propriis radicibus...[5]

In hoc casu, valde optandum est ut aliqua brevis et distincta declaratio Musulmanis reservetur, in qua specifica indoles religiosa eorum clarius a Sacra Synodo aestimetur et praesens Ecclesiae habitudo erga eos declaretur.

Quod autem attinet ad religiones non biblicas, hodie tam numerosas, tanti ponderis existentes in re culturali et etiam per multiformem

et sinceram inquisitionem mysterii Dei saepe cor credentium moventes, Sacra Synodus, in tertia declaratione separata, eas fusius considerare et etiam ad dialogum invitare posset.

De his omnibus propositiones concretas apud secretariam pono.[6]

Denique[7] certo certius, non ignoramus aliquorum Patrum Conciliarium inquietudines propter sequelas ex declaratione de Iudaeis forsan pro eis infeliciter emanantes. Attamen, nec in situatione difficillima, veritas ac iustitia in Ecclesia derelinqui possunt. Tacere nequimus.

Sed nonne illi fratres amantissimi consolationem ac fortitudinem...[8]

Moderator: Explicit tempus, exc.me Domine.

In textu scripto tradito: [1] Concilium nostrum Vaticanum ad sincerum dialogum cum hominibus huius temporis intendit. Necessarium est, et in praesenti vale opportunum, ut iuvet specialiter dialogum cum Iudaeis. De huius dialogi *momento* et *conditionibus* breviter loqui vellem. [2] Revera ipse Dominus dixit: « non veni solvere sed adimplere » (*Mt.* 5, 17). Ergo. [3] Praesertim, necessarium est istam expressionem omnino reiicere, Iudaeos « populum deicidum » esse. [4] (cf. *Rom.* 11). [5] Secundum S. Paulum christiani sunt sicut oleastrum insertum in ramis israeliticis et socium radicis (cf. *Rom.* 11, 17). [6] 2. In ista declaratione optandum esset ut redintegrentur diversa elementa prioris textus quae, in hac materia, melius veritati respondent. Quasdam concretas propositiones apud Concilii secretariatum pono. [7] 3. [8] haurire possent ex verbis Pauli VI fel. regn. qui resonare faciunt verba ipsius Christi Domini. Prolata fuerunt die 6 ianuarii elapsi, in civitate Nazareth: « Bienheureux serons-nous, si nous aimons mieux être opprimés qu'oppresseurs, et si nous avons toujours faim d'une justice en progrès »! Beati nos erimus, si opprimi magis quam oppressores dilexerimus esse, et si semper maiorem iustitiam magis ac magis pro omnibus esuriamus!

Animadversiones additae:

Ad n. 32.

Lin. 2 loco « libenter », melius esset: « grato animo ».

Lin. 11: statim inserendum esset: « Credit insuper Ecclesia, Christum, Pacem nostram, propter peccata omnium hominum passionem suam et mortem voluntarie obiisse ».

Linn. 11-16: post supra dicta, ista scribendae essent linn. 11-16: « Verba quoque apostoli Pauli semper habet et habebit prae oculis Ecclesia de Iudaeis " quorum adoptio est filiorum et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissa ", quorum Patres et ex quibus est Christus secundum carnem (*Rom.* 9, 4) necnon Christi Mater, Maria Virgo et Apostoli, Ecclesiae fundamentum et columnae ».

Lin. 17: post lin. 16 i. e. post supra dicta, opportuniter inserendum esset:

« Iudaei insuper, testante eodem Apostolo, Deo, cuius dona et vocatio sine poenitentia sunt, adhuc carissimi manent propter Patres, et signati amore Dei cuius viae investigabiles abscondita adhuc sunt in altitudine sapientiae et scientiae eius » (cf. *Rom.* 11, 33).

Lin. 18: post verbum « acceperint » (lin. 17) dicendum esset (loco linn. 18-22): « et cum Ecclesia agnoscit Iudaeos, ex eo quod custodiunt ex Traditione Biblica, manere adhuc hodie, in mundo semper magis materialismo et atheismo infecto, testes spiritu et virtutum in illa Traditione signatarum, Sacra haec Synodus mutuam utriusque cognitionem et aestimationem, quae et studiis *biblicis* et theologicis et fraternis colloquiis obtinetur, omnino fovere vult et commendare. Insuper, sicut iniurias hominibus ubicumque illatas severe reprobat, ita etiam magis odia, vexationes et persecutiones contra Iudaeos quas *antisemitismum* dicunt, sive olim sive nostris temporibus perpetratas, deplorat et damnat ».

Linn. 23-27: haec paragraphus delenda vel mutanda esset ut non interpretari posset ut aliqua convocatio *totius* populi iudaici ad conversionem immediatam. Interpretaretur ut exhortatio ad apostasiam.

N. B. Ne pourrait-on pas remplacer ce paragraphe par quelque chose d'analogue à ceci: « Tout en déplorant que le peuple juif se prive de l'accomplissement en Jésus-Christ des grâces promises aux Patriarches, renouvelées par les Prophètes, le peuple juif actuel ne peut être considéré comme solidairement responsable de la condamnation du Christ, faite par les Grands-prêtres et leurs associés (*Jn.* 11, 50), affolés par la situation politique ».

Lin. 30: post « reprobatam » addendum est « maledictam aut deicidam ».

Lin. 31: melius: « in animis odium aut contemptum erga Iudaeos parere possit. Haec enim omnia voluntati Iesu Christi contradicerent, qui in uno amore et Iudaeos et gentes complectitur ».

Linn. 31-32: Melius esset dicere: « Caveant praeterea ne soli aut toto populo iudaico tunc viventi neque a fortiori Iudaeis nostrorum temporum imputentur quae in Passione Christi perpetrata sunt. Haec omnia revera debent omnibus hominibus peccatoribus et praesertim christianis qui in peccatis prolabuntur imputari, sicut clarissime iam meminit Catechismus Concilii Tridentini » (pars I, art. 4; cap. 5; § 11).

N. B. Textus catechismi Tridentini: « Atque hac culpa omnes teneri iudicandum est qui in peccata saepius prolabuntur. Nam cum peccata nostra Christum Dominum impulerint ut crucis supplicium subiret, profecto qui in flagitiis et sceleribus volutantur (*Hebr.* 6, 6) rursus, quod in ipsis est, crucifigunt in semetipsis Filium Dei, et ostentui habent, quod quidem scelus eo gravius in nobis videri potest quam fuerit in Iudaeis, quo illi, eodem Apostolo teste (*Cor.* 2, 8): si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent. Nos autem et (*Tit.* 1, 16) nosse eum profitemur et tamen facti negantes, quodammodo violentes ei manus inferre ».

P. S. Lin. 8 « continuationem » exactius, cum maiore praecisione diceretur, utendo verbis Pauli apostoli (cf. *Rom.* 11, 17): « christianos esse oleastrum insertum in ramis israeliticis et socium radicis ».

Esquisse des lignes principales d'une « Declaratio » pro Islamitas:

Sacra Synodus, dialogum fraternum intendens cum omnibus hominibus, non potest Islamitis populis talem dialogum, et certo proprie religiosum, hodie praesertim non proponere.

Colunt enim et adorant sicut et nos illum verum unum Deum qui est in excelsis, qui omnia creavit, et qui decursu temporum in hominum historia seipsum revelavit. Fides eorum in illum magnum Deum temporibus nostris atheismi testimonium est magni momenti pro ista generatione. Circa hanc fidem huncque testi-

monium ut islamitae et christiani inter se debitis modis colloquentur valde optandum est.

Praeterea, temporibus praeteritis iam ab initiis islamitae religionis inter christianos et islamitas relationes multae fuerunt, non tantum, proh dolor, bellicae, sed etiam et profundius civilisationis et culturae, sive philosophicae sive artium. In praesenti unificatione mundi valde optandum est ut denuo tales mutuae relationes multiplicentur et mutua reverentia, ad bonum commune culturale totius humanae familiae fovendum.

9

EXC.MUS P. D. STEPHANUS A. LEVEN

Episcopus tit. Buritanus, aux. S. Antonii

Eminentissimi Patres, venerabiles Fratres,
Purpurati et non purpurati, et etiam carissimae sorores,

Declaratio in genere per multum placet; tres tamen emendationes in textu proponere velim.

Quoad primam et secundam propositionem in nomine fere omnium episcoporum Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis dicam, quoad tertiam, vero, nomine proprio.

Primo proponitur emendatio par. 32, in lin. 20, qua haec verba inserantur: « Numquam dicatur Iudaeos esse gentem deicidam ».

Hoc monitum clare enuntiatum fuit in prima versione huius documenti ...[1]. Nunc vero in textu nostro praesenti haec declaratio non invenitur.

Sunt qui dicunt sententiam suppressam fuisse quia verbum Deicidii est verbum philosophice et theologice absurdum, per se contradictorium, ideoque indignum documento conciliari.

Attamen, Patres conciliares, hic agimus non de entitate philosophica sed de verbo infamiae et execrationis quod a christianis inventum est ut Iudaeos exprobarent et insequerentur. Per tot saecula et etiam in saeculo nostro christiani contra Iudaeos hoc verbum deicidii iactaverunt et propter id iustificaverunt omnes excessus etiam eorum caedem. Nobis non est declarare de re philosophica, sed nobis est damnare et reprobare talem phrasim quae tot occasiones et ansas persecutionum per saecula praebuit. Tollere hoc verbum debemus e medio christianorum ne unquam alia vice contra Iudaeos adhibeatur.

Concilium Tridentinum iam docuit omnes homines eorumque peccata fuisse causam mortis Christi. Omnes ergo rei sumus, et omnes ...[2] mortem Christi requisivimus. Uni, ergo, populo mors Christi minime est attribuenda!

Alia etiam de causa, sententia illa restauranda videtur. Totus mundus bene cognoscit historiam anti-semitismi inter christianos. Tanta sunt perpetrata contra Iudaeos. Nunc autem mundus quaerit et expectat signum absolutum et irrefutabile de bona fide Ecclesiae in hac materia iustitiae. Debemus repudiare illud Machiavellismum quo iustitiam pro nobismetipsis solis quaerimus. Nos, tanquam Concilii Patres, iustitiam debemus quaerere pro omnibus hominibus in mundo iuxta necessitates temporis et situationis. Tempus nostrum et situatio nostra nunc postulat hanc reprobationem accusationis deicidii. Praesertim quia haec reprobatio fuit in primo documento, eius omissio in textu praesenti mundo nunc appareret tamquam aliqua recusatio istius iustitiae quam fratribus nostris Iudaeis dare debemus.

Secunda emendatio mihi inserenda videtur in textu et quidem in par. 32. Lin. 32 addantur haec verba: « Nec omnes Iudaei tempore Christi accusandi sunt de eius morte ».

Tanti Iudaei tempore Christi, praesertim in Diaspora, nihil prorsus de Christo audiverunt, et obvie Eius morti consentire nullo modo potuerunt. Tanto absurdum esset accusare omnes Iudaeos tempore Christi de eius morte quanto omnes Romanos illo tempore *vel nostro* [3] accusare de eiusdem morte quia Pilatus Romanus Iesum tradidit et milites Romani eum crucifixerunt.

Tertia et ultima emendatio proprio nomine propono.

In pag. 33, lin. 20 addatur expressio nostrae spei eschatologicae qua omnes homines cuiuscumque generis, sive Iudaei sive Gentiles, apud Patrem coadunentur. S. Paulus scripsit in sua Epistola prima ad Timotheum, 2, 4, « ... hoc enim bonum est et acceptum coram salvatore nostro Deo, qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire ». Sic applicetur etiam illud perpulchre dictum in constitutione *de Ecclesia,* par. 2, linn. 10 ss., « Tunc autem, sicut apud sanctos Patres legitur, omnes iusti inde ab Adam " ab Abel iusto usque ad ultimum electum " in Ecclesia universali apud Patrem congregabuntur ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] seu in cap. IV schematis Oecumenismi anno elapso nobis tradito. Ibi dictum est Iudaeos deicidii reos non esse. [2] confiteri debemus quia peccavimus, et omnes. [3] deest.

10

EXC.MUS P. D. BERNARDUS STEIN
Episcopus tit. Dagnensis, aux. Trevirensis

Venerabiles in Christo Fratres et Sorores,

Declaratio altera *de Iudaeis et non christianis* legenti bene perpensa ac prudenti cum moderatione composita apparet. Quare enixe exopto, ut a Patribus comprobetur.

Unum tantum locum inveni, de quo aliquid monendum mihi videtur, *sicut heri iam innuit em.mus König,*[1] scil. in art. 33 (pag. 47, lin. 33 usque ad pag. 48, lin. 5).

Dixit quidem hodie quidam Pater, loco textuum Sacrae Scripturae in hoc articulo citatorum, alios textus esse ponendos. Huic assertioni libenter assentirem si textus aptiores in Sacra Scriptura inveniri possent. Sed, proh dolor, tales textus, meo iudicio, reapse non existunt. Nam[2] neque in libris Novi Testamenti neque in litteris Veteris Testamenti talis assertio, nempe paternitatis divinae erga omnes homines comprobatur. *Videamus!*[3]

I. *a*) Secundum Synopticos, Iesus Patrem caelestem praedicans noluit relationem paternam annuntiare inter Deum Unum et homines universos vigentem, sed testificari: Deum, in quem audientes crederent, sensu prorsus singulari ceterosque omnes excludente, esse Patrem filii unigeniti, ipsius nempe Iesu Christi. Eadem res clarius adhuc in Evangelio secundum Ioannem exhibetur. Cui non obstant:

1. *Verba Domini*[4] « Diligite inimicos vestros..., ut sitis filii Patris vestri... », ibi enim non paternitas Dei erga omnes homines docetur, sed monentur fideles, ut, caritatem erga omnes homines praestantes, filii Dei Patris appareant ...[5];

2. *neque obstat Lc. c. 3,*[6] ubi in genealogia Iesu Adam dicitur fuisse Dei; non enim hoc modo docetur Deum esse Patrem omnium hominum;

3. *non obstat Act. c. 17,*[7] ubi verba apostoli « Ipsius enim et genus sumus » non revelationem divinam exhibent, sed citationem Arati poetae gentilis constituunt.

b) Omne dubium tollitur modo, quo S. Paulus semper loquitur. Clare v. g. verbis *1 Cor. cap. 8*[8] iuxtaponuntur et creatio mundi divina et relatio Patris ad Filium singularis. In epist. *ad Eph. cap. 4,*[9] expresse quidem dicitur « unus Deus et Pater omnium », contextus autem lucide ostendit hoc loco agi de solis christifidelibus. Porro, epist. ad Romanos

passim docet homines non constitui filios Dei, nisi credentes per Christum in Spiritu Sancto...[10]

c) Cetera quoque scripta Novi Testamenti affirmant regenerationem non fieri nec filiationem divinam acquiri nisi propter Christum et per Christum...[11]

II. ...[12] Libri Veteris Testamenti de nexu et vicissitudine inter Deum et hominem dilucide affirmant hominem esse imaginem Dei. Absque ullo dubio Deus imaginem non generat sed creat, ita tamen ut homo, divinitus creatus, intima necessitudine cum Deo coniunctus sit, quin Deus dicatur Pater hominum. Ita series generationum hominum (*in cap. V Gen.*[13]) initium sumit a Deo, sed Deo Creatore, Adam autem non vocatur filius Dei. Non obstat quod in *Deut. cap. 32* [14] haec verba leguntur: « Deum, qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui ». Nam Deus explicite dicitur creator; genuisse autem dicitur non ex eo quod est creator, sed ex eo, quod, sicut e contextu patet, benigna liberalitate Israel elegit et, foedere inito, populum suum proprium constituit.

Inde iam apparet, quo sensu Deus in libris Veteris Testamenti Pater nominatur vel cogitatur: Voluntas divina salvifica, liberrime eligendo populum Israeliticum, « filium » fecit ipsum populum ...[15]. Ergo doctrina de paternitate divina in libris Veteris Testamenti plane inserta et subordinata apparet doctrinae fundamentali de foedere divinitus inito ...[16]. Non obstat *Eccli, cap. 36,*[17] ubi de populo Israel dicitur esse filium Dei primogenitum, quia hoc verbo nullo modo innuitur vel affirmatur Deum Patrem esse omnium hominum.

Concludendo ergo statui debet libros Veteris Testamenti Deum Patrem vocare, quia foedus cum Abraham et semine eius benigne iniit et fideliter servavit.

III. Quibus dictis sufficienter constare videtur in Sacra Scriptura Veteris et Novi Testamenti numquam Deum Patrem vocari respectu omnium hominum. Tamen negare nolo Deum recte aliquo sensu ita appellari posse. Ratio enim theologica paternitatem divinam triplici eoque differenti modo considerare solet:

1. Sensu proprio et strictissimo paternitas divina edicitur respectu Filii unigeniti, qui ipse est persona divina;

2. sensu proprio sed analogo edicitur respectu filiorum adoptivorum, qui ...[18] per gratiam elevantur et assumuntur ad participandam filiationem Filii unigeniti, ita ut, consortes effecti divinae naturae ...[19], iure merito dicere possint: « Pater noster, qui es in caelis »;

3. sensu improprio et metaphorico denique edici quoque potest respectu hominum universorum, eo quod Deus, Creator et Dominator

omnium, omnes creaturas et maxime omnes homines, ad modum patris humani, sua benignitate prosequitur.

Nemo non videt Deum ita, etsi recte, tamen sensu longe remoto ab illo, quo credentes in Filium orant ad Patrem suum caelestem, Patrem appellari...[20]

Conclusio. Quare propono et postulo, ut textus art. 33 hoc fere modo mutetur: « Dominus Iesus luculenter confirmavit, *quod* iam Scripturae Veteris Testamenti *ostendunt* et ipsa ratio innuit, *Deum Creatorem, benignum omnium Dominum, Paterna cura omnibus providere. Nos autem christifideles Deum Dominum nequimus vocare Patrem nostrum caelestem,* si erga quosdam homines, *etc.*[21] ».

Argumentationem magis specificatam tradam scriptis secretariatui generali.[22] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Difficultas haud parvi momenti circa hunc articulum exoritur ex eo quod expresse statuit Deum esse Patrem omnium hominum. Eadem quidem doctrina etiam in declaratione priore huius schematis (art. 31, pag. 33, lin. 26) et in schemate *de divina revelatione* (art. 3, pag. 6, linn. 26-27) affirmatur. At cum istis locis paternitas divina erga homines simpliciter edicitur, in art. 33 explicite asseritur hanc esse doctrinam ipsius Christi Domini et Veteris Testamenti. Revera autem. [3] deest. [4] *Mt.* 5, 45. [5] cf. etiam *Lc.* 6, 35). [6] *Lc.* 3, 38. [7] *Act.* 17, 24-28. [8] *1 Cor.* 8, 6 (« ... nobis tamen unus est Deus Pater (= hò patèr), ex quo omnia, et nos in illum, et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum »). [9] 4, 6. [10] (cf. praesertim *Rom.* 8, 14-16). [11] cf. *1 Pt.* 1, 3; *Iac.* 1, 18; *1 Io.* 3, 1-10; etc.). Non obstant *Iac.* 1, 17, ubi Deus dicitur « Pater luminum » et *Hebr.* 12, 9, ubi vocatur « Pater spirituum ». [12] Ubi in libris Veteris Testamenti Deus nominatur vel cogitatur « Pater » — quod haud raro accidit — nullibi « Pater » attributum nominis divini vel significatio ipsi nomini divino aequivalens est. In specie Deus creans mundum et hominem non cogitatur ad modum patris genuisse. [13] (*Gen.* 5, 1-5). [14] *Deut.* 32, 18 iuxta versionem Vulgatae. [15] (cf. *Deut.* 32, 5-6), regem theocraticum (cf. *Ps.* 89 (88), 27-29), Messiam (cf. *Ps.* 2, 7) ac singulos pios e numero populi Israel (cf. *Sap.* 2, 16-18). [16] Ita sollemniter proclamatur: « Filii estote Domini Dei vestri » (*Deut.* 14, 1). Similiter Osee Propheta filios Israel ad exspectationem salutis novissimae excitans dicit: « In loco ubi dicitur eis: Non-populus meus vos, dicetur eis: Filii Dei viventis » (*Os.* 2, 1 vel sec. *Vulg.* 1, 10). [17] 36, 17. [18] credentes sperantesque in Iesum Christum Filium unigenitum, caritate infusa. [19] (cf. *2 Pt.* 1, 4). [20] Et quaeritur, num Concilium, nulla distinctione adhibita, uti debeat hac locutione metaphorica, praesertim cum S. Synodus de industria studere soleat, ut in omnibus suis decretis modum dicendi adhibeat, quo S. Scriptura loquitur. [21] ad imaginem Dei creatos, fraterne nos gerere renuimus. Ita enim arcte connectuntur habitudo hominis ad Deum et eiusdem habitudo ad *alios* homines, ut omnis negatio humanae fraternitatis negationem ipsius Dei... secumferat... ». [22] deest.

11

EXC.MUS P. D. ANTONIUS AÑOVEROS ATAÚN
Episcopus Gadicensis et Septensis

Venerabiles Patres et carissimi omnes patientissimi,

Nostras ephemerides petere humiliter audeo, et communiter omnia instrumenta communicationis, praecipue catholica, ut maxima prudentia et caritate agant cum problemata, sensum religiosum attingentia, cernat, et expressiones culturae gentium mahometanorum, sicut dixit ep. Dalatensis in Vietnam.

Testis sum, et aliquando existimator evasi repulsae et offensionis aliquorum mahometanorum in praesentia quorundam educentium photographias et scriptorum ephemeridum qui volebant notitias accipere morum et rituum eorum.

Cum eos interrogarem, qua ratione ita sese gerebant, sic responderunt: Hae fotographiae et notitiae ludibrio nostrorum inserviunt, tam in ephemeridibus, quam in cinematographeis christianorum regionum.

Amant nempe Deum populi mahometani, religioni intime adhaerent, et magnopere percipiunt caritatis fraternae manifestationes, quamvis aliter dictum sit.

Dum enim coniunctiones fiunt cum coetibus christianis, vero spiritu caritatis imbutis, facile dialogus seritur, et praeiudicia oppositionis religiosae et socialis evanescunt.

Insuper, iis externis manifestationibus cultus catholicorum, tolerante reverentia et urbanitate obsequuntur.

Obsequens igitur habeatur aestimatio divitiarum spiritualium atque moralium illorum; et hoc simus persuasi, quod caritas ac bonitas praeceptum esse debet, ad has animas et populos praecipue « admiratione dignos, ex eo quod in eorum divino cultu verum et bonum exstat » (Paulus VI).

Quam bene Summus Pontifex Paulus VI, feliciter regnans, in Encyclica *Ecclesiam suam* indicat: Postquam manifeste affirmat: « Ea quae nos credimus, oportet manifestemus videlicet veram religionem esse unam eamque esse christianam », continuo addit: « Nolumus tamen reverenter non respicere bona spiritualia et moralia quae in variis religionibus, christiano nomine non insignibus, insunt; una enim cum iis provehere iuvat ac tueri alta et praeclara quae, in campo libertatis religiosae, fraternitatis humanae, eruditionis ac doctrinae, beneficentiae socialis et ordinis civilis sunt communia. Quod ad haec magna attinet, quae nobis sunt cum illis consociata, colloquium a nobis poterit fieri ».

Mihi permittite ut quoddam factum memorem in quo caritas et bonitas elucet, in regione ubi non parvi sunt mahometani, in urbe Septensi (Ceuta), quod additum existimo amicitiae et dialogo.

Est quaedam illic paroecia catholica, simplicibus sed efficacibus institutionibus caritatis praedita ac donata, cuius parochus omnium pater praebetur, omnes adit domos, atque christianis et mahometanis opem consentaneam fert. Venit episcopus. Et quam plurimi mahometani, mulieres etiam vultibus revelatis, eum maximis aestimationis signis acceperunt. In ecclesiam paroecialem ingressi sunt, et quidem, venerationis specie, genua flexerunt, capite detecto.

Paulo post, aliquis eorum primas, episcopo dixit, parochum significando: « Hic est verus frater. Diligit nos, eumque diligimus. Nos veretur et intelligit ».

Bonitatem et amorem sentiebant! Amice vivebant. Hoc in vico, ubi parvus christianorum coetus inter plures mahometanos degunt, est verus status sani oecumenismi, sensu lato.

Huius spiritus oecumenici mahometanorum miranda fuit expressio, cum Beatum Papam nostrum Paulum, in Palaestinam peregrinantem, vehementi ardore susceperunt, etiam cum commotione et veneratione.

Propositum voti. In declaratione de Iudaeis et non christianis, ubi commissioni opportunum videatur, haec inserantur: Suadetur ephemerides et communicationis socialis instrumenta specialiter catholica, ut maxima prudentia et caritate procedant cum problemata et quaestiones agant quae communia esse possint in re religiosa, fraternitatis humanae, boni cultus, beneficentiae socialis, atque ordinis civilis, quae ad diversas confessiones religiosas non christianas attineant. Dixi.

12

Exc.mus P. D. IOANNES CARMELUS HEENAN
Archiepiscopus Vestmonasteriensis

Venerabiles Fratres,

Haud mirum est novam declarationis de Iudaeis redactionem ab illis sine gaudio esse acceptam. Textus enim schematis *de Oecumenismo* in secunda sessione publicatus omnibus etiam Iudaeis optime est notus. Naturale est eis inquirere cur hae mutationes sint factae. Fieri non potest quin discernatur quomodo et tenore et spiritu differat haec versio nova. Praesens enim declaratio minus est benevola, minus benigna, minus amica. Documentum a Secretariatu Unitatis praeparatum — obser-

vationibus Patrum conciliarium diligentissime consideratis — non est in omnibus verbis documentum quod prae manibus habetis.

Nescio quinam sint periti qui novum hunc textum confecerint. Candide fateor me nullo modo suspicari quod de industria minus callide vel minus generose scripserint. Forsitan in negotiis oecumenicis non essent bene versati. Qua subtilitate, quanta cura haec materia delicata est tractanda. Et hoc praesertim verum est in tractando de Iudaeis, quia hic populus tam saepe persecutionem passus specialem habet animi mollitiem.

Mollities haec (vulgo « sensitivity », « sensibilité »), ratio esse possit cur in omnibus suis ephemeridibus Iudaei de citatione Epistulae B. Pauli ...[1] conquerentur. Reapse Apostolus Gentium hoc in loco loquitur ...[2] eschatologice de reditu omnium hominum, etiam Israelitarum, ad unitatem veri populi Dei. Non dubito quin citatio ista Paulina facta sit ut signum amoris fraterni et desiderii Christi fratrum unionis cum ceteris Dei filiis. Minus recte ergo, mea sententia, iudicant Iudaei hanc citationem esse invitationem seu vocationem ad religionem suam confestim derelinquendam.

Liceat mihi nihilominus declarare quod in contextu motionis oecumenicae quaestio de conversione vel individuorum vel communitatum locum revera non habet. Oecumenismus enim unice de mutuo examine veritatis religiosae curat. Ambae partes in dialogo in mente habent non victorias reportare sed in comprehensione et caritate crescere. Cum ergo de unitate christianorum sermo sit in schemate nostro, nullum prorsus verbum invenietis de conversione orthodoxorum vel acatholicorum in occidente. Manet tamen firma spes reditus omnium Christi fratrum in unum ovile. Immo ipsi fratres seiuncti aeque ac nos orationes perfundunt ut Spiritu Sancto duce omnes in una sancta Ecclesia uniantur.

Patet quod intentio nostra male a Iudaeis intellecta est. Quamobrem melius esset citationem S. Pauli a declaratione nostra omittere. Etenim in secunda parte declarationis ubi sermo est de aliis non-christianis ...[3] nihil prorsus dicitur de illorum conversione. E contra haec sunt verba in textu: « Quamvis a nostris in multis discrepent tamen in multis referunt radium illius Veritatis quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ». Si autem huiusmodi Veritatis radium habent isti, quanto magis religio Iudaica quae est quasi radix fidei nostrae! Ut quondam Pius Papa XI dixit: « Nos omnes Semitae sumus ».

Hoc denique addere velim de quaestione illa famosa deicidii. In priore versione documenti nostri gens Iudaica a deicidii crimine exculpabatur. Memores esse debemus quod textus antiquior per totum mundum est divulgatus. Si ergo nunc exciduntur illa verba exculpationis,

mundo apparebit quod Patres conciliares, re per annum bene perpensa, iudicaverint populum Iudaicum totum, saltem tempore Domini nostri, revera fuisse reum criminis deicidii.

Iudaei hoc saeculo iniurias graves, immo inhumanas sustulerunt. In nomine Domini nostri Iesu Christi qui a cruce persecutoribus ignovit, humiliter peto ut declaratio nostra aperte dicat populum Iudaicum *ut talem* reum non esse mortis Domini. Iniustum certe esset omnes christianos Europae reos declarare occisionis sexcentorum millium Iudaeorum nostris diebus in Germania et in Polonia.

In precibus nostris ante hanc congregationem his verbis utebamur: « Domine sancte, non nos patiaris perturbatores esse iustitiae, qui summam diligis aequitatem ». Perturbatio, dico, esset iustitiae[4] damnare totum populum Iudaicum propter mortem Christi. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (lin. 25 declarationis alterae pag. 1). [2] ut ita dicam. [3] (lin. 18). [4] Similiter affirmo iniustum esse.

13

Exc.mus P. D. PATRICIUS ALOISIUS O'BOYLE
Archiepiscopus Vashingtonensis

Venerabiles Fratres,

Loquendo de declaratione *de Iudaeis et non christianis,* vellem proponere quasdam emendationes, promptas per considerationes practicas quae naturaliter oriuntur in mente episcopi in cuius patria habitat maior numerus Iudaeorum quam in quavis alia natione per totum orbem terrarum, et qui nunc exprimunt obiectiones definitas contra ea quae in hac declaratione continentur.

Verum est, haec declaratio proponitur tamquam enuntiatio episcoporum catholicorum, et dirigitur primario ad catholicos. Nihilominus, spiritus huius declarationis est oecumenicus, et ea quae tandem proponet intente studebuntur a Iudaeis, de quibus imprimis tractat. Quapropter, spiritus, stylus et verba huius declarationis ad finem oecumenicum dirigenda sunt. Caritas Christi urget nos ad cogitationes nostras tali modo exprimendas ut non inutiliter praebeamus occasionem offensionis, simulque ut loquamur modo Iudaeis intelligibili et in harmonia cum spe et aspirationibus animi Iudaici.

Hoc non significat quod per falsum « irenismum » celandae sunt

veritates fidei catholicae. At vero significat quod nostra dicta debent esse omnino praecisa et exacta, et debent dirigi per donum sapientiae, vel « scientiam per caritatem animatam » quae animadvertit ad contextum historicum sub quo intelliguntur nostra verba in mente omnis Iudaei. Timeo ne declaratio in quibusdam respectibus huic normae non conformet. Revera in quibusdam locis declaratio deficit a veritate et negligit curare de sensibilitatibus delicatis quas historia creavit in animabus populi iudaici.

Primum exemplum invenitur in n. 32, linn. 23-27. Phrases « adunationem populi Iudaici cum Ecclesia » et « accessum huius populi... ad plenitudinem populi Dei » immediate suggerunt ad mentem Iudaicam vehemens desiderium catholicorum pro « conversione » Iudaeorum. Haec vox « conversio » revocat ad mentem Iudaeorum memoriam persecutionum, dolorum, et etiam coactae denegationis omnium veritatum, quas subiective et in bona fide Iudaeus sincere diligit. Quando, ergo, audit desiderium catholicorum ad obtinendam « conversionem », Iudaeus cogitat de renovatione illius « proselytismi » qui per plura saecula violavit eius iura et dignitatem personalem.

Certo certius conversio Iudaeorum omniumque aliorum populorum ad fidem catholicam est obiectum spei omnium catholicorum. Sed, uti asserit S. Thomas, spes pro proximo gubernanda est per sobrietatem. Numquam possumus oblivisci quod spes pro conversione Iudaeorum non dat certitudinem de exitu felici. Sors populi Iudaici dependet omnium a dispositionibus divinae Providentiae et gratia Dei. Ergo, si exprimimus nostram spem in verbis quae inducet Iudaeos ad ea interpretanda tamquam definitam et consciam intentionem laborandi pro eorum conversione, erigemus alium murum altum nos separantem a sancto et fructuoso dialogo cum populo Iudaico...[1]

Item, consideratio pro veritate et caritate me urget ut repetam opinionem em.mi card. Meyer, quod in n. 32, linn. 28-32 declaratio totaliter mutanda est. In his lineis, ut nunc leguntur, declaratio proponit dimidiam tantum partem veritatis, et certo certius praebebit offensionem Iudaeis. Loquendo de parte Iudaeorum in morte Christi, dicit declaratio quod non sunt imputanda Iudaeis *nostrorum temporum* ea quae in Passione Christi perpetrata sunt. Talis expressio differt a dictis in Catechismo Concilii Tridentini et in Summa S. Thomae (III, q. 47, a. 5 ad corpus) — scil., quod nullius ex Iudaeis tempore Christi reus erat formalis, subiectivae culpae deicidii, et quod maior pars Iudaeorum eorum temporum non erant formaliter et subiective culpabiles pro iniustitia mortis Christi. Hisce insertis, proponemus plenam veritatem, quam Iudaei sperant ac desiderant. Solo talis propositio liberabit Iudaeos ab

opprobrio quod per plura saecula illis impositum est. Caritas Christi urget nos ad talem propositionem declarandam...[2] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Addere possum: In exprimendo spem pro conversione Iudaeorum omniumque aliorum populorum, declaratio in linn. 23-27, transgreditur limites praecisae doctrinae catholicae. Nam in declaratione citatur textus S. Pauli ad *Rom.* 11, 25, ubi apostolus utitur verbis tam indefinitis et mysteriosis ut ipsi exegetae catholici interpretationes valde diversas proponant. Melius igitur esset, si profiteamur limitationes scientiae nostrae et vias absconditas divinae Providentiae. Melius esset si exprimamus spem pro conversione Iudaeorum, tali modo ut ipsi Iudaei percipiant nostram reverentiam pro illorum sinceritate et nostram humilem agnitionem veritatis quod mysterium salvationis dependet, non a nobis, sed a sublimi actione Dei. Ergo propono ut substituantur pro paragrapho de qua agitur sequentia verba: « Memoriam insuper dignum est unionem populi Iudaici et nostri partem spei christianae esse. Quam unionem a Deo suo tempore, modo in sua sapientia abscondito, producendam esse, Ecclesia fide inconcussa ac desiderio magno exspectat (cf. *Rom.* 11, 25-26) ». [2] Concludo cum suggestione ut declaratio includit actum humilitatis et contritionis qui solus corda attrahet, et Dominus noster rogavit ab Ecclesia sua in oratione quotidiana: « Dimitte nobis debita nostra ». Declaratio de Iudaeis veraciter christiana, non potest omittere factum quod per plura saecula iniustitia et crudelitas huic populo inflictae sunt a quibusdam christianis. Modus optimus ostendendi nostrum amorem erga populum olim a Deo electum, populum a quo procedebant Iesus et Maria, populum qui etiam nunc carus est Deo propter virtutes et pietatem, consistet in hoc, quod formaliter veniam petemus a populo iudaico pro doloribus et iniustitiis quibus quidam christiani historiam huius populi maculaverunt.

14

EXC.MUS P. D. PETRUS SFAIR

Archiepiscopus tit. Nisibenus Maronitarum

Venerabiles Fratres,

In schemate *de Oecumenismo* et speciatim *ubi est*[1] « declaratio altera *de Iudaeis et non christianis* » ...[2], ita de Musulmanis legitur: « qui unicum Deum personalem et remuneratorem adorant ». Et hoc optimum est quamvis insufficiens. At de iisdem additur: « et sensu religioso atque *permultis humanae culturae communicationibus* propius ad nos accesserunt ».

De hac phrasi aliquid est observandum, *quod paucissimis verbis persolvam.*[3]

In meo *praecedenti*[4] scripto secretariae Concilii praesentato ...[5], sed non lecto coram Patribus, dixi a Mahometo Christum vocatum fuisse

Verbum Dei et Verbum Veritatis et Mariam super mulieres totius universi exaltatam esse. Ibi quoque innui quod Mahometus affirmavit Christum ex Spiritu Dei in sinu Mariae conceptum esse. *Non agitur ergo de sola nativitate Christi virginaliter, sed de conceptione virginali ex Spiritu Supremo.*[6]

Nunc vero addo quosdam Sanctos Patres, ut S. Ioannem Damascenum et S. Maximum *aliosque,*[7] putasse Islamismum esse haeresim christianam. *Non considerabant Musulmanos tamquam infideles.*[8] Notetur praeterea quod Mu'awiah, stricta agnitione coniunctus cum Mahometo, et qui primus Califatum in Monarchiam constituit, *et cum quo Califa factus est Sovranus etiam temporalis, Mu'awiah dico,*[9] antequam in possessionem Imperii veniret, ad montem Calvarii se contulit orandi causa, precesque etiam effudit iuxta sepulcrum B. Mariae Virginis. Sub regno suo, Administrator aerarii Imperii atque impendiorum exercituum etiam tempore belli, erat Ibn Sargun, qui in historia vocatur « vir christianissimus », quique S. Ioannis Damasceni avus erat. Et cum eo plures christiani in illa administratione permanenter occupati erant. Ulterius, quia nuper disceptatio hic habita est de libertate religiosa, iuvat nunc recordare Mahometum dixisse: ne admittantur unquam vis et coactus in *materia*[10] religiosa.

Quidquid sit de abusibus posterioribus et etiam anterioribus. Ergo religiones Extremi Orientis et aliarum regionum non sunt viciniores ad christianismum quam religio islamica. Quia haec religio islamica inter veritates credendas includit dogmata christiana.[11]

Multa alia possem addere, sed haec sufficiant ad *sibi persuasum habendum*[12] hic non agi de *humanae culturae communicationibus* quae, in hoc contextu immerito stant ...[13], sed de rebus quae Islam ad credendum proponit et ut credantur exigit. Agitur de rebus credendis, non de communicationibus culturalibus; de dogmatibus expressis agitur, non de sensu religioso. Phrasis ergo haec omnino est mutanda, *secundum meam humilem opinionem, mutanda et*[14] amplianda secundum ea quae supra exposui. *Non dico quod omnia sunt inserenda, sed saltem quaedam,*[15] ne Musulmani iuste offendantur ob ampliam expositionem de Iudaeis habitam in memorata declaratione, et ne ex offensione eorum detrimentum vel ulteriora detrimenta capiant Missiones catholicae, quae inter Mahometanos plurimae sunt.

Dico « ne Musulmani offendantur » quia notum est aversationem inter Musulmanos et Iudaeos ab antiquo existere *et semper exstitisse et nunc existere,*[16] et quod peius est originem suam a Corano ipso repetere. Responsiones Instituti Patrum Dominicanorum in civitate Cairensi, responsiones Instituti Rev.morum Pères Blancs in Tunisia de quibus in

Relatione (pag. 28-31) non pervenient ad vulgum Mahometanum in omnibus regionibus dispersum, sicut ad eum pervenient decreta huius Concilii quod interesse, ut dixit card. Bea, interesse in universo mundo suscitavit etiam apud vulgum et apud illitteratos.

Possum ergo concludere dicendo: Videant Consules... *ne quid Missiones catholicae detrimentum capiant.*[17] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] in. [2] (pag. (8) 48). [3] deest. [4] deest. [5] anno elapso. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] re. [11] deest. [12] sciendum. [13] (cf. pag. (8) 48, linn. 22-23). [14] deest. [15] deest. [16] deest. [17] deest.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis ultimae, nempe XXXIX:

Praesentes votantes	2.211
Dixerunt *placet*	839
non placet	1.364
placet iuxta modum (ergo nulla)	2
Suffragia nulla	6

Textus non est probatus a congregatione generali. Manet igitur alterum comma, prout iam explicavi.

15

Exc.mus P. D. IOSEPH PARECATTIL

Archiepiscopus Ernakulamensis

Venerabiles Patres,

Relate ad nn. 33-34 qui de non-christianis agunt, aliqua verba proferre velim. Etiamsi ea quae ibi dicta sunt libenter accipio, hoc punctum mihi videtur magis adhuc evolvendum esse; nam missio Ecclesiae est praedicare evangelium omni creaturae ...[1] et omnibus in hoc mundo vitam degentibus media salutis praebere. Quum maior pars hominum adhuc illius boni nuntii ignara manet, omnino patet quamnam gravem obligationem nos habere erga illos. Illius obligationis conscius, Sanctissimus Papa Paulus VI, Secretariatum pro non-christianis recenter instituit.

In schemate nostro, in numeris supra citatis, exhortatio fit, et quidem merito, ut cum caritate agamus erga non-christianos et etiam ibi

dicitur: « magna cum observantia consideremus opiniones et doctrinam quae quamvis a nostris in multis discrepent, tamen in multis referunt radium illius veritatis quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ».

Haec commendatio vere laudabilis est. Videtur tamen nos ulterius progredi posse et vera fundamenta quae Christi revelationem postulant in libris sacris religionum non-christianarum invenire. « Omnis creatura », ut ait apostolus Paulus, « ingemiscit et parturit » ...[2], plenam expectans revelationem Filii Dei.

Hoc autem verum est specialiter de sinceris ac devotis sectatoribus religionum maiorum non-christianarum sicut Hinduismi. Libri enim eorum sacri vere documenta sunt horum gemituum ad Christum ...[3]. Sic in Upanishadibus, libris sacris Hinduistarum, aspirationem quidem veram ad Deum directorem et *liberatorem* detegere possumus. Iam Christum ignorantes revera eum quaerunt. Hoc de facto Spiritus Sancti operationis in cordibus gentium, multae conclusiones maximi quidem momenti pro scopo nostro sequuntur:

1. Christus his sinceris sectatoribus religionum non-christianarum non ut omnino extraneus et ignotus, sed potius ut expectatus cordium eorum, qui expectationem eorum superabundanter adimplebit, praesentari debet.

2. Conversiones propter motiva pure temporalia et per persuasionem externam sine convictione vere interna omnino dissuaderi debent. Sinere oportet ut Verbum Dei per seipsum et per exemplarem christianorum vitam influxum in non-christianos exercent.

3. In praesenti situatione imminentis periculi atheismi et materialismi, minister christianus omnem adhibere debet diligentiam et malle ut gentes potius ferventes remaneant in sua nativa religione quam omni sentimento religioso priventur. Hoc specialiter caveri debet de non-christianis qui scholas catholicas frequentant.

4. Ut Christus recte praesentetur, nos sincerum cum non-christianis dialogum instituere debemus. Hoc modo praeiudicia multa quae utraque pars haberet, evanescent. In New Delhi, India, aliquam talem conferentiam repraesentativorum variarum religionum recenter habuimus. Huiusmodi dialogus cum non-christianis videtur non tantum utilis immo etiam necessarius his diebus.

5. Ecclesia debet libenter agnoscere suam necessitatem assumendi quae in religionibus hominum ac in culturis bona sunt. Debet enim incarnari in omni cultura et in omni valore humano ...[4] Plures festivitates ac caeremonias ex Aegypto et Phoenicia in suum cultum Ecclesia assumpsit, leges humanas ex Babylonia accepit, philosophiam graecam

in ...[5] doctrina evolvenda adhibuit, organisationem administrativam Romanorum imitata est. Sic accipiendo ab eis Ipsa illis nationibus seipsam dedit easque evangelizavit. Perutile ergo erit profundius studere religionibus antiquissimis v. g. Indiae et Chinae quarum cultura et philosophia omnino originales et antiquissimae sunt. Catholicitas Ecclesiae exigit ut Ipsa colloquium cum his religionibus ineat ut earum modum cogitandi et concipiendi discens, pleniori ac modo magis intelligibili mysterium ineffabile divinum hominibus proponat.

6. Activitatem invisibilem Spiritus Sancti si in cordibus gentium agnoscamus, et omnem, Deum sincere quaerentes, Ipsi acceptabilem esse admittamus, aliquam quoque unitatem omnium Dei adoratorum in Spiritu et veritate, recognoscere debemus. Hanc unitatem, evitando scandalo necnon periculo indifferentismi, etiam externe exprimere conari nos oportet: coetus nempe studii ac orationis inter-religiosos convocando, in Ecclesiis nostris etiam non-christianos orare permittendo, et tandem activam cooperationem cum iis in re sociali, politica, culturali ac morali fovendo, hanc unitatem nunc initialiter aliquomodo exprimere possumus donec omnes servi Dei in una eius Ecclesia simul congregentur! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (i. e. communicare bonum nuntium redemptionis). [2] (*Rom.* 8, 12). [3] Si divinam providentiam in historiis harum gentium sicut in historia ipsius populi electi aliquomodo agnoscimus, libros eorum sacros, uti genuinas expressiones sentimenti religiosi, Testamentum quoddam universale appellare possumus. [4] positivo. [5] sua.

16

Exc.mus P. D. LAURENTIUS IOSEPH SHEHAN
Archiepiscopus Baltimorensis

Patres venerabiles,

Cum argumenta omnia, mihi videtur, pro declaratione *de Iudaeis* fortiore iam bene pertractata sunt, observationes meas secretario generali scriptis velim submittere.

Textus scripto traditus:

Loquor in nomine fere omnium episcoporum Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis.

In genere haec declaratio nobis valde placet. Prima pars huius declarationis reapse promovere debet mutuas et amicales relationes inter Ecclesiam eiusque

filios et Iudaeos. In ea, aestimatio, benevolentia et caritas nostra erga Iudaeos ita exprimi debent ut recte intelligantur a Iudaeis ut sic bene disponatur populus iudaicus ad lucem omnis veritatis recipiendam.

E nostra parte, stricta adhaesione ad eandem veritatem praesupposita, duo principia imprimis prae oculis habere debemus in iis proponendis quibus supradicta proposita declarationis attingantur:

1. Nihil dicendum est quod Iudaeis videretur gratuito offensivum.

2. Ea omnia aperte dicenda sunt quae necesaria nobis videntur ad fontes dissidiarum inter nos et Iudaeos de medio tollendos.

Propter haec memorata principia sequentes emendationes propono in textu declarationis:

1. Ducente principio « de non dicendo quidquid quod Iudaeis videretur gratuito offensivum », removeantur a declaratione verba in pag. 7, linn. 23-27 inclusive.

Ratio huius deletionis est: Omnes catholici bene intelligunt officium sibi incumbere sperandi, orandi et adlaborandi « ad accessum huius populi ad plenitudinem populi Dei, quam Christus instauravit ». Omnes etiam acatholici, Iudaeis non exceptis, hoc desiderium Ecclesiae bene norunt. Ad quid repetitio haec in nostra declaratione?

In contextu declarationis, haec verba, prolata quasi ad completum doctrinae nostrae, potius ansam praebent suspicionis a parte Iudaeorum quam benevolentiam manifestant a parte Ecclesiae. A Iudaeis, enim, verba illa recipientur, in hac brevissima declaratione, potius ut spes interitus gentis iudaicae qua talis, quam ut gloriosi culminis sortis eiusdem populi. Eo vel maius talia verba recipientur uti offensiva quum ne unum quidem verbum invenitur in tota declaratione de conversione musulmanorum aliorumve non christianorum. Siquidem iudicaretur a Patribus quod oportet explicitam facere mentionem de adunatione ad Ecclesiam omnium hominum, quos, revera, Deus vult salvos fieri, in fine et conclusione totius declarationis locus esset minus ineptus dicendi de hac re.

2. Principio altero ducente « de aperte dicendo ea quae necessaria sunt ut fontes tollerentur dissidiarum », tres emendationes fieri debere nobis videntur.

a) Omnino et ipsissimis verbis, sine ulla ambiguitate vel reservatione timida, accusatio criminis *deicidii* a Concilio Oecumenico reprobanda est.

Em.mus relator perlucide exposuit *Iudaeos,* etiam tempore Christi et in Palaestina degentes, ipsa Sacra Scriptura testante, *non fuisse formaliter culpabiles criminis deicidii.* Exinde falsum et iniustum est Iudaeis, sive collective sumptis ut populo, sive individuis, illius vel alius aetatis, tam immane crimen imputare. Iam per saecula, tamen, at diversimode, haec accusatio pars est illius massae obnubilatae idearum et passionum quae antisemitismum nutrit et fovet. In mentibus Iudaeorum nostrae aetatis haec accusatio est una ex principalioribus causis antisemitismi et praesertim istius detestatae manifestationis antisemitismi de qua processit in hoc saeculo tragaedia populi iudaici quae quidem tristis memoriae omnium nostrum est. Si Summus Pontifex non dubitavit tollere e liturgia latina feriae VI Hebdomadae II in Tempore Passionis Domini verba sat antiqua: « perfidos » et « perfidia » relate ad Iudaeos, ne perperam *interpretentur,* quanto maius nos reprobare debemus accusationem *deicidii* quae simpliciter *falsa et iniuriosa* est!

Propone, ergo, ut lin. 30, pag. 7 post vocabulum « exhibeant » addantur haec verba: « vel deicidii arguant ».

b) Propono ut in lin. 31 eiusdem paginae substituantur pro verbis « animos a Iudaeis alienare » haec verba « in animis odium aut contemptum erga Iudaeos parere ».

Ratio huius emendationis est — quod, intuitu supramemoratae tragaediae modernae populi iudaici, verba in textu nimis debilia sunt. Magis congrua videtur expressio continens verba quae reapse exprimunt vim antisemitismi.

c) Denique in eadem pagina linn. 28-32 ordo mutetur sententiarum ita ut sic legatur tota alinea: « Ideo curent omnes ne, sive in catechesi impertienda et verbi Dei praedicatione sive in quotidianis colloquiis, populum iudaicum ut gentem reprobatam exhibeant *vel deicidii arguant neque* Iudaeis nostrorum temporum quae in Passione Christi perpetrata sunt imputentur. *Denique* caveant ne aliud quid dicant aut faciant quod *in animis odium aut contemptum erga Iudaeos parere* possit ».

Ratio huius emendationis est ut melior habeatur ordo in alinea, de particularibus in prima sententia procedens in secunda ad generale enuntiandum principium. Aliter ultima sententia, uti habeatur in textu, videretur ac si esset qualecumque postscriptum et additum.

Praeter rationes ex iustitia et veritate, quae summae esse debent, nos, qui cum Iudaeis iam per multos annos tamquam proximis viximus, quibuscumque amicaliter convenimus, alias rationes optimas novimus pro declaratione clara, sincera, ingenua et sine ulla haesitatione a Concilio Oecumenico proferenda. Bonum Ecclesiae in regione nostra maxime pendet a bona voluntate tum catholicorum tum acatholicorum. Ut Ecclesia in his regionibus libera maneat a vexationibus quae oriri possunt a vectigalibus debilitantibus, et ut scholae nostrae — quae enumerari debent inter principaliores causas vigoris Ecclesiae in Statibus Foederatis, — a regimine civili denique recipiant assistentiam sibi debitam, in oculis concivium nostrorum nos iusti non tantum *esse* sed etiam *apparere* debemus. Ad hunc finem desideratum maxime conferret declaratio de Iudaeis in qua nihil inveniatur gratuito offensivum et de nihilo tacitum est quod clare et aperte enuntiari debet.

17

Exc.mus P. D. IOSEPH ATTIPETTY

Archiepiscopus Verapolitanus

Venerabiles Fratres,

Liceat mihi observationem sequentem facere nomine permultorum episcoporum Indiae.[1]

In lin. *20, pag. 8*,[2] dicitur: « Sic amplectamur imprimis etiam Musulmanos... ». Huiusmodi locutio videtur alio modo ponenda. Nam nos debemus amplecti eadem caritate Musulmanos ac alios, sive Hinduismo addictos, sive Buddhistas, sive Confucionistas, etc. Huiusmodi praeferentia erga Musulmanos videtur odiosa et obnoxia aequivocis interpretationibus. Nec hoc suadet factum in schemate indicatum « qui unicum Deum personalem atque remuneratorem adorant sensu religioso atque

permultis humanae culturae communicationibus propius ad nos accesserunt ».

1. Quia plures alii homines Hinduismo addicti Deum personalem atque remuneratorem adorant et sensu religioso intimo dotati sunt.

2. Factum quo propius ad nos accesserunt Musulmani quam alii homines est mere historicum; nunc vero intendimus propius ad homines harum religionum Indiae, et Africae accedere, et etiam ipsi ad nos accedere vellent.

Proponerem ergo ut sententia mutetur hoc modo: « Sic, amplectamur imprimis omnes qui Deum adorant et dotati sunt sensu religioso ut evenit inter Musulmanos, Hinduistas, aliosque perplures cultores religionum Asiae, Africae aliarumque nationum ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] N. 32. Placet iuxta modum. In linn. 31-32, loco « Caveant praeterea ne Iudaeis *nostrorum temporum* quae... », dicatur: « Caveant praeterea ne populo iudaico quae in Passione... ». Explico: nam quae in Passione Christi perpetrata fuerunt, tribuenda sunt iis personis quae eis interfuerunt. Culpa enim collectiva omnis nationis iudaicae ipso facto quod ad eam homines illius temporis pertinerent, non est admittenda nec sub aspectu morali nec sub aspectu iuridico. [2] 21, pag. (8) 48.

18

EXC.MUS P. D. DANIEL RAIMUNDUS LAMONT
Episcopus Umtaliensis

Venerabiles Fratres,

In relatione sua em.mus card. Bea ...[1] tam aperte honesteque *rationes propter quas in Concilio de Iudaeis tractamus*;[2] ut nullum amplius dubium de quaestione remanere deberet, ne in mentibus quidem eorum qui ...[3] adhuc repetunt quaestionem huiusmodi in Concilium introductam fuisse propter rationes (ut minimam dicam) non theologicas. Cum relatore iterum iterumque dicamus quaestionem de qua nunc agitur, nihil omnino sapere opportunismi politici vel alterius cuiuscumque rationis, minus dignae labore Concilii...[4]

Quoniam autem ex huius declarationis approbatione vel improbatione (sicut dixit em.mus relator) multi de Concilio bene aut male iudicaturi sunt, cumque in quantum possibile, omnis suspicio politicae rationis ulterius removenda sit, mihi videtur multum conferre si declaratio ista *de Iudaeis et de non christianis* ...[5] cum priore declaratione

logice uniri videatur. Talis enim nexus existit, etiam si iuxta praesentem dispositionem duarum declarationum non tam evidens apparet...[6]

Proinde propono ut ordo paragraphorum parum in declaratione altera immutetur, ita ut primo tractetur par. 33 ...[7] et immediate postea paragraphus illa « De communi patrimonio christianorum cum Iudaeis ». Tali modo materia ita se haberet: Primo « de libertate religiosa », in qua exponuntur principia de habitudine nostra versus omnes homines; secundo, quasi ex his principiis logice profluens, tractatio paragraphi ...[8] « Omnes homines Deum ut Patrem habent » ...[9]; tandem, « de Iudaeis », qui nobiscum tam intimas in historia Divinae Providentiae relationes habent.

Hoc ordine quaestionum statuto, ut mihi videtur, clarius appareret nos de Iudaeis in Concilio tractare rationibus theologicis *et his* [10] solis compulsi. Accedit quod hoc suaderet ordo logicus, qui a genere ad speciem viam facit.

Nec rationabiliter dicere quis posset — si Iudaeos tractandos suscipimus primo loco post omnes homines generice sumptos —, nos populum electum Antiqui Foederis nimio honore cumulare: aliud non consentit consideratio actionis Dei relate ad nos ...[11]. Populus electus Antiqui Foederis nonne est petra ex qua populus electus Novi Foederis praecisus est? De fratribus nostris Iudaeis in Concilio ...[12] non tractare, aeque absurdum esset ac historiam Europae texere nullo de Imperio Romano facto verbo! ...[13]

Secundo. In par. 32 ...[14] legimus haec verba: « Ideo curent omnes ne, sive in catechesi impertienda et verba Dei praedicatione sive in quotidianis colloquiis, populum iudaicum ut gentem reprobatam exhibeant ». Optima quidem sententia, sed quaero: Numquid necesse est Concilium hanc introducere admonitionem, talibusque verbis expressam? Estne revera anti-semitismus in Ecclesia nostris diebus tam late pervulgatus, quod Concilium catechistis ac praedicatoribus minari debeat ne aliquid contra Iudaeos dicant? Hoc mihi persuasum non habeo. Immo ex propria experientia testificari possum me, cum in patria tum in terris sic dictis missionum, in catechesi aut in praedicatione, numquam audivisse Iudaeos ut populum maledictum reprobari. Insuper, certus sum inter nos hic praesentes, neminem unquam praedicasse vel praedicare permisisse talem doctrinam odiosam.

Caute ergo procedendum puto, ne dum excusamus Iudaeos nosmetipsos forsan de culpa reos iniuste dicamus, neve saeculis supervenientibus suspicionem relinquamus hisce temporibus, Ecclesiam Dei vel episcopum quempiam repraesentantem Ecclesiam, huius criminis reum fuisse. Iidem Iudaei de hoc nos non accusant, ideoque dedeceret nos ultro

gravari peccatis aliorum. Rogo ergo, ut modo diverso, clarissime tamen et sine ambiguitate ulla, desiderium nostrum sincerum, *modo magis positivo,*[15] exprimamus populum Iudaicum a christianis omnibus in honore semper haberi.

Liceat tandem sperare secretariatum ad fovendam unionem inter christianos, etiam post Concilium permansurum, ne opus ab eo tam feliciter inceptum, uberesque fructus iam promanantes in discrimen veniant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] iam exposuit rationes propter quas in Concilio de Iudaeis tractamus; et hoc. [2] fecit. [3] — nescio cur —. [4] Hoc nunquam satis repetere valemus. [5] (nescio cur in titulo tautologismus permittitur). [6] Ideoque dico quod ad nostram finem attingendam melius omnino esset si nexus ille clare videretur exsistere. [7] « Omnes homines Deum ut Patrem habent ». [8] cui titulus. [9] ubi demonstratur omnes homines esse fratres in divina familia. [10] deest. [11] Nonne nos christiani spiritualiter Sem filii sumus, originemque in iudaismo invenimus? [12] pastorali. [13] Ceterum, qui hoc non intelligunt vel intelligere nolunt, nobisque imputant rationes minus dignas quod de Iudaeis in Concilio mentionem faciamus, aut veritatem aspicere nolunt aut crassam supinamque ignorantiam demonstrant historiae generis humani. [14] linn. 28-32. [15] sollemniore quo potest modo.

19

Exc.mus P. D. HIERONYMUS IOSEPH PODESTÀ
Episcopus Avellanediensis

Venerabiles Patres, Observatores, Auditrices, Auditores carissimi,

Iam saturati estis. Iam divites facti estis. Tamen cum loquar nomine plurimorum episcoporum Americae Latinae aliquid dicam de declaratione super Iudaeos. Scil.[1] fatemur ideam huius declarationis nobis valde placere, tum propter formam declarationis adhibitam, tum propter textum ipsum...[2]

Forma enim declarationis characterem aliquem solemnitatis induit, consonum gravitati materiae de qua agitur...[3]

Quoad textum ipsum notari debet ipsum ditiorem evasisse ...[4] respectu prioris, *anno transacto proposito*[5]: addita nempe mentione de fraternitate universali, *et speciali mentione de Musulmanis, quam certo aliqui Patres orientales non bene adprobant, atque*[6] explicita damnatione omnis generis discriminationis, quae omnia referunt mentem

Summi Pontificis in Encyclicis Litteris *Ecclesiam suam nuper editis.*[7] *Tamen, aliqua proponi possunt*[8] ad meliorem, *ut videtur,*[9] intelligentiam textus, qui legi debet et legetur non solum a catholicis, sed etiam a non-christianis ...[10]. *Ideo proponitur*[11]:

1. In linn. 31 ss. n. 32 ubi dicitur: « Caveant praeterea ne Iudaeis nostrorum temporum quae in Passione Christi perpetrata sunt imputentur » — *post verbum praeterea, addantur verba sequentia*[12]: « ne populum Iudaicum, ut tale, deicidii arguant neque multo minus Iudaeis nostrorum temporum » *etc., uti habetur in textu supra citato.*[13] Deinde ad finem huius commatis addantur haec verba, partim a priore textu schematis, nempe: « ...[14] in oeconomia salutis, *quae spectant,*[15] omnium hominum peccata, quae causa fuerunt Passionis et Mortis Domini, ipse Dominus passione et morte sua luit » ...[16]. Ratio utriusque additionis est: accusatio deicidii, quae etiam nunc Iudaeis imputatur aliquando acsi gens essent reprobata ...[17], theologice sustineri non potest, atque magnum ut patet ipsorum Iudaeorum existimationi et dignitati damnum infert. Verba deinde inveniebantur in prima versione schematis...[18]

2. Melius esset enuntiationem spei eschatologicae, linn. 23-28 eiusdem n. 32 expressa, ad finem n. 33 transferre, post mentionem nempe, de aliis religionibus non christianis et de Musulmanis, textu ita immutato, ut praeter expectationem adunationis populi Iudaici cum Ecclesia in uno populo Dei, etiam exprimatur desiderium coadunationis omnium populorum in uno Regno Dei. *Ratio est*: secundum apostolum in epist. ad *Rom.* ...[19] tota plenitudo gentium ingredi debet ut deinde « Israel salvus fiat ». Insuper, periculum est ne ista verba, in loco ubi nunc leguntur, ...[20] a Iudaeis intelligantur ut directa ad eorum conversionem procurandam quin nihil de aliis religionibus simile dicatur. Ex alia vero parte *expectatio*[21] nostrae unionis eschatologicae cum populo Israel omnino *specialis est,*[22] et in Novo Testamento specialem locum *obtinet.*[23]

Textus proponitur ut sequitur: « Ecclesia firmiter credit omnes populos vocatos esse ad unitatem in Regno Dei assequendam; hanc vero unitatem procurare, *ministerio verbi et exemplo,* praecipuam sui muneris partem esse ducit. Memoria insuper dignum est « *mysterium* » adunationis populi iudaici cum Ecclesia partem spei christianae esse ».

3. In fine n. 32 utile esset addere explicitam affirmationem ad praecavendam et vitandam quamlibet interpretationem politicam textus de Iudaeis. Haec affirmatio his fere verbis exprimi posset: « Sacrosanctum Concilium aperte declarat omnia quae hic de Iudaeis dicuntur sensum habere tantum religiosum, quin ullo modo ex politicis considerationibus originem sumpserint, vel ad politicos fines ordinentur. *Ideo neque fas*[24] esset hanc doctrinalem declarationem in quemvis politicum sensum de-

torquere, quasi Concilium voluisset pro vel contra aliquem in rebus politicis loqui ».

Ratio est, ut videtur sat evidens, propter implexam quaestionem Medii Orientis.

4. *Minor quaedam observatio*[25]: in lin. 6 n. 32, « e terra servitutis » diceretur melius « E terra exilii », ne sive Aegyptum sive Mesopotamiam (i. e. Iraq hodiernum) hoc nomine videantur affici. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] qui tamen aliquibus emendationibus indigere videtur. [3] Melius est enim de hac re in declaratione aliqua speciali agere, quam in capite schematis *de Oecumenismo* ut prius agebatur. [4] sub aliquibus aspectibus. [5] deest. [6] de. [7] deest. [8] Ideo. [9] deest. [10] et quidem praesertim a Iudaeis quorum interest, et quorum est, ut probe scimus, de ipso textu magna exspectatio. [11] Quaedam proponimus. [12] suo loco dicatur: Caveant praeterea. [13] quae in Passione Christi perpetrata sunt imputentur. [14] Ultimo, prae oculis semper habendum est, quod. [15] deest. [16] (cf. *Lc.* 23, 34; *Act.* 3, 17; *1 Cor.* 2, 8). [17] historice non bene fundatur quoad populum qua tale et. [18] neque videtur ratio adesse cur expungantur, sed e contra, ansam praeberet falsae interpretationi. [19] (11, 25). [20] deturpent simplicitatem intentionis istius declarationis et. [21] fatendum est exspectationem. [22] specialem esse. [23] obtinere. [24] Ideoque nefas. [25] deest.

[*Nomina episcoporum qui adhaeserunt*] *Chile*: Silva Henriquez, Silva Silva, Salas Valdès, Valle, Valenzuela, Fresno, Castro, Tagle, Larraín, Salinas, Sánchez B., Oviedo, Yañez, Hartl, Santos, Piñera, Durán, Menchaca, Gillmore. *Paraguay*: Benitez, Bogarin, Maricevich, Sosa. *Uruguay*: Balaguer, Cabrera, Cáceres, Mendiharat, Nuti, Partelli, Viola, Baccino. *Ecuador*: Garaigordobil. *Mejico*: Méndez Arceo. *Bolivia*: Manríquez, Gutierrez. *Argentina*: Plaza, Segura, Quarracino, Pironio, Devoto, Aguirre, Tato, Zaspe, Angelelli.

20

EXC.MUS P. D. IOSEPH TAWIL

Archiepiscopus tit. Myrensis, vic. patr. Melkitarum

Venerabiles Patres,

Non perspiciamus definitum obiectum huius schematis neque finem. Agiturne affirmandi quod Ecclesia de synagoga orta est, quod Christus, eiusque Sancta Mater et apostoli orti sunt de populo electo, de populo sacrarum scripturarum et prophetarum? Nemo negat.

Agiturne de liberanda natione iudaica huius temporis de occisione Domini Iesu Christi? Sed Christus ipse ei pepercit et christiani omnes digni huius nomini idem facere debent. An vitare volumus quod Israelitae nostri temporis iudicentur ut responsabiles criminis patrum suo-

rum? Sed ipsis imputari non potest hoc crimen magis quam toti humanitati peccatum originale, plura crimina nationalia et genocidia.

An declaratio conciliaris damnare vult antisemitismum sub omnibus formis, discriminationem ortam ex stirpe vel religione etc.? Sed in hoc casu, cur tantum considerantur Israelitae? An hoc sacrosanctum Concilium non deberet etiam reverenter memoriam facere e. g. christianarum ecclesiarum « silentii » quae pro fide persecutionem patiuntur?

Sacrosancta Synodus semper insigni cura perpendit effectus suorum actuum et declarationum. Nunc vero declaratio haec benevola pro iudaeis, nonne tangit problema candens quidem et nondum extinctum? Declaratio haec nonne minatur periculosam et infelicem terram Palaestinae, ex qua iniuste et violenter expulsi sunt mille millies araborum, expoliati suis terris et domibus ab his, in quorum favorem Concilium declarationem facit? Nonne declaratio haec periculum inducit uno momento alienandi ab Ecclesia catholica totam sympathiam populorum horum? Quae utilitas in declaratione Concilii circa Musulmanos quando eorum *amicitia* [1] iam perdita est? Nunc vero hoc est quod Concilium persequitur? Nonne em.mus card. Bea a prima die declaravit eligendam esse praxim de ianua patenti? Hic modus agendi videtur potius claudere portam, non aperire.

Venerabiles Patres! Plura schemata, perdurante Concilio, immutata sunt, quia deficiebat caracter pastorale vel oecumenicum. Ex quo capite, opuscula quaedam totaliter refusa sunt. Instanter petimus a Patribus conciliaribus ut inopportunam iudicent declarationem quae grave damnum Ecclesiae inferre potest, et ab ipsa alienos facere integros populos *Musulmanos*.[2] Petimus denique quod votent *non placet* et quod pro declaratione hac, alia ponatur, quae antisemitismum et quamcumque aliam discriminationem damnet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] affectio. [2] deest.

21

EXC.MUS P. D. IOSEPH DESCUFFI

Archiepiscopus Smyrnensis

Venerabiles Patres,

Parcite mihi infelici ultimo oratori.[1] In novo et opportuno schemate decreti *de Oecumenismo* declaratio altera de Iudaeis et de non christianis *utilis etiam videtur esse ad vindicandam venerabilem memoriam Pii Papae XII de contumeliis super hac re nuper invectis in mundo. Sed*

cum haec declaratio non a sensu humano, sed a Spiritu fidei et[2] a pura caritate divina erga omnes non christianos inspirata *est,*[3] in cordibus eorum bonos fructus fraternitatis et conviventiae et non amaros diffidentiae *dissentionis*[4] aut etiam perturbationum politicarum, Deo adiuvante, producet non in vanum speramus, vidi cum ...[5] gaudio, in fine par. 33 ...[6], nomen Musulmanorum *nuncupatum, Musulmanorum,*[7] qui non per Israelem, sed per filium Agar Ismaelem tamen patri nostro communi Abrahamo connectuntur.

Quod in hoc loco de eorum fide in unicum Deum personalem et remuneratorem, de eorum sensu religioso, de eorum ad perfectiorem gradum humanae culturae accessu *in certis regionibus*[8] dictum est, non est negandum. Immo, liceat mihi, in eorum laude, adiungere, multa elementa communia cum nostra, ex qua mutuata sunt, in eorum religione inveniri. Licet ignorent Trinitatem, Incarnationem et Redemptionem, attamen agnoscunt Iesum Christum tamquam *verum*[9] prophetam...

Moderator: Exc.me Pater, hoc iam dictum est ab aliis Patribus. Venias ad conclusionem, quia tempus iam transactum est.

Orator: ... et docent eum venturum iudicare vivos et mortuos etiam Musulmanos. Multa miracula...[10], eius miraculosam nativitatem affirmant. Conceptionem immaculatam B. M. Virginis, eius puritatem et virginitatem, eius singularem perfectionem, agnoscunt et eam ut Matrem eorum cum corde devoto et sincero deprecantes, ab ea confidenter petunt et obtinent favores mirabiles, sanationes et immo dicam miracula.

Quod nunc refero non est fructus imaginationis aut exaggerationis cum spe alicuius emolumenti, sed fructus experientiae decem annorum quod vidi oculis meis in civitate Ephesina, in loco dicto Panaga Kapulu sc. Domus Mariae, Dominae Nostrae *Mariae.*[11] Iam abhinc decem annos, vidimus quasi centum millia musulmanorum, per annum, iungi sese eodem numero christianorum et cum eis, quod est unicus locus in mundo ubi hoc evenit, venerare Mariam Virginem, matrem Iesu!

Si his singularibus factis, adiungere possumus, Musulmanos, legem naturalem in Decalogo inscriptam, eleemosynam, ieiunia et orationem observare, hospitalitatem exercere, nobis Iudaeis viciniores eos invenire dicere licet.

Ergo, si iam feliciter, cum B. Virgine Maria et Musulmanis dialogus divinus incepit, quare nos cum eis dialogum *terrestre,*[12] humanum statuendum in sinceritate et caritate, cum desiderio pacifice conviventiae, cum reali libertate religiosa, in ordine sociali et politico, optare non declarabimus ut omnibus apertum sit, nos omnes fratres nostros *homi-*

nes,[13] filios Dei, in eadem caritate amplecti ut omnibus proficiat veritas et felicitas *vera*[14] a Deo promissa hominibus bonae voluntatis...[15]

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] quae. [3] deest. [4] deest. [5] ingenti. [6] pag. 8. [7] inscriptum. [8] deest. [9] deest. [10] ab eo facta narrant quae infeliciter ab apocryphis evangeliis desumpta sunt. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] De modo tractandi in dialogo cum Musulmanis et ceteris non-christianis iam ad secretariatum pro non-christianis animadversiones tradidi et hic pono finem orationi meae ne vobis taedium afferam.

Moderator: Proxima congregatio generalis crastina die, hora nona. Crastina die incipiet, post relationem, disceptatio circa schema *de divina revelatione*.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS XCI

30 septembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS XCI

30 septembris 1964

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii Secretarius generalis*:

Em.mus ac rev.mus D. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis, moderabitur hanc nonagesimam primam congregationem generalem.

Audiatis, Patres venerabiles, et patientiam habetote si multa hodie dicenda habeo!

Imprimis, in hac congregatione distribuentur relationes super schema constitutionis *de divina revelatione*. Ordo exponendi est immutatus, ita ut primus loquatur exc.mus D. Franciscus Franić, deinde alii duo relatores, ut suo tempore dicet em.mus moderator.

Distribuentur etiam, sed in fine huius congregationis ne confusio fiat, adnexa ad schema *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Haec adnexa, uti scitis, Patres venerabiles, partem non habent in schemate, itaque non pertinent ad disceptationem conciliarem. Sed ideo parata sunt ut illustrent, ut enucleent, ut clarius faciant schema quod erit imprimis discutiendum et deinde, si res feret, suffragandum. Ergo haec adnexa partem non habent schematis, sed schema illustrant et clarius reddunt, nempe mentem aperiunt illorum qui schema paraverunt.

Ex mandato em.mi card. arch. Bombayensis, notum facio Patribus venerabilibus diem Congressus Eucharistici Bombayensis esse 28 novembris, prout iam a multo tempore statutum est. Ideo non sunt credendae notitiae quae in ephemeridibus hisce ultimis temporibus diffusae sunt, nempe de dilato tempore initii huius Congressus. Congressus incipiet, prouti statutum est, die 28 novembris huius anni.

Et hodie est procedendum in primis ad suffraganda cap. III, IV, V, VI schematis *de Ecclesia*. Suffragatio circa cap. III divisa est a moderatoribus, propter gravia motiva exposita a commissione doctrinali et huius rogatu, in duas suffragationes. Iam legi rationes quibus moti moderatores in hanc conclusionem venerunt. Attamen aliquis exceptionem fecit quod congregatio generalis iam statuerit unam suffragationem faciendam. Moderatores hanc exceptionem consideraverunt, sed censuerunt in eodem proposito permanendum, si tamen congregationi generali placuerit.

Itaque, antequam procedatur ad has duas suffragationes de cap. III, moderatores quaerunt a Patribus: « Placetne Patribus ut de cap. III

duplex suffragatio fiat prout a moderatoribus statutum est? ». Qui consentiunt in hoc propositum faveant surgere.

[*Intervallum*].

Em.mi moderatores, Patres fere unanimes in hoc propositum consenserunt; quapropter fiet duplex suffragatio circa cap. III.

Attamen hoc bene attendatis, Patres venerabiles: quoad secundam suffragationem bene intelligitur quod ea pars quae fuerit reiecta a congregatione generali, nempe de diaconatu conferendo iuvenibus sine lege caelibatus, non cadit amplius in suffragationem. Est iam non-approbata, reiecta; quapropter non cadit in suffragationem. E contra manet in vita altera pars, nempe alterum comma de caelibatu servando a iuvenibus qui forte diaconi fiant modo stabili. Clarumne est hoc? Hoc pertinet ad essentiam suffragationis. Igitur non cadit in materiam suffragationis secundae partis cap. III ille diaconatus sine lege caelibatus. E contra, manet materia suffragationis diaconatus pro iuvenibus cum lege caelibatus. Hoc repetam suo tempore; forsan melius erit. Sed puto me clarum fuisse.

Responsio ad suffragationes quae fient hodie erit, prouti dictum est, *placet, non placet, placet iuxta modum.* Qui suffragabitur *placet iuxta modum* debet ipse modos exhibere et subscribere per seipsum. Modi collectivi, uti dictum est, non valent.

Attamen, non obstante quod ego bis hoc explicaverim, aliquis Pater petiit utrum qui suffragatur *placet* possit postea emendationes in folio exhibere; sed si hic Pater cupit emendationes exhibere, suffragetur, iuxta *Ordinem, placet iuxta modum.* Secus res sensum non habet. Ille qui dicit *placet* vult indicare sibi rem placuisse penitus. Si habet reservationes vel etiam emendationes, dicat *placet iuxta modum* et exhibeat simul emendationes, exhibeat nempe modos. Certissime commissio competens in hac materia quemadmodum ceterae in posterum rationem habebunt omnium modorum etsi forte haec ratio necessario habenda non sit.

Antequam legam textum primae suffragationis, lego nomina eorum qui verbo uti petierunt, imprimis circa declarationem *de Iudaeis et non christianis* nomine 70 Patrum, ut iuris est. Postea nomina eorum qui verbo uti petierunt circa schema *de divina revelatione,* quae disceptatio incipiet postquam omnes relationes lectae fuerint in aula.

Ergo petit loqui circa declarationem *de Iudaeis et non christianis* exc.mus D. Ioannes Gahamanyi, ep. Butarensis in Ruanda.

Quoad vero schema *de divina revelatione,* verbo uti petierunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Iulius Döpfner, arch. Monacensis in Germania; Albertus Meyer, arch. Chicagiensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Ioannes

Landázuri, arch. Limanus in Peruvia; Michaël Browne. Deinde exc.mi DD. Casimirus Kowalski, ep. Culmensis in Polonia; Victorius Costantini, ep. Suessanus in Italia; Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis in Germania; Felix Romero, ep. Giennensis in Hispania; Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Antonius Vuccino, arch. tit. Aprensis; Constantinus Luna, ep. Zacapensis in Guatemala; Iosephus Reuss, ep. aux. Moguntinus in Germania; Henricus Compagnone, ep. Anagninus in Italia; Ioannes Ferro, arch. Rheginensis in Italia; Aemilius Guano, ep. Liburnensis in Italia; Thomas Wilczynski, ep. tit. Polybotensis; Paulus Zoungrana, arch. Uagaduguensis in Volta Superiori; Michaël Arattukulam, ep. Alleppeyensis in India.

Et nunc, Patres venerabiles, incipiamus suffragationes. Prae oculis habeatis textum integrum *de Ecclesia,* nempe libellum maiorem, non illum minorem quo usi sumus praeteritis diebus; totum integrum schema aliis verbis. Et consideretis semper textum in parte dextera vel etiam in medio paginae, si unus tantum sit textus.

Prima emendatio versatur circa textum a n. 18 (videatis pag. 59) ad n. 23 inclusive, nempe usque ad pag. 66. Lego tantum — et parcatis mihi, Patres — initium et finem, nam his diebus plerumque et multa legi de hoc textu [*cf. vol. III, pars I, pag. 211-219*].

Placetne, Patres venerabiles, textus modo lectus, an non placet, an placet iuxta modum? Respondeatis, quaeso.

Dum fit haec suffragatio, legetur relatio super cap. IV, ne tempus inutiliter teratur. Gratias.

EXC.MUS P. D. IOANNES IOSEPH WRIGHT

Episcopus Pittsburgensis Latinorum

RELATIO

SUPER CAP. IV TEXTUS EMENDATI SCHEMATIS CONSTITUTIONIS « DE ECCLESIA »

Venerabiles Patres,

...[1] Disceptatio in Aula Conciliari super priorem textum *De Laicis* revelavit tria genera praecipua animadversionum de iis quae proposita erant a Nostra Commissione, et videlicet:

1. Alii Patres notionem propositam *laicatus* seu *laici* nimis negativam habuerunt;

2. Alii iudicaverunt expositionem nostram de laicis insufficienter

seu etiam minus exacte relatam fuisse doctrinae receptae et catholicae de hierarchia et de constitutione hierarchica Ecclesiae; et

3. Alii voluerunt magis explicitam expositionem conceptus sacerdotii istius regalis (de quo Sanctus Petrus) et de parte laicorum in muneribus Christi et praecise quoad consecrationem mundi.

Quoad primum genus animadversionum, conati sumus ad notionem laicorum in Ecclesia positive exprimendam non tantum grammatice, ut ita dicam, sed etiam conceptualiter et sub aspectu doctrinali; haec omnia in paginis centum decima septima ad centum vigesimam et etiam in pagina centum vigesima tertia ubi agitur *de fine* et *officio* laicorum in consilio Christi.

Notetur caput nostrum, fatendum est, non proponere *definitionem « ontologicam »* laici, sed potius *descriptionem « typologicam » ut* quaestiones et difficultates secundariae evitentur et propter alias rationes prolatas in notis typis mandatis in pagina centum trigesima tertia.

Quoad secundum genus animadversionum, conati sumus moderari viam mediam et tutam in aquis saxosis inter Scyllam et Charybdem: Scyllam scilicet *confusionis* inter laicos et ordinibus sacris ornatos, ex una parte, et Charybdem, ex alia parte, talis *distinctionis* seu *separationis* inter fideles, sive laicos, sive religiosos, sive praelatos, qualis offenderet unitati fundamentali unius corporis Christi quod est Ecclesia. Haec omnia inveniuntur sub numero trigesimo septimo in pagina centum vigesima quarta et in notis quas indicimus in paginis centum trigesima quarta et quinta.

Quoad tertium desiderium Patrum, omnino novas pericopas submittimus *De participatione laicorum in sacerdotio universali et cultu* (nunc sub numero trigesimo quarto in pagina centum vigesima prima) et *De participatione laicorum in munere prophetico Christi et testimonio* (sub novo numero trigesimo quinto in eadem pagina).

Sic ergo, prae oculis semper habentes animadversiones Patrum, novam redactionem capitis *De Laicis* confecimus cuius differentiae a textu priori ita modo summario proponi possunt:

1. Materia prooemii paulo latius evolvitur, addita exigentia nostri temporis ac aestimatione pro laicis; nil vere novi edicitur. Evolvitur positiva descriptio exponens quosnam Sanctus Synodus *hic,* — id est, in contextu materiae et finis huius schematis — sub nomine laicorum intelligit.

2. De dignitate laicorum prout sunt membra Populi Dei fusius nunc loquimur quam antea, sed emendationes introductae, etiam si ad maiorem claritatem contribuunt, non sunt nisi secundariae.

3. De laicorum vita salutifera et apostolica latior fit propositio de

modo particulari quo laici apostolatum in vita christiana exercere; ex altera parte autem recognoscitur intimior cooperatio quorumdam laicorum cum apostolatu hierarchiae.

4. Numerus novus additur de participatione laicorum in sacerdotio universali et cultu, sed nulla excitatur particularis quaestio. Agnoscitur simpliciter et tamquam principium quod laici suo modo ad consecrationem mundi conferre possunt et debent.

5. Praeterea, novus numerus additur de participatione laicorum in munere prophetico Christi et testimonio; sic pressius insistitur super testimonium vitae christianae quotidianae, et speciatim super significationem salutarem et apostolicam matrimonii et familiae christianae. Actio apostolica igitur ab universis fidelibus suo modo explenda est.

6. Deinde, explicatur in novo textu dignitas regalis christiani per victoriam super peccatum sub Christo Rege; explanatur quomodo laici in ipsis rebus profanis, cultura scilicet aliisque valoribus *spiritum Christi* diffundere debent; clare, ut speramus, insistitur in *distinctione* simul et *harmonia* inter officia indolis religiosae et officia temporalia ac civilia.

7. Tandem aliquando exponuntur iura et officia laicorum relate ad praepositos Ecclesiae. Loquimur in specie de libertate Christiana laicorum in Ecclesia, necnon et de fiducia et obedientia Christiana, et de libera et efficaci cooperatione pastoribus debita. Spiritum positivum auctoris Epistolae ad Diognetum invocamus pro diebus nostris citando in fine schematis verba sua de vocatione Christianorum in mundo.

Placet seu consensum Patrum Conciliorum pro capite nostro rogamus sperantes quod ea quae nunc proponimus correspondent menti a Patribus in disceptatione expressae. Hoc speramus eo magis quia momentum huius partis operis totius Concilii vix exaggerari potest ...[2] *Unusquisque loquitur aut bona aut mala de cursu hippodromo seu curriculo equorum secundum fortunam equi sui proprii.* Quapropter, pro maxima parte membrorum Ecclesiae, Christifidelium nempe laicorum, imago, uti hodie dicitur, Concilii Vaticani Secundi dependet ab indole affirmationis Concilii *De laicis in Ecclesia Christi.*

Multo magis profunde, tamen, speramus caput nostrum, uti nunc redactum, praebere praemissa doctrinalia apostolatui magis fructuosae et intensivae Christifidelium laicorum, una cum pastoribus, religiosis et omnibus et singulis debite in Ecclesia congregatis ad Deum colendum et sequendum.

Sic verificetur textus iste programmaticus Sancti Pauli quod voluit Papa Ioannes ut sit « scriptus super portas Concilii », videlicet:

Oportet enim ut omnes « veritatem facientes in caritate, *crescamus* in Illo per omnia, qui est caput, Christus: ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate » (*Eph.* 4, 15-16) ...[3].

In oratione: [1] Maiora puncta cap. *de laicis* sat facile ad brevem relationem reduci possunt. [2] Secundum proverbium anglicanum, quod didici ab amicis inter Fratres non separatos. [3] Crescant in Christo christifideles laici nostri per doctrinam, exemplum et benedictionem huius Concilii Patrum!

Moderator: Gratias agimus exc.mo D. relatori ac commissioni de hac optima relatione. Loquatur nunc exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Lego, *venerabiles Patres,* textum secundae suffragationis circa cap. III. Videatis pag. 66. Haec suffragatio comprehendet nn. a 24 ad finem capitis, nempe ad n. 29 [*cf. vol. III, pars I, pag. 219-228*].

« ... Supremae auctoritati competit decernere, utrum hic diaconatus viris maturioris aetatis etiam in matrimonio viventibus conferri possit » — et bene attendatis hanc mutationem — « et iuvenibus firma manente lege caelibatus ». Sic legendus est textus postquam illud comma iam reiectum fuerit, nempe de non servanda pro iuvenibus lege caelibatus. Repeto ergo ultima verba: « Supremae auctoritati competit decernere, utrum hic diaconatus viris maturioris aetatis etiam in matrimonio viventibus conferri possit, vel etiam iuvenibus firma manente lege caelibatus ». Hoc debet esse clarum et ingreditur substantiam suffragationis, Patres venerabiles.

Quapropter hic textus qui modo lectus est *placet, non placet,* an *placet iuxta modum?*

Videatis: « modi » exhibendi essent cum scheda suffragationis. Attamen em.mi moderatores concedunt ut modi sive circa cap. III, sive circa alia capita, quae sequentur, exhiberi possint etiam crastina assignatoribus locorum. Sed, si possibile est, non ultra crastina, nam labor commissionis statim incipere debet.

Moderator: Nunc autem audiamus relationem super cap. V et VI (vel V, *a* et *b*) eiusdem textus emendati schematis constitutionis *de Ecclesia,* a rev.mo Patre Benno Gut, abbate primate O.S.B.

REV.MUS P. D. BENNO GUT
Abbas primas O.S.B.

RELATIO
SUPER CAP. V ET VI (VEL V *a* ET *b*) TEXTUS EMENDATI SCHEMATIS CONSTITUTIONIS « DE ECCLESIA »

Venerabiles Patres,

Haec nostra Relatio duo distincta respicit schematis Const. *De Ecclesia* argumenta: alterum quod inscribitur in textu: « *De universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia* » (cf. schema, pp. 139 ss.), alterum quod inscribitur « *De Religiosis* » (cf. schema, pp. 155 ss.). Necessaria huius Relationis brevitas exigit ut pauca tantum benevolae Patrum attentioni proponamus, quin repetamus ea quae iam leguntur in relationibus textui adnexis; ad quae autem remittimus pro uberioribus explanationibus.

I - *Quaedam circa materiam eiusque structuram*

1. Licet materia, de qua in praesenti, sit distincta quoad ipsum obiectum, tamen, prout nunc iacet, prae se fert quamdam transitionem ab uno ad aliud argumentum. Nam affirmata, sicut oportebat et quaesierant Patres, ipsa sanctitate ontica et morali Ecclesiae qua talis, schema procedit ad proclamandam universalem ordinationem et vocationem omnium et singulorum membrorum Ecclesiae ad sanctitatem (Prooemium et n. 40). Quae sanctitas revera in omni statu vel conditione vel professione attingi potest atque debet ab omnibus et singulis Ecclesiae membris (n. 40). Nam omnibus praestant viae et media, sive naturalia sive supernaturalia, quibus unusquisque potest non solum sanctitatem, ut dicamus substantialiter necessariam ad salutem, consequi, sed etiam perfectionem in proprio statu obtinere (n. 42).

2. Deinde transitus fit ad *Religiosos,* sub aspectu theologico hic respiciendos; nam vi votorum Religiosi cum virtute religionis theologicam habent relationem et exinde consequuntur per antonomasiam denominationem, ut scribit S. Thomas (II-II, q. 186, a. 1):

« Religio ... est quaedam virtus per quam aliquis ad Dei servitium et cultum aliquid exhibet. Et ideo antonomastice *religiosi* dicuntur illi qui se totaliter mancipant divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes ». Quod concordat cum illis quae adiecta sunt in textu de natura status religiosi (n. 44). Atque ita etiam patet differentia atque praestantia ordinationis et vocationis religiosae in Ecclesia Christi. Nam dum ceteris ad universalem sanctitatem non solum praecepta, sed etiam consilia evangelica dantur, *sed ut consilia,* religiosis ipsa consilia evange-

lica, votis firmata, sub auctoritate Ecclesiae, transeunt in formam praecepti et virtutis religionis obligationis. Propterea illi, qui ita profitentur consilia evangelica in Ecclesia, statum novum induunt in ipsa Ecclesia, ut ait idem Angelicus: « Et secundum hoc, religio perfectionis statum nominat » (*l. c.*). Secundum haec intelligitur totum argumentum de religiosis: sive ubi sermo fit de professione consiliorum in Ecclesia (n. 43); sive ubi natura et momentum status religiosi proponitur (n. 44); sive ubi relatio cum Ecclesiae auctoritate (n. 45) et aestimatio vitae consecratae in Ecclesia omnibus proclamatur (n. 46).

3. Num autem praedicta duo argumenta ita seiungenda sint, ut Religiosis reservetur caput distinctum, per suffragationem explicitam decidere debent nunc Patres. Attendant tamen Patres, quod si caput distinctum non admittitur, tunc etiam titulus generalis emendandus est, prout non pauci Patres animadverterunt. — Posset quis quaerere, cur proposita non sit suffragatio circa alias possibilitates disponendi materiam. Sed modi, in suffragationibus de Ecclesia propositi, superant competentiam huius Relationis.

II - *Quaedam circa emendationes in nova redactione receptas*

Omnes revera animadversiones Patrum, praesertim illae a 679 Patribus subsignatae et nostrae Commissioni propositae, attente perpensae sunt. Consequenter neque paucae neque parvi momenti immutationes in nova redactione textus habentur. Principaliores quae sequuntur considerare oportet:

1. *Circa argumentum « De universali vocatione ad sanctitatem »*:

a) sublineatur in prooemio aspectus *onticus* et moralis sanctitatis, quam Ecclesia ex Deo et Christo habet.

b) Exprimitur in ipso prooemio fundamentum illius sanctitatis, quod exprimitur his verbis Apostoli: « Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra ».

c) Pressius proclamatur universalis ordinatio et vocatio ad sanctitatem in plena libertate, secundum legem, praesertim caritatis, et cum adiutorio gratiae divinae consequenda (nn. 40 et 41). Atque hinc inde actio Patris, actio Spiritus Sancti, et imitatio Christi atque Sanctorum clariori modo introducitur.

d) Ex toto contextu apparet quod, si sanctitas una sit in sua substantia, tamen *differt gradibus,* quia variat cooperatio libertatis, vinculum ex diversis normis proprii status promanans, et ipsa gratia, cum unusquisque habeat proprium donum.

e) Explanatur doctrina de *caritate* a Deo infusa et efficaciter in operibus, exercitio omnium praeceptorum et omnium virtutum, appli-

cata (n. 42). Quod eminenti modo in *martyrio* dicitur impleri. Deinde expresse fit sermo de consiliis, inter quae eminet *sacra virginitas*. Explicantur consilia *oboedientiae* et *paupertatis*. Denique insistitur in *abnegatione* necessaria ad sanctitatem secundum proprium statum perfectionis consequendam.

f) Peculiari et proxiliori modo, in hac luce, pastoraliter commonentur varia subiecta (episcopi, sacerdotes, ministri, laici, coniugati, operarii et incumbentes in professiones saeculares), ut in sanctitate, iuxta propriam conditionem, vivant et in ea crescant (n. 41).

2. *Circa argumentum « De Religiosis »*:

a) Origo divina consiliorum evangelicorum, etiam per praxim et in statu ab Ecclesia sancito inductorum, proclamatur (n. 43).

b) Aspectus *theologicus* consecrationis et amoris totalis et indivisi erga Deum, votis quoque emissis, in describendo statu religioso adiunctus est (n. 44).

c) Aspectus *christiformis* status religiosi hinc inde clarius in luce ponitur.

d) Pariter aspectus *ecclesiologicus* status religiosi, secundum formam « propriae vocationis » et secundum « indolem variorum Institutorum », cum aspectu contemplativo et apostolico, uberius exponitur (n. 44).

e) Aspectus *eschatologicus* status religiosi, iuxta Patrum animadversiones, noviter redactus est (n. 44, linn. 30 ss.).

f) Status religiosus non solum in sua relatione cum auctoritate Ecclesiae, id quod substantialiter aderat in anteriori textu (n. 45), sed etiam in sua *ordinatione liturgica* consideratur (n. 45, p. 158, linn. 4-13).

g) Ea quae dicuntur de aestimanda consecratione religiosorum habebantur in anteriori textu; at in nova redactione non pauca (quae in textu sublineantur) iuxta Patrum animadversiones emendata sunt.

III - *Quaedam circa textus interpretationem*

Praedicta sufficere videntur ad intelligenda ea *principaliora,* quae obiective deduci possunt ex textu conciliari. Quoad particularia attendendum est ad ipsam exegesim obiectivam textus. Ad hoc autem faciendum iuvat etiam mentem commissionis cognoscere. Quae mens praesertim ex actibus sive subcommissionis sive commissionis innotescit. Propositum in redigendo textu fuit, ut etiam obiective constet, neque selectam fuisse unam vel aliam scholarum methodologiam, neque, ut obvium est, anterioribus documentis Magisterii Ecclesiae contradicere vel in aliquo doctrinaliter immutare, neque recipere vel profiteri nec reicere ea quae in praesenti sunt liberae disceptationis inter theologos.

Monuit enim nuperrime etiam Em.mus Cardinalis Decanus hoc Concilium non intendere novas proponere doctrinas. Consequenter, quamvis differentia, praestantia et momentum status religiosi in Ecclesia clarius appareat ex *capite* distincto religiosis dedicato, tamen ex votatione Concilii circa hoc, qualemcumque exitum habeat, doctrinaliter nihil novum deduci potest aut debet. Licet autem ea, quae in schemate de Religiosis dicuntur, in anterioribus documentis Ecclesiae iam habeantur, auctoritate tamen conciliari nunc proponuntur; atque de hoc laetari possunt et debent omnes, qui in Ecclesia et per Ecclesiam viam sanctitatis prosequuntur, sive in perfectione proprii status sive in statu perfectionis vivunt et crescunt!. ..[1]

Censet igitur Commissio textum in sua nova redactione praebere, ut quaesierunt Patres, et aspectum theologico-ecclesiologicum et aspectum pastoralem et aspectum oecumenicum. Nam in nova redactione *Ecclesia apparet* in sua sanctitate tum ontica tum morali, licet cum defectibus in suis membris. Omnes insuper *pastoraliter* moventur ut, adiuti per gratiam, vivant et crescant non solum in sanctitate substantiali, sed etiam in perfectione caritatis. *Oecumenice* etiam sperantur fructus. Et sic ex novo textu apparet Deum et Christum esse fundamentum et exemplar et fontem sanctitatis non pro aliquibus fidelibus tantum, sed pro omnibus; dummodo ipsi revera vivant et crescant in libertate qua Christus nos liberavit (*Gal.* 4, 31), in caritate quae servat omnia mandata (*1 Io.* 5, 3) et est vinculum perfectionis (*Col.* 3, 14), et in gratia Spiritus Sancti, qua sumus « heredes quidem Dei, coheredes autem Christi » (*Rom.* 8, 17).

In oratione: [1] Liceat, venerabiles Patres, brevissimam parenthesim addere, non nomine commissionis, sed Ciceroni pro sua domo loquenti. Certo omnes religiosi magno gaudio et satisfactione afficiuntur si Sacrosancta Synodus eos speciali et separatio capite honoratur. Si tali honore digni sunt laici, cur non innumeri religiosi? Ne timeatis religiosos! « Siamo buona gente ». Et iam clausa est parenthesis.

Moderator: Gratias agimus rev.mo P. Benno Gut pro sua relatione, necnon et commissioni de labore suo. Nunc autem audiatur exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Notum facio Patribus exitum suffragationis primae circa integrum cap. III:

Praesentes votantes	2.242
Dixerunt *placet*	1.624
non placet	42
placet iuxta modum	572
Suffragium nullum	nullum [1]

[1] Re vera, suffragia nulla fuerunt *quattuor* (cf. pag. 129).

Ergo textus subiectus primae suffragationi circa cap. III est a congregatione generali approbatus. Attamen commissio examini subiciet omnes modos exhibitos, prouti iam pluries dictum est.

Et nunc lego, venerabiles Patres, textum cap. IV schematis *de Ecclesia,* circa quod est nunc suffragatio facienda. Videatis pag. 117. In-Inscribitur *de Laicis.* N. 30, parte dextera [*cf. vol. III, pars I, pag. 271-280*].

Porro hic textus *placetne vobis,* venerabiles Patres, *non placet* an *placet iuxta modum?*

Rogamini, Patres venerabiles, non ponere modos in involucris; quod impeditiorem facit laborem. Et ne ponatis schedulam suffragationis in involucro. Ergo, hoc est necessarium ut schedula non ponatur in involucro. Et, si possibile est, etiam modi non ponantur in involucro. Involucrum est « busta », « enveloppe ».

Ergo: *placet, non placet* an *placet iuxta modum?* Gratias.

DISCEPTATIO

1. – SCHEMA CONSTITUTIONIS DE DIVINA REVELATIONE (A) *

PROOEMIUM

Textus prior

1. [*Necessitas et obiectum Revelationis*]. Sacrosancta Synodus Vaticana secunda, doctrinam catholicam de sacra Revelatione sollemniter proponens, verba S. Ioannis in memoriam

Textus emendatus

1. (olim n. 1, § 1). [*Prooemium*]. Sacrosancta Synodus verbis S. Ioannis *obsequitur* (B) dicentis: « Annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem et apparuit nobis:

---

* *In initio fasciculi legitur*:

Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, de quo in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo deliberabitur, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die III mensis Iulii, anno MCMLXIV.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

NOTANDA: Verba, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur. In schemate habentur duo textus: textus *prior* et textus *emendatus.* Alter iuxta emendationes a Patribus

Textus prior

revocat, dicentis: « Annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et apparuit nobis: quae vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio eius Iesu Christo » (*1 Io.* 1, 2-3).

Textus emendatus

quod vidimus et audivimus annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius Iesu Christo » (*1 Io.* 1, 2-3). *Propterea, Concilii Vaticani I inhaerens vestigiis, genuinam* de *divina* Revelatione *ac de eius transmissione* doctrinam proponere *intendit, ut mundus universus audiendo credat, credendo speret, sperando amet* (1) (C).

CAPUT I (olim PROOEMIUM)

DE IPSA REVELATIONE

Textus prior

Quamquam enim valent homines « quaerere Deum si forte attrectent eum, aut inveniant » (*Act.* 17, 27), non possent tamen mysteria Dei cognoscere, maxime subsistentiam eius in tribus personis, et consortium divinae naturae (cf. *2 Pt.* 1, 4), ad quod vocantur omnes homines, nisi Deus ipse eadem revelavisset. Qua revelatione veritas tam de Deo quam de homine in Christo nobis illucescit.

Textus emendatus

2. (n. fere novus et olim n. 1, § 2). [*De revelationis* natura *et obiecto*] (A). *Placuit Deo in sua bonitate et sapientia seipsum revelare et notum facere nobis sacramentum voluntatis suae* (cf. *Eph.* 1, 9), *quo homines per Christum, Verbum carnem factum, in Spiritu Sancto accessum habent ad Patrem et divinae naturae consortes efficiuntur* (cf. *Eph.* 2, 18; *2 Pt.* 1, 4) (B). *Hac itaque revelatione Deus invisibilis* (cf. *Col.* 1, 15; *1 Tim.* 1, 17) *ex abundantia caritatis suae homines tamquam amicos alloquitur* (cf. *Ex.* 33, 11; *Io.* 15, 14-15) *et cum eis conversatur* (cf. *Bar.* 3, 38), *ut eos ad societatem cum Patre et Filio et Spiritu Sancto*

Conciliaribus postulatas et a Commissione de doctrina fidei et morum examinatas atque propositas.

Adsunt, etiam, ad instar appendicis, notae, necnon relationes particulares et generales, ex quibus Patribus innotescunt rationes, cur novus textus ab antiquo recedat.

E/1 etc. significant *Emendationes* seu *Observationes* in Concilio sive habitas, sive scripto datas, vel etiam postea Secretario Generali missas.

Animadversiones connotant easdem *Emendationes* seu *Observationes* prout exstant in foliis dactylographatis.

Litterae (A), (B) etc. spectant ad litteras correspondentes in Relationibus de singulis numeris.

Textus prior

2. [*Revelatio gradatim peracta*]. Inde ab initio Deus amore permotus testimonium dedit generi humano de semetipso et de hominis superno fine; ac post peccatum Adae, misericorditer promittendo Redemptorem, mox mirabiliter restauravit ordinem salutis. Postea in Abraham populum sibi elegit, ut in semine eius benedicerentur omnes generationes terrae (cf. *Gen.* 12, 3), et longinquo via Evangelio praepararetur.

3. [*Revelatio in Christo ultima et completa*]. In Christo et per Spiritum Christi, Apostolis promissum ut illos omnia doceret, quaecumque ipse Christus dixerat (cf. *Io.* 14, 26), publica revelatio ultima et integra facta est (cf. *Hebr.* 1, 1). Nulla ergo adhuc nova revelatio exspectanda est, sicut nulla aliunde salus. Quare Christianismus non est tantum aetas quaedam transitoria historiae religiosae humanitatis, sed omnino novissima et definitiva.

Textus emendatus

invitet et admittat (C). *Haec revelationis oeconomia fit gestis verbisque intrinsece inter se connexis, ita ut opera, in historia salutis a Deo patrata, doctrinam et rem verbis significatam manifestent et corroborent, verba autem opera proclament et mysterium in eis contentum elucident* (D). *Intima* ergo per hanc revelationem tam de Deo quam de homi*nis salute* veritas nobis in Christo illucescit, *qui non solum mediator, sed et plenitudo totius revelationis* existit (cf. *Io.* 1, 14 et 17; 14, 6; 17, 1-3; 2 *Cor.* 3, 16-4, 6; *Eph.* 1, 3-8) (E).

3. (olim n. 2). [*De* evangelicae *revelationis* praeparatione] (A). *Deus qui in Verbo suo omnia creavit et in ipsa rerum natura perenne sui testimonium hominibus ostendit* (cf. *Rom.* 1, 19-20; *Act.* 14, 15-17) (B), *inde ab initio Protoparentibus sese manifestavit, quos post lapsum in spem salutis erexit, redemptione promissa* (cf. *Gen.* 3, 15) (C). Suo autem tempore Abraham *vocavit ut faceret eum in* populum *magnum* (cf. *Gen.* 12, 2), *quem post Patriarchas per Moysen et Prophetas erudiret ad solum Deum vivum et verum, providum hominum Patrem et iudicem iustum agnoscendum et ad promissum ab Eo Salvatorem expectandum, sicque per saecula* viam Evangelio praepararet (D).

4. (novus numerus, cf. olim n. 3-4). [*De Christo revelationis* consummatore] (A). Postquam multifariam multisque modis Deus locutus est in prophetis, « novissime diebus istis locutus est nobis in Filio » (*Hebr.* 1, 1-2) (B). *Misit enim Filium suum, aeternum scilicet Verbum, per quem omnia facta sunt et qui omnes homines illuminat, ut inter homines habitaret iisque intima Dei enarraret* (cf. *Io.* 1, 1-18) (C). *Iesus Christus ergo, « homo ad homines » missus* (2) (D), *« verba Dei loquitur »* (*Io.* 3, 34)

Textus prior

4. [*Opera Christi signa Revelationis*]. Opera Christi, quae dedit ei Pater ut faceret ea, testimonium perhibent de eo (cf. *Io.* 5, 36), cum Christus divinitatem suam non verbis dumtaxat affirmaverit, sed etiam vita sanctissima, miraculis, prophetiis et maxime resurrectione gloriosa ex mortuis confirmaverit. Sicut per verba Christi Mysterium in vita eius contentum manifestatur, sic per vitam eius miraculosam auctoritas testimonii Christi comprobatur.

6. [*Necessitas gratiae ad Revelationem divinam accipiendam*]. Revelationi divinae praestanda est oboedientia fidei: sed ut fidei actus suscitetur, opus est gratia Dei, quae sensum aperiat, cor moveat et convertat. Quo vero profundior usque evadat Revelationis intelligentia, Spiritus Paraclitus fidem iugiter per dona sua perficit.

5. [*Veritates naturales cum Revelatione connexae*]. In divina Revelatione agitur quidem de veritatibus et eventibus quibus mysterium participationis hominis ad Dei vitam intimam respicitur; simul autem etiam affirmantur veritates altissimae ordinis naturalis cum

Textus emendatus

et opus salutare consummat quod dedit ei Pater faciendum (cf. *Io.* 5, 36; 17, 4) (D). Quapropter verbis et *operibus, signis et* miraculis, praesertim autem *morte sua* et gloriosa ex mortuis resurrectione, *missione quoque Spiritus veritatis, et tota sua persona revelationem complendo perficit* ac testimonio *divino* confirmat, Deum nempe nobiscum esse ad homines ex peccati mortisque tenebris liberandos eosque in aeternam vitam resuscitandos (E).

Oeconomia ergo christiana numquam *praeteribit* (cf. *Mt.* 24, 35), et non est aetas historiae religiosae transitoria tantum, sed novissima et definitiva, nullaque adhuc nova revelatio *publica* expectanda est *ante finalem « revelationem Domini nostri Iesu Christi »* (*1 Cor.* 1, 7) (F).

5. (olim n. 6). [De fide *revelationi praebenda*]. Deo revelanti praestanda est « oboeditio fidei » (*Rom.* 16, 26; cf. 1, 5; *2 Cor.* 10, 5-6) (A), *quae est « plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium »* (3), *seu voluntarius veritati ab eo revelatae assensus* (B). Quae *fides* ut praebeatur, opus est *praeveniente et adiuvante* gratia Dei *et internis Spiritus Sancti auxiliis,* qui cor moveat et *in Deum* convertat, mentis oculos aperiat, *et det « omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati »* (4). Quo vero profundior usque evadat revelationis intelligentia, *idem* Spiritus Sanctus fidem iugiter per dona sua perficit (C).

6. (olim n. 5). [*De veritatibus revelatis*]. Divina revelatione manifestantur *ea, quae Deus de seipso ac de aeternis voluntatis suae decretis circa hominum salutem* divinaeque vitae participationem *communicare voluit, et « quae humanae mentis intelligentiam omnino supe-*

Textus prior

veritatibus supernaturalibus connexae. Nam licet veritates illae humanae rationi per se imperviae non sint, in praesenti generis humani condicione, ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore nonnisi lumine revelationis cognosci possunt. Sic Revelatione divina non tantum aperiuntur viae ad supernaturalem finem assequendum, sed etiam principia praebentur ad vitam temporalem recte concipiendam et ducendam.

Textus emendatus

rant » (5) (A). *Confitetur quidem Sacra Synodus, « Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse* » (cf. *Rom.* 1, 20); *eius autem revelationi tribuendum esse docet,* « *ut* ea, quae *in rebus divinis* humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti *quoque* generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint » (6) (B).

NOTAE

Prooemium

Ad n. 1.

(1) Cf. S. Augustinus, *De catechizandis rudibus,* c. IV, 8: *PL* 40, 316.

Caput I - *De ipsa Revelatione*

Ad n. 4.

(2) *Epist. ad Diognetum,* c. VII, 4: Funk, *Patres Apostolici,* I, p. 403.

Ad n. 5.

(3) Conc. Vat. I, *Const. dogm. de fide cath.,* cap. 3: Denz. 1789 (3008).

(4) Conc. Araus. II, can. 7: Denz. 180 (377); Conc. Vat. I, *l. c.*: Denz. 1791 (3010).

Ad n. 6.

(5) Conc. Vat. I, *Const. dogm. de fide cath.,* cap. 2; Denz. 1786 (3005).

(6) Ibid.: Denz. 1785 et 1786 (3004 et 3005).

PRAENOTANDA AD NUM. 1-6 **[9]**

Generalia

Non paucae nec leves factae sunt ad « Prooemium » observationes, quarum praecipuas recensemus.

1) *Conceptus revelationis* magis evolvendus est: ita E/327; 350; 391, 2 (*Animadversiones* dact., p. 101); 391, 4 (*ibid.,* p. 104); 391, 5 (*ibid.,* p. 107); 414; 458; 2240.

2) Textus prior quodam conceptualismo dicitur laborare, quasi revelarentur potius veritates de Deo quam *Deus ipse.* Ita E/257; 259;

[9] 265; 296; 313; 325; 349; 391; 426; 450; 458; 490; 2230; 2396. Nonnulli addunt conceptionem magis personalisticam nostris praecise temporibus magni esse momenti pastoralis: E/316; 349. Alius tamen vult revelationem clarius definiri tamquam *locutionem Dei,* conceptibus, iudiciis, propositionibus constantem: E/605.

3) Plures e supra citatis volunt expressius significari Deum se revelare etiam *per opera* patrata: E/257; 259; 313; 325; 326; 414; 458; 2240; 2480. In specie volunt significare *Christum ipsum* esse revelationem: E/265; 296; 300; 313; 316; 326; 391, 2 (*Animadv.* dact., p. 101); 2166; 2230.

4) Nonnulli optant ut significetur revelatione hominem fieri *participem vitae divinae* et mysterii christiani: E/313; 349; 426; 490.

5) Aliqui desiderant ut expressius etiam *de naturali Dei cognitione* agatur: E/218; 252; 2200. E contra unus ponit iteranda non esse quae Vaticanum I iam decrevit: E/511.

Conclusio

1) Satis profunda Prooemii retractatio praebere intendit revelationis *pleniorem descriptionem,* quae etiam locum *Christi* in clariorem lucem ponat.

2) *Novae quaestiones* textui priori non videntur introducendae, et structura generalis huius textus retinetur. Sed doctrina de revelatione caput proprium nunc constituit, praemisso brevissimo Prooemio. Numeri 3 et 4 magis organice connectuntur et in unum n. 4 funduntur. Ordo inter n. 5 (de veritatibus revelatis) et n. 6 (de fide) invertitur. Allusio ad Dei cognitionem naturalem in assertum explicitum constituitur et ad novum n. 6 transfertur.

3) Textus prior non mutatur nisi Patribus postulantibus, et adhibitis quantum fieri potest verbis ab eis propositis.

[10] RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS

Relatio de n. 1

(A) *Titulus* prior retinetur. E/313 proposuit: «De Deo se revelante »; quod exigeret tractatum multo ampliorem. E/2206 proposuit: « De divina revelatione eiusque transmissione ». Cui providetur in Capite II.

(B) Loco *in memoriam revocat,* scribitur *obsequitur*: cf. E/301.

(C) *Scopus* praesentis decreti adumbratur, scilicet praebere doctrinam de revelatione eiusque transmissione, E/2206, et in mentem revocare Vaticanum I, ampliando dicta de transmissione, E/2240. Omittitur vero *solemniter,* sicut factum est etiam in Schemate *De Ecclesia.* Citatio denique *S. Augustini* finem pastoralem pulchre innuit. **[10]**

Relatio de n. 2, olim n. 1, § 2

(A) In titulo paragraphi indicatur *natura* revelationis, quae descriptio in textu priori manebat fere subintellecta. Omittitur vero *necessitas,* quae expressio ambiguitati ansam praebere potest. De necessitate revelationis et fidei salutaris aptius agitur in *De Ecclesia.*

(B) Sententia positive construitur: *placuit Deo* (cf. Vat. I). Textus enim prior laborare dicebatur quodam anthropocentrismo, E/313, et ex quadam secundaria proprietate procedere, scilicet quid non possint homines. Deinde describitur, secundum Vat. I, *obiectum revelationis,* nempe Deus ipse, E/458; 2200, eiusque decretum salutare, ita enuntiatum ut includat mentionem minus abstractam *SS. Trinitatis*: E/391, 4 (*Animadv.* dact., p. 104); 391, 5 (*ibid.,* p. 107); 326; 414; 426; 458; 469; 2166; 2396; 2480, et disertam mentionem faciat de *Incarnatione*: E/245; 296; 326; 327; 414; 469; 2166; 2396; 2480. *Gratia* nostra vero non solum describitur ut consortium divinae naturae, sed etiam tanquam communio cum divinis Personis.

(C) Delineatur natura revelationis per verba: *invisibilis Deus,* E/2396; *ex abundantia caritatis,* ut exprimatur indoles gratuita et supernaturalis; *tamquam amicos,* cum allusione ad prima et ultima revelationis verba et adhibitis categoriis patristicis, quod scilicet creaturae constituuntur intimi Dei; *alloquitur,* quia revelatio est locutio, E/605; *conversatur,* sensu pleno quem exhibet textus Bar. in liturgia adhibitus; *societatem* cum divinis Personis, cum allusione ad *1 Io.* 1, 2-3, in Prooemio citatum: E/313; 349; 426; 490.

(D) Ex n. 4 huc transfertur doctrina de revelatione *operibus ac verbis* facta, ut plurimi postulaverunt (cf. supra Generalia, 3, et in specie: E/325; 414; 458). Dicitur *revelationis oeconomia,* ut significetur **[11]**
agi de revelatione primitus facta, non vero de ea ut nunc annuntianda. *Gestis verbisque intrinsece inter se connexis,* ut exprimatur ea non posse disiungi, sed mutuam habere prioritatem et compenetrationem.

(E) Christus *mediator et plenitudo* secundum desiderium generale; cf. E/391, 2 (*Animadv.* dact., p. 101). Idea postea sub n. 4 magis sub perspectiva historica elaboratur.

[11] RELATIO DE N. 3, OLIM N. 2

(A) Titulus prior minus placebat, quia *gradus* revelationis in textu brevissimo vix exprimuntur; sed antiqua revelatio nominatur, in quantum evangelicam revelationem praeparat.

(B) Affirmatur adesse testimonium Dei *in ipsa creatione,* quin dirimatur quaestio utrum Deus iam in hoc testimonio percipiendo per gratiam suam de facto interveniat. Locutio textus prioris *de fine superno* pluribus ob diversas rationes non placuit: E/223; 326; 327; 414; 2255; 2396. De revelatione prae-abrahamitica affirmatur factum, atque breviter determinantur eius indoles et obiectum.

(C) *Redemptione promissa,* secundum E/327; 458, etc. Expressio textus prioris *restauravit ordinem salutis,* pluribus displicuit; E/223; 326; 414; 458; 443; 2389. Electa est formula a E/469 proposita: *in spem salutis erexit,* quae sensu generaliori intelligitur.

(D) Textus prior affirmabat quidem « electionem », eius tamen connexionem cum revelatione non indicabat; propterea nunc scriptum est: *vocavit... erudiret,* mentione facta de praecipuis capitibus veteris revelationis, et nominatis patriarchis (secundum E/447) et prophetis (secundum E/223; 313; 2166; 2200; 2230).

RELATIO DE N. 4, OLIM NN. 3-4

(A) *Titulus* aptatus est ad novum contentum, ut *Christus* appareat ut *consummator* et apex totius revelationis (cf. Generalia, 3). In hoc numero, magna ex parte novo, incorporantur quae antea dicebantur sub n. 4 de verbis et signis, et sub n. 3 de nova revelatione non exspectanda.

(B) Citatio *Heb.* 1, 1-2, postulata a E/391, 2 (*Animadv.* dact., p. 101), 446 et 2396, apte significat revelationem in Christo apicem attigisse.

(C) Citatio *Io.* 1, 1-18, postulata a E/296, innuit rationes cur Christus revelationem consummet: est enim Verbum creativum, lux omnium, caro factum et inter homines conversatum, apparens tamquam Filius et enarrans quae sunt in sinu Patris seu profunda Dei. Cf. etiam E/327.

(D) Indicatio *homo ad homines* enuntiat Verbum factum esse ve-
[12] rum hominem, et cum citatione *Io.* 3, 14 praeparat doctrinam de verbo Dei tradito et scripto, E/458.

(E) Plures in priori n. 4 reprehendebant nimiam praeoccupationem apologeticam, et volebant affirmare signa et personam Christi non esse solummodo argumenta credibilitatis, sed vere revelatoria: ita E/252; 300; 391, 2 (*Animadv.* dact., p. 101); 458; 2166; 2230; 2255; 2396;

2480. Quapropter nova redactio dicit quod Iesus *revelationem complendo perficit,* quatenus Ipse est supremus actus revelatorius et supremum obiectum revelatum. Additur tamen: *divino testimonio confirmat,* ut appareat etiam valor apologeticus, qui obtinetur per *verba et opera* Christi, per *mortem et resurrectionem Eius* ac missionem Spiritus Sancti, quae sunt signa eminentissima, et denique per *personam Eius,* non intellectam in sensu metaphysico, sed, ut iam fit in Schemate *De Ecclesia,* sub n. 5, ut supremam manifestationem et argumentum in integro complexu verborum, gestorum, passionis et resurrectionis. [12]

Non autem fit mentio de signo quod est *Ecclesia,* ut proposuerunt E/313; 270, 2 (*Animadv.* dact., p. 40); 353, 2 (*Animadv.* dact., p. 96): Ecclesia enim est signum pro postea venientibus, dum hic agitur de revelatione in Christo consummata. Huius autem revelationis contentum summis lineis adumbratur, verbis fere desumptis ex E/458.

(F) Sententia, paucis mutata ex priori n. 3, loquitur de *oeconomia* christiana, E/296; 326, loco *Christianismus,* quod pluribus displicebat: E/290; 391, 3 (*Animadv.* dact., p. 103); 414; 2480. Inseritur vox *publica,* secundum E/223; 391, 5 (*Animadv.* dact., p. 107); 414; 2406; 2166; 2255. Praenuntiatur denique *finalis revelatio* eschatologica, ut voluerunt E/300; 350; 353, 2 (*Animadv.* dact., p. 96); 391, 2 (*Animadv.* dact., p. 101); 2406; 2255; 2396; 2480. Non dicitur tamen revelatio esse « clausa » morte Apostolorum, sicut voluerunt E/223 et 313; quia haec ulterior explicitatio disputationi subiacet, dum in textu iam asseritur ultima ratio facti, nempe quod revelatio in Christo consummatur.

Relatio de n. 5, olim n. 6

(A) Titulus mutatus est ut contento novo correspondeat: ampliori enim revelationis descriptioni respondere debet quaedam *fidei* descriptio: E/313; 316; 326; 343; 2396. Numerus hoc novo modo redactus apte ponitur immediate post sermonem de revelatione a Christo facta. Dicitur *Deo revelanti,* ut clarius appareat fidem esse virtutem theologalem: E/414; 2166; 2255; 2396.

(B) Fides duplici formula describitur, nempe ut *plenum... obsequium,* secundum Conc. Vat. I: Denz. 1789 (3008), quo significatur sola fide virtuosa digne Deo revelanti responderi: E/326; – deinde ut *voluntarius... assensus,* quae formula velut magis technica inspiratur ex Conc. Trid.: Denz. 797 (1525) et Conc. Vat. I: Denz. 1814 (3035). Ita suggesserunt E/343; 605; cf. E/2396. De *signis externis* autem, de [13]
quibus in problemate hic considerato non erat agendum, inspiciantur

[13] Conc. Vat. I: Denz. 1790 (3009) et Iusiurandum contra Modernismum: Denz. 2145 (3539-42).

(C) Citatur *gratia praeveniens,* secundum E/414; 2396; cf. E/327; sed additur etiam *adiuvans,* secundum Conc. Trid.: Denz. 797-8 (1525-6) et Conc. Vat. I: Denz. 1789 (3008). Invocantur *interna Spiritus Sancti auxilia,* suggerente E/2230, secundum Conc. Araus. II, can. 7 et Conc. Vat. I: 1791 (3010). Dicitur *in Deum convertat,* ut exprimatur terminus positivus conversionis *Idem Spiritus iugiter perficit*: ita innuitur continuitas inter primum assensum et progressum, non solum pro singulis fidelibus, de quibus E/223, sed etiam pro communitate.

Relatio de n. 6, olim n. 5

(A) Doctrina *de veritatibus revelatis,* sive de mysteriis, sive de illis quae in rebus divinis per se rationi impervia non sunt, convenienter ponitur post n. 5 de Fide. Plures observationes de his quaestionibus propositae sunt: E/223; 226; 301; 349; 2230. Quapropter nova redactio pressius et modo positivo conatur sequi Conc. Vat. I, ut proponunt E/2166 et 2230. Unde describitur proprium revelationis obiectum, secundum Conc. Vat. I, ut *Deus ipse* et *consilium Eius salutare.* Verba *quae... superant,* ex eodem fonte desumpta, inseruntur ut appareat disiunctio a sequentibus.

(B) Hic duo affirmantur, nempe: *Deum naturali ratione cognosci posse*; quod expressius quam in textu priori enuntiatur, ut voluerunt E/218; 252; 2200. Deinde revelationi tribuendum esse ut homo lapsus de facto *cognitionem universalem, firmam et rectam* de rebus religiosis habeat. Neque intratur in systematicam explicationem de necessitate morali revelationis, de qua loqui vellet E/266.

Omissa est ex textu priori, linn. 17-20, sententia de principiis *ad vitam temporalem ducendam*; quae materia potius pertinet ad aliud Schema, nempe XIII (olim XVII).

Caput II (olim I)

5]
DE DIVINAE REVELATIONIS TRANSMISSIONE

Textus prior

7. [*Apostoli praedicatores Evangelii*]. Christus Dominus mandatum dedit Apostolis, ut Evangelium suum, id est ea quae per totam suam vitam fecerat et docuerat, tamquam fon-

Textus emendatus

7. [Apostoli *eorumque successores, praecones* (A) Evangelii]. *Quae Deus ad salutem cunctarum gentium revelaverat, eadem benignissime disposuit ut in aevum integra perma-*

Textus prior

tem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae praedicarent. Quod quidem Apostoli fecerunt cum per scripta Spiritu Sancto inspirata, cum oretenus tradendo ea, quae ex ipso Christi ore vel a Spiritu Sancto dictante acceperant. Hoc autem verbum Dei, scriptum vel traditum, unum Depositum Fidei constituit, ex quo Ecclesiae Magisterium haurit ea omnia, quae fide divina tamquam divinitus revelata credenda proponit.

Textus emendatus

nerent omnibusque generationibus transmitterentur (B). *Ideo* Christus Dominus, *in quo summi Dei tota revelatio consummatur* (cf. *2 Cor.* 1, 20; 3, 16-4, 6) (C), mandatum dedit Apostolis ut Evangelium, *quod promissum ante per prophetas Ipse adimplevit et proprio ore promulgavit* (D), tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omnibus praedicarent (1), *eis dona divina communicantes* (E). Quod quidem *fideliter factum est, tum ab Apostolis, qui in praedicatione orali, exemplis et institutionibus ea tradiderunt quae sive ex ore, conversatione et operibus Christi* acceperant, sive a Spiritu Sancto *suggerente didicerant, tum ab ipsis virisque apostolicis, qui peculiari charismate ditati, sub inspiratione eiusdem Spiritus Sancti, nuntium salutis scriptis mandaverunt* (2) (F).

Ut autem Evangelium integrum et vivum iugiter in Ecclesia servaretur, Apostoli successores relinquerunt Episcopos, ipsis « suum ipsorum locum magisterii tradentes » (3) (G). *Sacra igitur Traditio et Sacra Scriptura veluti speculum sunt in quo Ecclesia in terris peregrinans contemplatur Deum, a quo omnia accipit, usquedum ad Eum videndum facie ad faciem sicuti est perducatur* (cf. *1 Cor.* 13, 12) (H).

8. (numerus novus). [*De Sacra Traditione*] (A). Itaque praedicatio apostolica, quae in inspiratis libris speciali modo exprimitur (B), continua successione usque ad consummationem temporum conservari debebat (C). Unde Apostoli, dum fideles instruunt, tradendo eis quod et ipsi acceperunt (cf. *1 Cor.* 11, 23), eosdem simul traditae sanctis fidei supercertari deprecantur (cf. *Iud.* 3), traditionesque quas, sive per sermonem sive per epistulam didicerunt, tenere iubent (cf. *2 Thess.* 2, 15) (4) (D). Quod vero ab Apostolis traditum est, ea omnia complectitur quae ad Populi Dei vitam sancte ducendam fidemque augendam conferunt (E), sicque Ecclesia, in sua doctrina, vita et cultu (F), omne **[16]**

[16] illud perpetuat cunctisque generationibus transmittit quod ipsa est, omne quod habet, omne quod credit (G).

Viva haec Traditio in Ecclesia sub assistentia Spiritus Sancti proficit (5). Crescit enim tam rerum quam verborum traditorum intelligentia, tum ex contemplatione credentium, qui ea conferunt in corde suo (cf. *Lc.* 2, 19 et 51), tum ex intima spiritualium rerum experientia (H). Ecclesia scilicet, volventibus saeculis, mulierem illam evangelicam imitatur, quae abscondit fermentum in farinae satis tribus, donec fermentatum est totum (cf. *Mt.* 13, 33; *Lc.* 13, 21) (I). Sanctorum Patrum dicta huius Traditionis vivificam testificantur praesentiam (K), cuius divitiae in praxim vitamque credentis et orantis Ecclesiae transfunduntur (L). Per eandem Traditionem et ipsae Sacrae Litterae absoluta certitudine Ecclesiae innotescunt in eaque indesinenter actuosae redduntur (M); sicque Deus, qui olim locutus est, sine intermissione cum dilecti Filii sui Sponsa colloquitur (N), et Spiritus Sanctus, qui vivam vocem Evangelii in Ecclesia, et per ipsam in mundo resonare facit, credentes in omnem veritatem inducit (cf. *Io.* 16, 13), verbumque Christi in eis abundanter inhabitare facit (cf. *Col.* 3, 16) (O).

Textus prior

8. [*S. Scripturae et S. Traditionis mutua relatio*]. S. Scriptura ergo et S. Traditio ita mutuo se habent, ut altera alteri extranea non sit. Imo arcte inter se connectuntur atque communicant. Nam ambae ex eadem scaturigine promanantes, in unum quodammodo coalescunt et in eumdem finem tendunt. Quapropter utraque pari pietatis affectu ac reverentia suscipienda ac veneranda est.

7]

9. [*Utriusque relatio ad S. Magisterium*]. At S. Scriptura ac S. Traditio, uti sacrum verbi Dei depositum, non singulis hominibus, sed vivo et infallibili Ecclesiae Magisterio concreditum

Textus emendatus

9. (olim n. 8). [*S. Traditionis et S. Scripturae mutua relatio*]. S. Traditio et S. Scriptura arcte inter se connectuntur atque communicant (A). Nam ambae, ex eadem *divina* (B) scaturigine promanantes, in unum quodammodo coalescunt et in eundem finem tendunt. *Etenim S. Scriptura est locutio Dei quatenus divino afflante Spiritu scripto consignata, S. Traditio autem mens, doctrina, exempla et mandata Christi per Apostolorum eorumque successorum praeconium, assistente Spiritu Sancto,* fideliter transmissa (C). Quapropter utraque pari pietatis affectu ac reverentia suscipienda *et* veneranda est (6) (D).

10. (olim nn. 9-10) (A). [*Utriusque relatio ad* totam Ecclesiam *et Magisterium*] (B). *S. Traditio et S. Scriptura unum verbi Dei sacrum depositum constituunt, Ecclesiae com-*

Textus prior

est; quod quidem Magisterium non supra verbum Dei est, sed eidem ministrat, quatenus illud, ex divino mandato et Spiritu Sancto assistente, tuetur et authentice interpretatur, illustrando et etiam enucleando quae in una vel altera Depositi parte implicite et obscure continentur. Exinde regula fidei proxima quidem est Ecclesiae Magisterium, remota vero Sacrum Depositum.

10. [*Conclusio*]. Patet igitur S. Scripturam, S. Traditionem ac Ecclesiae Magisterium, iuxta sapientissimum Dei consilium, ita inter se internecti et consociari, ut unum sine aliis consistere non possit. Tria simul ad animarum salutem suo modo efficaciter conferunt; sensu quoque fidelium subordinate concurrente.

Textus emendatus

missum, cui inhaerens tota plebs sancta sacerdotibus suis adunata in doctrina Apostolorum et communione, in fractione panis et orationibus iugiter perseverat (cf. *Act.* 2, 42 gr.), *ita ut in tradita fide tenenda, exercenda profitendaque singularis fiat antistitum et fidelium conspiratio* (7) (C).

Munus autem verbum Dei scriptum vel traditum authentice interpretandi soli (D) vivo et infallibili Ecclesiae Magisterio concreditum est (8), *per quod suprema auctoritas in uno nomine Iesu Christi et in una Eius Ecclesia est constituta* (E). Quod quidem Magisterium non supra verbum Dei est, sed eidem ministrat, *docens nonnisi quod traditum est* (F), quatenus illud, ex divino mandato et Spiritu Sancto assistente, *sancte custodit et fideliter exponit* (G), *ac ea omnia ex hoc uno fidei deposito haurit quae tamquam divinitus revelata credenda proponit* (H). Patet igitur S. Traditionem, S. Scripturam et Ecclesiae Magisterium, iuxta sapientissimum Dei consilium, ita inter se connecti et consociari, ut unum sine aliis non *consistat* (I), *omniaque* simul, *singula* suo modo ad animarum salutem efficaciter confer*a*nt (J).

NOTAE

Caput II (olim I) - *De divinae Revelationis transmissione*

Ad n. 7.

(1) Cf. Conc. Trid., Sess. IV, decr. *De canonicis Scripturis*: Denz. 783 (1501).

(2) Cf. Conc. Trid., *l. c.*; Conc. Vat. I, Sess. III, *Const. dogm. de fide catholica,* cap. 2: Denz. 1787 (3006).

(3) S. Irenaeus, *Adv. Haer.* III, 3, 1: *PG* 7, 848; Harvey, 2, p. 9.

Ad n. 8.

(4) Cf. Conc. Constant. IV, Sess. X, can. 1: Denz. 336.

[18] (5) Cf. CONC. VAT. I, *Const. dogm. de fide catholica,* c. 4: DENZ. 1800 (3020).

Ad n. 9.

(6) Cf. CONC. TRID., *l. c.* ad n. 7.

Ad n. 10.

(7) Cf. PIUS XII, Const. Apost. *Munificentissimus Deus,* 1 nov. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), 756.

(8) Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani Generis,* 12 aug. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), 569; DENZ. 2314 (3886).

[19]

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS

ANIMADVERSIO PRAEVIA

Caput I Schematis, quod nunc factum est Caput II, obiectum praecipuum fuerat Animadversionum Patrum. Quae quidem animadversiones in unum conveniebant desiderium, nempe, ut longior et profundior fieret de Traditione expositio, qua magis ipsius extolleretur momentum.

Hoc autem Traditionis momentum diversa ratione a Patribus intenditur. Maior enim eorum pars postulat: ut Traditioni prior locus assignetur relate ad S. Scripturam, cum hanc re et tempore praecedat; ut eidem peculiare caput vel saltem distincta paragraphus reservetur; ut ipsa denique non veluti mere verbalis, at etiam ut realis et viva describatur, in vita Ecclesiae inscripta et operans. Alii vero insuper vellent explicitam affirmationem: Traditionem fontem divinae revelationis a S. Scriptura adaequate distinctum exstare, eo nempe sensu quod quaedam veritates divinitus revelatae per ipsam transmittantur, quae nullo modo in S. Scriptura contineantur.

Hisce prae oculis habitis, censuit Subcommissio iis tantum postulatis attendere, quorum obiectum *in pacifica possessione* videbantur; ab illis e contra abstinere quae *vexatam quaestionem* de contento obiectivo Traditionis comparative ad Scripturam denuo excitarent. Propterea omnia et singula novi textus verba sedulo ponderata sunt, hoc praesertim intuitu: ne ulla duarum sententiarum alteram superaret, nec ulla tamquam suffocata exinde haberetur.

Ita agendo, Subcommissio persuasum habet se aliquale Patribus praestitisse servitium. Textus concorditer apparatus a Commissione doctrinali plenaria approbatus fuit, non tamen consensu unanimi ad *vexatam* quod spectat *quaestionem.*

De titulo [19]

Cap. I « De verbo Dei revelato » Schematis prioris factum est Cap. II et inscriptum « *De divinae revelationis transmissione* », secundum E/350 et E/2206.

Quae quidem transmissio in genere hic describitur, peculiari tamen ratione habita de viva Traditione, quippe quae immediate cum ipsa revelatione transmittenda coniungatur, ac etiam post sacrorum librorum scriptionem perseveret. Sic autem obtinetur congrua introductio ad capita sequentia de S. Scriptura.

Relatio de n. 7 [20]

(A) Addita sunt verba *eorumque successores* ad indicandam continuitatem sive actus tradendi sive rei transmissae. Munus autem, sive Apostolorum sive Episcoporum, melius quam per vocem *praedicatores* exprimi videtur per vocem *praecones,* utpote magis usitatam in antiqua litteratura christiana (cf. B. Reynders, *Lexique comparé... de saint Irénée,* II, Louvain 1954, 247).

(B) *Obiectum totius capitis* praenuntiatur, per affirmationem quod voluntas Dei est, ut revelatio ab Ipso facta integra permaneat atque transmittatur. Quam divinam voluntatem Christus significavit, cum mandatum de hoc Apostolis dedit (cf. E/2206).

(C) Per verba « *tota* revelatio » indicatur munus a Domino Apostolis concreditum ad omnia revelata extendi, *sive Novi sive Veteris* Testamenti (cf. E/223; E/446).

(D) Haec verba, quae illis Conc. Trid. adamussim consonant, iterum ostendunt *integram revelationem* commissam esse Apostolis transmittendam (cf. E/223; E/2200; E/2230).

(E) Apostoli, ea tradendo quae divinitus acceperant vel didicerant, non tantum doctrinam, sed etiam *omnia bona spiritualia* communicant (cf. E/391, 2, in *Animadv.* dact., p. 101; E/414).

(F) Mandatum Christi praedicandi Evangelium duplici modo ab Apostolis adimpletum est:

a) *per praedicationem oralem,* ita tamen intellectam, ut non verba tantum, sed etiam exempla et institutiones comprehendat, scilicet illa omnia quae ex ore Christi vel ex conversatione et operibus Ipsius cognoverant. Pariter ea quae ab actione Spiritus Sancti proveniunt, indicationes mere verbales praetergrediuntur (cf. E/325; E/391, 5 in *Animadv.* dact., p. 107; E/2207; E/426; E/490; E/2230; E/2396). Propterea, loco *dictante,* ponitur *suggerente* (cf. E/265; E/296; E/414; E/2166; E/2207; E/2230).

[20] b) *Per scriptionem librorum sacrorum*; quae tamen scriptio, ut ratio de realitate historica habeatur, non solis Apostolis, sed etiam viris apostolicis tribuitur (cf. E/223; E/350; E/391; E/414; E/2166; E/2200; E/2480).

c) In istis duobus modis transmissionis divinae revelationis recensendis *invertitur ordo* Conc. Trid. Itaque primo loco agitur de praedicatione, et secundo loco de scriptione librorum sacrorum; Traditio enim non scripta S. Scripturam praecessit (cf. E/214; E/218; E/223; E/229; E/327; E/350; E/391; E/414; E/447; E/2046; E/2200; E/2230; E/2389: 2).

(G) Hac periodo introducitur altera pars huius numeri, iam in ipsius titulo praenuntiata, de munere successorum Apostolorum, videl. Episcoporum, quia omnia *transmittunt* quae et ipsi ab Apostolis ac-
[21] ceperunt, sive per praedicationem sive per ipsam S. Scripturam, sua vice utramque in perpetuum tradentes.

(H) Momentum extollitur Traditionis et Scripturae *in Ecclesia.* Per eas enim Ecclesia contemplari Deum valet iuxta mensuram praesentis vitae statui consentaneam, quae introductio et veluti initium est perfectae visionis eschatologicae. Illa contemplatio non exhauritur in mera cognitione intellectuali fere platonica, sed totam afficit vitam; ideo adiungitur quod Ecclesia a Deo *omnia accipit*; in quibus subintelliguntur omnia officia erga ipsum exinde derivantia (cf. E/2206).

Verba textus prioris lineis 10-14 omittuntur, quia materia ad sequentes pertinet numeros, nominatim ad n. 10, ubi de relatione Traditionis et Scripturae ad totam Ecclesiam et ad Magisterium.

RELATIO DE N. 8: NUM. NOVUS

(A) Hic numerus, *ex integro novus,* ad id exaratus est, ut Patribus fieret satis, qui ampliorem de Traditione expositionem postulant, sicut supra in Animadversione praevia indicatum est.

(B) Ad praecavendam quaestionem de sufficientia materiali S. Scripturae, et insimul ad affirmandam praecellentiam ipsius, utpote non tantum verbum Dei contineat sed sit verbum Dei, dicitur simpliciter quod praedicatio apostolica in libris inspiratis *speciali modo* exprimitur. Qui specialis modus ex titulo *inspirationis* provenit. Affirmatur ergo expressio qualitativa, quaestione seposita de expressione quantitativa.

(C) Formula introducitur, ipsis fere verbis Conc. Trid. exstructa: cf. DENZ. 783 (1501), ad aliquam praebendam *syntheticam Traditionis descriptionem,* quae ulterius deinde amplificatur (cf. E/458).

(D) Ad indicandum per continuam successionem *aliud non fieri nisi quod ab Apostolis factum est,* generali modo ipsius praedicationis apostolicae indoles describitur, quae sive per scripta ab eisdem exarata sive per praecepta cuiusque generis alio modo data manifestatur. [21]

Ne autem ex testibus allatis, nominatim ex *2 Thess.* 2, 15, aliqua fiat apodictica inductio in favorem illius sententiae quae tenet quasdam veritates divinitus revelatas in una Traditione contineri, ponitur in nota allegatio relativa ad textum illum a Concilio Constant. IV facta (cf. E/2206).

(E) Veluti explicando verba Trid. in n. 7 relata, quae Evangelium fontem appellant omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae, dicitur praedicatio apostolica, quae illud Evangelium ut obiectum habet, *ad omnia extendi quae mores et fidem quocumque modo spectent.*

(F) Denuo statuitur relationem Traditionis ad fidem et mores fieri non tantum verbis, sed etiam *institutionibus, cultu, ritibus, etc.* Unde Traditio non solum verbalis, sed etiam realis ostenditur.

(G) Tamquam consectarium eorum quae antea dicta sunt, affirmatur per Traditionem perpetuari non tantum doctrinam, sed *integram Ecclesiae vitam.* [22]

(H) Postquam Traditionis affirmatus est ambitus, eiusdem affirmatur nunc *aspectus dynamicus,* ratione cuius totus ille ambitus ut aliquid vivum ostenditur. Exinde fit ut Ecclesia indesinenter divina impulsione sub assistentia Spiritus Sancti proficiat et crescat, semper tamen originaria identitate retenta: cf. CONC. VAT. I: DENZ. 1800 (3020). Qui quidem profectus evenit iuxta mensuram qua depositi traditi significatio et profunditas attingitur: cf. CONC. VAT. I: DENZ. 1796 (3016).

(I) Ob illam Traditionis vim dynamicam, Ecclesia tota animatur et quodammodo Traditionem portat ab eaque simul portatur. Quare iure *mulieri evangelicae assimilatur,* quae fermentum abscondit in massa farinae, expectans donec tota fermentetur. Expectatio autem Ecclesiae non est passiva; nam et ipsa est massa farinae, quae ideo fermenti experitur actionem (cf. E/296; E/2206, n. 26).

(K) Praesentia illius viventis et operantis Traditionis *in scriptis SS. Patrum* manifestatur, qui ideo tamquam Traditionis testes considerandi sunt. Haec autem eorum qualificatio fundatur non tantum in ipsorum maiore propinquitate ad aetatem apostolicam, quantum potius in systematisatione ab eisdem facta acceptae revelationis, ratione cuius fidei doctrina eodem sensu eademque sententia ad nos usque transmissa est (cf. PIUS X, Iusiurandum contra errores modernismi: DENZ. 2145 [3541]).

Eadem de causa nemini licet contra unanimem sensum Patrum ipsam Scripturam interpretari: cf. CONC. VAT. I: DENZ. 1788 (3007),

[22] nam quotiescumque testimonium aliquod biblicum uno eodemque modo explicant omnes Patres, eorum auctoritas summa est: cf. Leo XIII, Encycl. *Providentissimus Deus*: Denz. 1944 (3284).

(L) Allusio fit ad Ecclesiae instituta in genere, et in specie *ad liturgiam*; haec etenim, quatenus gestis et verbis exprimitur, testimonium constituit privilegiatum vivae Traditionis, ita ut « on trouverait difficilement une vérité de foi chrétienne, qui ne soit exprimée en quelque manière dans la liturgie » (Pius XII, Alloc. *Vous Nous avez demandé,* 22 sept. 1956: *A.A.S.,* 48 [1956], p. 713): cf. E/391, 2 (*Animadv.* dact., p. 101); E/414; E/458; E/2206, n. 25.

(M) Momentum extollitur quod in vita Ecclesiae habet Traditio respectu ad S. Scripturam. Quod momentum duplici affirmatione significatur:

a) per vivam Traditionem Ecclesia *sacros libros absoluta certitudine* valet cognoscere; quod quidem ab omnibus admittitur, etiam ab illis qui sufficientiam materialem in genere propugnant;

b) per vivam Traditionem Ecclesia *exactissimum sensum Scripturae* cognoscere valet, unde nulla Scripturae interpretatio recta existi-
[23] manda est quae cum sensu Ecclesiae non concordet. Exinde fit ut S. Scriptura non sit documentum tantum alicuius temporis, sed *omnibus aetatibus* coaevum (cf. E/296; E/2207; E/2206, n. 26). Exinde ipsi sacri libri *indesinenter in Ecclesia actuosi redduntur.*

(N) Per Scripturam, sub luce Traditionis interpretatam, *colloquium* instituitur *permanens* inter Deum et Ecclesiam, cum consequente responsione ex parte Ecclesiae ad omnia quae Deus ita eidem communicat (cf. E/313; E/2206, n. 26).

(O) Momentum effertur Spiritus Sancti pro viva Traditione. Per ipsum *totius Evangelii viva vox resonat in Ecclesia,* quae ideo in omnem promissam veritatem inducitur ac plenitudinem verbi Christi assequitur (cf. E/296; E/391, 5 [*Animadv.* dact., p. 107]; E/2206, n. 26).

Ita tamen procedit sententia, ut sedulo quaestio vitetur utrum illa plenitudo veritatis, quam per vivam Traditionem assequimur, contentum obiectivum S. Scripturae excedat.

Relatio de n. 9, olim n. 8

(A) Mutua relatio inter Traditionem et Scripturam modo magis generico stabilitur. Unde omittuntur verba textus prioris « ut altera alteri extranea non sit » (linea 31), quia videntur saporem habere polemicum, vel etiam intelligi possent in favorem illius sententiae quae tenet nihil haberi in Traditione quod in Scriptura non sit quomodocumque contentum (cf. E/326; E/337; E/2046; E/2206, n. 27).

(B) Scaturigo, a qua Traditio et Scriptura dicuntur promanare, qualificatur tamquam *divina,* hoc potissimum intuitu, ne Traditio intelligi possit originis esse mere ecclesiasticae. [23]

(C) Hac periodo, ex integro nova, *ratio datur praecedentis affirmationis* de arcto vinculo, sive quoad originem sive quoad finem, quo Traditio et Scriptura inter se connectuntur. Per utraque enim eadem divina revelatio transmittitur, iterum praescindendo a quaestione utrum omnia et singula quae per eas diverso modo transmittuntur eadem etiam sint in realitate obiectiva (cf. E/2396).

(D) Loco vocis *ac,* ponitur *et,* ut habetur in textu Trid., ne bis repetatur « ac ».

Relatio de n. 10, olim nn. 9-10

(A) *Unificantur nn. 9-10* textus prioris, quia de eadem re utrobique agitur. Ob eamdem rationem transfertur huc ultima periodus n. 7, linn. 10-14. Cf. not. (H) ad n. 7.

(B) Adduntur verba *totam Ecclesiam et,* quia sermo fiet de relatione Traditionis et Scripturae non tantum ad Magisterium, uti habebatur in textu priori, sed suo modo etiam ad totam Ecclesiam.

(C) Hac periodo, ex integro nova, statuitur relatio unius depositi [24]
revelati, quod Traditione et Scriptura constituitur (uti dicebatur in textu priori, n. 7, linn. 10-14) ad totam Ecclesiam, quae *simplices fideles simul ac hierarchiam* complectitur. Hoc autem fidei depositum intelligendum est Ecclesiae esse commissum, non ut authentice illud interpretetur (quod ad solum magisterium spectat), sed ut ipsa de eodem vivat, ac ita vivendo Ecclesia cuiusque aetatis Ecclesiam apostolicam fideliter imitetur (cf. E/350; E/353, 2 [*Animadv.* dact., p. 96]; E/391, 4 [*Ibid.,* p. 104 s.]; E/391, 5 [*Ibid.,* p. 107 ss.]; E/414; E/458; E/511; E/2200; E/2230; E/2480; E/2481).

(D) Fit nova alinea, et verba ita disponuntur ut *munus* statim appareat *magisterii exclusivum,* authentice nempe interpretandi depositum revelatum, quod verbis designatur « verbum Dei scriptum vel traditum », quae resumuntur ex textu priori n. 7, linn. 10-11.

(E) *Datur ratio* cur interpretatio authentica depositi revelati soli magisterio competat. Magisterium enim ut suprema auctoritas, nonnisi nomine Christi exercenda, in Ecclesiae divinitus est constitutum (cf. E/2206, n. 28).

(F) Illa verba inseruntur, ut et fratres seiuncti statim videant magisterium in Ecclesia catholica nullatenus ut *dominum,* sed ut *ministrum* verbi Dei considerari, quippe quod suum sit illud interpretari, nihil addendo vel subtrahendo.

[24] (G) Munus magisterii relate ad depositum revelatum verbis designatur simplicioribus *sancte custodit et fideliter exponit,* ut habetur in CONC. VAT. I: DENZ. 1836 (3069) (cf. E/2230).

Tres praeterea sunt adnotandae *omissiones*:

a) Omittuntur verba textus prioris: *illustrando et etiam enucleando... et obscure continentur* (n. 9, lineis 10-13), quippe quae terminologiam scholasticam nimis sapiant et ab intento proposito non parum exulent.

b) Omittuntur speciatim verba: *in una vel altera parte depositi* (n. 9, linn. 11-12), quae a multis Patribus increpantur ac si quaestionem de duplici fonte denuo excitent et ad terminologiam « partim... partim », a Conc. Trid. exclusam, redeant (cf. E/295; E/296; E/301; E/313; E/325; E/326; E/353, 2 [*Animadv.* dact., p. 96]; E/414; E/469; E/2166; E/2230; E/2396; E/2480).

c) Omittitur denique integra ultima periodus: « Exinde *regula fidei proxima* quidem est Ecclesiae magisterium, remota vero sacrum depositum » (n. 9, linn. 13-15). Quod enim per eamdem affirmatur videtur esse extra contextum; terminologia autem adhibita primo ictu non videtur rei exprimendae omni ex parte consentanea (cf. E/296; E/391, 4 [*Animadv.* dact., p. 104]; E/391, 5 [*Ibid.*, p. 110]; E/433; E/447; E/511; E/458; E/2207; E/2230; E/2396).

(H) Haec verba, quae proveniunt ex textu priori, n. 7, linn. 12-14,
[25] hic suo proprio loco ponuntur, cum relationem magisterii ad depositum revelatum, de qua agitur, aperte indicent: *omnia ex eo haurit.*

(I) Loco « consistere non possit », dicitur *non consistat,* ut quaestio facti potius consideretur quam quaestio iuris. Per se enim, absolute loquendo, Traditio, Scriptura et Magisterium unum sine aliis consistere posset; reapse Traditio et Magisterium existebant antequam Scriptura in sua integritate existeret.

(J) Haec sententia, quae in textu priori propria periodo exprimebatur (n. 10 linn. 29-31), cum praecedenti coniungitur, ad clariorem idearum nexum servandum. Quare, loco « Tria simul », ponitur *omniaque simul,* addito etiam verbo « singula », uti recta latinitas exigit.

Omittuntur autem ultima verba: *sensu quoque fidelium subordinate concurrente,* quae diversimode a quattuor conferentiis Episcopalibus et a nonnullis aliis Patribus improbantur, cf. E/223; E/301; E/305; E/325; E/414; E/426; E/458; E/511; E/2481. De cetero illa verba *inutilia* redduntur post additam primam periodum, ubi, cum affirmetur depositum revelatum toti Ecclesiae esse commissum, eo ipso de momento sensus fidelium ex professo dicitur; cui praeterea integra dedicatur paragraphus in Schemate *De Ecclesia,* n. 12, p. 13, linn. 6-20.

CAPUT III (olim II)

DE SACRAE SCRIPTURAE DIVINA INSPIRATIONE ET INTERPRETATIONE (A)

Textus prior

11. [*Statuitur factum inspirationis et inerrantiae S. Scripturae*]. Divina Revelatio, afflante divino Spiritu litteris consignata, in Sacra Scriptura continetur et prostat. Quae Scriptura, ex apostolica fide, «divinitus inspirata» (*2 Tim.* 3, 16) creditur, quia nimirum Deum habet principalem auctorem. Deus autem, hominibus ad id delectis, qui hagiographi vocantur, tamquam vivis instrumentis, omnibus nempe humanis facultatibus praeditis, usus est, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, universis hominibus scripto traderent.

Cum ergo totius Scripturae Deus principalis auctor affirmetur et sit, inde totam Scripturam divinitus inspiratam ab omni prorsus errore immunem esse consequitur.

12. [*Quomodo S. Scriptura sit interpretanda*]. Cum autem Deus per homines scripserit, hac de causa, ut pateat quamnam veritatem nobis communicare voluerit, interpres Sacrae Scripturae attente investigare debet quid reapse hagiographus significare intenderit. Aliter enim veritas in textu historico et aliter in textu didactico, prophetico, poetico, allegorico aut parabolico proponitur et exprimitur.

Quod autem ad singula spectat, modus veritatem attingendi diiudicetur oportet ex sensu quem in determinatis adiunctis, pro sui temporis

Textus emendatus

11. [*Statuitur factum inspirationis et inerrantiae S. Scripturae*]. Divini*tus* revelat*a* (B), quae afflante Spiritu *Sancto* (C) litteris consignata *sunt,* in Sacra Scriptura contine*n*tur et prostan*t*. *Libros* (D) *enim tam Veteris quam Novi Testamenti sancta Mater Ecclesia,* ex apostolica fide (cf. *Io.* 20, 31; *2 Tim.* 3, 16; *2 Petr.* 3, 15-16) (E), *pro sacris et canonicis habet propterea quod, Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt. In sacris vero libris conficiendis Deus homines elegit, quos omnibus facultatibus ac viribus suis utentes adhibuit* (1), *ut Ipso in illis et per illos agente* (2), ea omnia eaque sola, quae Ipse *vellet* (F), scripto traderent (3). Cum ergo *omne id, quod auctor inspiratus seu hagiographus* (G) *asserit, retineri debeat assertum a Spiritu Sancto, inde Scripturae libri integri cum omnibus suis partibus* (4) *veritatem sine ullo errore docere profitendi sunt* (5) (H).

12. [*Quomodo S. Scriptura sit interpretanda*]. Cum autem Deus *in Sacra Scriptura* per homines *more hominum locutus sit* (6) (A), interpres Sacrae Scripturae, ut perspiciat, quamnam veritatem Ipse nobis communicare voluerit, attente investigare debet (B), quid hagiographi reapse significare intenderi*nt* (C) *et eorum verbis manifestare Deo placuerit* (D).

Ad hagiographorum intentionem eruendam inter alia etiam « genera literaria » respicienda sunt. Aliter enim veritas in text*ibus vario modo* historic*is,* prophetic*is,* poetic*is, vel aliis di-*

Textus prior

condicione, exprimere intendit et expressit hagiographus. Veritas ergo, seu id quod sacer auctor scribens significare voluit, non recte intelligitur nisi rite attendatur ad suetos illos nativos cogitandi, dicendi narrandive modos, qui temporibus hagiographi vigebant, quique tunc in mutuo hominum commercio passim adhiberi solebant.

Cum igitur haec omnia, salva Scripturae Sacrae auctoritate et sanctitate, in divino eloquio, quod pro hominibus modis verbisque humanis exprimitur, inveniantur, non magis erroris eadem argui debent, quam cum paria aut similia in quotidiano usu haberentur, immo habeantur, proindeque auctoritati et sanctitati Scripturae minime officiunt. Cuncta autem haec, de ratione interpretandi Scripturam, ad normam hermeneuticae rationalis et catholicae, Ecclesiae iudicio ultime subsunt.

[Vide n. 19, ubi de exegesi catholica].

13. [*Dei condescensio*]. Quae omnia, salva semper Dei veritate et sanctitate, manifestam statuunt aeternae Sapientiae admirabilem « condescensionem », qua Dei verba humanis linguis expressa, quoad omnia humano sermoni assimilia facta sunt, sicut olim Unigenitum Patris Verbum, humanae infirmitatis assumpta carne, hominibus quoad omnia simile factum est, « absque peccato » (*Hebr.* 4, 15).

Textus emendatus

cendi generibus proponitur et exprimitur (E). Oportet *porro* ut interpres sensum inquirat, quem in determinatis adiunctis hagiographus, pro sui temporis condicione, exprimere intenderit et expresserit (7). Veritas enim seu id quod sacer auctor *scripto* (F) significare voluit, non recte intelligitur, nisi rite attendatur ad suetos illos nativos cogitandi, dicendi, narrandive modos, qui temporibus hagiographi vigebant, quique tunc mutuo hominum commercio passim adhiberi solebant (8). Cum haec omnia in divino eloquio, quod pro hominibus modis verbisque humanis exprimitur (9), inveniantur, non magis erroris eadem argui debent quam cum paria aut similia in quotidiano usu *habita sint* (G), immo habeantur, proindeque auctoritati et sanctitati Scripturae minime officiunt.

Sed ad recte sacrorum textuum significationem eruendam, respiciendum est etiam ad contentum totius Scripturae, in viva Ecclesiae traditione, sub analogia fidei. Exegetarum autem est secundum has regulas adlaborare ad Sacrae Scripturae locos penitius intelligendos, ut, quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur (I). Cuncta *enim* haec, de ratione interpretandi Scripturam (H), Ecclesiae iudicio ultime subsunt, *quae verbi Dei servandi et interpretandi divino fungitur mandato et ministerio* (10) (K).

13. [*Dei condescensio*]. Quae omnia, salva semper Dei veritate et sanctitate, manifestam statuunt aeternae sapientiae admirabilem « condescensionem », qua Dei verba humanis linguis expressa, quoad omnia humano sermoni assimilia facta sunt, sicut olim *Aeterni* (A) Patris Verbum, humanae infirmitatis assumpta carne, hominibus quoad omnia simile factum est (B).

NOTAE [29]

Caput III (olim II) - *De Sacrae Scripturae divina inspiratione et interpretatione*

Ad n. 11.

(1) Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Divino afflante Spiritu,* 30 sept. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 314, *Enchir. Bibl.* (EB) 556.

(2) *In* et *per* hominem: cf. *Heb.* 1, 1 et 4, 7 (*in*): *2 Sam.* 23, 2; *Mt.* 1, 22 et passim (*per*); Conc. Vat. I: *Schema de doctr. cath.,* nota 9: Coll. Lac. VII, 522.

(3) Leo XIII, Epist. Encycl. *Providentissimus Deus,* 18 nov. 1893: Denz. 1952 (3293); *EB* 125.

(4) Cf. *Comm. Bibl.,* Decr. 18 iun. 1915: Denz. 2180 (3629); *EB* 420; S. S. C. S. Officii, Epist. 22 dec. 1923: *EB* 499.

(5) Leo XIII, *Providentissimus,* l. c.: *EB* 124; Pius XII, *Divino afflante,* l. c.: *EB* 539.

Ad n. 12.

(6) S. Augustinus, *De Civ. Dei,* XVII, 6, 2: *PL* 41, 537; CC s. l. XLVIII, p. 567, 58-59.

(7) S. Augustinus, *De Doctr. Christ.,* III, 18, 26: *PL* 34, 75-76.

(8) Pius XII, *l. c.,* Denz. 2294 (3829-3830); *EB* 558-562.

(9) Cf. *Pont. Comm. Bibl.,* Epist., 16 ian. 1948: Denz. 2302 (3863-64); *EB* 581.

(10) Cf. Conc. Vat. I, Const. *de Revelatione*: Denz. 1788 (3007).

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS [30]

Relatio de n. 11

(A) E/223 mentionem *inerrantiae in titulo* postulavit, quae autem necessaria non videtur, quia inerrantia ex inspiratione consequitur. E/558 suggessit aliam capitis structuram. Cum autem rem tractare in capite I et II provisum sit, cumque structura textus in quantum possibile non sit mutanda, propositio non accipitur.

Ratio habetur propositionis E/314, qui linguam nobiliorem postulat; E/257, qui nimis arctas definitiones arcere intendit, et E/490.

(B) Haec formula, scilicet *revelata,* loco « Revelationis », electa est ex diversis Episcoporum ad hanc rem propositionibus, E/214; E/218; E/605; E/223; E/414; E/2255; E/240, ne dirimatur quaestio disputata de habitudine inter S. Scripturam et Traditionem.

(C) Loco « Divino Spiritu » dicitur « Spiritu *Sancto* », ut evitetur repetitio vocabuli « Divinum » in eadem linea.

[30] (D) Loco textus prioris, linn. 4-19, ponitur textus E/2230 cum paucis modificationibus infra describendis. Hoc enim textu diversis desideriis satisfit: E/2166; E/223; E/458; E/2396; E/414; E/285; E/313; E/443; E/229.

(E) Bonum videbatur ex antiquo textu illa verba *ex apostolica fide* recipere, ut origo apostolica doctrinae de inspiratione Scripturae exprimeretur. Additur referentia ad *2 Petr.* 3, 15-16.

(F) Loco *iuberet* ponitur *vellet,* postulantibus E/313; E/443; E/2396; E/414; E/885.

(G) Quia videbatur verbum *hagiographus* sat inusitatum, utile visum est verbum explicativum addere similiter ac factum erat in textu priori, linn. 7-8.

(H) Textus propositus ab E/2396, quoad substantiam acceptus est, quia solutionem mediam praebet inter propositiones sibi invicem oppositas: ex una parte: E/223; E/469; ex altera parte E/414; E/433; E/285. Loco autem *docere* ponitur: *exhibere.*

Relatio de n. 12

(A) E/223 desideravit allusionem ad S. Augustinum, *Civ. Dei,* XVII, 6, 2, quam verbotenus dedimus addendo verba « in S. Scriptura », ut connexio cum sequentibus servaretur. Cf. etiam E/2230.

(B) E/414 aliique desiderabant, ut hic insereretur textus ex litteris
[31] encycl. *Divino afflante Spiritu* assumptus, et deinde textus prior inde a lin. 4 usque ad lin. 24 deleretur. Similiter E/458. Eorum ratio est, quod hic textus sit superfluus, immo ex parte ad Concilium non pertinens.

Quia autem res minime superflua esse videtur et textus prior, inquantum fieri potest servari debet, hoc desiderium non acceptum est. Claritatis causa, constructio phraseos paululum immutata est.

(C) Quia existunt libri S. Scripturae, ad quos *plures auctores* contulerunt, accepta est suggestio E/2230, de adhibendo numero plurali: « hagiographi ».

(D) Iure desiderabatur ab E/223; E/2166; E/313, ut praeter hermeneuticam mere rationalem locutio fiat *etiam de principiis theologicis* hermeneuticae (sensus a Deo intentus, analogia fidei, traditio). Quod factum est in fine paragraphi. Abstrahitur autem a solvenda quaestione de « sensu pleniore ».

(E) E/391, 2 (*Animadv.* dact., p. 101); E/414; E/458 putant difficultatibus hodiernae exegeseos in textu priori non satisfieri. Non videtur bonum, omnia genera litteraria enumerare. Propterea pauca tantum

nominantur et additur « *et aliis dicendi generibus* », secundum E/2396, [31] et in genere litterario historico additur « *vario modo historicis* », ne fiat regressus ad statum ante encycl. *Divino afflante* et *Humani generis* datum.

(F) E/223 desiderabat ut loco *scribens* diceretur: *scribendo.* Melius autem videbatur dicere *scripto.*

(G) Ex rationibus stylisticis desiderabatur *habita sint* loco *haberentur*: E/223.

(H) Omissa sunt verba textus prioris, linn. 22-23: *ad normam hermeneuticae rationalis et catholicae,* quia idea nunc alio modo exprimitur. Textus noster videtur media via esse inter desideria sibi invicem repugnantia: E/223; E/296; E/313.

(I) Verba *de labore exegetarum* desumpta sunt ex textu priori, n. 19. Vide infra pag. 38.

(K) Cedimus desiderio E/285; E/414; E/2396, addendo quaedam verba *de munere hierarchici magisterii.*

Relatio de n. 13

(A) Propositio E/2206 videbatur bona, scribendi nempe: « *Aeterni* Patris Verbum ».

(B) Omittitur referentia ad *Hebr.* 4, 15, cum verbis « absque peccato », quia tertium comparationis hic datum non est. Ideo citatio hoc loco non est ad rem. Cf. E/451 et E/350.

Caput IV (olim III) [3

DE VETERE TESTAMENTO

Textus prior

14. [*Historia populi electi in libris inspiratis enarrata*]. Amantissimus Deus, de totius humani generis salute arcano modo semper sollicitus, de populo a Se electo peculiarem curam habuit. Foedere enim cum Abraham (cf. *Gen.* 15, 18) et Moyse (cf. *Ex.* 24, 8) inito, populo sibi acquisito ita se verbis et gestis revelavit, ut Israel divinas cum hominibus vias experiretur, easque, ipso Deo per os prophetarum

Textus emendatus

14. [*Historia* salutis *in libris Veteris Testamenti* consignata] (A). Amantissimus Deus *humani generis salutem sollicite intendens, singulari dispensatione populum sibi elegit, cui promissiones concreditae sunt* (B). Foedere enim cum Abraham (cf. *Gen.* 15, 18) *et cum plebe Israel per Moysen* (cf. *Ex.* 24, 8) inito, populo sibi acquisito ita *Se tamquam unicum Deum verum et vivum* (C) verbis ac gestis revelavit,

Textus prior

loquente, penitius et distinctius in dies intelligeret. Quae eventuum series, divino afflante Spiritu ab auctoribus sacris annuntiata, enarrata atque explicata, ut verum Dei verbum in libris Veteris Testamenti adhuc prostat, et ideo hi libri vim atque auctoritatem suam perenniter servant. « Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus » (*Rom.* 15, 4).

15. [*Indoles Foederis Veteris eiusque librorum*]. Vetus autem Foedus ad hoc praesertim fortiter ac suaviter dispositum erat, ut Christi universorum redemptoris eiusque regni adventum praepararet, multifariam prophetice nuntiaret (cf. *1 Pt.* 1, 10) et variis typis significaret (cf. *1 Cor.* 10, 11). Praeterea Veteris Testamenti libri, etsi nondum perfecte, Dei et hominis cognitionem credentibus suppeditant, eosque docent modos quibus Deus cum hominibus misericorditer agat, et quibus quivis homo, in iis quae ad Deum et ad proximos spectant, se recte gerere debeat.

16. [*Relatio mutua Novi et Veteris Testamenti*]. Deus igitur, utriusque Testamenti inspirator et auctor, ita sapienter disposuit, ut Novum in Vetere lateret et in Novo Vetus pateret. Nam, etsi quaedam Veteris Foederis in-

Textus emendatus

ut Israel divinas cum hominibus vias experiretur, easque, ipso Deo per os prophetarum loquente, penitius et clarius (D) in dies intelligere posset (E) atque latius in gentes exhiberet (cf. *Ps.* 21, 28 s.; 95, 1 ss., 7 ss.; *Ier.* 3, 17; *Tob.* 13, 4) (F). Quae *oeconomia salutis* (G) ab auctoribus sacris *praenuntiata* (H), enarrata atque explicata, ut verum Dei verbum in libris Veteris Testamenti exstat; hi libri igitur *divino afflante Spiritu conscripti* (I) vim atque auctoritatem suam perenniter servant: « Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus » (*Rom.* 15, 4).

15. [De momento *Veteris Testamenti* pro Christifidelibus] (A). Vetus autem Foedus ad hoc praesertim dispositum erat, ut Christi universorum redemptoris eiusque regni adventum praepararet, prophetice nuntiaret (cf. *Lc.* 24, 44; *Io.* 5, 39; *1 Pt.* 1, 10) (B) et variis typis significaret (cf. *1 Cor.* 10, 11). Praeterea Veteris Testamenti libri, *pro conditione humani generis ante tempora instauratae a Christo salutis,* Dei et hominis cognitionem ac modos quibus Deus *iustus et misericors* cum hominibus agit, *omnibus manifestant* (C). *Qui libri, etiamsi plura imperfecta et provisoria contineant, momentum verae paedagogiae divinae etiam pro Christifidelibus servant* (1) (D). Unde attente a Christi discipulis legendi sunt, speciatim quia vividum sensum Dei sanctissimi ac clementissimi luculenter exprimunt.

16. [De unitate *utriusque Testamenti*] (A). Deus igitur *librorum* (B) utriusque Testamenti inspirator et auctor, ita sapienter disposuit, ut Novum in Vetere lateret et in Novo Vetus pateret (2). Nam, etsi *Vetus Foedus morte*

Textus prior

stituta, tempori praeparationis soli convenientia, Nova abrogata sint Lege, tamen Vetus Testamentum integrum, in praeconio evangelico assumptum et pars unius revelationis factum, in Novo sensum suum completum acquirit et ostendit. Ecclesia ergo, canonicos Veteris Testamenti libros ut suas Scripturas reverenter agnoscit et accipit.

Textus emendatus

Christi Novo cessit (*Rom.* 7, 4; *Col.* 2, 14) (C), *libri tamen Veteris Testamenti integri, utpote* pars unius revelationis in praeconio evangelico *assumpti* (3) (D), in Novo *significationem* suam *completam acquirunt* (cf. *Mt.* 5, 17 ss.; *Rom.* 8, 2, 3) (E) et *ostendunt.*

NOTAE

Caput IV (olim III) - *De Vetere Testamento*

Ad n. 15.

(1) Pius XI, Litt. Encycl. *Mit Brennender Sorge,* 14 martii 1937: *A.A.S.,* 29 (1937), p. 151.

Ad n. 16.

(2) S. Augustinus, *Quaest. in Hept.* 2, 73: *PL* 34, 623.

(3) S. Irenaeus, *Adv. Haer.* III, 21, 3: *PG* 7, 950 (= 25, 1: Harvey 2, p. 115). S. Cyrillus Hieros., *Catech.* 4, 35: *PG* 33, 497. Theodorus Mops., *In Soph.* 1, 4-6: *PG* 66, 452A-453A.

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS [35]

Relatio de n. 14

(A) Quaedam verba mutantur ut titulus argumento huius numeri melius respondeat: agitur enim *de historia salutis* in libris *Veteris Testamenti* consignata.

(B) Nexus internus qui habetur inter salutem humani generis et populi israelitici electionem clare indicatur (E/223). Insuper brevis sed sufficiens allusio fit ad *promissiones messianicas* (E/2200).

(C) Finis *monotheisticus* revelationis vetero-testamentariae hic verbis biblicis effertur (E/2200).

(D) *Clarius* loco *distinctius* ponitur ut intelligentia textus facilior evadat (E/223).

(E) Additur *posset,* quoniam clarior intelligentia revelatorum e parte populi electi de facto non semper est secuta (E/414).

[35] (F) Additamentum ab uno Patre propositum (E/223); sermo est de aspectu historiae sacrae minime negligendo, scilicet *de conversione gentium.*

(G) Expressa mentio fit de *oeconomia salutis,* ut in hac paragrapho clarius exprimatur secundus finis revelationis vetero-testamentariae, scilicet historia salutis (E/2200).

(H) Vox *praenuntiata* aptius quam *annuntiata* mentem Subcommissionis exprimit (E/414); eo ipso allusio ad libros propheticos, historicos, didacticos Veteris Testamenti clarius apparet.

(I) Subcommissio hanc emendationem proponit, ne momentum perenne Veteris Testamenti fundari appareat in *argumento* librorum potius quam in *inspiratione* eorumdem.

Relatio de n. 15

(A) Restituitur antiquus titulus utpote argumento huius numeri magis conformis: agitur nempe de *momento Veteris Testamenti pro christianis.*

(B) Citantur quidam textus biblici ut momentum *christologicum* Veteris Testamenti maiore vi prematur (E/490): praeparatur, praenuntiatur et « significàtur » adventus Christi.

(C) Emendatio sufficienter innuit quod ethica Veteris Testamenti *non habet vim universalem* pro omni hominum aetate (E/414); insuper mentio fit de iustitia et misericordia Dei, quae sunt lineamentum Veteri Testamento veluti peculiare (E/414).

[36] (D) Affirmatur *momentum paedagogicum Veteris Testamenti* quod in Litt. Enc. *Mit brennender Sorge* fusius evolvitur; insuper ad aspectum provisorium Veteris Testamenti fit allusio (E/223). Additur autem quod Vetus Testamentum vividum exprimit *sensum Dei,* qui simul ut sanctissimus et clementissimus agnoscitur.

Relatio de n. 16

(A) Proponitur novus titulus qui argumento huius paragraphi magis respondeat, scilicet potius de *unitate* quam de *mutua relatione* Veteris et Novi Testamenti.

(B) Inseritur vox *librorum,* quia inspiratio ipsos libros afficit (E/2207).

(C) Quae nunc dicuntur doctrinae S. Pauli magis sunt conformia et obscuritas textus schematis aufertur (E/414); textus N. T. indicati

ab E/391, 2 (*Animadv.* dact., p. 102) quoque adduntur: Vetus Foedus cedit *Novo Foederi,* quod *morte Christi* inducitur. [36]

(D) Vox *libri* claritatis causa inseritur (E/223).

(E) *Ordo expressionum mutatur,* ne putetur libros V. T. partem unius revelationis factos esse, propterea quod in praeconio evangelico sint assumpti. Loco *sensum* ponitur *significationem,* ne Concilium controversiam de sensu pleniore Scripturarum dirimere videatur. Adduntur textus biblici propositi ab E/391, 2 (*Animadv.* dact., p. 102). Ceterae emendationes sunt ordinis tantummodo grammaticalis.

CAPUT V (olim IV) [37]

DE NOVO TESTAMENTO (A)

17. (novus numerus) (B). [*Novi Testamenti excellentia*]. Verbum Dei quod in Evangelio operatur in salutem omni credenti (cf. *Rom.* 1, 16) praecellenti modo per scripta Novi Testamenti inspirata efficax adest. Ubi enim venit plenitudo temporis (cf. *Gal.* 4, 4), Verbum caro factum est et habitavit in nobis plenum gratiae et veritatis (cf. *Io.* 1, 14). Christus Regnum Dei in terris instauravit, factis et verbis Seipsum manifestavit, atque morte, resurrectione et gloriosa ascensione *missioneque Spiritus Sancti* opus suum complevit. Exaltatus a terra omnia ad Seipsum traxit (cf. *Io.* 12, 39), utpote solus verba vitae aeternae habens (cf. *Io.* 6, 68). Quod autem aliis generationibus non est patefactum, revelatum est sanctis Apostolis eius et Prophetis in Spiritu (cf. text. graec. *Eph.* 3, 4-6), ut ipsi Evangelium praedicarent, fidem in Iesum Christum ac Dominum excitarent et Ecclesiam congregarent. Quarum omnium rerum scripta Novi Testamenti exstant testimonium perenne atque divinum.

Textus prior

17. [*Evangeliorum excellentia*]. Neminem autem fugit inter omnes, etiam Novi Testamenti Scripturas, Evangelia merito excellere, quippe quae praecipuum testimonium sint de Verbi Incarnati Salvatoris nostri vita atque doctrina.

Quattuor enim Evangelia originem apostolicam habere Ecclesia Dei semper et ubique, sine dubitatione tenuit ac tenet. Quae enim

Textus emendatus

18. (olim n. 17). [*Evangeliorum* origo apostolica] (A). Neminem fugit inter omnes, etiam Novi Testamenti Scripturas, Evangelia merito excellere, quippe quae praecipuum testimonium sint de Verbi Incarnati Salvatoris nostri vita atque doctrina.

Quattuor Evangelia originem apostolicam habere Ecclesia semper et ubique tenuit ac tenet (B). Quae (C) enim Apostoli ex mandato

Textus prior

Apostoli ex mandato Christi praedicaverant, eadem postea, divino afflante Spiritu, in scriptis, ipsi et apostolici viri nobis tradiderunt, fidei nostrae fundamentum, quadriforme nempe secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Ioannem Evangelium.

Quoniam vero hodie apud quosdam quoque, qui christiano nomine decorantur, dubia sive de Evangeliorum fide historica, sive de eorum divina auctoritate circumferantur, peropportunum huic Sacrosanctae Synodo visum est, in re tanti momenti, praecipua principia enuntiare.

18. [*Evangeliorum indoles historica*]. Sancta Mater Ecclesia firmiter et constantissime tenuit ac tenet quattuor recensita Evangelia vere tradere quae Iesus Dei Filius, vitam inter homines degens, ad aeternam eorum salutem reapse et fecit et docuit (cf. *Act.* 1, 1). Quamvis enim formam praeconii aliquando resonent et cum historicae compositionis rationibus quae nostra praesertim aetate usurpantur non in omnibus conveniant, Evangelia tamen veram et sinceram historiam nobis tradunt. Ea enim intentione conscripta sunt, ut sive ex traditione illorum « qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis », sive ex memoria et recordatione propinquorum et discipulorum Domini, cognoscamus eorum verborum de quibus eruditi sumus veritatem (cf. *Lc.* 1, 2-4).

19. [*Exegesis catholica*]. Exegetarum autem, qui in Ecclesia et ad Ecclesiae utilitatem in divina eloquia investiganda incumbunt, est, servatis rationalis et catholicae hermeneuticae normis, sub ductu magisterii Ecclesiae adlaborare, ut Evangelii loci, qui expositionem certam et definitam adhuc desiderant, bene in-

Textus emendatus

Christi praedicaverunt, postea, divino afflante Spiritu, in scriptis, ipsi et apostolici viri nobis tradiderunt, fidei fundamentum (D), quadriforme *nempe Evangelium,* secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Ioannem (E).

19. (olim n. 18). [*Evangeliorum indoles historica*]. Sancta Mater Ecclesia firmiter et constantissime tenuit ac tenet quattuor recensita Evangelia vere tradere quae Iesus Dei Filius, vitam inter homines degens, ad aeternam eorum salutem reapse et fecit et docuit (cf. *Act.* 1, 1). *Apostoli quidem post mortem Domini* ea quae Ipse dixerat et fecerat *auditoribus ea pleniore intelligentia tradiderunt, qua ipsi eventibus gloriosis Christi instructi et lumine Spiritus veritatis* (1) *edocti fruebantur* (2). Auctores autem sacri quattuor Evangelia conscripserunt, quaedam e multis vel ore vel iam scripto traditis *selegendo, quaedam in synthesim redigendo, quaedam ad statum ecclesiarum suarum attendendo,* formam praeconii retinendo, ita semper ut non ficta, *ex creatrici potentia* primaevae communitatis promanantia (3), sed vera et sincera de Iesu nobis communicarent. Illa enim intentione scripserunt, sive *ex sua propria memoria et recordatione,* sive ex *testimonio* (B) illorum « qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis », ut cognoscamus eorum verborum de quibus eruditi sumus « veritatem » (C) (cf. *Lc.* 1, 2-4) (D).

Textus prior

telligantur, ita ut, quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur.

20. [*De ceteris libris Novi Testamenti*]. Novi vero Testamenti volumen, praeterquam ex quattuor Evangeliis, etiam ex aliis Apostolorum libris Spiritu Sancto inspirante conscriptis constat, quibus, ex sapienti Dei consilio, veritas vitae Christi confirmatur, genuina eius doctrina magis magisque declaratur atque salutifera virtus divini operis Christi proclamatur. Apostolis enim suis Dominus Iesus, sicut promiserat, affuit (cf. *Mt.* 28, 20), et iis Paraclitum suum misit, ut omnia eos doceret et iis suggereret quaecumque iis Christus dixerat (cf. *Io.* 14, 26), ad aeternam humani generis salutem in aevum servanda.

Textus emendatus

20. [*De ceteris* scriptis (A) *Novi Testamenti*]. Novi vero Testamenti *canon praeter quattuor Evangelia* etiam alia *scripta apostolica* (B) Spiritu Sancto inspirante exarata *continet,* quibus, ex sapienti Dei consilio, ea quae sunt de Christo Domino confirmantur, genuina eius doctrina magis magisque declaratur, salutifera virtus divini operis Christi *praedicatur, Ecclesiae institutio ac admirabilis* diffusio narratur eiusque consummatio gloriosa revelatur (C).

Apostolis enim suis Dominus Iesus sicut promiserat affuit (cf. *Mt.* 28, 20) et iis Paraclitum *Spiritum* misit, qui eos in « omnem veritatem » in aevum servandam induceret (cf. *Io.* 16, 13, graece) ad aeternam humani generis salutem (D).

NOTAE

Caput V (olim IV) - *De Novo Testamento*

Ad n. 19.

(1) Cf. *Io.* 14, 26; 16, 13.

(2) *Io.* 2, 22; 12, 16; 11, 51-52; cf. 14, 26; 16, 12-13; 7, 39.

(3) Cf. Instructio *Sancta Mater Ecclesia* Commissionis de Studiis Biblicis: *L'Osservatore Romano,* 14 maii 1964, p. 3, n. 2 et n. 1.

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS **[40]**

N. B.: In aliquibus rebus non parvi momenti Patres abbreviatum verbum, mutationes et praecisiones rogaverunt; caput V tamen in essentialibus non mutatur sed perficitur.

Relatio de titulo et n. 17

(A) Pluribus Patribus, E/305; E/327; E/458; E/2206; E/2396, *titulus* « De N. T. » displicebat, quia textus fere exclusive loquebatur

[40] de « Evangeliis », et quidem unice sub aspectu apologetico. Haec ratio, admissis emendationibus de quibus infra, iam non valet; ideoque titulus remanere potest.

(B) Ante numerum 17 prioris schematis, suggerentibus pluribus Patribus, additus est novus numerus sub titulo: *Novi Testamenti excellentia,* ut tota materia Novi Testamenti praesentetur tam sub aspectu doctrinali quam sub aspectu historico. Ergo numerus est *omnino novus,* doctrinam reassumens quae ex omnibus partibus Novi Testamenti hauritur: ex Synopticis, Paulo, Ioanne, Act. Apost., etc.

Relatio de n. 18, olim n. 17

(A) Titulus mutatur in connexione cum antea dictis, et nunc sonat: *Evangeliorum origo apostolica.*

(B) Prima paragraphus textum priorem reassumit. In secunda vero servatur *tenuit et tenet,* quamvis a pluribus Patribus mutatio in « credidit ac credit » rogata fuerit: E/326; E/414; E/2166. Retinetur itaque communis formula schematis, quia ex una parte non excludit rem pertinentem ad fidem, et ex altera parte suggerit quaestionem versari circa rem in qua etiam historia magnam partem habet.

(C) Insuper in lin. 26 textus prioris vox *eadem* ab aliquibus impugnata fuit: E/240; E/270; E/414; E/2396, quia videbatur identitatem materialem asserere inter Scripturam et Traditionem. Ideo, sublata est.

(D) In lin. 28 textus prioris propositum est ut ad vocem *fundamentum* adiiceretur *futurum,* ut textus conformis fieret cum locutione S. Irenaei. Sed quia textus S. Irenaei fuse citatur in nova redactione numeri 21, vox *futurum* hic non additur.

(E) Lineae 1-3, p. 38 textus prioris de *dubiis quae circumferuntur,* inutiles pluribus Patribus apparuerunt, eo vel magis quod ea quae postea
[41] sequuntur maiorem vim accipient, si simpliciter affirmantur tamquam ad doctrinam catholicam pertinentia. Ita E/301; E/414; E/2206; E/2230.

Relatio de n. 19, olim n. 18

(A) Secunda phrasis textus prioris mutata est, ut ratio servetur Instructionis *Sancta Mater Ecclesia* Commissionis de studiis biblicis, 14 maii 1964; ita simul observationibus Patrum, E/236; 285; 458; 414, etc. satisfactio praebetur. Selecta est autem forma dicendi *positiva* potiusquam adversativa. Ad theorias quae historicitatem Iesu impugnant refellendas, satis provisum est in textu.

(B) In fine huius numeri non tantum citatur ut fons dictorum et [41] factorum vitae Iesu *memoria et recordatio* auctorum, sed etiam ea quae ex *testimonio* acceperunt, ut sic duplex origo omnium quae tradita sunt appareat.

(C) *Veritatem* inter signa citationis ponitur, quia vox est intellegenda in conformitate cum textu graeco qui dicit: *firmitatem*.

(D) Notaverunt aliqui Patres istum priorem numerum 19 quodammodo extra locum esse. Nam *normae* quae ibi praebentur valent non tantum pro evangeliis, sed etiam pro aliis libris S. Scripturae. Ita E/414; E/2206. Ergo hic sublata est paragraphus et in Cap. III, olim II, substantialiter resumpta, in fine scilicet novi n. 12.

Relatio de n. 20

(A) In titulo n. 20 dicitur *scriptis* loco *libris,* quia litterae apostolicae non sunt libri proprie dicti.

(B) Vox *canon* introducta est quia de eo in hoc capite mentio non erat. Loco *Apostolorum libris,* rogantibus multis Patribus, dictum est *alia scripta apostolica*: omnia enim scripta ab Apostolis confecta non sunt.

(C) Aliqua verba in fine paragraphi adiicienda videntur ad Ecclesiae institutionem et admirabilem diffusionem includendam, ut sic materia libri Act. Ap. indicetur. Item *consummatio gloriosa* explicite citatur in conformitate cum libro *Apocalypseos*.

(D) Ultima phrasis aliquantulum mutata est, ut vitentur quaedam verba *citationis Io.* 14, 26, quibus mens totius capitis corrumpi potuisset. Etenim in *Io.* 14, 26 Dominus de illuminatione post resurrectionem suam loquitur per suggestionem Spiritus Sancti, sed in schemate nostro *historicitas proprie dicta,* ex recordatione et testimonio ipsorum qui audierant et viderant, specialiter illustratur.

Caput VI (olim V)

DE SACRA SCRIPTURA IN VITA ECCLESIAE (A)

Textus prior

21. [*Ecclesia S. Scripturas veneratur*]. Caelestem Sacrorum Librorum Veteris et Novi Testamenti thesaurum Ecclesia inde ab initio ma-

Textus emendatus

21. [*Ecclesia Sacras Scripturas veneratur*]. «*Non per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus quam per eos, per quos Evange-*

3]

Textus prior

xima veneratione prosecuta est, et numquam intermisit insigne illud Dei donum sibi concreditum fidelibus, praesertim in sacra liturgia, dispertire, iisque commendare, ut summa pietate illud tamquam pretiosum Dei donum acciperent.

In Sacris enim Libris Pater qui in caelis est filiis suis peramanter occurrit et cum eis fere colloquitur; tantaque verbo Dei vis ac virtus inest, ut Ecclesiae sustentaculum ac vigor et Ecclesiae filiis fidei robur, animae cibus, vitae spiritualis fons reapse exstet.

Textus emendatus

lium pervenit ad nos; quod quidem tunc praeconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostrae futurum » (1). *Praedicationis ergo evangelicae testimonium eximium sunt Scripturae Sacrae. Eas velut ipsum corpus dominicum semper venerata est Ecclesia, cum non desinat ex mensa tam verbi Dei quam corporis Christi panem vitae sumere atque fidelibus porrigere. Eas una cum Traditione semper sicut supremam fidei suae regulam habuit, cum non tantum a Deo inspiratae sint, ita ut verbum ipsius Dei impertiant, sed insuper illam immutabilitatis indolem, quae regulae competit, prae se ferant, et in verbis Prophetarum Apostolorumque vocem Spiritus Sancti personare faciant. Omnis ergo praedicatio ecclesiastica atque ipsa religio christiana ad Scripturam semper respicere debent tamquam ad normam et auctoritatem, quibus reguntur et iudicantur* (A). In sacris libris Pater qui in caelis est filiis suis peramanter occurrit et *cum eis sermonem confert*; tanta autem verbo Dei vis ac virtus inest, ut Ecclesiae sustentaculum ac vigor, et Ecclesiae filiis fidei robur, animae cibus, vitae spiritualis fons reapse exstet. « *Vivus enim est sermo Dei et efficax* » (*Hebr.* 4, 12), « *qui potens est aedificare et dare haereditatem in sanctificatis omnibus* » (*Act.* 20, 32; cf. *1 Thess.* 2, 13) (B).

4]

Textus prior

22. [*Commendantur accuratae versiones*]. Ut autem Christifidelibus ad Sacras Scripturas aditus late pateat, Ecclesia Dei sua auctoritate commendat et materna sollicitudine curat ut, ad penitiorem cognitionem et uberiorem declarationem verbi Dei, accuratae in linguas vernaculas versiones e praecellentibus Sacrorum Librorum textibus primigeniis conficiantur.

Textus emendatus

22. [*Commendantur accuratae versiones*]. Christifidelibus (A) aditus ad Sacram Scripturam late pateat *oportet. Qua de causa iam ab origine sua Ecclesia graecam illam antiquissimam Veteris Testamenti versionem a LXX viris nuncupatam suscepit, quam sicuti alias versiones orientales et versionem latinam quam Vulgatam vocant, semper in honore habet. Cum*

Textus prior

23. [*Doctorum catholicorum officium apostolicum*]. Verbi Incarnati Sponsa, Ecclesia nempe, Sancto Dei et Christi Spiritu edocta, profundiorem in dies Scripturarum Sacrarum intelligentiam assequitur (cf. *Io.* 16, 13), ut filios suos divinis eloquiis indesinenter pascat. Exegetae autem catholici, aliique sacrae theologiae cultores, collatis viribus dent operam oportet, ut, sub ductu magisterii Ecclesiae, et altius Divinae Litterae investigentur et quam plurimi divini verbi administri Scripturarum pabulum Dei plebi fructuose suppeditent, quod mentes illuminet, firmet voluntates, hominum corda ad Dei amorem accendat.

24. [*S. Theologia verbo Dei innititur*]. Sacrae autem theologiae scientia, in verbo Dei tamquam in suo primario et inalienabili fundamento consistit ex eoque argumenta trahit, quibus firmissime roboretur et semper iuvenescat. Sacrae etenim Scripturae verbum Dei non tantum continent, sed vere Dei verbum

Textus emendatus

autem verbum Dei omnibus temporibus praesto esse debeat, Ecclesia (B) sua auctoritate mandat et materna sollicitudine *satagit,* ut accuratae (C) exarentur in varias linguas versiones, *in liturgia atque catechesi necnon in pia lectione adhibendae,* ex primigeniis scilicet sacrorum librorum textibus (D). *Quae si conficerentur communi etiam cum fratribus separatis nisu, ab omnibus christianis adhiberi possent* (E).

23. [*Doctorum catholicorum officium apostolicum*] (A). Verbi incarnati Sponsa, Ecclesia nempe, a Sancto Dei et Christi Spiritu edocta (B), ad profundiorem in dies Scripturarum Sacrarum intelligentiam assequ*endam procedit* (C), ut filios suos divinis eloquiis indesinenter pascat. Exegetae autem catholici, aliique Sacrae Theologiae cultores, collatis *sedulo* (D) viribus, operam dent oportet, ut Patrum vestigia sequentes, sub ductu Magisterii (E), altius Divinas Litteras investigent, et quam plurimi divini verbi administri Scripturarum pabulum plebi Dei fructuose suppeditent, quod mentem illuminet, firmet voluntates, hominum corda ad Dei amorem accendat (2). *Sacra Synodus biblicarum rerum cultores quotquot devoti sunt Ecclesiae filii, eiusque doctrinae et normis fideliter obsequuntur, animum addit ut opus feliciter susceptum, renovatis in dies viribus, omni studio exsequi pergant* (3).

24. [*De momento* Sacrae Scripturae *pro Theologia*] (A). Sacra Theologia in verbo Dei revelato scripto et tradito tamquam in suo primario et *perenni* fundamento innititur, quo verbo firmissime roboratur semperque iuvenescit, *omnem veritatem in mysterio Christi conditam sub lumine fidei perscrutando* (B). Sa-

Textus prior

sunt, quo etiam verbi Dei ministerium, pastoralis nempe praedicatio, in qua homilia liturgica principem locum sibi vindicat, salubriter nutritur sancteque virescit.

25. [*Lectio S. Scripturae sacerdotibus commendatur*]. Quapropter Christi sacerdotes assidua lectione ac exquisito studio in Sacris Scripturis haerere necesse est, ne inanis forinsecus praedicator fiat « qui non est intus auditor », et ut verbi divini amplissimae divitiae, imprimis in cultu liturgico, ovibus suis communicare valeant.

26. [*Item fidelibus*]. Christifideles quoque ad sacrum ipsum textum libenter accedant, sive per sacram liturgiam divinis eloquiis confertam sive per ceteras ad id aptas institutiones, quae, approbante auctoritate Ecclesiae, ubique nostro tempore laudabiliter diffunduntur.

Sacris autem Antistitibus, « apud quos est apostolica doctrina », fideles sibi commissos ad rectum divinorum Librorum usum opportune instituere competit per versiones sacrorum textuum, quae necessariis et vere sufficientibus explicationibus instructae sint, ut tuto ac utiliter Ecclesiae filii cum Scripturis Sanctis conversentur.

Textus emendatus

crae autem Scripturae verbum Dei continent et vere verbum Dei sunt; *ideoque Sacrae Paginae studium sit veluti anima Sacrae Theologiae.* Eodem autem verbo Scripturae etiam ministerium verbi (C), pastoralis nempe praedicatio, *catechesis omnisque instructio christiana,* in qua homilia liturgica *eximium* locum *habeat oportet* (D), salubriter nutritur sancteque virescit, *et fides credentium in eo veritatem Dei revelantis agnoscit.*

25. [*Lectio Sacrae Scripturae commendatur*] (A). Quapropter clericos omnes, imprimis Christi sacerdotes *ceterosque qui ut diaconi vel catechistae ministerio verbi legitime instant,* assidua lectione atque exquisito studio in Sacris Scripturis haerere necesse est, ne quis eorum fiat « verbi Dei inanis forinsecus praedicator, qui non est intus auditor » (4), dum verbi divini amplissimas divitias, speciatim in cultu liturgico, cum *fidelibus sibi commissis* (B) communicare debet (C). Pariter Sancta Synodus christifideles omnes, *praesertim sodales religiosos, vehementer peculiariterque exhortatur, ne « ob ignorationem Scripturarum ignoratione Christi » laborent* (5), *sed ut potius frequenti divinarum Scripturarum lectione « eminentem scientiam Iesu Christi »* (*Phil.* 3, 8) *ediscant.* Libenter igitur ad sacrum textum ipsum accedant, sive per sacram liturgiam divinis eloquiis confertam, *sive per piam lectionem* (D), sive per institutiones ad id aptas *aliaque subsidia* (E), quae approbante *et curante* Ecclesia (F) ubique nostro tempore laudabiliter diffunduntur (G).

Sacris autem antistitibus, « apud quos est apostolica doctrina » (6), fideles sibi commissos ad rectum divinorum Librorum usum, *praesertim Novi Testamenti et imprimis Evange-*

Textus prior

Sicut enim ex adaucto Sanctissimae Eucharistiae cultu Ecclesiae vita incrementum accipit, ita ex digna aestimatione et cultu verbi Dei quod « manet in aeternum », novum spiritualis vitae impulsum sperare licet.

Textus emendatus

liorum, opportune instituere competit per sacrorum textuum versiones, quae necessariis et vere sufficientibus explicationibus instructae sint (H), ut tuto ac utiliter Ecclesiae filii cum Scripturis Sacris conversentur *earumque spiritu imbuantur.*

Insuper editiones Sacrae Scripturae, debitis instructae adnotationibus, ad usum etiam non-christianorum eorumdemque conditionibus accommodatae, conficiantur, quas quoquomodo sive animarum Pastores sive christiani cuiuscumque status spargere sapienter curent (I).

26. [*Epilogus*]. *Ita ergo lectione et studio Sacrorum Librorum « sermo Dei currat et clarificetur »* (*2 Thess.* 3, 1), *thesaurusque revelationis, Ecclesiae concreditus, magis magisque corda hominum impleat.* Sicut ex adaucto Sanctissimae Eucharistiae cultu Ecclesiae vita incrementum suscipit, ita ex digna aestimatione et cultu verbi Dei quod « manet in aeternum » (*Is.* 40, 8; cf. *1 Pt.* 1, 23-25), novum spiritualis vitae impulsum sperare licet.

NOTAE

Caput VI - *De Sacra Scriptura in vita Ecclesiae*

Ad n. 21.

(1) S. Irenaeus, *Adv. Haer.,* III, 1, 1: *PG* 7, 844; Harvey, 2, p. 2; Sagnard, p. 94.

Ad n. 23.

(2) Pont. Comm. Biblica, *Instructio de S. Scriptura in Clericorum Seminariis et Religiosorum Collegiis recte docenda,* 13 maii 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 495-505.

(3) Cf. Pius XII, *EB* 569.

Ad n. 25.

(4) S. Augustinus, *Serm.* 179, 1: *PL* 38, 966.

(5) S. Hieronymus, *Comm. in Is.,* Prol.: *PL* 24, 17.

(6) S. Irenaeus, *Adv. Haer.* IV, 32, 1; *PG* 7, 1071; (= 49, 2) Harvey, 2, p. 255.

[47]

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS

De titulo

(A) Loco « De *usu* S. Scripturae » ponitur « De S. Scriptura *in vita* Ecclesiae », quia « usus » S. Scripturae est dictio non bene sonans. Insuper in « vita » Ecclesiae includitur etiam idea de apostolatu et de missionibus; quam ideam exhibendam postulavit E/245.

Relatio de n. 21

(A) Textus novus linn. 1-16 desumptus est ex E/300, in quo textu propositiones maioris momenti ab aliis Patribus allatae satisfactionem obtinent, scilicet E/313, qui sermonem volebat de utilitate *catechetica*; E/223, qui mentionem *sacramentorum* optabat; E/327, qui de *insigni dono* scripturarum sermonem desiderabat.

E/458 verba textus prioris, linn. 4-5, *nunquam intermisit,* tamquam sententiam vix sinceram considerabat. Verba illa in nova redactione non amplius occurrunt. E/2396 stylum magis biblicum et magis sobrium postulabat. Alii, nempe E/2255; E/344; E/2206; E/443; E/2230 proponunt minores mutationes, potius stylisticas, quae in nova redactione impleri videntur.

(B) Propositio E/2230 de citandis *Heb.* 4, 12 et *Act.* 20, 32, etiam desiderio plurium aliorum Patrum correspondet, nempe E/2199; E/2255. Hi Patres schema *De verbo Dei* (ante primam sessionem Concilii a Secretariatu ad unitatem christianorum fovendam exaratum) in memoriam revocaverunt. Ex hoc schemate verba hic posita et deinde plura alia in decursu Capitis VI deprompta sunt. Loco tamen citationis *Act.* 20, 32, quidam proponebant, ut afferantur verba *1 Thess.* 2, 13, quorum sola referentia sufficere videtur.

Relatio de n. 22

(A) Textus emendatus est secundum propositionem multorum Episcoporum E/414, quia sic etiam desiderium plurium aliorum Patrum impletur: E/2240; E/488; E/2389, qui, licet diversis modis, mentionem *LXX et aliarum versionum* orientalium necnon *Vulgatae* fieri voluerunt. E contra E/353, de approbatione versionum S. Scripturae, tangit quaestionem iuridicam, quae in hoc schemate tractanda non videtur.

(B) Secundum E/223 loco *Ecclesiae Dei* legitur simpliciter *Ecclesia.*

(C) E/349 proponit ut post verbum *accuratae* addatur *cultae* vel [48]
politae. Quod ex natura rei sub *accuratae* iam intelligitur.

(D) Ad evitandam ambiguitatem textus, quam timet E/313, forma dicendi simplicior electa est.

(E) Propositio E/327, *de communi labore cum fratribus separatis,* placuit, quia fini oecumenico huius Concilii correspondet.

RELATIO DE N. 23

(A) Plures: E/414; E/390; E/306 aliqua verba laudis *pro munere exegetarum* postulaverunt. Ideo in fine huius numeri additur phrasis ex E/414 desumpta: *Sacra Synodus biblicarum rerum cultores... exsequi pergant.*

(B) Redactio quam proponit E/247: *Spiritu Sancto* (vel *Paraclito*) *et Verbo Dei incarnato edocta,* non placuit, quia textus ut iacet terminologice magis cum Biblia correspondet.

(C) Propositio E/2206, delendi scilicet citationem *Io.* 16, 13, accepta est, quia bene fundata. Exprimitur autem etiam *nisus* Ecclesiae ad proficiendum in intelligentia S. Scripturae.

(D) Verbum *sedulo* insertum est secundum propositionem plurium Patrum, v. g. E/350; E/2166, quia cooperatio exegetarum et eorum qui theologiae dogmaticae et morali incumbunt, in hodiernis adiunctis maxime promovenda est. — Propositio autem E/327, nempe inserendi: « catholici *acatholicis consultis* », necessaria non videtur, cum haec consultatio, medio operum saltem scientificorum, iam ad praxim exegeseos et theologiae catholicae pertineat. Instituuntur insuper congressus scientifici communes.

(E) E/469 vult expunctionem verborum *sub ductu Magisterii,* quorum tamen mentio superflua non videtur. Secundum E/511, insertum est praeterea: *vestigia Patrum sequentes.* Ex altera parte propositio E/350, de necessitate observandi analogiam fidei et traditiones Patrum, *hoc in loco* non adsumitur, quia sub n. 12 de hac re sermo habitus est. — De *exegetis* cf. supra sub A.

RELATIO DE N. 24

(A) *Titulus* melius aptatur ad contentum paragraphi. E/252 suggerit quaedam Statuta pro cursibus theologicis, quae potius pertinent ad Commissionem de Studiis.

(B) Loco phraseos: *ex eoque argumenta trahit,* aliam redactionem proponit E/2255, quae magna ex parte cum E/300 coincidit et alia plura desideria implet, v. g. E/327; E/2230; cf. etiam E/2206.

[48] Quidam alii, E/605; E/218; E/223 timent, ne quaestio de materiali, ut aiunt, sufficientia S. Scripturae hic positive dirimatur. Sed in
[49] prima phrasi de verbo *revelato* agitur, et nonnisi in secunda sermo fit de *S. Scriptura*; additur ceterum *scripto et tradito*. Ita etiam ambiguitas, quam timet E/325 de verbo Dei « revelato » et « scripto », tollitur.

(C) Suggerente E/223 dicitur « ministerium verbi » sine « Dei », quia sic expressio est magis biblica, cf. *Act.* 6, 4, et ita etiam E/325 et E/2230 satisfactionem obtinent: paragraphus enim, praesertim in hac ultima phrasi momentum *S. Scripturae* pro praedicatione extollit.

(D) Ad mentem E/414, loco *principem locum* dicitur *eximium locum*. Sicut proponunt plures Patres, post verba *pastoralis praedicatio* additur: *catechesis omnisque instructio christiana.*

Relatio de n. 25

(A) N. 25 et prima pars numeri 26 *contrahuntur,* quia de eadem re, nempe de lectione S. Scripturae agunt; cf. E/2206. Nova redactio provenit ex E/229, cuius textus est apte compositus et pulchris Patrum citationibus ornatus. Citatio autem S. Hieronymi, *In Is.* Prol.: *PL* 24, 17 B: « Nisi ante comederimus apertum volumen, docere non possumus filios Israel », licet sit biblica, non videtur tamen coaevis nostris valde perspicua. Ideo visa est potius omittenda.

Non solum ad sacerdotes respicitur, sed etiam ad *alios praedicatores,* notatim diaconos et catechistas. Similiter postea explicite citantur *Religiosi*; cf. E/236.

(B) Loco *ovibus* ponitur *fidelibus,* E/326.

(C) Correctio latinitatis E/301 placuit.

(D) Iure plurimi postulaverunt ut *lectio privata* S. Scripturae commendaretur: v. g. E/240; E/259; E/447; E/458; E/414; E/300; E/305.

(E) Nominari *alia subsidia* necessarium videbatur, ne textus Constitutionis nimis arctus appareret.

(F) Verba *et curante* addita sunt, quia quaedam subsidia formali approbatione Ecclesiae non indigent, licet non extra eius curam cadant. Ceterum Antistites positive satagant ut Scripturae *secundum catholici sensus normam* a fidelibus legantur; cf. E/2200. Sic etiam ratio habetur observationis E/511.

(G) E/385 rem *mere iuridicam* de modo approbandi editiones biblicas postulat. Quae res alibi tractanda est.

(H) Commissioni visum est, imprimis *Novum Testamentum* et potissimum *Evangelia* hic efferenda esse, et insuper insistendum esse super

aptam « culturam » biblicam. Loco *tuto ac utiliter,* E/469 proponit: *commode et utiliter.* Quod intentioni Patrum minus correspondere videtur. [49]

(I) Editiones S. Scripturae, imprimis Novi Testamenti, ob finem *missionalem* etiam pro non-christianis praeparare oportet.

Relatio de n. 26: Epilogus [50]

Ut nexus cum praecedentibus clarius appareat, inserta est phrasis introductiva huiusmodi: « Ita ergo lectione... » cum citatione *2 Thess.* 3, 1. Secundum E/433, vel magis explicanda, vel derelinquenda esset comparatio inter *Eucharistiam* et *S. Scripturam.* Haec comparatio tamen est classica.

RELATIO GENERALIS DE OBSERVATIONIBUS ACCEPTIS SUPER SCHEMA CONSTITUTIONIS DE REVELATIONE [51]

Mense maio anni praecedentis 1963 a Secretariatu generali missus fuit ad Patres Conciliares textus Schematis reformati *De Fontibus Revelationis* sub novo titulo *De Divina Revelatione.** Schema autem non submissum fuit discussioni Patrum in altera periodo conciliari. Die vero 3 ianuarii huius anni 1964 Exc.mus Secretarius Generalis communicavit cum Em.mo Praeside Commissionis Doctrinalis, Commissionem Cardinalitiam Coordinatricem desiderare, ut Schema *De Revelatione* Patribus proponeretur in periodo tertia conciliari, revisum autem secundum *Observationes* Patrum scripto traditas. Ut huic desiderio satisfiat haec scribitur *Relatio* de *Observationibus* hucusque acceptis. Notum est Patribus dictum fuisse *Observationes* mitti posse Exc.mo Secretario Generali usque ad diem 31 ianuarii 1964.

In sequentibus sermo fiet prius de quibusdam generalioribus et deinde, quin ad particularia descendatur, de Observationibus ad singula capita.**

Considerationes generales

1. *De iis qui miserunt Observationes.*

Sunt circa 300 Patres, qui mentem suam manifestaverunt. Quorum 75 nomine proprio: ceteri vero ut membra conferentiae episcopalis vel alio modo uniti: modo collectivo autem responderunt 14 Patres

* Cf. *Appendix V,* pag. 782 ss.
** Cf. *Appendix VI,* pag. 792.

[51] Africae Orientalis; item 14 Africae Centralis; 8 Abruzzenses; 12 ex Aix-Avignon-Marseille; 48 Argentiniani; 8 Burdigalenses; 14 Belgici; 13 Galli meridionales; plures Galli occidentales; 28 Indonesiaci; 60 linguae germanicae; 12 Mexicani; 9 Scandinavici; 12 Neerlandici. Numeri sunt approximativi. Accedunt quinque Patres Galli et tres Trevirenses. Non constat ex documentis missis, num vota collectiva omnia unanimi suffragio sint facta: certe v. g. tres Patres Trevirenses non omnino consentiunt cum ceteris Patribus Germaniae.

2. *Laudes et approbationes.*

Episcopi Argentiniae, linguae Germanicae, Indonesiae, Neerlandiae et Scandinaviae, quibus accedunt decem alii, agnoscunt progressum respectu Schematis praecedentis, quatenus magis correspondeat menti mo-
[52] dernae et fini oecumenico et pastorali Concilii. Multi quoque dederunt suum *placet,* gradu tamen diverso. Dum Episcopi Argentiniae et quindecim alii clare exprimunt suas laudes, alii a laudibus abstinent: Episcopi Africae Orientalis et Africae Centralis statuunt *Schema* eo sensu placere, ut discussioni in Aula proponi possit; Episcopi autem linguae germanicae et Scandinaviae limitant laudes suas dicendo in circumstantiis notis haud facile aliquid melius exspectari potuisse: agi enim de conventione pacifica, ob quam in *Schemate* plura taceantur, de quibus libenter audiretur decisio.

3. *Critica et vituperationes.*

Maxime severi sunt Episcopi Abruzzenses: Schema enim non tangere quaestiones actuales, et melius annullari quam retineri sicut nunc est. Ad fere eandem conclusionem perveniunt Patres Aquisgranenses licet ex alia consideratione: etenim in *Schemate* tractanda non esse posse disputationi obnoxia: at si huiusmodi tangi non possint, forsan expedire, ut Schema non proponatur. Patribus Abruzzensibus suo modo consentiunt tres alii, quorum unus notat ex comparatione cum *Schemate* antiquo apparere quaestiones maximi momenti vix esse delibatas (E/335). Secundus autem censet brevitatem *Schematis* nocere claritati et materiae integritati: omissas esse res valde pastorales, verbi gratia de deposito pure custodiendo, ac sileri res ordinis dogmatici valde actuales circa Scripturam et Traditionem: *Schema* insuper laborare minimalismo (E/223). Ultimus tandem eorum iudicat *Schema,* ut nunc proponitur, esse superfluum nulliusque utilitatis, cum non nisi nota et obvia contineat (E/214).

Hucusque critica radicalis: multi autem alii minus severe iudicant.

Episcopi Burdigalenses notant quandam deficientiam doctrinalem; Episcopi Neerlandiae observant *Schema* non semper organice cohaerere: Episcopi Indonesiae putant non obstante progressu, *Schema* nondum correspondere expectationi Catholicorum et fratrum separatorum, ideoque plaudi sine nimio gaudio. Est quoque Pater, qui sentit, in *Schemate* saepius procedi ab aspectu humano quaestionis, dum initium sumi deberet a dogmatico (E/313). Sunt insuper qui respective dicunt textum non esse satis determinatum (E/343, 1 in *Animadv.* dact., p. 86): textum privari debita praecisione, etiam in rebus maioris momenti (E/2166); textum esse nimis scholasticum (E/426) vel carere nobilitate dictionis (E/214); *Schema* in multis superari *Schemate* antiquo (E/605). Notemus tandem etiam esse Patrem Orientalem, qui desideret maiorem puritatem linguae latinae (E/391, 3 in *Animadv.* dact., p. 103). [52]

4. *Condemnatio errorum.*

Haec quaestio, ni fallor, consideranda est in luce eorum, quae nuper Pontifex gloriose regnans, Paulus Pp. VI, in duobus sermonibus edixit. In sermone enim, quo die 5 dec. anni 1963 clausit secundam periodum [53]
Concilii Vaticani I, agens de textibus in tertia periodo proponendis, emendatis utique ratione habita Observationum a Patribus acceptarum vel accipiendarum, haec verba ad nos spectantia protulit (*A.A.S.,* 56 [1964], p. 36): « Huius generis est, ut exemplum supponamus, quaestio *de divina Revelatione,* quam Concilium eo modo persolvet, ut hinc sacrum depositum veritatum a Deo traditarum tueatur adversus errores, abusiones, dubitationes, quibus vis earum subiectiva infringatur, illinc studia Sacrorum Bibliorum, ope Patrum ac theologiae disciplinae recte dirigat, quae docti catholici viri, magisterio Ecclesiae fideliter inhaerentes et quibusvis aptis huius aetatis subsidiis usi, alacriter, prudenter, fidenterque promovere pergent ». Et ut appareret, quantopere errorum refutatio sibi cordi esset, paulo post Papa ad delegatos Tridentinos loquens de Concilio Vaticano II dixit, quod (cf. *O. R.,* 11 dec.) « mira a chiarezza e a vigore di impegni per dirimere le confusioni di idee e le minaccie derivanti dai molteplici errori del nostro tempo ». Sed iam antea Papa suam mentem hac in re manifestaverat. Die enim 4 oct. 1963 ope Ill.mi F. Pocci in aula conciliari Em.mus Card. Micara egit de erroribus in Concilio condemnandis: Se dolere Concilium seposuisse textus quibus errores reprobarentur; tale silentium in re gravi consectaria gravia gignere posse; pastoralem sollicitudinem et curam non excludere, sed requirere ut fidei integritas in tuto collocaretur: nihil enim efficacius animas ad Deum conducere, quam annuntiationem integrae veritatis. In capite autem huius *Observationis* (E/610) Summus

[53] Pontifex propria manu notavit quod nullubi alibi accidit: « Digna videntur consideratione, quae hic dicuntur ».

Hucusque de mente Summi Pontificis. Iam de Patribus. Dum unus Pater est qui laudat absentiam condemnationum (E/327), et alius putat etiam in nova redactione inveniri tendentiam ubique inveniendi errores (E/301), alii plures diverso utuntur sermone. Est qui generice statuit, apud plures Episcopos et sacerdotes adesse timorem, ne puritas doctrinae satis conservetur (E/218); alii qui monent damnationem errorum esse munus proprium Concilii (E/390; 610 et 1742); alii qui rogant, ut provideatur, ne fideles a quibusdam exegetis catholicis decipiantur (E/385 et 390); item alius qui asserit silentio conciliari de erroribus adhuc audaciores fore exegetas modernos (E/223).

Quod vero ad errores ipsos attinet, unus Pater denuntiat agnosticismum hodiernum (E/252); alius relativismum theologicum et dogmaticum (E/605); quinque Patres Galli (E/350) necnon duo alii (E/343 et 1742) exoptant, ut clare damnentur errores circa historicitatem evangeliorum; alius idem expostulat nominatim pro evangelio infantiae S. Lucae et gratum habebit si agetur contra falsum irenismum (E/390). Contra errores hodiernos nonnulli Patres in memoriam revocant monita magisterii recentiora. Uni placebit valde renovatio *Moniti* anno 1961 a
[54] Sancto Officio editi (E/241); septem rogant ut magis ratio habeatur Encyclicae *Humani Generis,* quorum unus addit: « etiamsi displicet » (E/337).

5. *Additiones ad textum.*

Non sunt propositi novi textus integri, nec etiam singulorum capitum: fere omnes qui textum non simpliciter reiciunt, in eo conveniunt, quod textus oblatus sic uti iacet debitae revisioni et emendationi subici debet. Solummodo ad caput primum quod spectat, tres Patres sunt qui proponunt sat longam additionem, vid. Caput integrum *de Sacra Traditione,* ut suo loco dicetur. Plures quoque Patres sunt, qui putant variis locis plura esse addenda circa quaestiones hodie acrius agitatas, quin tamen concretam aliquam redactionem additionum proponant. Pauci autem, qui novam additionem vel emendationem breviorem proponunt, postea recensentur. Illud quoque commemorandum, vid. Episcopos 12 Mexicanos desiderium exprimere, ut *Schemati* addatur breve Commentarium, ut factum fuit pro capite *de Laicis* in proponendo Schemate *de Ecclesia* (E/461). Medio mense martio 1964 Commissio adhuc accepit novam et longam redactionem *Prooemii* (circa 125 lineae compactae) et Capitis novi: *de Revelatione in genere* (circa 50 lineae): E/2396.

6. *Terminologia.* [54]

Notat Pater quidam (E/240) in toto fere *Schemate* desiderari proprietatem verborum, et alius (E/229) vult ut accuratius teneatur unitas terminologiae. Quae utique cohaerent cum antea dictis de carentia claritatis et determinationis. Ex altera parte est, qui observat (E/426) « Hoc Schema non satis accurate redactum est, indole nimis scholari ».

7. *Titulus Schematis.*

Videtur novus titulus *De Divina Revelatione* generatim placere: imo duo Patres mutationem tituli expresse laudant (E/353, 2 [*Animadv.* dact., p. 96] et 253). Unus contra alium titulum proponit, vid.: *De Deo seipsum revelante* (E/313). Alius notat titulum *Schematis,* ut nunc exhibeatur, potius audiri debere: *De Sacra Scriptura,* cum de Sacra Traditione fere nihil habeatur.

Observationes generaliores ad singulas partes

1. *De Prooemio: Revelatio.*

a) Modo generice loquendo prooemium placet iuxta modum. Si excipis Patres Galliae Occidentalis, quibus potius grata esset nova totius *Prologi* redactio, et Patres Abruzzenses, qui iudicant in *Prooemio* nil valoris contineri, alii mitius censent. Est Pater, cui numeri 4-6 sat artificialiter videntur cum praecedentibus numeris 1-3 coniuncti (E/395); [55] alius est, qui putat expedire, ut statim in initio dicatur de adhaesione Concilii ad placita Encyclicae *Humani Generis* (E/214); et tertius, cui displicet prooemii latinitas deficiens (E/391, 5 [*Animadv.* dact., p. 107]).

b) Quod si revelationem intelligimus *sensu latiore,* est Pater qui exoptat, ut melius notentur varia stadia revelationis in sua cohaerentia mutua (E/391, 5 [*ibid.*]), dum tres alii desiderant, ut clarius dicatur de revelatione sic dicta naturali, etiam ob errores hodiernos agnosticos (E/213, 218, 223). Episcopis Belgiae placebit, si dicatur de possibilitate ad legis naturalis cognitionem. Patres Indonesiae observant revelationem etiam locum habere in magnalibus Dei. Est quoque Episcopus, putans in *Prologo* confundi revelationem naturalem et supernaturalem (E/313). Alius autem in oppositione ad praedictos sentit de revelatione naturali iam satis dictum fuisse in Concilio Vaticano I (E/511).

c) Quod si revelationem intelligimus *sensu strictiore,* rogatur, ut

[55] clare doceatur revelationem Christianam esse hic in terra definitivam (E/2255); sunt dein quinque Patres Galli qui petunt ut statim in initio proponatur stricta et adaequata definitio tum ex parte Dei revelantis, tum ex parte rei revelatae; Episcopi autem Africae Centralis exoptant, ut maior ratio habeatur responsionis hominis revelanti Deo per fidem dandae. Inde necessitas gratiae, quam exponi volunt Episcopi Scandinaviae et linguae germanicae, necnon duo alii Patres (E/2255 et E/257), quorum ultimus notat, re ex parte hominis considerata, revelationem esse primario in gratia Dei, secundario vero in doctrina accepta. Notemus tandem Episcopos Indonesiae, exoptantes, ut clarius distinguatur inter revelationem ipsam et revelationis credibilitatem. Quibuscum consentit alius Pater (E/2230), dum iterum alius censet miracula simul esse manifestativa et confirmativa (E/2255).

d) Quod ad descriptionem revelationis attinet, sunt qui putant, conceptum in *Schemate* expositum non esse sufficienter enucleatum (E/327 et 5 Patres Galli E/350); expositionem notionis nondum esse satis praecisam (E/391, 4 [*Animadv.* dact., p. 104]); revelationem non exponi debere ut collectionem verborum (E/300) vel ut enuntiationem theseon (E/391, 5 [*Animadv.* dact., p. 107]); conceptum in *Schemate* propositum esse nimis intellectualem (Idem et E/426) et scholasticum (E/259), laborare conceptualismo (E/2230).

Principalis autem ratio alicuius intellectualismi reprobandi fuerit, quod in *Schemate* non satis attendatur ad id, quod revelatio non verbis dumtaxat fiat, sed etiam factis salutaribus. Ita Episcopi Africae Centralis Occidentalis cum tribus aliis Patribus (E/259, 426, 450). Pro parte consentiunt Episcopi Neerlandiae et quinque Patres Galli statuendo factis salutaribus effici quidem ut cognoscantur mysteria Dei, attamen non plene, nisi accedat divina locutio. Sunt etiam Patres, qui censeant non sufficienter in lucem poni revelationem essentialiter consistere
[56] in Dei locutione secundum *Hebr.* 1, 1-2 (E/395 et 605 collato E/446). Episcopi Belgiae notant revelationem non tantum esse verbalem, sed etiam realem: Deum semetipsum revelare (Denz. 1785).

Aliae rationes allatae de conceptu nimis scholastico et intellectualistico sunt sequentes: Episcopi Burdigalenses existimant non satis dici de revelationis habitudine ad vitam. Plures alii Patres putant Deum non solum se revelare nobis ut verax est, sed etiam ut Deus vivus (Epp. Galliae Occid.: E/300) et Deus amans homines (E/349). Alius Episcopus censet non satis attendi ad Christum etiam propria sua persona revelantem (E/265), vel ut alius observat, revelantem Patrem secundum *Io.* 14, 9 (E/2230); Episcopi Aix-Avignon-Marseille desiderant, ut firmius affirmetur, Iesum Christum, Dei Verbum, esse primum fon-

tem revelationis. Imo non deest qui asserat revelationem ante omnia [56]
esse ipsum Christum Dominum (E/316).

e) Notemus tandem Episcopum censentem melius esse non afferre exemplum concretum veritatis ex sola revelatione supernaturali cognoscibilis. In India enim a non-Christianis admitti incarnationem (E/2046).

2. *Ad Caput olim I: De Verbo Dei revelato.*

a) Non omnibus placet *titulus* novus. Ut meliores proponuntur: *de Revelatione* (E/426); *de Revelationis Transmissione* (5 Patres Galli: E/350); *de Scriptura et Traditione* (E/300). Alii non quidem alium titulum proponunt, sed statuunt titulum non correspondere textui (Epp. Argentiniae: E/443), vel titulum non satisfacere, cum revelatio sit magis verbum Dei revelans quam verbum Dei revelatum (E/391, 4 [*Animadv.* dact., p. 140] et E/391, 5 [*Ibid.*, p. 107]).

b) Est qui putat numerum 7 *de Apostolis praedicatoribus* esse reficiendum, cum immerito in hoc numero de solo Novo Testamento sermo fiat, quare novam proponit redactionem (E/223).

c) Quod ad *Traditionem* spectat, est Pater qui censet melius de ea dictum fuisse in priore *Schemate* (E/605), et alius qui putat verba facta de Traditione ingerere timorem retrogressus doctrinalis (E/2166), dum tertius asserit Traditionem tractari veluti cenerentolam (E/223). Quod multi alii minus poetice exprimunt. Patres Abruzzenses iudicant de Traditione nil actuale habere; Episcopi Burdigalenses lamentantur ne descriptionem quidem habere Traditionis; Episcopi Galliae meridionalis dicunt Traditionem negligi ideoque adesse periculum, ne hac deficientia eius valor imminuatur. Alius Pater putat brevem sed claram descriptionem et enarrationem Traditionis eo magis esse necessariam, quo magis plures acatholici voce Traditionis male afficiantur (E/391).

Quare mirum non est plures Patres desiderare ut saltem numerus specialis Traditioni dedicetur (Episcopi 13 Galliae merid. et E/391, 4 [*Animadv.* dact., p. 104], E/223, E/286, E/313, E/327, E/336), quorum duo (E/391, 4 et E/313) suam mentem circa Traditionem longius evolvunt. Tres sunt qui ulterius procedunt et rogant, ut fiat longior de [57]
Traditione tractatus. Quorum primus proponit textum sat longum et elaboratum, in quo successive agitur de Traditionis indole verbali et reali, de subiecto Traditionis seu de Ecclesia a Spiritu Sancto directa, et tandem de mutua habitudine Traditionis, Bibliae, Ecclesiae et Magisterii (E/300). Alius haud aliter textum latius evolutum exhibet, in quo per varia capita tractatur de Sacrae Traditionis existentia, natura, momento, nexu cum S. Scriptura, habitudine ad Magisterium, et tractatui

[57] finis imponitur epilogo (E/2206). Tertius tandem affert textum provisorie et compendiose redactum, in quo per quinque paragraphos exponuntur Sacrae traditionis natura, extensio, loci inventionis, species duplex divina videlicet et ecclesiastica, necnon relatio ad Ecclesiae Magisterium (E/308).

d) Plures sunt qui desiderant ut fusius agatur de *Relatione inter Traditionem et Sacrum Magisterium.* Sunt duo Patres qui hac de re longiores exhibuerunt expositiones (E/308 et 313), dum alii paucioribus sese manifestant (E/300 et 327). Item sunt qui desiderant ut latius agatur de relatione Traditionem inter et Scripturam. Notat quidam Pater expositionem in *Schemate* hac de re datam, haud aliter ac de relatione inter Traditionem et Magisterium, esse sat frigidam et hac de re melius agi in Compendio Conferentiae Episcoporum Austriae, Belgii etc. Quod ad Scripturam attinet plures una cum Episcopis Scandinaviae et linguae germanicae censent traditionem esse tempore priorem Scriptura (E/214, 218, 265, 2046), immo et pondere (E/214, 218, 2237). Immo ultimus numeratus (E/2237) in longa dissertatione de triade Scriptura-Traditio-Magisterium, existimat in *Schemate* minus recte procedi a Scriptura ad Traditionem et tandem ad Magisterium. Ordinem esse invertendum: Ecclesiam ipsam duce Spiritu Sancto conservare et exponere traditionem et esse auctorem litterarium S. Scripturae: hac de causa Ecclesiam determinare potuisse Canonem, et explicare S. Scripturam haud aliter ac Traditionem.

e) Hisce praemissis notemus quaedam postulata magis specifica de Traditione:

Dicendum non tantum de Traditione passiva sed etiam de activa (E/2166).

Dicendum de Traditione divina et mere ecclesiastica (E/308).

Dicendum de Traditione explicativa et additiva (E/605 et 2217).

Dicatur Traditionem non tantum esse verbalem, sed etiam realem, quatenus videlicet conservatur in ritibus, consuetudinibus, praxibus etc. (Epp. Galliae merid. et occid. necnon E/391, 4 [*Animadv.* dact., p. 104]).

Traditio consideretur ut vita ipsius Ecclesiae (E/426).

Traditio magis consideretur ut subiacens influxui Spiritus Sancti (E/214, 218 et 426).

[58] Dicatur nullum esse dogma, quod non sit in S. Traditione; Scripturam non cognosci, retineri et conservari nisi Traditione, ideoque nullam explicationem S. Scripturae valere, nisi concordet cum Traditione (E/2046).

f) *De Sacro Magisterio* in *Schemate* sermo est nn. 9-10. Quod ad

observationes attinet, iam quaedam necessario praelibavimus ob conne- [58]
xionem cum S. Scriptura et S. Traditione. Notemus imprimis novam redactionem proponi ab Episcopis Neerlandiae necnon a duobus aliis Patribus (E/300 et 308). Etiam de Magisterio censetur quod tempore praecedit Scripturam (E/265 et 2237). Quare sunt qui proponant ut de Magisterii natura dicatur antequam sermo fiat de eius relatione ad depositum scriptum et traditum (E/327 collato E/2237). Est quoque qui reprobat in *Schemate* Magisterium considerari ut fontem (E/426), dum alius censet acta Magisterii v. g. Conciliorum, fieri partem Traditionis et Depositi (E/433 coll. 511).

Episcopi Neerlandiae, Scandinaviae, Belgii et linguae germanicae distinguentes inter Ecclesiam et Magisterium Ecclesiae, statuunt depositum fidei concreditum esse toti Ecclesiae, expositionem autem soli Magisterio (item E/2230). Alius Pater autem insinuat expositionem etiam concreditam esse parentibus (E/391, 5 [*Animadv.* dact., p. 107]). Dum plures probant distinctionem classicam inter regulam fidei proximam et remotam, imo desideratur ut de regula proxima fusius dicatur (E/308), est Pater qui censet eam non esse canonizandam, dum alius eam teneat non esse felicem (E/391, 4 et E/391, 5). Etiam Episcopis Indonesiae non placet, quod Depositum dicatur regula remota in oppositione ad Magisterium, ut regulam proximam. Alius Episcopus putat mutandam terminologiam: Magisterium dicatur *regula,* Depositum autem *fons* (E/2207). Episcopi Scandinaviae, linguae germanicae et alius Pater censent Magisterium esse regulam proximam solis fidelibus, non ipsi Magisterio (E/433). Alius est, qui censet distinctionem inter Magisterium et Traditionem esse inadaequatam (E/511), dum tertius opinatur eandem non esse tam evidentem, ut nonnulli sibi fingunt (E/429). Observatur quoque Magisterium nullo modo veluti fontem considerari posse (E/426), atque tolerari non posse, ut Magisterium in una linea cum S. Scriptura et S. Traditione ponatur (E/313). Tandem Episcopi Scandinaviae et linguae germanicae observant in Antiquo Testamento non exstitisse Magisterium; et ab alio Patre notatur in Novo Testamento Sacrum Magisterium, in oppositione ad theologos, esse conscientiam Ecclesiae, nulla ratione autem Magisterium agere debere veluti « politiam » seu magistratum securitatis publicae doctrinalis (E/316).

g) Circa *sensum fidelium* plures exhibentur animadversiones. Notatur de hac re melius dictum fuisse in *Schemate* Commissionis Theologicae (E/391, 5 [*Animadv.* dact., p. 107]), et Episcopi Indonesiae putant non hoc, sed alio loco, de sensu fidelium esse dicendum. Est Pater,
qui vult, ut de hac re latius dicatur, maxime propter orthodoxos (E/469), [59]
dum alius desiderat, ut melius valor eius describatur pro evolutione

[59] dogmatum (E/391, 5), et tertius ut ad textum addatur, ubinam appareat ille sensus, dicendo: « sicut apparet in scriptis, lege orandi et sacra arte » (E/304).

Sunt qui putant rem non esse sat clare explicatam, ut Episcopi Argentiniae, quibuscum consentiunt nonnulli alii (E/252 et 342). Imo est Eminentissimus, qui existimat, textum ut iacet ansam dare posse malis interpretationibus (E/270, 2 in *Animadv.* dact., p. 40).

Nominatim formula adhibita: « sensu fidelium quoque subordinate concurrente » non apud omnes gratiam invenit. Est qui proponit, ut tota formula tollatur (E/223). Episcopi autem Scandinaviae et linguae Germanicae, quibuscum consentiunt duo alii, rogant ut vox *subordinate* expungatur (E/301 et 2230). Alius suggerit, ut loco verbi *subordinate* scribatur *concomitanter* (E/511). Tandem est qui dicit sensum fidelium concurrere quidem *subordinate,* attamen non passive, sed active (E/426).

Movetur tandem quaestio, an dici possit sensum fidelium una cum Scriptura, Traditione et Magisterio constituere fundamentum fidei (E/252).

b) Quod ad problema *de duobus fontibus* spectat, ponitur quaestio de nomine et de re. Quod ad *nomen* fontis attinet, est qui rogat ut sacrum depositum dicatur *fons,* Magisterium vero *regula fidei* (E/2207); alius vero qui exoptat ut Biblia et Traditio non dicantur *fontes,* sed *loci* (E/218); tertius, ut Scriptura et Traditio dicantur *fons* revelationis, Magisterium vero *medium* (E/252); quartus, ut omnino vox *duplicis fontis* retineatur (E/2217).

Quod verum ad rem ipsam spectat, est Eminentissimus, qui notat notabilem progressum, quia nil dicitur de duobus fontibus (E/353), dum duo alii Patres asserunt duplicem fontem omitti sapienter (E/301). Sunt qui timent, ne verbis adhibitis in numeris 8 et 9, vocibus vid. *ambae* necnon *una vel altera parte depositi,* iterum duplex fons insinuetur (E/301, 2230), et alius ne Biblia et Traditio considerentur veluti elementa iuxtaposita (E/426). Ex altera parte est qui putat omissionem verborum *duplex fons* conspicue notari, et rogat num in posterum Verbum Dei scriptum vel traditum vocandum sit « una vel altera pars depositi » (E/268). Sunt quoque qui implicite vel explicite statuunt esse duos fontes, et Traditionem latius pati quam Bibliam. Patres Apuliae censent quasdam veritates, imprimis de Canone, non inveniri in ipsa S. Scriptura; alius notat in initio Ecclesiae non fuisse nisi traditionem, et canonem S. Scripturae nasci tantum ex Ecclesiae Magisterio (E/343, 2 in *Animadv.* dact., p. 86); item alius Traditionem non esse tantum expli-

cativam, sed etiam additivam (E/2237). Plura autem pro distinctione [59]
fontium, ad doctrinam quod spectat inadaequata, proferuntur argumenta. Provocatur ad Sanctos Chrysostomum et Augustinum (E/2260); ad [60]
condemnationem theoriae unici fontis revelationis in Vaticano I, ad catechismos, praedicationem ordinariam, documenta pontificia (E/2217), ad Encycl. *Humani Generis* (E/229), ad Concilia Provincialia Coloniense et Ultraiectense necnon ad ipsum Lutherum (E/2237). Tandem est Eminentissimus, qui notat novam redactionem profluere ex desiderio dialogi cum separatis, attamen non satis considerare duodecim facta catholica vid.:

1) Prologum Vaticani I de theoria unici fontis;

2) Encyclicas Pii XII *Humani Generis* et Ioh. XXIII *Ad Petri*;

3) Claram separationem inter Verbum Dei scriptum et Verbum Dei traditum non tantum ratione cognitionis, sed etiam ratione communicationis divinae;

4) Doctrinam Conciliorum trium provincialium approbatorum;

5) Catechismos;

6) Sensum catholicum fidelium;

7) Canonem in S. Scriptura non communicatum in ipsa Biblia;

8) Scandalum oriturum ex silentio Concilii;

9) Exemplum malum datum theologis spernentibus traditionem;

10) Libertatem et sinceritatem exegeseos catholicae;

11) Bibliam N. T. non existentem in primitiva Ecclesia;

12) Allocutionem Pauli Pp. VI die 8 dec. 1963 (E/2182).

3. *Ad Caput olim II: De Sacra Scriptura.*

1) Est Pater qui desiderat, ut titulus mutetur in hunc sensum: « De S. Scripturae inspiratione, inerrantia et interpretatione, et ut addatur numerus proprius de inerrantia » (E/223).

2) Nonnulli Patres censent in numero 10, prout iacet, insinuari revelationem in sola Scriptura contineri, quod admitti nequeat (E/214; 218 et 240).

3) Quod ad inspirationem spectat, Episcopi linguae germanicae et Scandinaviae putant de ea melius dictum fuisse in antiquo *Schemate,* vocem autem *instrumenti* esse aequivocam. Alius putat voces *instrumenti* et *causae principalis* nimis sapere scholam (E/2230); iterum alius vocem *instrumenti* esse hagiographis indignam (E/511). Episcopis Abruzzensibus displicet numerus de inspiratione, utpote nihil continens actuale. Alius Pater est, qui censet definitionem inspirationis non debere fieri

[60] nimis arcte: nondum enim nobis bene compertum esse, quid sit inspiratio, cum Canticum Canticorum librique historici non differant ab eiusdem generis libris profanis (E/257).

4) Ad inerrantiam biblicam quod attinet, est Pater qui rogat, ut eius definitio sit satis lata, cum in S. Scriptura existimet evidenter adesse errores, ubi agitur de rebus profanis (E/257). Alius censet inerrantiam biblicam versari dumtaxat circa res fidei ac morum (E/252); tertius eam
[61] attingere solas res ad salutem respicientes (E/343); quartus denique inerrantiam biblicam minus late patere quam inspirationem (E/469). Ex adversa parte Patres illi qui volunt censuram errorum, etiam exoptant, ut damnentur errores circa biblicam inerrantiam. Episcopi autem linguae germanicae et Scandinaviae statuunt quidem clare S. Scripturam esse immunem ab errore, attamen ob mentalitatem hodiernam et difficultates actuales breviter exponendum esse, quid praecise voce *erroris* intellegatur.

5) Circa n. 12 in quo sermo est de *interpretatione* S. Scripturae, Eminentissimus Pater censet in lineis 23-27 magis minusve asseri Ecclesiam ante exegesim hodiernam catholicam nondum novisse verum sensum S. Scripturae. Alius Episcopus putat hermeneuticam humanam statui ut fere unicam regulam interpretationis: sileri enim de traditione, magisterio et analogia fidei (E/223). Vide etiam E/218 ad cap. 5.

6) Ad *historicitatem* quod attinet: Patres Africae orientalis sentiunt quaestiones de interpretandis libris cum Novi tum Veteris Testamenti sufficienter solvi non posse, nisi saltem aliquo modo explicetur quid sit historicitas et quam complexa sit eius notio (E/326). Contra autem quinque Patres Galli censent, quod si mutata voce non dicatur de *fide* historica, sed potius de *valore* historico librorum sacrorum, omnes homines facile intellecturos esse, de quanam re agatur et quid statuatur (E/350). Episcopi Scandinaviae et linguae germanicae, quibuscum consentiunt duo alii Patres (E/345 et 2166), proponunt, ut in re generum litterariorum adhibeatur textus Encyclicae *Divini afflantis*.

7) Ceterum in Observationibus ad hoc caput clare apparent duae tendentiae circa exegesim hodiernam catholicam. Ex una parte cum laude evehitur, quod in nova redactione sunt expuncta verba tendentiosa, quae sint obstaculum exegesi catholicae (E/316); desiderium exprimitur ut laudentur exegetae catholici (Epp. linguae germanicae et Scandinaviae et E/395); imo et rogatur, ut Ecclesia nolit sese gerere veluti ducem exegetarum (E/469). Ex altera parte desideratur, ut dicta de exegesi ita redigantur, ne contradicant professioni fidei Tridentinae (Epp. Mexicani); postulatur, ut clare circumscribantur termini, quos exegesis

catholica transgredi nequeat (5 Patres Galli); notantur errores sparsi [61]
ab exegetis modernis (E/385); tandem timor exprimitur, ne tacente Concilio exegesis moderna adhuc audacior evadat (E/223).

4. *Ad caput olim III: De Vetere Testamento.*

1) Est Pater, cui non placet titulus capitis: mutetur: « De libris Veteris Testamenti » (E/223).

2) Episcopi Burdigalenses putant non sufficienter indicari locum centralem Christi, de quo locuti sunt auctores V. T.: Scrutamini Scripturas etc.

3) Episcopi linguae germanicae et Scandinaviae observant ethicam
V. T. differre ab ethica N. T., et alius Pater vult, ut clare dicatur [62]
oeconomiam totam V. T. esse abrogatam et esse ministrationem mortis (E/223).

4) Episcopi Belgii proponunt, ut dicatur de triplici fine Veteris Testamenti: de monotheismo; de historia salutis populi electi; de praeparatione viae ad Christum.

5. *Ad Caput olim IV: De Novo Testamento.*

1) Etiam hic est qui desiderat, ut titulus mutetur et sic sonet: « De libris Novi Testamenti » (E/223).

2) Patres linguae germanicae, Scandinaviae et Indonesiae rogant, ne de origine apostolica Evangeliorum dicatur Ecclesiam hoc semper « tenere et tenuisse », sed id « credere et credidisse ».

3) Episcopis Indonesiae placebit, si omisso n. 20 « de ceteris libris N. T. », in initio capitis dicatur de libris N. T. in genere, et dein de Evangeliis in specie.

4) Episcopi Burdigalenses rogant, ut potius dicatur de *narrationibus* Evangeliorum, quam de *historia*; alius autem Pater optat, ne dicatur « historia salutis », quia haec vox germanice apud Protestantes aequivocum sensum habet (E/285).

5) Dum in Schemate dicitur Evangelia *aliquando* resonare vocem praeconii, Episcopi linguae germanicae, Scandinaviae et Indonesiae statuunt Evangelia *semper* esse praeconium. Alius autem Pater notat vocem praeconii ansam dare posse interpretationibus minus rectis (E/1742); alius vero falsis et periculosis (E/2166).

6) Quod ad dubia attinet circa historicitatem Evangeliorum, aliquis Pater non videt, cur declarari expresse debeat id quod fideles per plura saecula crediderunt (E/342): alius autem iudicat, antequam dicatur de dubiis fidelium, accuratius indagari debere de natura illorum dubiorum

[62] (E/327). Alii autem volunt ut moneantur exegetae (E/306) et commendetur prudentia (E/286).

7) Nonnulli Patres rogant, ut clarius et fusius agatur contra errores circa historicitatem Evangeliorum (5 Patres Galli, E/343; E/390; E/1742; E/223).

6. *Ad Caput olim V: De S. Scripturae usu.*

Patres Galliae occid. proponunt textum reformatum capitum 21, 24 et 26 (E/300); alius autem ut loco numerorum 23 et 24 resumantur numeri 24 et 29 antiqui Schematis (E/218).

Est quoque qui putat in n. 21 nimis extolli S. Scripturam, ac si ipsa sola, exclusa traditione, esset sustentaculum Ecclesiae (E/223).

Quod ad *lectionem* S. Scripturae spectat, sunt Patres Indonesiae qui existiment verba hac de re adhibita non esse omnino sincera, ob diversam praxim olim in Ecclesia vigentem; alius putat melius omitti apolo-
[63] giam inutilem (E/327). Est qui iudicet non satis commendari lectionem Bibliae (E/229), dum alii censent commendationem fieri debere ad mentem Benedicti XV et Pii XII (E/259). Episcopi Indonesiae, Galliae meridionalis et unus alterve (E/240) desiderant, ut expresse commendetur lectio privata. Alius rogat cur lectio Bibliae non nominatim commendetur seminaristis et religiosis (E/336; E/247). Tandem est qui quaerit, quid in praxi sit faciendum, ut fideles ad S. Bibliam accedant (E/268).

Ad *versiones* S. Scripturae quod attinet, est Pater qui rogat declarationem, num in vigore remaneat decretum Tridentinum (DENZ. 785) de authenticitate Vulgatae (E/488).

Relate ad exposita *de officio doctorum* catholicorum est Pater qui rogat, ut nominatim commendentur Patres Ecclesiae (E/511); cui assentiunt quinque Patres Galli et duo alii (E/218 et E/223), qui insuper commendatas volunt analogiam fidei et reverentiam Magisterii ecclesiastici. Dum Episcopi Germaniae (vide etiam E/395) desiderant verba laudativa pro exegetis catholicis, alii potius, ut iam antea dixi, monent ad prudentiam. Est quoque qui vult, ut S. Scriptura proponatur tanquam fundamentum instructionis catecheticae (E/313).

Ad n. 24, ubi sermo est de S. Theologia, nonnulli Patres cum Episcopis Neerlandiae notant ibidem verbum Dei dupliciter sumi: primum complexive de S. Scriptura et de Traditione, dein de S. Scriptura sola: et sic oriri confusionem: S. Theologiam non soli inniti Scripturae Sacrae, sed Scripturae simul et Traditioni (E/218; E/229; E/223).

Tandem in documento die 5 febr. 1964 accepto proponitur, ut caput quintum cum decreto pastorali *de verbo Dei* a Commissione pro Uni-

tate elaborato in unum caput redigatur, vel ut opus Commissionis pro Unitate veluti appendix Constitutioni *de Divina Revelatione* adiungatur (E/2255). [63]

* * *

Superius exposita conscripta sunt, ut habeatur idea generalis variarum opinionum, ex quarum concussu speratur exortam esse maiorem expositionis claritatem.

Ad singulos autem numeros quod spectat de *Observationibus* a Patribus missis suis locis erit sermo.

Etenim ad revisionem Schematis *de Revelatione* die 7 martii erecta fuit Subcommissio Specialis cuius membra erant Exc.mi CHARUE, Praeses, et FLORIT, BARBADO (†), HEUSCHEN, PELLETIER, VAN DODEWAARD, BUTLER.

Ipsa Subcommissio statim se dividit in duas sectiones, quarum prior attenderet ad problemata de revelatione, de verbo scripto et tradito deque magisterio: altera ad quaestiones de vetere et novo Testamento necnon de S. Scripturae inspiratione, exegesi et lectione. Priori sectioni praefuit Exc.mus FLORIT, alteri Exc.mus CHARUE. In priore tamquam periti adfuerunt Betti, Colombo, Congar, Moeller, Prignon, Rahner, [64]
Ramirez, Schauf, Smulders, Van den Eynde; in altera Castellino, Cerfaux, Gagnebet, Garofalo, Grillmeier, Kerrigan, Rigaux, Semmelroth, Turrado.

Sectio prima 5 sessiones habuit inter diem 20 et diem 23 apr. 1964; sectio altera 6 sessiones inter diem 20 et diem 24 eiusdem mensis et anni. Tota autem Subcommissio, unitis ambabus sectionibus, eodem tempore quarties convenit. Ipsa Commissio doctrinalis ultimam revisionem absolvit diebus 3-5 iunii in quattuor sessionibus.

Ad *Observationes* Patrum ponderandas et diudicandas quod spectat:

Pro Prooemio et Capite I retulit SMULDERS, pro II BETTI, pro III GRILLMEIER, pro IV KERRIGAN, pro V RIGAUX, pro VI GRILLMEIER.

Moderator: Nunc autem velit exc.mus D. Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis, legere relationem nomine minoritatis commissionis de doctrina fidei et morum factam circa schema *de revelatione divina*.

2 – Exc.mus P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Macarscensis

RELATIO

DE AMPLITUDINE TRADITIONIS DIVINO-APOSTOLICAE RELATE AD S. SCRIPTURAM NOMINE MINORITATIS COMMISSIONIS DE DOCTRINA FIDEI ET MORUM FACTA

Carissimi fratres,

Cum in Commissione nostra doctrinali unanimitatem de quaestione relationis inter Scripturam Sacram et Traditionem divino-apostolicam attingere haud potuissemus, sententiam minoritatis de maiori amplitudine sacrae Traditionis relate ad S. Scripturam Vobis exponere audeo, iuxta normas pro Concilio gerendo nobis datas. Quod officium libenter expleo, eo vel magis quia et sententiam et omnia argumenta Patrum qui pro maiori amplitudine Traditionis prae S. Scriptura locuti sunt plene condivido. Nam minoritas sicut et maioritas Commissionis doctrinalis in servitium fidele Patrum semper praesto esse debent.

A) Antequam thesim meam argumentis, a Patribus in Concilio prolatis vel scripto datis, probare incipiam, liceat mihi quaedam praemittere.

1. A patribus in aula optime notatum est ontologice spectatum et ex parte Dei unicum fontem Evangelii ipsum Deum esse revelantem. Cum schema aliter ac schema prius praeparatum iam de ipsa revelatione agat, titulus iure meritoque mutatus esse videtur.

2. Id quod dictum est in textu de Sacra Traditione pag. 16 lineis 22-24 schematis nostri, ubi legitur: « Per eandem Traditionem et ipsae Sacrae Litterae absoluta certitudine Ecclesiae innotescunt in eaque indesinenter actuosae redduntur... » procul dubio verum est, sed integram doctrinam catholicam clare exposuisse non videtur.

Ratio huius defectus, ex mea humili opinione, in eo esse videtur, quod duo aspectus diversi in Sacra Traditione inter se non distinguuntur, scilicet aspectus systematicus, ut ita dicam, et aspectus criteriologicus...[1]

Aspectus systematicus quaerit: utrum omnes veritates ex Traditione tantum a nobis cognitae reduci possint ad quandam veritatem in Scriptura contentam?

Aspectus criteriologicus seu cognoscitivus quaerit: utrum omnes veritates fidei ex Scriptura certe cognosci possint, seu utrum dentur duo fontes, seu duo rivuli, quibus nobis verbum Dei transmittitur?

Si problema mutuae relationis inter Scripturam et Traditionem systematice consideramus, ...[2] omnino approbandum est quod omnes veritates cognitae ex Traditione essent in aliqua veritate scripturistica vel insinuatae, vel adumbratae, vel fundatae vel aliquo alio modo contentae.

Positio problematis sub hoc respectu est omnino scholastica et liberae discussionis et qui vult eam tenere, praesertim si inclinationem omnia systematizandi habet, teneat eam, sed talis systematizatio sub respectu practico haud magnam utilitatem afferre videtur. Nam posito aliquo fundamento multa et diversa superconstrui possunt. Ex altera vero parte probandum esset omnes veritates extrabiblicas ex suis fundamentalibus veritatibus seu adumbrationibus seu nucleis per veram evolutionem eductas esse.

Si vero problema nostrum criteriologice consideramus, tunc videtur multis Patribus inter catholicos non posse esse discussionem de hac re, scilicet isti Patres firmiter tenent non omnes veritates in S. Scriptura contentas esse. Quod valet non solummodo de canone sacrarum litterarum, sed etiam de aliis quibusdam veritatibus, quae tantummodo per sacram Traditionem certe nobis innotescunt.

3. Schema ergo defectu laborat, si talis amplitudo Traditionis clare non exprimitur, quae factum solius Scripturae ut sacrae et inspiratae excedat. Pro schemate quod explicite de Traditione tractare intendit hoc fundamento multa et diversa superconstrui possunt. Ex altera vero mendum non videtur esse parvum. Eo magis quod textus aliquatenus favere videtur sententiae de Traditione interpretativa.

Proponitur ergo, ut hoc paucis verbis dicatur.

B) Ad argumenta quod attinet incipiam, ad captandam vestram benevolentiam, inquantum possibile mihi erit, ab argumento oecumenico.

1. *Argumentum oecumenicum.* – In manuali theologiae dogmaticae ecclesiae orthodoxae Serbiae ...[3], cui titulus « Dogmatika pravoslavne crkve » — scripto a Iustino Popović, sacerdote monacho ...[4] professore in facultate theologica orthodoxa in Beograd (Jugoslavija) —, quo tamquam libro textus adhuc utuntur in supradicta facultate, — in paginis ubi est sermo de mutua relatione inter Scripturam sacram et Traditionem, legimus sequentia verba, quae nobis liceat ad verbum referre (in traductione tamen ob inscientiam vestram linguae serbicae): ...[5] « Quemadmodum Sacra Scriptura fons est sanctorum dogmatum ita quoque sancta Traditio est, quia et ipsa verbum Dei est cum hac distinctione quod conservatum est in Ecclesia ob orali traditione apostolica » (cf. *op. cit.*, lib. I, p. 31, linn. 1-4).

« Omnino necessarium est tenere traditionem » — sua facit verba S. Epiphanii auctor orthodoxus ecclesiae Serbiae — « quia impossibile

est omnia in Sacra Scriptura reperire. Sancti apostoli alia in sacra Scriptura alia in sacra Traditione reliquerunt » (cf. *Haeres.* 60, cap. 6, apud *op. cit.,* pag. 33). Ideo auctor ille in hunc sensum firmiter dicit: « Apostoli eorumque successores initio oraliter docebant et tantum postea indigebant *partem* sanctae Traditionis in sacros libros Novi Testamenti conscribere » (cf. *op. cit.,* pag. 32, lin. 30 s.) et concludit Ecclesiam Christi anathematizare illos qui Traditionem reiciunt...[6]

Paululum fusius hoc argumentum evolvi, ut patribus ostenderem orthodoxos nostros fratres quibuscum vivimus ...[7] habere eandem doctrinam de Sacra Traditione ac nos catholicos et proinde affirmationem huius doctrinae in Concilio habere pro nobis quoque momentum oecumenicum magni valoris.

Puto quoque fratres protestantes velle a nobis scire sincere et aperte quid de hac quaestione hodie sentiamus. Non debemus eos silentio decipere. Caritas quae celare vellet dissensum non esset vera caritas.

2. *Doctrina Concilii Vaticani I.* – In Prologo Constitutionis dogmaticae Conc. Vaticani I *Dei Filius* (cf. *Collectio Lacensis,* VII, col. 249 b) damnatur theoria protestantium de S. Scriptura unico fonte revelationis his verbis: « Ipsa sacra Biblia, quae antea (scilicet a reformatoribus) christianae doctrinae, unicus fons et iudex asserebatur, iam non pro divinis haberi, imo mythicis commentis accenseri coepere ». Quibus erroribus opponitur in fide prologi doctrina ipsius Vaticani I dicentis: « se inniti Dei Verbo scripto et tradito, prout ab Ecclesia catholica sancte custoditum et genuine expositum accepimus », et postea in cap. 3, de fide: « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia catholica tamquam divinitus revelata proponuntur ».

3. *Encyclicae Pontificiae.*

In encyclica Pii XI, *Mortalium animos* dicitur: « Traditionem esse genuinum divinae revelationis fontem » (*A.A.S.,* 20 [1928], p. 12).

In encyclica Pii XII, *Humani generis* aperte sermo fit, ut notum est, de duobus distinctis fontibus revelationis (cf. *A.A.S.,* 42 [1950], pp. 567-569).

In encyclica Iohannis XXIII, *Ad Petri cathedram* dicitur: « Catholica Ecclesia ea omnia firmiter fideliterque credenda esse decernit, quae divinitus revelata sunt, quae nempe in Sacris Litteris continentur, aut oretenus vel scriptis sunt tradita, atque inde ab apostolica aetate per saeculorum decursum a Summis Pontificibus et a legitimis conciliis sancita ac definita sunt » (*A.A.S.,* 51 [1959], p. 512).

In encyclica *Ecclesiam suam,* Pauli VI, f. r., dicitur « ... quid revera ipsa (Ecclesia) sit secundum Iesu Christi mentem, quam Divinae Litterae

et apostolica traditio integram servant, ecclesiastica autem traditio interpretatur et explicat quae quidem, ut probe novimus, fruitur lumine et ductu Spiritus Sancti... » (cf. *L'Osservatore Romano,* 10-VIII-1964, pag. 2).

4. *Doctrina quorumdam conciliorum provincialium a S. Sede approbatorum.*

a) Concilium provinciale Coloniense a. 1860 celebratum et a S. Sede approbatum in capite, cui titulus est: « De revelationis plenitudine a Christo Ecclesiae commissa dupliceque consignata fonte » aperte docet totum depositum non contineri in Scripturis (cf. *Collectio Lacensis,* V, 273 D-274 C).

b) Synodus provincialis Ultraiectensis a. 1865, tit., cap. V docet: « Universum verbum Dei revelatum duplici fonte consignatum esse docet fides catholica » (*Collectio Lacensis,* V, 749 C).

5. *De catechismis.* – Catechismi diversorum temporum per quattuor saecula, diversarum linguarum et nationum usque ad nostros dies ampliorem traditionem quam quae in Schemate expressa sit docent. Clare docetur dari veritates revelatas, ergo non tantum veritatem de Scriptura ut sacra et inspirata, quae nec expresse in Scriptura habentur nec inde certe erui vel probari possent. Ecclesia ipsa indiget Traditione constitutiva non tantum Traditione interpretativa. Agitur hic de thesi catholica fundamentali, quae ut talis proposita est a catechismis, et quidem decisive, aperte et clare (cf. SCHAUF H., *Die Lehre der Kirche über Schrift und Tradition in den Katechismen,* Essen 1963 [H. Driver Verlag] Catechismus gallicus, e. g., dioecesium Ambrai-Aix-Avignon dicit: « *Il est certain que la Tradition renferme des vérités révélées et des préceptes imposés par Dieu, qui ne sont pas contenus dans la Bible* [8] » cf. n. 212, p. 230).

6. Idem dicendum *de theologis* ante-tridentinis et post-tridentinis, de quibus videri potest cl. prof. Schmaus in relatione sua de libro a J. Beumer conscripto.

Iuxta theologos Societatis Iesu obiectum Traditionis latius patet quam obiectum Scripturae; dantur veritates sola Traditione transmissae (cf. ITURRIOZ, *De Traditione revelationis fonte, apud theologos Societatis Iesu,* in: « De Scriptura et Traditione », a Pontificia Accademia Mariana Internationali edito libro, Romae [1963] p. 427 ...[9]).

7. *Sensus fidelium.* – Unusquisque nostrum, uti testis fidei Ecclesiae propriae, proprios fideles et sacerdotes interrogare potest, ut cognoscat sensum fidei eorum, quod ego ipse feci, praesertim his tribus ultimis

annis. Et pueri, et adulti et sacerdotes mihi respondebant quasdam veritates fidei haberi a Christo praedicatas, in Scriptura tamen non contentas, sed quae ad nos pervenerunt per praedicationem apostolorum eorumque successorum.

8. Liceat tandem mentem Patrum dirigere ad *consequentias,* si schema manet uti iacet.

a) Confusio oriri potest apud nostros fideles, apud sacerdotes imo et apud fratres nostros pravoslavos ac si doctrina catholica hac in re mutata esset.

b) Scientiae catholicae biblicae, quae omnes veritates ex Scriptura deberent probare constringerentur ad exegesim non sinceram: cogita v. g. de doctrina catholica de sacramentis...[10]

c) Una ex parte magisterium ordinarium clare docet dari Traditionem constitutivam, ampliorem quam quae in schemate docetur. Altera ex parte si schema de tali amplitudine, utique non illimitata, tacet, confusio etiam apud theologos oriri potest: theologi etenim vel dicent magisterium ordinarium per saecula usque ad nostros dies clare docens errasse, quod auctoritatem nostram episcopalem maxime offenderet, vel dicent concilium defecisse causando dubia ubi vera dubia non sunt, imo dicere possent Concilium reapse dubitasse de amplitudine Traditionis quo modo hucusque ab Ecclesia catholica edocta est.

Summus vero Pontifex Paulus VI, die 8 decembris 1963, clare dixit quaestionem de Revelatione ita absolvi debere, ut sacrum depositum tueatur adversus errores, abusus, *dubitationes,* quibus vis veritatum sacri depositi subiective infringatur.

Nulla ergo ratio sufficiens adesse videtur tacendi de doctrina catholica, utique bene explicata, eo vel magis, quia nostris diebus inter catholicos lis de verbo potius est, quam de re.

Conclusio

Ad modum conclusionis humiliter propono ut Patres has duas quaestiones considerent.

I - « Num amplitudo Traditionis in schemate exposita plenam mentem catholicam de amplitudine Traditionis exprimat in pag. 16 linn. 22 ad 24 »?

Agitur de quaestione veritatis. Verba mox citata in pag. 16 in lineis 22 ad 24 sic faciliter compleri possent ...[11]: « Per eandem Traditionem non solum quaedam veritates revelatae verum etiam ipsae Scripturae nobis certe innotescunt... ».

Vel si placet propono textum longiorem ...[12]:

« Per eandem Traditionem quaedam veritates revelatae quae in Sacra Scriptura vel expresse non leguntur vel ex ea per se sola, etiam adhibita interpretatione ex Traditione desumpta, probari ac erui non possunt, quamvis forsan in ea fundamentum habeant, immo et ipsae Sacrae Litterae absoluta certitudine Ecclesiae innotescunt in eaque indesinenter actuosae redduntur ».

II ...[13] - « Num tali amplitudine quae ut doctrina catholica a magisterio ordinario affirmatur silendum sit in ipso schemate et qua ratione »?

Agitur de quaestione opportunitatis quae quoque suum momentum ...[14] in Ecclesia habet.

Addere volo commissionem maxime in sessione mixta potius de opportunitate quam de veritate tractasse. Tandem me non asserere in Schemate inveniri errorem, sed tantummodo defectum notabilem.

In oratione: [1] cognoscitivus. [2] sub aspectu systematico. [3] in Iugoslavia. [4] — hieromonacho —. [5] dicit auctor. [6] hoc sensu explicatum. [7] nos. [8] « Certum est traditionem continere veritates revelatas et praecepta imposita a Deo quae non continentur in Sacra Biblia ». [9] sub P. Balić. [10] quam probare Protestantibus non possimus sine traditione constitutiva. [11] in ipsa votatione, votando iuxta modum. [12] nomine minoritatis commissionis doctrinalis. [13] Secunda consideratio quam propono Patribus. [14] et etiam magnum.

Durante relatione, moderator: Rogo relatorem ut suspendat aliquantulum orationem suam, dum exc.mus secretarius generalis loquitur.

Secretarius generalis: Prosequimur ad aliam suffragationem. Circa suffragationem primae partis cap. III debeo complere exitum; etiam mihi mirum videbatur quod nullum esset suffragium nullum. E contra, erant quatuor, quae me fugerunt in legendo.

Antequam suffragationi subiciatur cap. V, facienda est illa suffragatio, ut ita dicam, praeiudicialis, quae refertur in libello, in quo exponitur modus suffragandi, sub numero VI. Videatis, Patres, libellum illum in quo est quaesitum circa modum suffragandi. Conferatis pag. 3, ubi est quaestio: « *Quaeritur* »: sub numero VI refertur illa suffragatio: « Utrum instituendum sit caput speciale de religiosis an simpliciter sectio altera unius capitis de vocatione ad sanctitatem? » [*cf. vol. III, pars I, pag. 396*].

Porro haec suffragatio fit ante cap. V, ut logice res vult. Et fit non per formulam disiunctivam quae confusionem creat, sed tantummodo per primam partem illius formulae. Quapropter quaero a vobis, vene-

rabiles Patres, *utrum instituendum sit caput speciale de religiosis.* Hoc unum quaeritur. Si huic quaesito respondetur affirmative, iam cadit altera pars. Si vero huic quaesito respondetur negative, tenet altera pars. Ergo quaeritur: « Utrum instituendum sit caput speciale de religiosis? ».

Circa hanc quaestionem, quae pertinet tantum ad proceduram, requiritur maioritas absoluta, nempe quinquaginta et unus supra centum... *placet,* uti patet.

Ergo quaeritur: « Utrum instituendum sit caput speciale de religiosis »? Suffragatio est tantum per *placet* et *non placet.* Satis.

Expleta relatione, moderator: Gratias agimus exc.mo relatori, et nunc loquatur exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Mihi perlatum est, venerabiles Patres, quosdam Patres non intellexisse obiectum suffragationis quae nunc fit. Obiectum seu quaesitum est hoc: « utrum instituendum sit caput speciale de religiosis »? Cui quaesito respondendum est tantum per *placet* vel *non placet.*

A. v., desideratur ut in schemate *de Ecclesia* unum tantum caput habeatur circa sanctitatem, an duo quorum unum agat de religiosis? Haec est summa quaestionis. Sed quaesitum propositum est per unam tantum partem ut res clarius appareret.

Ergo, repeto: quaestio quae fit, cui respondendum est, est: « utrum instituendum sit caput speciale de religiosis »?

Si habetur responsio affirmativa ad hanc partem, tunc cadit aliud membrum: « an simpliciter sectio altera unius capitis de vocatione ad sanctitatem? ». Si vero non approbatur haec prima pars, tunc tenet altera pars.

Sed ne confundamus amplius quaestionem, respondeatis, Patres venerabiles, tantummodo huic quaesito: placetne ut instituatur caput speciale de religiosis? Ex hac responsione videbitur consectarium, nonne? Gratias.

Sed nunc communico exitum suffragationis II de integro cap. III:

Praesentes votantes	2.240
Dixerunt *placet*	1.704
non placet	53
placet iuxta modum	481
Suffragia nulla	2

Ergo textus est a congregatione generali approbatus. Nunc audiatis, Patres venerabiles, exitum suffragationis circa cap. IV:

Praesentes votantes		2.236
Dixerunt	*placet*	2.152
	non placet	8
	placet iuxta modum	76

Suffragium nullum, in hac suffragatione, vere nullum.

Etiam hic textus, nempe cap. IV, est probatus a congregatione generali.

Nunc transeamus ad aliam suffragationem circa cap. V schematis *de Ecclesia*. Videatis pag. 139 [*cf. vol. III, pars I, pag. 293-299*]. *Placetne, non placet,* an *placet iuxta modum?*

Moderator: Nunc autem exc.mus D. Hermenegildus Florit, arch. Florentinus, velit relationem legere super capp. I et II schematis constitutionis *de divina revelatione*.

3 – Exc.mus P. D. HERMENEGILDUS FLORIT
Archiepiscopus Florentinus

RELATIO

super Cap. I et Cap. II Schematis Constitutionis « De Divina Revelatione »

Venerabiles Patres,

Historia Schematis Constitutionis « De Divina Revelatione », sive ob intrinsecum eius momentum, sive ob quas hucusque expertum est vicissitudines, iam cum historia ipsius Concilii, unum quodammodo efformat.

Capita autem I et II, procul dubio, principem inter cetera obtinent locum. Doctrina enim, quae de ipsa Divina Revelatione ac de eius transmissione, ibidem exhibetur, medullam catholicae fidei attingit, atque plura exinde defluentia problemata theologica apte illuminat.

Sinatis igitur, venerabiles Patres, ut ipsorum Capitum delineanda historia et illustranda doctrina paululum immoremur.

CAPITUM I et II HISTORICA DELINEATIO

Haud immerito ea quae in praesentibus capitibus continentur, prima periodo huius sacrosancti Concilii mense novembri 1962, ad trutinam Patres revocaverunt, eo sane intuitu ut absolute certa exponerentur, disputabilia vitarentur. Exinde Summus Pontifex s. m. Ioannes XXIII decrevit ut, iuxta generalem Patrum tunc manifestatam propensionem, novum appararetur Schema a speciali quadam Commissione, ab eodem Summo Pontifice ad id constituta, quae membris sive Commissionis Doctrinalis, sive Secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam, necnon septem E.mis Cardinalibus constabat. Quae quidem specialis Commissio opus sibi concreditum mense martio 1963 explevit.

Peculiaritas novi Schematis, quod Patribus sequenti mense maio transmissum est, in eo potissimum erat quod de duplici fonte Revelationis quaestio caute vitabatur, ne quid obiective novum Traditioni respectu ad Scripturam tribueretur, neve quid denegaretur.

Huiusmodi autem cautela tunc adhibita, si notabile attigit bonum, illam vexatam vitando quaestionem, in defectum etiam incidit, convenientis tractationis de Traditione in se ipsa et in vita Ecclesiae spectata.

Quamobrem animadversiones Patrum, quae in scriptis inde a mense iunio 1963 usque ad mensem aprilem 1964, factae sunt (circiter 280), dum generatim, quoad substantiam, Schema noviter apparatum adprobabant, insimul petebant ut per ampliorem de Traditione tractationem idem compleretur. Item Patres non pauci doctrina etiam de Revelatione quae in prooemio exhibebatur, ut funditus retractaretur instabant, magis evolvendo ipsius Revelationis conceptum necnon obiectum, quippe quod non tantum veritates de Deo, sed et Deum ipsum complecteretur: qui ideo Deus sese revelat non solum per verba, verum etiam per gesta in historia salutis ab eo patrata.

Hisce prae oculis habitis, Commissio Doctrinalis die 7 martii 1964, Subcommissionem constituit, quae iuxta haec Patrum placita, totum Schema emendaret, statutis ad id diebus 20-25 aprilis 1964. Haec eadem Subcommissio ulterius in duas Subcommissiones internas subdivisa est, quarum una munus assumpsit illam Schematis partem retractandi quae de Revelatione et de Traditione agebat, videlicet Prooemium et Cap. I. Quo melius Patrum animadversionibus fieret satis, censuit haec parva Subcommissio antiquum Prooemium in peculiare Caput transformare, sub titulo « De ipsa Revelatione », praemisso novo parvo Prooemio ubi totius Schematis contentum praenuntiatur; antiquum autem Caput I,

cui titulus « De Verbo Dei Revelato », eadem de causa factum est Caput II, « De divinae Revelationis transmissione » inscriptum.

Utrumque Caput a tota Subcommissione unanimi consensione probatum est. Interea integra Schematis emendati textus Secretariatui ad Christianorum unitatem fovendam, cuius membra in reformando Schemate antiquiore, iussu Summi Pontificis partes habuerunt, notificatus est. Per litteram die 30 maii, Rev.mus ...[1] Secretarius illius organismi conciliaris significavit textum in genere placere, ideoque eiusdem Em.mum Praesidem sessionem coniunctam cum Commissione Doctrinali haud necessariam existimare.

Animadversiones autem quaedam ab eodem Secretariatu una cum memorata littera missae, minoris erant momenti et nulla earum Caput II respiciebat, quod de relatione inter Traditionem et Scripturam agit, *quodque disceptationum obiectum princeps iampridem extiterat.*[2]

Utrumque Caput denique Commissionis Doctrinalis iudicio subiectum est, in adunatione plenaria diebus 1-6 iunii 1964 habita.

In qua quidem Caput I « De ipsa Revelatione » sine difficultate est admissum; Caput vero secundum « De divinae Revelationis transmissione » probatum est maioritate 17 suffragiorum contra 7. Hi septem Patres textum propositum acceptare renuerunt, quia in ipso deest affirmatio de maiore amplitudine obiectiva Traditionis comparative ad Scripturam.

Patres venerabiles! Quanam de causa huiusmodi quaestio ulteriori inquisitioni theologicae relinquatur, sat superque notum est. Potius sinatis, quaeso, ut hanc practicam praemittamus considerationem. Quidnam fieret si contra hanc minoritatem alia opponeretur sententia secundum quam Traditio absolute nihil plus contineret quam Scriptura? Et tunc istae duae sententiae quomodo poterunt conciliari nisi per adhaesionem praesentis schematis textui, qui duo devitans extrema, media incedit via?

Illustratio doctrinalis

a) Circa mutationes singulas, respectu habito ad schema anni elapsi, ad Relationem liceat Vos remittere, Patres venerabiles, quae in fasciculo textum conciliarem immediate sequitur; ita ut duo illa capita nunc percurrentes, principia quibus doctrinae expositio regitur palam promantur, deprompta ponderentur.

b) Summa totius Schematis ...[3] in Prooemio (n. 1) praenuntiatur, cum ibidem Concilii intentum asseratur esse genuinam de divina Revelatione ac de eius transmissione proponendi doctrinam quidemque finalitate proxime pastorali.

Cap. I – De ipsa revelatione

Hoc Caput in quinque distribuitur puncta, quorum: in primo (n. 2) de natura et obiecto Revelationis agitur; in secundo (n. 3) de praeparatione Revelationis evangelicae per totam Veteris Testamenti oeconomiam; in tertio (n. 4) de Christo Revelationis consummatore; in quarto (n. 5) de fide Revelationi praebenda; in quinto (n. 6) de veritatibus revelatis.

1. *De Revelationis natura et obiecto* (n. 2).

Quod attinet naturam Revelationis, haec imprimis originis esse divinae dicitur, quia a Deo absolute provenit, immo et proficiscitur.

Ad eam enim faciendam Deus bonitate et sapientia sua movetur, potiusquam impotentia et indigentia hominis sollicitetur. Factum igitur Revelationis indolem primariam habet theocentricam.

Ipsius vero Revelationis constitutiva elementa sunt insimul opera in historia salutis a Deo patrata et verba quibus ipse Deus opera sua vult ut explicentur. Exinde indoles patet et historica et sacramentalis Revelationis: historica quidem, quia praeprimis in omnibus Dei interventionibus consistit, quae utpote sub unico fine procurandae salutis unificatae, nomine « oeconomia » designantur; sacramentalis autem, quia gestorum integra significatio nonnisi per verba, scilicet per locutionem Dei (quae et ipsa historicus est eventus), nobis innotescit.

Quod attinet vero Revelationis obiectum, primarie ipse Deus est considerandus, quatenus sese revelat per opera salutaria quae patraverat, quaeque in eventu summe salutari reassumuntur, in Verbi nempe Incarnatione, vi cuius Christus ad historiam cuiusque aetatis vere pertinet. Obiectum autem logice secundum, at historiam salutis concomitans atque perficiens, est locutio divina, qua nobis tam de Deo quam de hominis salute veritas illucescit. Quae quidem veritas, cum Deus nobis in Christo factus sit frater ac mediator, minime in ordine intellectuali exhauritur; quinimmo exigit ut, in Christo et per Christum, in praxim deducatur, per communionem cum SS. Trinitate: quae ideo vere interpersonalis est communio.

2. *De evangelicae Revelationis praeparatione* (n. 3).

Cum tota Veteris Testamenti Revelatio ad Christi adventum ordinetur, eadem non tam in seipsa consideratur quam ut praeparatio Revelationis quae in Evangelio completur.

Propterea, quin amplius in illius variis gradibus ordine temporali sibi succedentibus insistatur, commune potius iisdem gradibus elementum perpenditur: salutis videlicet expectatio. Ad quam ipse Deus iam protoparentes allexit, quamque in populum a se electum veluti foedus servandum immisit.

3. *De Christo Revelationis consummatore* (n. 4).

Incarnatio Verbi eventus est summe salutaris, qui totam mundi historiam compenetrat eamque indesinenter comitatur. Ideoque totius Revelationis apicem ipsa constituit.

Haec autem consummata Revelatio, sicut illa quae ipsam praecessit, non tantum verbis exprimitur quibus factum Incarnationis describitur vel quae a Dei Unigenito prolata sunt; sed etiam operibus, signis et miraculis, iis imprimis quibus directe mundi salutem Christus operatus est. Quo fit ut tota persona Christi (id est: integer Christus) insimul sit totius Revelationis et actus summus et obiectum praecipuum.

Ex dictis consequitur: Christianismum plusquam doctrinam divinitus datam, factum esse divinum; ipsius nempe Dei Incarnationem; oeconomiam christianam indolem habere novissimam et definitivam: nullamque ideo ulteriorem admittere Revelationem, non solum concurrentem sed nequidem complementarem.

4. *De fide Revelationi praebenda* (n. 5).

Quo melius pateat fidem esse virtutem theologalem, necnon ratio habeatur de conceptu Revelationis antea exhibito, expresse affirmatur obiectum fidei esse ipsum Deum revelantem potiusquam Revelationem ab eo factam. Haec enim numquam a sua origine disiungi potest: unde non in semetipsa creditur, sed propter auctoritatem Dei a quo provenit quin ab eo separetur.

Ex hoc autem sequitur: oboeditionem fidei Revelationi praebendam non ex quadam obligatione morali ex parte hominis exurgere, immo vero ex vera exigentia ontologica postulari, in ipso obiecto credendo inscripta, vi cuius et ipsa moralis exurgit obligatio. Quae ut impleatur gratia Dei requiritur, ut actus humanus, quo Revelationi assensus praebetur, connaturalis quodammodo efficiatur cum realitatibus quibus assentitur.

5. *De veritatibus revelatis* (n. 6).[4]

In prima periodo indicatur Revelationis obiectum proprium, seu quoad nos necessarium; nempe ipse Deus eiusque salutaria decreta. In altera vero periodo diutius immoratur in affirmando Revelationis obiecto

haud absolute necessario: ea nempe quae de Deo naturali humanae rationis lumine certo cognosci possunt, pro quibus tamen, nullo admixto errore et expedite ab omnibus cognoscendis, Revelatio pariter requiritur.

Utrobique doctrina Conc. Vaticani I repetitur, ut obiectum Revelationis in tota sua amplitudine memoretur.

CAP. II – DE DIVINAE REVELATIONIS TRANSMISSIONE

Hoc Caput est veluti centrum totius Schematis: cum Capite enim praecedenti coniungitur et ad subsequentia introducit. Huius Capitis est doctrinam praebere circa Revelationis transmissionem, praeprimis autem attendendo ad modum, eumque originarium et etiam post librorum sacrorum scriptionem duraturum, quo illa transmissio fit: videlicet ad Traditionem, cui propterea *integer novus numerus* dedicatur.

Huiusmodi doctrina quatuor perstringitur punctis: in primo (n. 7) agitur de Apostolis eorumque successoribus, Evangelii praeconibus; in secundo (n. 8) de Traditione; in tertio (n. 9) de mutua Traditionis et Scripturae relatione; in quarto (n. 10) de Deposito revelato, per Traditionem et Scripturam transmisso, in relatione ad totam Ecclesiam et Magisterium.[5]

1. *Apostoli eorumque successores, praecones Evangelii* (n. 7).

Voluntas Dei, ut omnia a se revelata usque ad finem temporum integra transmitterentur, ex illo innotescit Christi praecepto Apostolis dato Evangelium omnibus praedicandi. Illud autem praeceptum ab Apostolis duplici modo in praxim deductum est: videlicet praedicatione orali et praedicatione scripta.

Biformis huius praedicationis obiectum idem est qualitative, quatenus ea amplectitur quae quoad Ecclesiae constitutionem, doctrinam, vitam qualicumque modo Apostoli a Christo acceperant vel Spiritus Sancti suggestione didicerant. Ob hanc rerum traditarum qualitativam identitatem, praedicatio oralis a praedicatione scripta distinguitur, non quod verbis tantummodo constet, sed simpliciter quia scripta non est. Quoad vero utriusque praedicationis obiectum sub aspectu quantitativo consideratum, Schema indeterminate loquitur: quaestio itaque vitatur utrum praedicatio oralis, quoad contentum obiectivum, praedicationem scriptam excedat necne.

...[6] Postquam ita enuntiata est Divinae Revelationis transmissio a Christo et a Spiritu Sancto ad Apostolos (transmissio verticalis) et ab Apostolis ad Ecclesiam (transmissio horizontalis), dicitur hanc alteram

transmissionem iugiter in Ecclesia perseverare per Episcopos, quibus Apostoli suum ipsorum locum magisterii tradiderunt. Huic autem Episcoporum magisterio nonnisi competit praedicationem non scriptam et scriptam ab Apostolis acceptam fideliter tradere. Quo fit ut praedicatio cuiusque aetatis cum praedicatione apostolica identificetur et, consequenter, semper Ecclesia cum Ecclesia apostolica servet identitatem.

2. *De Sacra Traditione* (n. 8).

Licet Traditio etiam Scripturam quodammodo comprehendat, hic nihilominus exclusive tamquam praedicatio oralis sumitur eidemque Revelationem transmittendi munus agnoscitur. Haec enim quae fuit modus primaevus Evangelium annuntiandi ...[7], etiam post scriptos sacros libros indesinenter perseverat. Quapropter per huiusmodi Apostolicam Traditionem omnia dicuntur perpetuari quae Ecclesiae constitutionem, vitam, fidem, cultum respiciunt.

Cum dicta Traditio in tota vita Ecclesiae inscripta sit cum eaque confundatur, et ipsa ut quid vivum est habenda, eique connaturali agnoscendum est incrementum. Quod tamen verificari potest nonnisi originaria identitate retenta: nam universae praedicationi apostolicae quae per Traditionem post Apostolos continuatur, nihil substantialiter novi addi potest, nihil omitti. Quam inter utramque identitatem idem Spiritus Sanctus tuetur: qui pristinae praedicationi apostolicae praefuit, quique assistentia sua totam Ecclesiae vitam per saecula sustinet.

Exinde provenit quod aliqua veritas, per Traditionem transmissa, in sua plenitudine nobis innotescit non quia uti talis tandem aliquando detegitur, sed quia illam plenitudinem lento gressu ipsa assequitur eamque manifestat. Quare nulla huiusmodi veritas in uno Traditionis documento exhauritur; in pluribus autem documentis, nominatim in dictis Patrum, in liturgia, in praxi Ecclesiae necnon in reflexione theologica, uti praesens denuntiatur, praecise in suo vitali progressu quo ad plenam maturitatem dirigitur quantum possibile est quousque Ecclesia ipsa a Domino peregrinatur. Hac ipsa de causa, omne quod Ecclesia est et habet a viva Traditione attingitur et permeatur. Et imprimis ipsa S. Scriptura, utpote cum Ecclesia indissolubiliter coniuncta: quae ideo non solum vim et actuositatem a Traditione accipit, verum etiam de sua integra existentia ac natura eadem Traditio irrefragabile reddit testimonium ...[8].

Per hanc ultimam affirmationem, singulare Traditionis momentum asseritur, quod in eo est ut saltem in uno Scripturam, quoad contentum obiectivum, ipsa excedat: in testimonio nempe, de integro ...[9] canone et inspiratione librorum sacrorum exhibendo. Et ita in hac quaestione limites attingimus, ultra quos progredi non oportere videtur.

Equidem Patres non desunt qui vellent ut, praeter dictam de Scriptura attestationem Traditioni propriam, aliarum quoque revelatarum veritatum transmissio uni Traditioni tribueretur. Advertere tamen iidem Patres velint ad istam affirmationem faciendam rationes non adesse cogentes. Cum enim agatur de quaestione facti, id quod de veritatibus Scripturam respicientibus Traditioni ascribitur, ad nullam aliam veritatem in concreto applicare astringimur. Pro nulla enim Magisterium hucusque declaravit omni carere in Scriptura fundamento, nullamque uti in sola Traditione contentam umquam definivit. Cuique igitur libertas relinquitur cuiusvis veritatis divinitus revelatae fundamentum sive in Scriptura sive in Traditione inveniendi. Haec libertas, quae in modo agendi Magisterii innititur, in Schemate quoque nostro pariter servatur...[10]

3. *De mutua Traditionis et Scripturae relatione* ...[11] (.n 9).

Relatio inter Traditionem et Scripturam, in numero praecedenti iam sufficienter descripta, pressius hic ponderatur quoad originem, finem, obiectum et quoad utriusque ex parte Ecclesiae aestimationem.

Quae quidem mutua relatio, sub hoc multiplici aspectu considerata, per notam utrique communem exprimitur, quae aliqualem identitatem pro utraque importat. Ambae enim ...[12] eamdem dicuntur originem habere divinam, Scriptura quidem per carisma inspirationis, quae est praerogativa sibi propria (cf. pag. 16, lin. 12); ambae Revelationem aeque divinam dicuntur transmittere, ratione cuius ad eundem finem supernaturalem assequendum inducunt: ac propterea utramque pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur Ecclesia.

Quoad attinet vero speciatim obiecti identitatem, haec ita generali modo describitur ut tantum qualitatem sibi vindicet eamdem, videlicet ipsam divinam Revelationem. Utrum autem hoc commune obiectum etiam quantitative idem sit, neque affirmatur neque negatur.

Ut iterum clare appareat in hac quaestione Schema nolle in unam prae alia inclinare sententiam, attentos Patres facere cupimus Commissionem nostram consulto propositionem a nonnullis factam respuisse: ut scilicet, loco « ex eadem divina scaturigine promanantes » (pag. 16, lin. 32 s.), diceretur « ex eodem divino fonte promanantes ». Hoc sane intuitu pristinam locutionem servare maluimus, ne, voce « fonte » ipsi Deo applicata, eiusdem deinde vocis, applicatio pro Traditione et Scriptura quodammodo praecluderetur. Notissima igitur quaestio aperta relinquitur: et quidem non solum, quoad substantiam, verum etiam quoad hucusque usitatam terminologiam.

4. *De relatione Depositi revelati, per Traditionem et Scripturam transmissi, ad totam Ecclesiam et Magisterium*[13] (n. 10).

Cum Depositum revelatum donum sit divinum toti Ecclesiae factum, toti Ecclesiae consequenter officium incumbit illud conservandi, eidem inhaerendi, idemque cunctis generationibus transmittendi.

Exinde provenit quod hoc Depositum, sicut Ecclesiae vitam regit et portat, ita a vita Ecclesiae portatur de eaque prorsus participat: ac propterea illum dynamicum experitur processum, ratione cuius communis fidelium sensus, exinde profluens, criterium cognoscendae veritatis divinitus revelatae non semel efficiatur.

Ut autem de genuino sensu Depositi revelati absoluta habeatur certitudo, necesse est ut Magisterium qua tale suam edicat sententiam. Ad illud unum enim spectat ea omnia quae haereditate divina per Apostolos Ecclesia accepit authentice interpretari, ac de eorum Traditioni apostolicae fidelitate iudicare. Quod cum facit, Magisterium, etsi multitudinis fidelium convinctiones non necessario repetat, cum iisdem nihilominus quodammodo coniungitur. Veritas enim quae tamquam de fide tenenda a Magisterio definitur si iuridice ob illam definitionem credenda imponitur, substantialiter tamen iam fidem universae Ecclesiae attigerat: propterea quod definitionem a Magisterio est consecuta.

Huiusmodi auctoritativa Magisterii interventio nihil continet sui, nisi ipsum infallibilis auctoritatis charisma. Doctrina autem quae proponitur non solius magisterii, sed totius Ecclesiae est propria.

Et a magisterio uti talis agnoscitur, quatenus divinae revelationi consentaneam declarat atque, praesidio Spiritus Veritatis, ita declaratam definit, eidem nihil adiciens, ab eadem nihil detrahens.

Haec sunt, venerabiles Patres, generaliora principia, quae doctrinam duorum priorum capitum schematis regunt ac dilucidant, quaeque summatim vobis recolere mihi in animo fuit ...[14]. Ex quibus principiis manifeste apparet mentem fuisse nostrae commissionis ea omnia eaque tantum quae catholicae fidei necessaria sunt proclamare, cetera autem liberae disputationi relinquere, imo ad hanc stimulare.

Quam procedendi rationem etiam dialogo cum dilectis fratribus seiunctis profuturam esse confidimus. Idque peramanter in Domino qui « voluntarie genuit nos verbo veritatis » (cf. *Iac.* 1, 18)...[15].

In oratione: [1] — nunc exc.mus —. [2] deest. [3] incipiendo. [4] [Hic numerus 5 in oratione omissus est]. [5] deest. [6] Sed est aliud deinde addendum. [7] — sollemnibus verbis etiam carissimus Auditor Prof. Oscar Cullman hoc confessus est — haec enim quae fuit modus primaevus Evangelium

annuntiandi. [8] Hoc volui sublineare, prae oculis habendo ea quae paulo antea dicta sunt; est clarus sermo, ni fallor. [9] — dico de integro —. [10] Quod magisterium ordinarium, tam frequenter invocatum, iuxta recentiora ac graviora studia, — ego ipse fortasse progressus sum hac in re consulendo illa opera — iuxta recentiora ac graviora studia clare non constat ex locutionibus variis a magisterio adhibitis, quaenam sit relatio inter Scripturam et traditionem. Generatim vindicant utriusque exsistentiam — nemo unquam dubitavit exsistentiam utriusque. Cum ergo ex magisterio ordinario — est parva additio in fine n. 2 — cum ergo ex magisterio, ut respondeam quidem quae modo dicta fuerant — cum ergo ex magisterio ordinario certa haberi nequeat doctrina in quaestione, ratio non datur suspicandi aliquod diplomaticum silentium ex parte commissionis nostrae, neque ratio adest quidquam timendi. Etenim si illud quod a nonnullis circa hoc putatur verum est, verum manebit. Nam episcopi in Concilio docentes, iis quae dispersi docent vel eorum praedecessores docuerunt, contradicendi intentionem non habent neque facultatem. [11] fortasse brevius loquemur... sed hoc est etiam magni momenti. [12] i. e. Traditio et Scriptura. [13] Denique quidnam de relatione depositi revelati ad totam Ecclesiam... — in praecedenti schemate: ad Magisterium solummodo; in novo: ad totam Ecclesiam et Magisterium. [14] et hoc feci rogando doctorem maximum in exponendis Sacris Scripturis, S. Hieronymum, cuius hodie festus dies celebratur. [15] Propterea ad vos, venerabiles Patres, fidentem dirigimus invitationem ut laborem nostrum in spiritu praesentis Concilii peractum considerare velitis.

Durante relatione, moderator: Velis, exc.me Pater, interrumpere aliquantulum, ut loqui possit exc.mus secretarius generalis.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, post horae quadrantem fiet ultima suffragatio. Quapropter velitis ad vestras sedes reverti.

Expleta relatione, moderator: Gratias plurimas agimus D. relatori pro amplissima relatione necnon commissioni et subcommissionibus pro tanto labore. Loquatur nunc exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Notum facio exitum suffragationis circa quaesitum: utrum instituendum sit caput speciale de religiosis:

Inter Patres	2.210
dixerunt *placet*	1.505
non placet	698
placet iuxta modum (quapropter ceciderunt extra chorum)	4
Suffragia nulla	3

Ergo est acceptata propositio, et fient duo capita, nempe unum reservatur pro religiosis, prouti ceterum iam nunc est in schemate.

Et audiatis, Patres venerabiles, exitum suffragationis circa cap. V:

Praesentes votantes		2.177
Dixerunt	*placet*	1.856
	non placet	17
	placet iuxta modum	302
Suffragia nulla		2

Et nunc textus suffragationis circa cap. VI, quod inscribitur *de religiosis*. Videatis pag. 155 in parte dextera [*cf. vol. III, pars I, pag. 310-314*]. *Placet, non placet, placet iuxta modum,* venerabiles Patres? Est ultima suffragatio.

Moderator: Et nunc fit transitus ad disceptationem. Antequam vero disceptatio fiat circa prooemium et capp. I et II *de divina revelatione,* audiatur exc.mus D. Ioannes Gahamanyi, ep. Butarensis in Ruanda, qui nomine aliorum 70 Patrum adhuc loquitur circa declarationem *de Iudaeis et de non christianis.*

4 – PATRUM ORATIONES
[*De Iudaeis et non-christianis*]

1

Exc.mus P. D. IOANNES B. GAHAMANYI
Episcopus Butarensis

Exc.mi Patres conciliares,

Multis interventibus auditis, nobis liceat paucissimis verbis mentem nostram aperire de hac quaestione *de Iudaeis.*[1]

Nobis videtur nimias laudes de Iudaeis et de musulmanis ortas esse ex aliqua reparationis ratione necnon ex conscientia stirpis communis. Attamen maxime consideranda sunt potius ipsae doctrinae Iudaeorum et Musulmanorum quae de facto clausae sunt christianismo.

Quamquam elementa communia adsunt inter christianismum, iudaismum et islamismum, dantur etiam in aliis religionibus necnon et in animismo aliqua elementa communia. Insuper addere audemus animismum magis apertum esse christianismo quam iudaismum et islamismum.

Schema de Iudaeis nimis parvi pendet alias religiones necnon animismum et aliquomodo non-iudaeos et non-musulmanos offendit.

Propter has rationes et propter rationes opportunitatis ab aliis allatas petimus ut schema non sit de Iudaeis, sed de non christianis quod aliquam mentionem speciali modo de Iudaeis et de Musulmanis faciet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

[*Subscripserunt etiam*] Card. Rugambwa; Antonius de Castro Mayer, ep. Camposinus; Paulo Rolim Loureiro, ob. de Mogi das Cruzes; Acatius, ep. Palmanopolitanus; Emmanuel, ep. Nagarensis; Caietanus Antonius, Ilgeosensis; Climerius, ep. Victoriensis de Conquista; Jackson, Fori S. Annae; Alfonsus Mello, ep. tit. Nasaitensis; Raimundus, ep. tit. Uzali; Iacobus, ep. Maringaensis; Carolus Ferrari; Alfonsus Niehues; Gregorius Warmeling; Vincentius M. Zioni, ep. Bauruensis; A. van den Hurk, arch. Medan; Amadouni; J. Sibomana, ep. Ruhengeri; Michael Ntuyahaga, ep. Bujumburaensis; André Makarakira, ep. Ngozi; Franciscus Austregesilo de Mesquita, ep. Afogados da Ingázeira; Gerardus Reis, ep. Leopoldinensis; Ruy, ep. S. Caroli in Brasilia; José Costa Campos, ep. Valentinus in Brasilia; Amadeo Gonzales Ferreiro, ep. PN Raymundianus; Eugenius, adm. ap. S. Salvatoris in Brasilia et Natalensis; Albertus Ramos, arch. Belemensis de Pará; Bernardus J. B. Miele, ep. tit. Bararitanus, aux. Campensis; Franciscus Zayek, ep. tit. Calliniensis; Vincentius, ep. Cratensis; Hugo, arch. ep. Mariliensis; Oscar de Oliveira, arch. Marianensis; Antonio, ep. Petrolinensis; Epaminondas, ep. Ruibarbosensis; José Vicente, arch. Aracajù; Alb. Ndongmo, ep. Nkongsamba; Jean Villot, arch. coad. de Lyon; André Dupont; Louis Durrieu, ep. Ouahigouya; Etienne Courtois, ep. Kayes; P. Redois, ep. Natitingou; Jean Lesourd; A. Volker, sup. gen. P. A.; Louis Joseph, arch. Caralliensis; O. Degrijse, sup. gen. CICM; D. de Montclos, ep. Sikasso; Xav. Geeraerts, ep. tit. Laganitanus; A. M. Charue, ep. Namur; H. Thiandoum, Dakar; O. McCoy, ep. Oyoensis; Lingenheim, Sokodé; D. Yougbaré, ep. Kompéla.

Moderator: Tunc transitus fit ad disceptationem circa prooemium et capp. I et II *de divina revelatione*.

[*De divina revelatione*]

2

EM.MUS P. D. CARD. ERNESTUS RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres,

Apostolus Ioannes loco qui in prooemio laudatur provocat — sicut fecerat Petrus coram Synedrio ...[1] — ad ea quae ipse, per plures annos vivens familiariter — ut ita dicam — cum Christo *oculis suis vidit et auribus suis audivit*. Sed obsequium praeclaro huic testimonio Ioanneo

exhibitum coniungi non potest, nisi inepte, et multo minus per adverbium « *Propterea* » cum doctrina quam ...[2] Sacrosancta Synodus proponere intendit.

Praemitto me de Sacra Traditione plene consentire cum *Minoritate* — quae dicitur — commissionis de doctrina fidei et morum.

Unum tantum quaero: quomodo divina revelatio *constitutiva* silentio praetermitti potest, immo ea in incerto relinqui, si eam Ecclesiae catholicae magisterium ordinarium usque ad hodiernam diem sine ulla dubitatione ubique docuit?

Nunc accedo ad pag. 7, linn. 11-15: ...[3] « Oeconomia ergo christiana nunquam praeteribit, et non est aetas historiae religiosae transitoria tantum, sed novissima et definitiva, nullaque adhuc nova revelatio publica expectanda est etc. ».

Nunc autem iure meritoque *quaeritur*[4]: Quandonam revelatio publica clausa est, adeo ut facile et certe cognoscatur quando incipere possint revelationes quae, utpote novae, nec publicae habendae essent nec eas recipere liceret?

Usque adhuc a magistris Sacrae Theologiae didicimus et nobis persuasissimum est revelationem publicam, quam de fide divina omnes credimus, clausam esse cum morte apostolorum, quorum ultimum ab historia accepimus fuisse Ioannem. Iesus enim pridie quam pateretur apostolis dixerat in coenaculo: « Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnes veritatem » ...[5]. Quae verba clariora sunt sole: si Spiritus Sanctus docturus erat apostolos omnem veritatem, post apostolos nullam novam veritatem ad depositum — quod dicitur — revelationis pertinentem exspectare licet.

Haec doctrinae catholicae sententia a praesenti Concilio Oecumenico aperte — ut existimo — confirmanda est ne audax opinio a nonnullis scriptoribus recentioribus proposita ulterius propagetur, nempe aetatem revelationis publicae extendendam esse ad apostolorum discipulos.

Transiens ad n. 5 eiusdem pag. 7, adnoto: ad fidem revelationi praebendam quod attinet, iterari — ut opinor — debet assensum veritati revelatae esse *essentialiter* intellectualem, etiamsi iam *in textu* verba Concilii *Tridentini*[6] scite praeponantur: fide praestari Deo plenum intellectus et voluntatis obsequium...[7]

Additamento quod propono melius elucesceret natura ipsa fidei, quae est actus elicitus ab intellectu imperatus autem a voluntate. Sed non insisto; aliud certius est et maiori consideratione dignum.

Enimvero *sub n. 6* agitur de veritatibus revelatis, quae obiectum materiale fidei constituunt, sed ne verbum quidem clarum habetur in textu de obiecto formali, seu de causa propter quam intellectus veritatibus a Deo revelatis firmiter et constanter assentit.

Nam virtute supernaturali fidei credimus a Deo revelata esse vera « propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest ».

Obiectum materiale fidei exigit sua ipsa natura ut cum obiecto formali aperte connectatur.

In cap. II, pag. 15, n. 7, linn. 6-22 scriptum invenimus: « ... Christus Dominus... mandatum dedit apostolis ut Evangelium tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omnibus praedicarent, eis dona divina communicantes ».

« Quod quidem fideliter factum est, tum ab apostolis, etc... tum ab ipsis *viris apostolicis,* qui peculiari charismate ditati, sub inspiratione eiusdem Spiritus Sancti, nuntium salutis scriptis mandaverunt. Etc. ».

Viris apostolicis sine dubio annumerandi sunt Marcus et Lucas, evangelistae; sed compertum habemus eos socios fuisse apostolorum Petri et Pauli, et scripto mandasse quae isti praedicaverant.

In textu autem asseritur *viros apostolicos* — quin ipsi designentur — nuntium salutis scripsisse sub inspiratione; idcirco inter hagiographos *recensendos esse.*[8] Si id admitteretur, divina revelatio, et quidem publica, etiam ultra mortem apostolorum expedite haberetur, quia viri apostolici vitam ducebant hisce in terris saeculo quoque secundo erae christianae; quod mihi omnino absonum est.

Tandem pag. 16, linn. 14-16. Traditio dicitur *vivere et crescere.* Quae verba Concilium Tridentinum in constitutione de fide a Vincentio Lirinensi mutuatum est; sed Tridentini sententiam graviter *mutilam et decurtatam* hic invenimus. Propterea liceat mihi, veritate compulso, testimonium Sacrosancti Concilii Tridentini integre afferre. En verba: « ... Sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiae specie et nomine recedendum. Crescat igitur... et multum vehementer proficiat, tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scil. dogmate, *eodem sensu eademque sententia* » ...[9].

Ad haec, summa cum sinceritate, Patres venerabiles, aperiens animum meum, non vereor affirmare: cum mirabili Concilii Tridentini doctrina difficulter componi posse omnia quae in textu nostro leguntur, nimirum: traditionem *crescere* non solum e contemplatione credentium

(iuxta B. Virginis Mariae exemplum), sed etiam *ex intima spiritualium rerum experientia.*

Intima enim spiritualium rerum experientia — specie saltem — vix differt a *religioso animi sensu,* quem S. Pius X, fidei catholicae strenuus defensor, in Encycl. Litt. *Pascendi Dominici gregis* ...[10] refutavit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. *Act. Ap.* 4, 20). [2] nostra. [3] Haec ibi scripta invenimus. [4] quaeri potest. [5] (*Io.* 16, 12 s.). [6] Vaticani. [7] (DENZ. 1789). [8] recensendi essent. [9] (DENZ. 1800). [10] (d. 8-IX-1907).

3

EM.MUS P. D. IULIUS CARD. DÖPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Fratres venerabiles et carissimi,

Nomine 78 episcoporum linguae germanicae et Scandiae, liceat proferre sequentia.[1]

...[2] 1. Schema in genere placet. *Certa nova redactio eius in bonum cessit.*[3] Plura nunc in eo continentur, quae verum adiutorium afferunt, ut plenius cognoscamus naturam Divinae Revelationis, S. Scripturae, S. Traditionis, utque pro vita Ecclesiae ex thesauro S. Scripturae uberiora bona hauriamus.

2. Imprimis laudandum est, quod quaestio difficilis sic dictae « sufficientiae materialis » Sacrae Scripturae aperta relinquitur. Enixe rogamus, ut etiam in decursu ulterioris laboris circa hoc schema impendendi diligenter caveatur, ne ab hoc statu, qui fuit terminus arduarum disceptationum primae Concilii periodi — *uti omnes novimus*[4] —, ullo modo discedatur neque ullum praeiudicium huic *vel illi*[5] quaestioni solvendae inferatur. Etiam abstrahendo ab hac quaestione relatio inter S. Scripturam et Traditionem acute et fructuose describi potest, quod patet ex ipso schemate. Nam ibi nunc legimus non solum gravia verba de momento S. Scripturae in doctrina et vita Ecclesiae, sed, *post novum caput illatum,*[6] etiam ditiorem de indole et ratione S. Traditionis expositionem, quam libenter recipimus. Semper tamen retinendum est et in schemate de facto retinetur, quod depositum fidei ultimatim non est nisi unicum, quippe quod duplici modo nobis transmittitur, S. Scriptura scil. et Traditione, quarum una ab altera sine detrimento ipsius fidei divelli nequit.

Facta historica a Relatore minoritatis prolata a nemine negari possunt sed a theologis optimae notae aliter interpretantur. Uti iam relator maioritatis commissionis dixit, in hoc momento Ecclesiae Concilii nostri est ut stimulet ulteriorem discussionem in Ecclesia quin aliquid deroget iis quae in historia ab anterioribus Conciliis dicta sunt.[7]

...[8] *In particulari* vero, desiderantur adhuc quaedam emendationes, elucidationes et praecisiones, *quarum plures solummodo in scriptis secretariatui tradam; sequentia vero hic enucleare liceat.*[9]

Quoad cap. I: *in n. 2,*[10] pag. 6, lin. 2: loco « cum Patre et Filio et Spiritu Sancto » dicatur: « secum per Filium in Spiritu Sancto »; nam subiectum periodi est « Deus invisibilis » ...[11], qui est ipse Pater; hinc non bene dicitur Patrem ad societatem cum Patre invitare. Praeterea emendatio hic commendata videtur melius correspondere conceptui oeconomico Trinitatis ...[12].

In n. 4,[13] pag. 6, lin. 22. Hic transitus a Protoparentibus ad Abraham adhuc nimis rapide fit, licet rigor textus prioris mitigatus sit. Etenim homines huius temporis generatim bene sciunt, inter Protoparentes et aevum Abrahae intercedere decies vel vicies centena milia annorum, quippe qui non possunt silentio praeteriri. Quare proponitur, ut secundum doctrinam schematis *de Ecclesia* (ibidem in cap. I, n. 2) inseratur periodus sequens: « Genus humanum a protoparentibus descendens immenso historiae eius decursu Deus intuens Christum Redemptorem sua providentia salutari suaque illuminante gratia numquam plene dereliquit, sed semper praebuit media, ut fide in Deum posset salvari, quem praedestinatione sua elegerat salvandum » ...[14].

Ad n. 5,[15] pag. 7, linn. 18-23. Haec paragraphus agit « de fide revelationi praebenda », i. e. de responso ab homine Deo sese revelanti dando. Quo in connexu pro necessitatibus praedicationis hodiernae et pro fine pastorali huius Concilii *non* sufficit tantummodo repetere conceptum fidei a Concilio Vaticano I traditum, licet verissimum, sed fere nonnisi apologeticum; potius necesse est iam inde ab initio prae oculis habere notionem biblicam fidei et efferre indolem eius personalem necnon influxum gratiae divinae.

Quare in initio numeri ...[16] ponatur: « Dei revelantis verbum evadit efficax auditu fidei ...[17] ». Ita melius apparebit, quod fides primarie est opus ipsius Dei, quo ipse per suam gratiam efficacem effectum revelationis suae procurat ita, ut fide ipsa essentia revelationis compleatur.

Praeterea in eodem numero (...[18] linn. 21-23) loco verborum « quae est " plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium ", seu voluntarius veritati ab eo revelatae assensus », dicatur *fere hoc*[19]: « qua homo se totum Deo committit et ita plenum revelanti Deo intellectus

et voluntatis obsequium praestat ». Quo facto saltem aliquatenus respicitur plenior notio biblica fidei et insimul notio fidei a Concilio Vaticano I exposita retinetur, imo cum illa organice coniungitur ...[20].

Quoad cap. II: n. 7,[21] pag. 15, linn. 27-32. In hac periodo duae expressiones non placent: 1. non bene dicitur nos in terris contemplari Deum; 2. non bene adhibetur idea speculi ex *1 Cor.* 13, 13 deprompta; nam alio sensu hic sumitur, alio sensu in epistula S. Pauli, ubi per ideam complementariam aenigmatis declaratur. Cum illud « in aenigmate » *in nostro schemate*[22] non dicatur, idea *biblica* speculi in textu non elucet et proinde scopus huius enuntiationis, qui in relatione ...[23] indicatur, non obtinetur. Unde proponitur, ut periodus haec sequenti *fere*[24] modo scribatur: « Sacra igitur Traditio et Sacra Scriptura sunt testimonium Christi, in quo Ecclesia in terris peregrinans videt Patrem ...[25], a quo omnia accipit, usquedum ad eum videndum facie ad faciem sicuti est perducatur ...[26] ».

Quoad n. 9,[27] pag. 16, linn. 34-40: Periodus incipiens a verbis « Etenim S. Scriptura » et terminans verbis « ... fideliter transmissa » ex triplici ratione deficere videtur:

1. Per illud vocabulum « est » tota periodus exhibetur fere tamquam definitio, quod evitandum est.

2. Imprimis vix dici potest: traditio *est* mens, *etc.*[28]

3. In exponenda ratione S. Scripturae deest clausula, qua momentum auctoris humani exprimeretur. *Propterea proponitur alia phrasis huic correspondens.*[29]

Ultimo nunc[30]: ad eumdem n. 9 ...[31], scribatur: « uno pietatis affectu ac una reverentia ». *Ratio*: cum schema urgeat unitatem Traditionis et Scripturae, quae in unum quodammodo coalescunt, potius de *uno* affectu loquendum est. Si Traditio et Scriptura ut distincta considerantur, non obstante declaratione Tridentini, non sub omni omnino respectu de *pari* affectu sermo esse potest, cum ambae sub diversis respectibus sibi invicem praestent. Opportunum est ergo, salva Tridentini declaratione, removere difficultates, quae contra verba huius Concilii *oriri possint.*[32] E. g. sub ratione inspirationis nemo potest Traditionem eodem pietatis affectu aestimare ac Scripturam. *Sic esset locutio nostri Concilii complementum, minime derogatio, Concilii Tridentini.*[33] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] I. Generalia. [3] Post primam eius disceptationem in prima Concilii periodo institutam, funditus retractatum et renovatum est. Animadversiones a Patribus sive in aula prolatae sive scripto transmissae, sedulo observatae sunt. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] II. Particularia. [9] scil. sequentes, quas etiam nomine episco-

porum linguae Germanicae et Scandiae propono. Relate ad prooemium, cap. I et II schematis animadvertenda sunt haec: 1) In prooemio, n. 1 (pag. 5, linn. 11-13): citatio S. Augustini « ut mundus universus audiendo credat, credendo speret, sperando amet » omittenda esse censetur, quia schemati finem nimis altum praeponit nimisque emphatica sonat in hoc loco, in quo non de praeconio salutis annuntiando, sed de « proponenda doctrina » (cf. lin. 11) agatur. 2) In cap. I, n. 2 (pag. 5, lin. 24) loco « amicos » scribatur « filios ». Ratio: textus allati vix sunt ad rem. Conceptus « filii » multo notior et in Scriptura magis fundatus est. NB! In linn. 20-21 scribatur: « habe*a*nt ... effici*a*ntur ». [10] 3) In eodem cap. I, eodem n. 2. [11] (pag. 5, lin. 22). [12] 4) In eodem cap. I, eodem n. 2 (pag. 6, lin. 6) praeterea expungatur pleonasmus « doctrinam et rem verbis significatam », et dicatur simpliciter « veritatem salutiferam ». Ratio: « Res verbis significata » aut sunt ipsa opera Dei in historia salutis patrata et deinde sententia fit tautologica, aut est alia res in doctrina contenta et deinde manifestatio doctrinae seu veritatis salutiferae eo ipso est manifestatio huius rei. 5) In eodem cap. I, eodem n. 2 (pag. 6, lin. 9) omittatur vocabulum « ergo », quia haec sententia non est conclusio ex praecedentibus. [13] 6) Ad idem cap. I n. 4. [14] 7) In eodem cap. I, eodem n. 4, pag. 7, lin. 3 omittatur « operibus » et « miraculis » et scribatur « verbis et signis ». Ratio: Signa et miracula idem dicunt; illa opera, quae ad revelationem conferunt, termino biblico « signa » (Sêmeia) vocantur. [15] 8) Ad idem cap. I, n. 5. [16] (pag. 7, lin. 19). [17] (*Gal.* 3, 2.5). [18] pag. 7. [19] deest. [20] 9) Ad idem cap. I, n. 6, pag. 7, lin. 33 ad pag. 8, lin. 7 invertendus est ordo harum duarum sententiarum, secus scopus et finis eorum, quae in hoc numero dicenda sunt, non attingitur. Finis enim specificus revelationis, ad quem tota enuntiatio ascendere debet, est revelatio mysteriorum stricte dictorum, non vero sanans adiutorium revelationis pro cognitione religiosa per se naturali. Scribatur igitur: « Confitetur quidem Sacra Synodus ... et eius revelationi tribuendum esse, ut ea ... cognosci possint. Sed hac divina revelatione per se manifestantur ea quae ... omnino superant ». [21] Ad cap. II, n. 7, pag. 15, lin. 13, post « eis » inseratur saltem « ita ». Ratio: praedicatio apostolica non est mere doctrinalis, quae rebus praedicatis quasi ab extrinseco accedit, sed est ultimatim verbum efficax, quod tradit id, quod enuntiat. Ut igitur nexus inter praedicationem et communicationem donorum divinorum aliquatenus saltem insinuetur, haec additio omnino requiritur. 11) Ad idem cap. II, eundem n. 7, pag. 15, lin. 20 deleatur: « peculiari charismate ditati ». Ratio: idem quoad rem dicitur verbis: « sub inspiratione eiusdem Spiritus Sancti ». Insuper verbis delendis videtur insinuari donum scriptoris habituale, quo suo lubitu uti posset. 12) Ad idem cap. II, eundem n. 7. [22] hic. [23] (pag. 21, sub litt. H). [24] deest. [25] (*Io.* 14, 9). [26] (cf. *1 Cor.* 13, 12). [27] 13) Ad idem cap. II, n. 8, pag. 16, linn. 22-24 loco « per eandem traditionem ... redduntur » scribatur « Per eandem traditionem canon librorum sacrorum Ecclesiae certe innotescit ipsaeque Sacrae Litterae in ea indesinenter actuosae redduntur ». Ratio: ut clarius appareat, *quid* innotescat, dicatur « canon ». 14) Ad idem cap. II, n. 9. [28] ... Christi. [29] Quare hic locus schematis sic emendetur: « Etenim Sacra Scriptura verbum Dei exhibetur divino afflante Spiritu scripto et hagiographo consignatum. Sacra Traditione autem mens, doctrina, exempla et mandata Christi per apostolorum eorumque successorum praeconium, assistente Spiritu Sancto, fideliter transmittitur ». [30] 15) Ad idem cap. II. [31] (pag. 17, lin. 1).

[32] moveri possunt. [33] 16) in eodem cap. II, eodem n. 9 (pag. 17, lin. 2): inseratur post verba « et veneranda est » sequens determinatio: « *quamquam Sacra Scriptura sub respectu inspirationis omnino praeeminet* ». Ratio: Ne negligatur character excellens Sacrae Scripturae.

17) In eodem cap. II, n. 10 (pag. 17, lin. 15): loco « authentice » scribatur: « *auctoritative* ». Ratio: Vox « authentice » non bene hodie intelligitur. Videtur insinuare interpretationem, quae derivat vim suam ex methodo scientifica qua tali. Hoc autem sensu interpretatio non est solius magisterii.

18) In eodem cap. II, eodem n. 10 (pag. 17, lin. 16): deleatur « et infallibili ». Ratio: Existit quidem in Ecclesia Magisterium, quod etiam infallibiles interpretationes Scripturae debitis sub condicionibus enuntiare potest, sed saepe interpretationes auctoritativas quidem, sed non infallibiles edicit. Textus tamen ita intelligi posset, ac si omnis auctoritativa interpretatio Magisterii esset infallibilis. Ceteroquin normae accuratiores de auctoritate Magisterii in schemate de Ecclesia praebentur.

19) In eodem cap. II, eodem n. 10 (pag. 17, lin. 17): deleatur « per » et scribatur « *quod ut suprema auctoritas ... est constitutum* ». Ratio: Absolute dici non potest per Magisterium constitui supremam auctoritatem in Ecclesia. Magisterium non est causa supremae potestatis, sed elementum eius essentiae.

[*Adhaeserunt etiam*] Exc.mi DD. Angerhausen, ep. aux. Essendien., Aufderbeck, ep. aux. Fulden., Baaken, ep. aux. Monasterien., Bengsch, arch. ep. Berolinen., Bliestle, sup. gen. M.S.F., Bokenhofer, ep. Kimberleyen., Bolte, ep. Fulden., Braunstorfer, abbas praeses Congr. S.S. Cordis Iesu, Buchholz, praef. ap. Shihtsienen., Buchkremer, ep. aux. Aquisgranen., Cleven, ep. aux. Colonien., Cobben, ep. Helsinkien., Elchinger, ep. coad. Argentoraten., Emmanuel, ep. Spiren., Ferche, ep. aux. Colonien., card. Frings, arch. Colonien., Frotz, ep. aux. Colonien., Fürstenberg, ep. Abercornen., Gnädinger, ep. aux. Friburgen., Grimm, ep. Zinceuven. et adm. ap. Sibolgaen., Haene, ep. Guelen., Hengsbach, ep. Essendien., Hiltl, ep. aux. Ratisbonen., Hintringer, praef. ap. Khiamuszen., Hoeck, abbas praeses Congr. Bavaricae O.S.B., Hoehne, vic. ap. Rabaulen., Hoeffner, ep. Monasterien., Hofmann, ep. coad. Passavien., Jäger, arch. Paderbornen., Janssen, ep. Hildesheien., Kaiser, prael. null. Caravelien., Kampe, ep. aux. Limburgen., Kelleter, ep. Bethlehemen., Kemerer, ep. Posaden., Kempf, ep. aux. Herbipolen., Koberger, sup. gen. Congr. Lat. Austria Klosterneuburg Vindobonen., Könner, ep. tit. Modrenus, Köstner, ep. Gurcen., Koppmann, vic. ap. Vindhoeken., Landersdorfer, ep. Passavien., Lenhardt, ep. aux. Bambergen., Lommel, ep. Luxemburgen., Martinus Lucas, arch. tit. Adulitan., Macheiner, ep. aux. Salisburgen., Niederberger, abbas praeses Congr. Helveticae O.S.B., Pachowiak, ep. aux. Hildesheien., Pietsch, ep. aux. Secovien., Reetz, abbas praes. Congr. Beuronen. O.S.B., Reuss, ep. aux. Moguntin., Riha, abbas praeses Congr. Austriacae O.S.B., Rintelen. ep. aux. Paderbornen., Rohracher, arch. Salisburgen., Rosenthal, ep. Civitatis Reginae, Schaffran, ep. aux. Vratislavien., Schäufele, arch. Friburgen., Schick, ep. aux. Fulden., Schmidt, ep. aux. Treviren., Schmitt, ep. Bulanaien., Schräder, ep. aux. Osnabrugen., Schneider, arch. Bambergen., Schoiswohl, ep. Secovien., Sedlmeier, ep. aux. Osnabrugen., Simons, ep. Indoren., Stangl, ep. Herbipolen., Stein, ep. aux. Treviren., Stimpfle, ep. Augustan. Vindel., Tenhumberg, ep. aux. Monasterien., Verschuren, ep. coad. Helsinkien., Wechner, ep. aux. Oenipontan., Wehr, ep. Tre-

viren., Weigl, ep. Ikelaen., Wember, vic. ap. Norvegiae Septemtr., Weidner, praef. ap. Raipur, Westermann, ep. Sambalpuren., Wittler, ep. Osnabrugen., Zak, ep. S. Hippolyti, Zimmermann, ep. aux. Augustan. Vindel.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis super cap. VI schematis *de Ecclesia,* nempe suffragationis ultimae:

Praesentes votantes		2.189
Dixerunt	*placet*	1.736
	non placet	12
	placet iuxta modum	438
Suffragia nulla		3

Ergo in congregatione generali cap. VI est probatum.

4

Em.mus P. D. ALBERTUS GREGORIUS card. MEYER
Archiepiscopus Chicagiensis

Venerabiles Fratres,

Quae dicenda habeo in hac brevi relatione respiciunt praesertim cap. II, num. 8 nostri schematis...[1]

Valde placet totum cap. II, speciatim modus quo par. 8 ostendit sacram traditionem esse vivam, esse dynamicam, esse totalem, i. e. consistere non solis propositionibus doctrinalibus, sed etiam cultu et praxi totius Ecclesiae.

Itemque placet pars huius paragraphi quae ostendit quomodo traditio crescat non solum per definitiones magisterii, sed etiam « ex contemplatione credentium et ex intima spiritualium rerum experientia ».

Placet quoque allusio ad B. Mariam Virginem quam Ecclesia imitatur conferens in corde suo res et verba tradita.

Tamen haec paragraphus, si eam recte intellexi, etiam post relationem hodie datam, praesentat vitam et cultum Ecclesiae solum sub aspectu positivo. Traditio *nempe*[2] in hac paragrapho, ut mihi videtur, extenditur ultra limites magisterii infallibilis; si haec interpretatio vera est, tunc haec traditio etiam obnoxia est limitibus et defectibus Ecclesiae viatorum, quae est Ecclesia peccatorum, quae divina novit per speculum in aenigmate...[3]

Quos defectus historia Ecclesiae abundanter comprobat, v. g. doctrina theologica de Resurrectione Christi per longum tempus obscurata,

moralismus *cum* [4] exaggerata casuistica, pietas non-liturgica ...[5] neglectus Sacrae Scripturae et alia similia.

Ideo haec paragraphus complenda esset verbis additis quae et hos defectus, qui semper possibiles sunt in statu viae, et eorum remedium proponantur. Suggero igitur Patribus sequentem formulam inserendam post phrasim *ex intima spiritualium rerum experientia* in lin. 16: « Tamen non semper et in omnibus proficit et crescit haec viva traditio. Nam cum Ecclesia in statu viatorum divina contempletur, in aliquibus deficere potest et de facto deficit. Ideo perpetuam normam Sacram Scripturam in se portat, cui vitam suam conferendo se indesinenter corrigit et perficit ».

Cum hac brevi insertione quae congruit cum antecedentibus et subsequentibus spero par. 8 aequilibrium et completionem debitam acquirere posse.

Et sic etiam,[6] ut mihi videtur, haec paragraphus melius consonat cum iis quae habemus in cap. II schematis *de Ecclesia* ubi dicitur: « Per tentationes vero et tribulationes procedens Ecclesia virtute gratiae Dei sibi a Domino promissae confortatur, ut in infirmitate carnis a perfecta fidelitate non deficiat, sed Domini sui digna sponsa remaneat, et sub actione Spiritus Sancti, seipsam renovare non desinat, donec per crucem perveniat ad lucem, quae nescit occasum » ...[7] Et dixi.

In textu scripto tradito: [1] Animadversiones brevitatis causa scripto tradam. [2] autem. [3] (*1 Cor.* 13, 12). [4] praevalens in saec. XVIII. [5] per saecula et quidem saeculo transacto frequenter sentimentalis. [6] Sic. [7] (n. 10, versus finem, pag. 30, linn. 28-35).

Moderator: Proxima congregatio generalis erit crastina, feria quinta, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

Quoad schema de Iudaeis et de non-christianis

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

Quoad schema de Iudaeis et de non-christianis *

1

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Fatemur schema huius declarationis in genere nobis valde placere. Quasdam vero emendationes proponimus, quibus arbitramur textum meliorari posse.

Ad n. 32: pag. 7, lin. 6: loco « terra servitutis » dicatur « *e servitute exilii* ». Ratio: « Terra servitutis » in SS. Scripturis est sive Aegyptus sive Babylonia. Mutatione proposita vitatur occasio offendendi sensui nationali hodierno utriusque nationis.

Pag. 7, lin. 31: addatur haec paragraphus: « Caveant praeterea ne *populum iudaicum, ut talem, deicidii arguant, neque multo minus Iudaeis nostrorum temporum ea* quae in Passione Christi perpetrata sunt imputentur; *ultimo, in oeconomia salutis re inspecta, omnium hominum peccata causa eius passionis et mortis fuerunt, quae Dominus ipse passione et morte sua luit* » (cf. *Lc.* 23, 24; *Act.* 3, 17; *1 Cor.* 2, 8).

Pag. 7, lin. 32: addatur haec paragraphus, ad mentem S. B. Maximos IV: « Sacrosanctum Concilium aperte declarat omnia quae hic de Iudaeis dicuntur sensum habere tantum religiosum, quin ullo modo ex politicis considerationibus originem sumpserint, vel ad politicos fines ordinentur. Ideoque nefas esset hanc doctrinalem declarationem in quemlibet politicum sensum detorquere, quasi Concilium voluisset pro vel contra aliquam nationem in rebus politicis loqui ». Ratio patet ex dictis in aula.

Ad n. 33: pag. 7, lin. 34: opportunum videtur ut commissio exegetarum videat num Deus in N. T. revera dicatur « Pater » per respectum ad omnes homines, vel potius eius paternitas, exegetice considerata, referatur tantum ad illos qui in Christo filiatione divina fruuntur. Quaestio etenim a nonnullis bonis exegetis in altero sensu potius accipitur.

Pag. 8, linn. 21 ss.: melius esset enuntiationem spei eschatologicae, linn. 23-28, n. 32, expressae, hic transferre; post mentionem nempe de aliis religionibus non-christianis, textu ita immutato, ut praeter expectationem adunationis populi iudaici cum Ecclesia in uno populo Dei, etiam exprimatur desiderium coadunationis omnium populorum in uno Regno Dei. Ratio est: Secundum apostolum, in *Rom.* 11, 25, tota plenitudo gentium ingredi debet ut deinde « Israel salvus fiat ». Insuper, periculum est ne ista verba, in loco ubi nunc leguntur, a Iudaeis intelligantur ut directa ad eorum conversionem procurandam, quod contra intentionem dialogi oecumenici esset, praesertim cum de aliis religionibus nihil simile dicatur. Textus muta-

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt vel iuri loquendi renuntiaverunt.

tationis et additionis sic proponitur: « Ecclesia firmiter credit omnes populos vocatos esse ad unitatem in Regno Dei assequendam; hanc vero unitatem procurare; ministerio verbi atque exempli, praecipuam sui muneris partem duci esse. Memoria insuper dignum est mysterium adunationis populi iudaici cum Ecclesia partem spei christianae esse. Ecclesia enim, ... » (usque ad finem lin. 27).

Hae emendationes proponuntur a 34 Patribus quorum nomina in annexo elencho recensentur.

Ex Aequatoria: Victor Garaygordobil, ep. tit. Pudent. *Ex Bolivia*: Armandus Gutiérrez, ep. aux. Pacen., Georgius Manrique, ep. Oruren. *Ex Chile*: Ioseph Valle, ep. aux. Iquiquen., Franciscus Valenzuela, ep. Antofagasten., Franciscus Fresno, ep. Copiapen., Ioseph Castro, ep. S. Philippi, Aemilius Tagle, arch. ep. Vallisparad., Radulfus Silva, ep. aux. Rancaguen., Emmanuel Larrain, ep. Talcen., Augustus Salinas, ep. Linaren., Emmanuel Sanchez, arch. Ssmae Conceptionis, Carolus Oviedo, ep. aux. Ssmae Conceptionis, Aloisius Yáñez, ep. S. Mariae Angelorum, Gulielmus Hartl, ep. tit. Estratonicen., Emmanuel Santos, ep. Valdivien., Bernardinus Piñera, ep. Temucen., Alexander Duran, ep. S. Caroli de Ancud, Alexander Menchaca, ep. tit. Pinaren., Franciscus Gillmore, ep. tit. Auzien., Raimundus Salas, prael. null. Aricen. *Ex Mexico*: Sergius Méndez, ep. Cuernavacen. *Ex Paraguay*: Philippus Benitez, ep. tit. Chersonen., Raimundus Bogarín, ep. S. Ioannis a Missionibus, Hannibal Maricevich, ep. coad. Villaricen., Emilius Soza, ep. tit. Sergentinus. *Ex Uruguay*: Michael Balaguer, ep. tit. Castel Minoris, Henricus Cabrera, ep. Merceden., Robertus Caceres, ep. Melen., Marcellus Mendiharat, ep. coad. Salten., Orestes Nutti, ep. Cnelonen., Carolus Partelli, ep. Tacuaremben., Alafridus Viola, ep. Salten. *Ex Argentina*: Hieronymus Podestá, ep. Avellaneden.

2

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN

Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Attenta celebritate et anxietate huius materiae, maxima cura adhiberi debet ne aliquibus appareat Concilium quaestionem de Iudaeis parvipendere. Propter consilia coram omnibus inita durante secunda sessione, multi exspectaverunt a Concilio testimonium firmum et certum Iudaeos nostrorum temporum non esse personaliter reos mortis Domini nostri. Sine dubio quaelibet debilitatio textus praesentis in pessimam interpretationem trahetur.

3

EXC.MUS P. D. ANTONIUS ABED

Episcopus Tripolitanus Maronitarum

1. Pag. (7) 47, lin. 23. Expressio « *adunatio* populi Iudaici cum Ecclesia » non videtur esse felix nec recta. Non enim est populus Iudaicus quaedam natio seu religio de se extranea christianismo, cuius adunatio cum Ec-

clesia optaretur tamquam felix concursus virium. Sic loqui possemus de Hinduismo vel de Buddhismo, vel etiam de Islamismo, quorum foedus cum Ecclesia optandum est ad debellandum atheismum. Israel autem pars olim fuit Ecclesiae (large sumptae, in sensu populi Dei) et ab ea secessit quando Messiam Iesum agnoscere renuit. Ramus est, qui ab oliva « fractus » (*Rom.* 11, 17) in eam iterum inserendus est (*ibid.* 23-24). « Amissus est seu melius « reiectus est » (ἀποβολή) et iterum assumendus (πρόσλημψος) (*Rom.* 11, 15). Melius ergo esset scribere: « *reditum* populi Iudaici ad Ecclesiam (large sumptam), vel *reassumptionem* seu *integrationem*... in Ecclesiam ».

2. Ibid. lin. 25. « fide inconcussa » nimis asserit. *Rom.* 11, 25 est enim locus unicus Novi Testamenti (textus obscurus *Mt.* 23, 39; *Lc.* 13, 35 melius non invocatur) ubi spes certa reditus Israel ad Christum asseritur. Et etiam in eo Paulus exprimit spem vivam potius quam fidem certam. Patres ipsi Ecclesiae quasi nihil dixerunt de hac spe. Unde melius esset vitare assertionem tam fortem, et in eius locum aliquid subrogare sicut « *spe viva* (vel *ardenti,* vel *materna,* vel *fideli*) ac desiderio magno ».

3. Ibid. linn. 31-32. Sententia obscura et ambigua. Quoad « responsabilitatem » Iudaeorum duo distinguenda sunt: *a*) distinctio inter Iudaeos Hierosolymitanos qui perpetrarunt mortem Christi et eos qui eodem tempore habitabant in Diaspora; *b*) distinctio inter contemporaneos Christi et Iudaeos hodiernos.

Ad *a*) Certum est quod soli Hierosolymitani, et quidem aliqui tantum, partem activam in passione Domini assumpserunt. Non minus certum autem quod Iudaei in Diaspora degentes confirmarunt, saltem ut in pluribus, hanc sententiam reiectionis Christi, quando recusarunt evangelium a Paulo praedicatum et omnibus modis conati sunt missionem Apostoli impedire, usque ad propositum eum necandi. Haec duritia cordis quam populus electus consilio divino opposuit, non est minus gravis quam ipsa occisio Christi et non deberet facile in oblivionem duci vel silentio praeteriri.

Ad *b*) Certum est etiam quod Iudaeis hodiernis non potest imputari responsabilitas moralis sceleris olim in Passione Domini patrati; sed eis utique imputanda est consequentia huius sceleris, i. e. amissio electionis et conditio miserabilis filii (primogeniti!) e domo Patris egressi. Per suum peccatum populus iste mortuus est. Reditus eius erit resurrectio e mortuis (*Rom.* 11, 15; cf. *Lc.* 15, 32), quae valde optanda est; sed antequam redierit ad Ecclesiam domum Patris, vivit extra et contra consilium Dei, unde sat explicatur quod inquietus sit et tanto inquietat mundum. Israel infidelis aliquo modo comparari potest homini per peccatum Adae lapsi: ei non imputatur responsabilitas personalis culpae olim commissae, et tamen heres fit ruinae quam peccatum antecessorum meruit.

Quidquid sit de culpabilitate reali, quam ignorantia etiam Synderistarum et Primorum populi certe excusat (*Lc.* 23, 34; *Act.* 3, 17; 13, 27 etc.), nihilominus remanet in decursu historiae salutis « delictum » (παρήπτωμα) et « diminutio » (ἥττημα) populi Iudaici quam Paulus fortiter asserit (*Rom.*

11, 12), quam sana theologia oblivisci non potest, cuius tamen mentio frustra quaeritur in textu declarationis.

4. Pag. (8) 48, lin. 20. *Io.* 1, 9 certe alluditur. Atqui in textu graeco « *erchomenon eis ton kosmon* » referri videtur ad « *to phôs* » et non ad « *anthrôpon* ». Lumen, vel radius Veritatis, venit in mundum. Textus declarationis esset corrigendus in hoc sensu.

[*Subscripserunt etiam*] Michael Doumith, év. Sarba Maronitarum; Antonius Koreiche, ep. Sidoniensis Maronitarum; Ignace Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum; François Ayoub.

4

EXC.MUS P. D. CUSTODIUS ALVIM PEREIRA

Archiepiscopus de Lourenço Marques

Contrarius non sum declarationi de Iudaeis. Censeo tamen coram Domino:

1. Addantur aliqua verba quo *humane* quaeratur ut neque Iudaei neque alii *odium habeant* erga catholicos. Oecumenismus ab omnibus fieri debet; alioquin appellamur (et fortasse sumus) « ingenui ».

2. Modus quo hoc schema redactum est et alia eventus in Concilio, videtur Ecclesia *sibi imputare* quod Iudaei et protestantes nondum ad Ecclesiam pervenerunt. Falsa opinio quae non placet...

3. Mentio Mahometanorum *non placet. Aut* enim loquimur etiam de aliis religionibus aut sileamus de Mahometanis (qui speciali odio non odiunt).

4. Melius esset si simpliciter *omitteretur communicatio de Iudaeis* et non christianis, relinquentes *aliquod verbum* de iis in schema *de oecumenismo.*

5

EXC.MUS P. D. CAROLUS BALDINI

Episcopus Clusinus et Pientinus

Duo consectaria facile praevidentur haberi cum declaratio pro Iudaeis publici iuris fiet: religiosum nempe et politicum, quorum alterum intentum est a nobis, alterum omnino praecavendum est.

Placet ergo schema cum finem humanum et religiosum persequitur: Iudaeus fuit populus a Deo electus ad custodiendum revelationis depositum et cultum erga Deum unum et hominum creatorem et Dominum. Omnes ergo in ipsum sensus humanitatis et grati animi servare debent.

Praeprimis hi sensus a christianis servandi ac manifestandi sunt ob rationes, modo brevi ac efficaci expositas in declaratione.

At ne finis a nobis intentus locum det, praeter nostram intentionem,

abusui (speculazioni politiche) bene in lucem ponere debemus distinctionem inter populum Iudaicum, erga quem cor nostrum omnino patet, et motum « sionisticum » qui eodem defectu laborat quo peccabat nationalismus ratialis, qui locum dedit illis saevissimis persecutionibus in schema deploratis iuste meritoque.

Ad hunc finem obtinendum et ad praecavendum periculum speculationis politicae, in linn. 20-22, loco « atque insuper, sicut iniurias hominibus ubicumque illatas severe reprobat, ita etiam odia et vexationem erga Iudaeos deplorat et damnat », dicatur: « Odia et vexationes, ultimis praesertim temporibus contra Iudaeos habita deplorat et damnat; at cum sint nationalismi exaggerati et cultus ratialis fructus, et ipsos Iudaeos hortatur a spiritu sionistico praecavendo, ut ... recidatur in radice error a quo tot lacrimas hauserunt; cultum in Deum a Patribus traditum servent; et effatum levitici in numismate aureo Paulo VI datum in eius peregrinatione in Israel " dilige proximum tuum sicut teipsum " adamussim deducant in praxim ».

6

Exc.mus P. D. IOSEPH BONFIGLIOLI

Archiepiscopus tit. Darnitanus, coad. c.i.s. Syracusanus

Declaratio de Ecclesiae habitudine ad religiones non christianas placet iuxta modum. Modus autem sequens est:

Ad n. 2, pag. 6, lin. 6: deleantur verba « inexhausta fecunditate mythorum ». Ratio est: mythi, qua tales, etsi arte litteraria magni fortasse faciendi sint, non videntur annumerandi inter « illa bona spiritualia et moralia etc. » de quibus optime in linn. 33-35 eiusdem paginae.

Ad n. 3, pag. 7, lin. 14: deleantur verba « familialem et »: num polygamia quam profitentur et exercent Musulmani, censenda sit in « obsequium Dei »?

Ad n. 4, pag. 7, lin. 32: loco « secundum fidem », ponatur « ex fide », iuxta Apostolum, in loco citato.

Ad n. 4, pag. 7, lin. 39: loco « nutriri », ponatur « oriri ex » vel « ortum ducere ex ».

Ad n. 4, pag. 8, linn. 32-34: loco verborum « Ideo... doceant », substituantur haec verba vel similia: « Ideo nemini liceat aliquid docere etc. ». Ratio duplex est: primo, ne insinuetur fieri posse ut per Verbi Dei praedicationem odium doceatur; secundo, ne id quod stricte vetatur in catechesi et in praedicatione licitum apparere possit per alia media communicationis socialis.

7

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS BRIZGYS

Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

Ad § 32 (vers. 1-10). Cum prima Revelatio et promissio Redemptionis datae sunt longe ante Abraham et ceteros Patriarchas et Prophetas post ipsum, mihi videtur hunc locum alio modo redigendum esse. In praeservanda Revelatione et Redemptionis promissione populus hebraicus fuit valde eximia pars catenae inceptae a primaeva Revelatione et primaeva repromissione Redemptionis.

Dicta in vers. 11-12 carent praecisione aequiparando originem Christi cum origine Mariae et apostolorum, ex populo iudaico. Christus etenim conceptus fuit ex Spiritu Sancto et non ex viro. Ergo de origine Christi non est loquendum eodem modo ac de origine hominum.

In vers. 17-18 propterea exaggerate patrimonium christianitatis totum attribuitur iudaeis. Et sic porro de consequentiis ex his exaggeratis suppositionibus.

Ad vers. 23-27. Meo humili iudicio vix iustum et opportunum est affirmare nos adunationem populi iudaici plus desiderare, quam ceterorum populorum.

Ad vers. 30-31. Verba « neve aliud quid... » et ad finem illius sententiae mihi videntur superflua et sine damno omittenda esse.

Ad § 33. Titulus quidem bene sonat, minus tamen illa, quae in ipso continentur. Haec paragraphus talis verbis composita est quasi catholici usque nunc omnes odio prosequebantur nunc vero vocantur ad mutandos sensus et actiones.

8

BEAT.MUS P. D. PAULUS II CHEIKHO

Patriarcha Babylonensis Chaldaeorum

Minime convenit ut suspicatur sacrosanctum Concilium Oecumenicum (parcite mihi, venerabiles Fratres, si hoc dico) de aliqua partialitate erga unam nationem peculiarem.

Quapropter valde optatur, ut:

1. Titulus declarationis sit hoc modo, i. e. « De populis non christianis ».

2. Detur conceptus clarus et perfectus de officiis christianorum erga non christianos.

3. Postquam describatur officium christianorum erga non christianos, loqui potest declaratio etiam de Hebraeis seu Iudaeis, de Musulmanis aliisque populis, sicut iam in schemate dictum est et secundum observationes a Patribus in haec aula factas.

9

Exc.mus P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER

Episcopus Camposinus

Ad n. 32, pag. (7) 47, linn. 17 ss. Ibi christiani dicuntur magnum patrimonium ex Iudaeis hausisse, et propterea mutuam cum illis aestimationem et cogitationem instaurare debere.

Christiani, autem, patrimonium quod hereditate habuerunt, ab antiquo populo iudaico acceperunt, non ab hodierno. Hic enim non potest dici revelationi Veteris Testamenti undequaque fidelis, cum Messiam, qui ratio erat totius Veteris Legis, renuant accipere. Hodierni Israelitae potius successores sunt eorum quos S. Petrus affirmat Iesum morti tradidisse, et S. Paulus iustitiam Dei reliquisse induratumque cor habere (*Act.* 3, 13; 5, 20; *Rom.* 10, 3; 11, 7).

Inde videtur non eodem modo loquendum de Iudaeis antiquis fidelibus Deo et Messiae venturo et de Iudaeis nostri temporis. Ab illis patrimonium accepit Ecclesia fideliterque servavit, dum hodierni Iudaei potius illud patrimonium sua infidelitate depauperant.

Inde etiam sequitur magna cum cautela instauranda colloquia cum Iudaeis, sicut mos est, vel saltem, semper fuit in Ecclesia. Concilium praeterea hunc morem derelinquere non debet nisi gravibus ductum causis, quas fidelibus exponere deberet.

Insuper, sermo videretur concinnior, si periodus quae incipit verbis « Memoria insuper » (linn. 23 ss.) locum haberet statim post citationem *Rom.* 9, 4.

Propono, ergo:

1. ut linn. 17 ss. ita vel similiter immutentur: « Cum huic desiderio Ecclesiae auxilium esse possint mutuae Iudaeorum christianorumque cognitio et aestimatio, Sacra haec Synodus vult ut, debitis adhibitis cautelis, illa foveantur studia et fraterna colloquia in sinceritate cordis quae praeiudicia dissipent atque ad adunationem in uno Christi grege concurrant, atque, insuper, etc. »;

2. ut verba quae inveniuntur linn. 23 ad 27 locum teneant statim post lin. 16;

3. ut in linn. 29-30, auferantur verba « populum iudaicum ut gentem reprobatam exhibeant », et a lin. 31, item auferantur verba, melius, verba « animos a Iudaeis alienare possit » immutentur in haec alia: « animos in Iudaeos excitare possit ». Periodus ergo sic sonaret: « Ideo curent omnes ne, sive in catechesi impertienda et Verbi Dei praedicatione sive in quotidianis colloquiis, aliquid dicant aut faciant quod animos in Iudaeos excitare possit ».

Ad n. 33, pag. (8) 48, lin. 23. Ibi dicuntur musulmani sensu religioso atque permultis humanae culturae communicationibus propius ad nos accessere.

Haec videntur nimia. Sensus enim religiosus musulmanorum Ecclesiae ita infensissimus apparet ut hucusque matrimonia catholicorum cum musulmanis speciali modo ab Ecclesia reprobabantur. Actus praeterea fidei in musulmanis fanatismum sapit, dum penes christianos liber omnino et rationalis est.

Propono, ergo, ut deleantur linn. 22-23 inde a verbis « et sensu religioso... » usque ad finem periodi.

Ad n. 34, pag. (8) 48, lin. 29. Auferatur verbum « discriminatione aut ». *Ratio* est quia Deus ipse veram discriminationem hominum fecit cum variis modis induxit stirpes, colores et conditiones vitae, vel varias permisit regiones. Hae autem Divinae Providentiae discriminationes, quamvis non iustificent vel permittant vexationes, negandae non sunt. Ipsa Scriptura cum dicit Deum oriri facere solem super omnes, pressius affirmat super bonos et malos, bene significans in Dei iudicio discriminationem inter homines adesse. Illa quae inter bonos et malos viget a voluntate hominum pendet; aliae in ipsa rerum natura inveniuntur quae ab eius Auctore volitae censendae sunt.

Denique sit mihi venia ut aliquid notem circa modum gerendi Secretariatus qui constat in Appendice, pag. (17) 57, sub n. 6. Ibi nempe dicitur: bona fides in professionibus suis apud fratres separatos semper praesumenda est. Ratio datur ex more quo catholici iudicantur.

Liceat mihi negare paritatem. De facto, qui christiani non sunt, secundum principium dogmaticum de voluntate Dei salvifica universali, gratiam sufficientem habuerunt et habent ut veram fidem amplectantur et in Ecclesiam ingrediantur. Cum ergo non faciunt, non statim excusandi sunt. De se enim potest sine temeritate supponi illos gratiam a Deo oblatam negligere. Quamvis hoc iudicium de singulis emitti nequeat, tamen in genere validum est. Inde, cum in genere sermo est de gratia et actibus salvificis apud non catholicos, appellatio ad bonam fidem facienda videtur. Non possunt enim supponi omnino alieni a beneficio gratiae salutis. Alia veritas quae hoc agendi modo in dubium licite vocari posset, est illa de necessitate Ecclesiae catholicae visibilis ut medii ordinarii salutis pro omnibus hominibus.

Quodsi fundamentum totius oecumenismi — ut ibi dicitur — in bonae fidei omnium non catholicorum praesumptione ponitur, perspicue ostendendum esset quomodo huiusmodi oecumenismus cum veritatibus modo memoratis componi posset.

10

EXC.MUS P. D. MICHAEL DOUMITH

Episcopus Sarbensis Maronitarum

Ad n. 32, linn. 23-32: textus emendatus sic proponitur: « Memoria insuper dignum est *conversionem ad Dominum* (2 *Cor.* 3, 16) *Iudaeorum* esse partem spei *christianorum.* Ecclesia enim, docente Apostolo Paulo (cf. *Rom.* 11, 25) magno desiderio exspectat *Iudaeorum* accessum ad *spiritualem Israel,* quem Christus instauravit.

Ideo curent omnes ne, *quocumque modo,* populum iudaicum ut gentem reprobatam exhibeant, et ne Iudaeis *omnis temporis* quae in Passione Christi perpetrata sunt imputentur ».

Emendationes probantur:

1. Loco « adunationis populi Iudaici cum Ecclesia » proponitur « conversio Iudaeorum ad Dominum », propter sequentes rationes: locutio est scripturistica, immo et paulina; adunatio fit inter fratres separatos, qui *eodem* omnino patrimonio fruuntur; porro patrimonium non est ex omni parte idem inter christianos et Iudaeos. Novum Testamentum a Iudaeis reiicitur, et Vetus ab iisdem ita intelligitur ut ad Dominum non ducat (cf. 2 *Cor.* 3, 14-15).

2. Praefertur vox « *Iudaei* » voci « *Populus Iudaicus* »: idem enim significatur, modo concreto, ad exprimendum factum et non propriê thesim.

3. Loco « spei christianae » dicitur « spei christianorum » et postea supprimitur locutio « fide inconcussa »: non est necesse ut Oecumenica Synodus tam fortiter affirmet interpretationem difficilioris textus Pauli ad Romanos.

4. Loco « sive in catechesi ... (usque ad) ... in quotidianis colloquiis » dicitur simplicius « *Quocumque modo* »: nam plus intenditur vetendam esse omnem contra Iudaeos loquelam, quam insinuare, indiscriminatim, usum fuisse loquendi contra Iudaeos et in catechesi et in praedicatione et in colloquiis quotidianis.

5. Supprimuntur verba « neve aliud quid dicant aut faciant, quod animos a Iudaeis alienare possit »: Synodo interest ut vitetur odium et vexatio contra Iudaeos « propter rationem religiosam » (quod iam sufficienter exprimitur in iam dictis); hac ratione religiosa exclusa, iudaei non plus merentur sollicitudinem quam alii populi, et sicut alii et forsan plus, propter rationes humanas, iniustitiam v. g. possunt ipsi a semetipsis animos alienare: qua de re Synodus non curat, nec debet curare ad vitandam aequivocationem politicam.

6. Loco « nostrorum temporum » dicitur « omnis temporis » ne in verbo Synodi intendi possit aliqua iustificatio illorum quae perpetrantur a Iudaeis nostrorum temporum, quo inciditur in eadem politica aequivocatione.

Ad n. 33, lin. 22, pag. 48: textus emendatus proponitur: « Sic amplectamur imprimis etiam Musulmanos qui unicum Deum personalem atque remuneratorem adorant et sensu religioso, immo et quadam fide atque permultis humanae culturae communicationibus propius ad nos accesserunt ».

Emendatio probatur: Quae in textu veniunt de Musulmanis, valent de omni homine bonae voluntatis et rectae intentionis. Nonne apud Mahometanos, « credentes » adest aliquid plus? ex eo quod ad Deum clamant non tantum vi sensus religiosi omnibus communis, sed etiam vi fidei in hoc quod credunt esse Verbum Dei? Certe non illis agnoscimus authenticum testem; sed nonne adest subiectiva adhaesio revelationi putativae, quae de facto et materialiter est saltem ex parte eadem ac vera revelatio. Ideo additur vox « Quadam fide » scil. non Fide (authentica) simpliciter, nec tamen communi sensu religioso, qui adesse potest in illo qui nullam ideam revelationis habet.

Ideo si de illis fit mentio, ne illis denegetur quod est illis proprium, scil. « quaedam fides ».

11

EXC.MUS P. D. ARTURUS DOUVILLE
Episcopus S. Hyacinthi

Haec declaratio, ut sonat, est:

a) *exaggerata,* dans nimiam importantiam non catholicis, etsi sympathia dignis, et e contrario, nihil hic dicens de persecutionibus adhuc hodie catholicis et christianis impositis;

b) *inopportuna* videtur esse, saltem secundum iudicium collegarum patriarcharum necnon et episcoporum orientalium; tali iudicio debetur attenta consideratio, quia vivunt cum iudaeis vel prope eos, unde situationem perfecte cognoscunt, et fiducia nostra bene digni sunt;

c) *periculis gravibus plena iudicari debet,* nam quis potest prudenter stabilire Iudaeorum, etiam hodiernorum, responsabilitatem, vel non, de Salvatoris nostri morte; hic habetur tam complexa quaestio quam vix possibilis responsio et discutibilis necnon discutienda certo certius in publico est cum contra Ecclesiam contemptu.

Tandem, talis declaratio et qualiscumque declaratio in hac materia a Concilio emissa, passione politica (Israel vs. Jordaniam) etiam internationali, necnon indiscretione et malitia nimis multorum « journalistis » erit certo « exploitée » seu interpretata contra Ecclesiam. Sola framassoneria iudaica forsitan ea gaudebit, sed motivo politico vel interesse materiali (signo dollari).

Conclusio. Huius declarationis finis non bene videtur. Nam, ex una parte nemo est qui neget Ecclesiam suas radices in iudaismo positas esse, et, ex

altera parte, nemo est qui probare possit Ecclesiam *solos* iudaeos mortis D. N. I. C. responsabiles esse iudicasse vel iudicare.

Ergo sufficiat corollarium quoddam, post schema vel infra schema *de Oecumenismo* ponere seu addere, ad condemnandam omnem persecutionem et discriminationem in genere.

12

EXC.MUS P. D. HUMBERTUS D'ROSARIO

Episcopus Dibrugarhensis

In my humble opinion it will be most imprudent to make any specific declaration in favour of the Jews and Muslims at this stage. People in the world will take it from a political angle and we will divide the world rather than bring them closer as brothers.

If any declaration were made in favour of the Muslims, the Hindus in India would resent this as a discrimination, and so would Buddhists, Confusianists and others feel likewise.

My humble suggestion is that if any declaration should be made, it should be for non-catholics in general (not specifying Jews or Moslims), urging all to be kind in thought, word and deed in the spirit of Christ to a universal brotherhood.

13

EXC.MUS P. D. IOSEPH FADY

Episcopus Lilongwensis

Cette déclaration, comme l'a fait remarquer le card. Liénart, comme nous l'avons fait remarquer dans notre intervention écrite (Animadversiones Patrum quorundam Africae Centro-Orientalis competenti commissioni Oecumenici Concilii Vaticani II exhibitae [1964], Kacheleu, Malawi, die 4 augusti 1964), a sa place au début du schéma *de Ecclesia.* Raisons: L'Eglise dans le plan de Dieu est *une* en 4 étapes:

1 étape: Depuis la vocation d'Abraham jusqu'à l'avènement du Christ. C'est l'élection du peuple de Dieu, l'Ancien Testament. Première partie de l'Eglise.

2 étape. L'avènement du Fils de Dieu (ses 33 ans en Palestine). Il n'y a pas de scission avec le passé, mais transmission, passage au Nouveau Testament. Le Christ n'est venu pour abolir, mais pour parfaire. Deuxième partie de l'Eglise.

3 étape. Les fondements posés, le Christ remonte au ciel, d'où il leur envoie le Saint Esprit. Cette troisième étape va de la Pentecôte à la fin du monde. Troisième partie.

4 étape. C'est l'Eglise au Ciel, quand le Corps Mystique du Christ sera au complet. Les juifs de l'Ancien Testament y ont leur place et *hono-*

rable. Marie, Joseph — sans oublier les Patriarches — et le premier couple humain.

Donc une Eglise.

Certes les Juifs ne sont pas tous entrés dans la seconde étape. Ils attendent toujours un Messie. Ils ont — pour prendre une comparaison vulgaire — manqué le train, mais ils prendront le dernier, celui avant le retour du Christ. St. Paul l'assure.

Mais puisque le monde s'attend à une déclaration, il faut la faire, loyale, sereine, brève. Il faut à tout prix éviter tout ce qui sent la politique et le racisme.

14

EXC.MUS P. D. MARION FRANCISCUS FORST
Episcopus Dodgepolitanus

The revised declaration on the Jews in that it seems too obviously a formality is unworthy of Conciliar approval.

May I recommend that this text be rejected and that the former, original text be substituted.

Reasons: In the schema *de Ecclesia* already approved by the Council there is the statement that "The Church remains above all national boundaries" and that the "Church... comforted by the power of the grace of God... that in the weakness of the flesh she may not defect from perfect fidelity." (page 30, lines 27-32) This present declaration on the Jews would have the Church defect from "perfect fidelity"—and instead of practicing the justice and charity taught by Christ, ("Father forgive them for they know not what they do"—and the charity of the Good Samaritan) would simply become the weak approval of toleration or of diplomacy only.

The statement would emphasize no true love of the Jews. It would serve only to grant recognition of the Jews in such terms that may give no political offense to others. Surely this is unworthy of the Council.

15

EXC.MUS P. D. RUDOLFUS GRABER
Episcopus Ratisbonensis

Declaratio S. Concilii *de Iudaeis et de non christianis* est, sicut em.mus relator nuperrime dixit, maximi momenti etiam sub aspectu oecumenico latiore sensu sumpto.

Nam si scissiones inter christianos maxime dolemus, debemus non oblivisci, primam scissionem exortam esse iam aetate apostolica, nempe inter veterem populum Dei et novum.

Dein populus Veteris Testamenti et Novi Testamenti sunt coniuncti non solum per foedus Dei cum hominibus, sed etiam per communem historiam salutis.

Et insuper, si Paulus ad Romanos dicit: « Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit » non vituperandi sunt nonnulli, qui dicunt sicut e. g. Jacques Maritain: « Israel est Iesus inter nationes et diaspora iudaica inter christianos est longa via dolorosa ».

His praenotatis propono sequentes mutationes et additamenta sequentia:

1. Vitandus est proselytismus. Qui proselytismus videtur contentum esse in declaratione pag. 47, lin. 23, ubi dicitur: « ... additamentum populi Iudaici *cum Ecclesia* » etc. Melius esset dicere cum verbis S. Pauli simpliciter: « Memoria insuper dignum est adunationem populi Iudaici cum *novo populo Dei* partem spei christianae esse » (*Rom.* 11, 25 *et* 26) et nihil aliud.

2. Reiiciendus vel damnandus est Antisemitismus, quia fundamentum religionis christianae evertere satagit, sicut docet historia Nazismi. Quare ut sequela practica postulanda est inquisitio et purgatio omnium librorum etiam religiosorum, qui aliquas tendentias antisemiticas ostendunt, vel Iudaeos ut deicidos demonstrant.

Hisce modis inter christianos et Iudaeos possibilis fit ille dialogus, de quo Summus Pontifex in sua Encyclica *Ecclesiam suam* locutus est.

16

Exc.mus P. D. GEORGIUS HAKIM
Episcopus Ptolemaidensis

De promissionibus seu expectationibus eschatologicis, in specie de salute omnis Israel.

Sicut in V. Testamento quaedam vigebant promissiones eschatologicae, inter quas illae eminebant quae messianicae vocantur, ita et in Novo non desunt expectationes. Inter istas populus catholicus didicit illas expectare fere solas, quae ad secundum Domini adventum una cum Ultimo Iudicio et carnis resurrectionem vitamque in caelis aeternam pertinent. His nostris temporibus, ex oecumenismo feliciter addi coepit expectatio unitatis fidei, et caritatis maior provectio. Sed est quaedam expectatio, quam Ecclesia vix proclamat, provehit aut praedicat, estque illa *circa salutem " omnis Israel "* promissa.

In votis Concilii Vaticani II videtur ponenda: 1. adhortatio, ut populus christianus melius eschatologicas promissiones omnes cognoscat magisque ex ipsis vivat; 2. circa promissionem salutis omnis Israel professio.

Ad 1. Ad hanc mentem eschatologicam docendam atque promovendam iam a saeculis adlaboravit Sanctae Ecclesiae Liturgia. Exempla huius in pluribus orationibus habentur.

Sic in illa qua commendatur conatus ille praecipuus, qui in diligendo

Deo consistit (Dom. V p. Pent.): « Infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut te in omnibus et super omnia diligentes, *promissiones* tuas, quae omne desiderium superant, consequamur ».

Item in orationibus, quae omnes adimplendas promissiones urgent, v. g. Dom. X p. Pent.: « Multiplica super nos misericordiam tuam, ut ad tua *promissa* currentes, caelestium bonorum facias esse consortes ».

Dom. XII p. Pent.: « ... tribue quaesumus nobis, ut ad *promissiones* tuas sine offensione curramus ».

Sed Doctor promissionum, sicut et Gentium, est Paulus apostolus, qui — ad Romanos scribens — plures praemisit promissiones eschatologicas, respectu ad « futuram gloriam, quae revelabitur in nobis » (8, 18), ipsam « expectationem creaturae » insinuens, (19) — magis autem nosmetipsos considerans « adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri ». (20) Magnam insuper praevidet promissionem adimpletum iri eo quod « ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus » (26), et quod « Christus Iesus, qui mortuus est, immo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, etiam interpellat pro nobis ». (34)

Ad 2. Dein autem apostolus, non absque nexu cum praecedentibus, longe et late de *spe Israelis* disserit (9-11), quippe quae eminet iuxta mentem apostoli inter eschatologicas promissiones, quas cecinit.

Et quidem primo considerat ea, quae tum ad honorem Israel, tum ad Ecclesiae ex his utilitatem spectant. Haec sunt, quae « *Cap. IV de Oecumenismo* » enumeraverat.

Item nexum indicat defectionem Israel inter et Gentium advocationem (9-13). Hisque praemissis apostolus statum quaestionis praesentem atque futurum definit, dicens primo « Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit. Electio autem consecuta est, ceteri vero excaecati sunt » (11, 2); quaerens secundo: « Numquid sic offenderunt, ut caderent? » et respondit: « Absit! ». « Sed illorum delicto, salus est Gentibus, ut illos aemularentur » (11, 11).

Hinc exclamat « Si amissio eorum, reconciliatio est mundi, quae *assumptio*, nisi vita ex mortuis? ».

Rem demum singulis Paulus applicat, qui ex Gentibus inserti sunt, dicens (non tu radicem portas, sed radix te » (18). Postremo prae oculis ponit magnam istam spem atque expectationem eschatologicam, dicens: « Nolo vos ignorare mysterium hoc, quia caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, et *sic omnis Israel salvus fieret* » (25-26).

Quod autem apostolus noluit nos ignorare mysterium, numquid hoc inter promissiones eschatologicas vix vivit christianus populus, vix illud ab omnibus mente et corde retinetur? Numquid nos latet, hoc idem vix ipsi populo Israel cordi esse? Nonne ergo Ecclesiae est, ut et in sinu suo intensius id vivat curare, et uti Evangelium itemque huius populi genuinam prophetarum doctrinam iis exhibere atque testari? Ecclesia namque in

rebus eschatologicis multum deficere videretur, si defectionem populi Israel mente non volveret, nec ad eam superandam adlaboraret. Ad hoc Ecclesiam deceret modum, quo Israel et Ecclesia his rebus simul mentem adhibeant, indicare viamque aperire, excludendo nempe modum sic dictum missionalem et promovendo colloquium theologicum atque oecumenicum, quo quid theologia ac oeconomia salutis in populo Israel valuerint valeantque adhuc, de novo appareat. Huic scopo Ecclesia deserviret, si maiori studio promissionibus his messianicis seu eschatologicis mentem applicaret atque in his sese populo Israel secundum Deum corde ac prece uniret. Communibus namque colloquiis si illarum expectationum revelationem ambo populi Dei considerant simulque prece desiderant, iisdem usi Psalmis, fieri non potest, quin maximi exinde utrique parti proveniant proventus ipsiusque Fidei unitatis profectus. Quod faxit Israel Deus!

17

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS HENGSBACH
Episcopus Essendiensis

Concilium Oecumenicum nostrum, quod praesertim de Ecclesia agit, non silere potest de vinculo inter populum Novi et Veteris Testamenti. Ergo grati sumus Papae Ioanni XXIII pro mandato dato Secretariatui ad fovendam unitatem christianorum ad elaborandam declarationem de Iudaeis.

Nobis persuasum est, quod haec declaratio sit causa propioris contactus et melioris relationis inter Ecclesiam et populum Iudaicum.

Insuper nos episcopi ex Germania volumus exprimere satisfactionem nostram profundam de hac declaratione, gravissimae culpae conscii, quae nomine nostri populi contra Iudaeos commissa est.

Declarationem praeiacentem ergo valde approbamus.

In specie proponam:

1. Revideatur allusio ad *Eph.* 2, 15 in lin. 7, pag. (7) 47, ita ut dicatur, ex mente S. Pauli, Ecclesiam conditam esse ex Iudaeis et gentibus. *Ratio*: ita melius exhiberi videtur sensus S. Scripturae.

2. Eadem pagina, linn. 23-27 dicatur loco « ... Ecclesia partem spei christianae esse. Ecclesia enim, docente apostolo Paulo fide inconcussa ac desiderio magno accessum huius populi exspectat ad plenitudinem populi Dei, quam Christus instauravit »: « Memoria insuper dignum est adunationem populi Iudaici cum *novo populo Dei* partem spei christianae esse, sicut docet apostolus Paulus (cf. *Rom.* 11, 25) ». *Ratio*: Ultima pars huius incisi neque necessaria est neque opportuna. Forma proposita vero facilius intellegetur a Iudaeis.

3. Eadem pagina, lin. 31: post « ne » dicatur: « indiscriminatim Iudaeis temporis Christi, a fortiori non Iudaeis... ». *Ratio*: tale quid iure exspectant Iudaei et nihil obstat, quominus hoc dicatur, quia etiam in duabus relationibus explicite dictum est.

18

EXC.MUS P. D. IOSEPH HEUSCHEN

Episcopus tit. Druensis, aux. Leodiensis

Non necessarium iudico praesentes observationes relate ad « declarationem de Iudaeis et de non christianis » in aula, occasione discussionis schematis *de Oecumenismo* proferre: sufficit ut a secretaria Concilii competenti commissioni transmittantur.

Textus declarationis in genere placet et constituit sane documentum maximi momenti in hac materia, in qua elementa ordinis historici, religiosi, psychologici et politici pacificam rerum expositionem earumque diiudicationem difficilem reddunt. Tres tantum parvas observationes faciendas habeo.

1. In n. 32, linn. 1-2, legimus Ecclesiam Christi *libenter* agnoscere fidei et electionis suae initia iam apud Patriarchas et Prophetas inveniri. Optima sane declaratio, at timeo ne vocabulum « libenter », cum optima intentione in textum introductum, a Iudaeis interpretetur in sensu cuiusdam actus « condescendentiae »: suppressio huius vocabuli hoc obstaculum evitaret.

2. In n. 32, lin. 8, asseritur Ecclesiam esse « continuationem » populi electi. Hoc etiam verissimum est, sed scio, quia hac de re pluries cum Iudaeis locutus sum, Iudaeos ipsos hunc loquendi modum non amare, imo eos ipsum fere semper perperam intelligere; ex ipso enim, erroneo sane modo, deducunt christianos dicere velle Iudaeos non iam existere nec tanquam populum nec tanquam populum electum. Difficultas fortasse solvi posset, immutando leviter textum ope formulae depromptae ex ep. ad *Rom.* 11, 17: « Quare nequit Ecclesia, nova in Christo creatura (cf. *Eph.* 2, 15) et populus Novi Foederis, oblivisci christianos esse oleastrum insertum in ramis israeliticis et socium radicis (cf. *Rom.* 11, 17), populi nempe illius quocum olim Deus... ».

3. In n. 32, lin. 8, textus sic sonat: « Sacra haec Synodus mutuam utriusque cognitionem et aestimationem, quae et studiis theologicis et fraternis colloquiis obtinetur... »; phrasis, ni fallor, magis Iudaeis placeret si ibi diceretur: « studiis *biblicis et* theologicis et fraternis colloquiis », quia melius indicaretur basis communis horum studiorum.

19

EXC.MUS P. D. HENRICUS THEOPHILUS KLONOWSKI

Episcopus tit. Daldianus, aux. Scrantonensis

1. Sancta Evangelia sunt documenta historica, atque facta historica in eis contenta negari non possunt, secus documenta historica falsificare deberemus, quod absit.

2. Duces Iudaeorum simul cum Pilato et militibus romanis illius temporis crucifixionem perpetrarunt.

3. Nullus Iudaeus hodiernus reus est mortis Christi quasi decreverit vel perpetraverit necem eius, sicut nemo generis humani culpam personalem habet in peccato originali.

4. Culpa eorum qui crucifixionem Christi perpetraverunt non est ratio seu causa cur gens Iudaica sit obiectum persecutionis.

5. Quapropter anti-semitismus condemnandus est.

6. Utique nos omnes (inclusis Iudaeis) culpam habemus spiritualem in morte D. N. Iesu Christi, SS.mi Redemptoris humani generis, quatenus ipse voluntarie se obtulit propter salutem nostri omnium ut a peccatis nostris nos redimeret.

20

REV.MUS P. D. PETRUS MALEDDU
Praefectus apostolicus Hinganfuensis

Consentio opinioni em.morum DD. cardd. Tappouni et Ruffini.

Attamen, si schema circa Iudaeos Patribus conficiendum videtur, saltem declaretur quanam ratione Ecclesia usque in dies nostros in Liturgia loquebatur « de perfidis Iudaeis »; et quare in hodiernum diem Ecclesia docet Iudaeos deicidas fuisse eo quod occiderunt Christum saltem « gladio linguae » (cf. S. August.).

Quoad nostrum modum agendi erga orthodoxos iam Summus Pontifex, f. r., veniam petiit in iis quae Ecclesia Latina fortasse peccavit; at quoad Iudaeos quomodo iustificatur haec mutatio?

21

EXC.MUS P. D. IOANNES B. PRZYKLENK
Episcopus Ianuariensis

Pag. (7) 47, n. 32, linn. 9-10. Mihi persuasum non est veritati esse conformem assertionem schematis Deum « revelationem in Libris Veteris Testamenti contentam concredere » voluisse populo Iudaico. Num constat omnes Veteris Testamenti libros apud Iudaeos invaluisse? Nequaquam. Magis mihi placet formula plus minus ita redacta: « ... dignatus est, et cui solatium Sanctorum Librorum tribuere voluit » (cf. *Rom.* 15, 4; magis vero *1 Mach.* 12, 9 — sed " cf. " istud textui non adiicerem).

Pag. (7) 47, n. 32, lin. 13. Mirum est, quod in hac declaratione candide enuntiatur, quod in schemate *de Ecclesia,* cap. III omni cum cautela evitatum fuisse videtur, nempe assertum de apostolis *tamquam fundamento* Ecclesiae. Simplex et candida affirmatio sane mihi placet. Sed ne hic dicatur

absque haesitatione, quod ibi evitandum videbatur, salvo iudicio meliore. Omissione duorum tantum verborum, scil. *fundamentum et,* res inter se cohaerebunt.

Pag. (7) 47, n. 32, linn. 31-32. Doleo quod haec propositio « *caveant* ... imputentur » prostat. *Monitum* aequum et iustum censeo, sed aestimo non constare non posse imputari Iudaeis nostrorum temporum ea quae in passione Christi perpetrata sunt. Id quidem exacte propter *1 Thess.* 2, 15 qui textus non eliditur *Rom.* 9, 13, cum nulla sit inter eos oppositio. Unde relationis intentum non intellexi. Deinde Pii XI iussu et mandato formula consecrationis generis humani SS. Cordi Iesu adhibita est in qua legitur: « Respice denique misericordiae oculis illius gentis filios, quae tamdiu populus electus fuit; et Sanguis, qui olim super eos invocatus est, nunc in illos quoque, redemptionis vitaeque lavacrum, descendat » (*A.A.S.,* 17 [1925], pp. 541 sq.).

Utique Ioannis XXIII iussu et mandato hoc incisum eliminatum est. At num simplici omissione textus veritas e medio sublata fuit quam in Pii XI verbis expressam invenis? An nulla est veritas in Pii XI verbis? Adagium istud « Lex orandi, lex credendi » nonne in hac materia quoque valet?

Quae cum ita sint, Ioannis XXIII exemplum sequens, praefero altum silentium custodire quod ad quaestionem imputabilitatis attinet.

Qua de causa vel tota propositio omittatur (quod malo), vel textus reformetur, forte sic: « Caveant praeterea, ne ea quae in passione Christi perpetrata sunt, in praetextum adducantur infitiendi Iudaeos nostrorum temporum ».

Pag. (7) 47, n. 33, lin. 34; pag. (8) 48, linn. 2-4. Deum esse omnium hominum *p*atrem profiteor, sicut etiam confiteor esse Deum *P*atrem. Sed umbra quaedam ambiguitatis oriri potest lectione inter alias notabilis textus: « Ita enim arcte connectuntur habitudo hominis ad Deum *P*atrem... ». Haec umbra dissipari potest, forte et debet.

Pag. (8) 48, n. 33, linn. 10-12. Ni fallor, propheta de Iudaeis, fidei lumine illustratis, loquitur. Num opportunum est huiusmodi textum simpliciter ad omnes applicare homines? Hunc textum sensu pleniore admitto valentem pro omnibus, sed non sensu litterali, salvo iudicio meliore.

Pag. (8) 48, n. 33, linn. 19-20. « quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ». Textus, licet sponte in mentem revocet *Io.* 1, 9; nullam ad eum relationem indicat. Consulto quidem, exsistimo, cum lectio Vulgatae nemine ignorante a lectione primaeva dissentiat. Dubium autem moveo, an prudens sit huiusmodi in textu conciliari assertionem facere Veritatem seu Deum illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum. Praefero textum sic conceptum: « ... radium Spiritus veritatis a quo omne verum procedit (cf. DENZ. 3017; 1441) ».

Has animadversiones in scriptis tantum propono.

22

EXC.MUS P. D. PASCHALIS QUAREMBA
Episcopus Gallipolitanus

Quoniam declaratio de Iudaeis et de Mahometanis: *a*) tamquam discriminatio inter religiones non christianas intelligi potest; *b*) facta praeterita, non semper bona ut v. g. occisio Christi et persecutiones Mahometanorum in christianos, in memoriam revocari possint; *c*) in sensu politico interpretari potest; conveniens erit ut a schemate de Oecumenismo expungatur.

In appendice declarationis de libertate religiosa adnotetur tamen quod non christiani, cuiuscumque fidei, magna cum caritate tractari debent; in conversatione cum illis nullo verbo offensivo utetur; et quantum fieri potest, dialogus cum ipsis prudenter et pastoraliter habeatur ad Christum eiusque doctrinam eos alliciendos.

23

EXC.MUS P. D. RAIMUNDUS M. TCHIDIMBO
Archiepiscopus Konakriensis

Mihi liceat, imprimis, gratias agere de opere peracto membris Instituti Studiorum Orientalium a Patribus Dominicanis in civitate Cairensi exstantis atque haud minoribus merito Patribus Missionariis Africae.

Nunc dicam primum hoc schema ex una parte christianos liberare qui adhuc non ingressi erant, nisi cum magna timiditate, viam dialogi et collaborationis cum non-christianis; ex altera parte adiuvare eos qui fortiter istam viam iam sequebantur.

Oportebat vero alta voce clamare Evangelium scil. christianos vivere non posse cum indifferentia erga homines propinquiores, qui sunt fratres, etsi alius stirpis, originis aut religionis sunt. Hoc in schemate bene affirmatur: In pagina octava dicitur: « Nequimus vero Deum omnium Patrem vocare vel orare, si erga quosdam homines, ad imaginem Dei creatos, fraterne nos gerere renuimus ».

Secundo, quoad musulmanos, addere velim hanc declarationem suo tempore venire, eo quod respondet uni ex maximis curis quas habent nostrae iuvenes nationes, christianis simul ac musulmanis civibus factae.

Signum temporis est siquidem, a die qua futuri responsabilitatem tulerunt musulmani et christiani nostrorum civitatum putaverunt necessariam cooperationis organisationem inter Islam et christianismum.

Anno 1959, Rector Universitatis *El Azhar* in Cairensi civitate christianos musulmanosque invitationem fecit ut unirentur contra atheismum.

Anno 1960, Sua Exc. Abdelkader El Fassi, Legatus Marochinus in civitate Bonn, in oratione cui titulus: Musulmanus ob Christianismi mundum,

sic loquebatur: « Christianismus et Islam se uniri possunt ac debent, conatus in unum ferre, communia sic exhibere ut inimicorum Dei impulsum repellant ».

Anno 1962, aliquo tempore ante Concilium Oecumenicum, Sua Beatitudo patriarcha Meouchi nobis loquebatur de « convivance », pulchre affirmans quaestionem non solum de compromissione sed de cohabitatione fraterna et sincera collaboratione cum fratribus musulmanis.

Vita socialis progressum exigit et ultra differentias affirmanda sunt quae nos musulmanis proximos faciunt:

— primo musulmani ac christiani omnes unum Deum increatum Creatorem adorant;

— secundo Islam et christianismus easdem virtutes praedicant et ad eamdem finem tendunt;

— tertio christianismus mandat ut diligatur Deus supra omnia et proximus ut seipse. In textibus autem musulmanis legitur: « Nemo ex vobis credens erit nisi fratrem diligit ut seipsum »;

— finis tandem Islami et christianismi in pugna contra atheismum in eo est ut voluntas Dei fiat;

— oportetne addere musulmanos in Africa occidentali semper in christianos reverentiam habuisse, et etiam christianos in musulmanos?

SS.mus Pater Paulus Papa VI nos in viam collaborationis impellit per Encyclicas litteras *Ecclesiam suam*: « Nolumus tamen reverenter non respicere bona spiritualia et moralia quae in variis religionibus, christiano nomine non insignibus, insunt; una enim cum iis provehere iuvat ac tueri alta et praeclara quae in campo libertatis religiosae, fraternitatis humanae, eruditionis ac doctrinae, beneficientiae socialis et ordinis civilis sunt communia » (p. 51, ed. Vaticanis).

Superfluumne addere Islam et christianismum aptas vires habere quae deviationes cultus scientisti, mechanisti et materialisti huius saeculi corrigant.

Ut hic cultus sit cultus, non tantum technicarum congeries, christianismus debet in dialogum ire cum non christianis, singulariterque cum musulmanis.

Christiano officium est collaborare velle cum omnibus hominibus bonae voluntatis in civitate cohabitantibus. Ista collaboratione manifestatur fidelitas nostra motui continuo evolutionis mundi.

Christianus sese inserat vitae aliorum hominum ut aperiantur altioribus salutis rebus.

Hoc verbum SS.mi Patris Pauli VI, in *Ecclesiam suam* conclusio nobis erit: « Hominum coetui nulla salus afferri extrinsecus potest, opus est utique, ut primum, non secus atque Verbum Dei, quod Seipsum fecit hominem, eorum vitae formas induamus, quibus Christi nuntium delaturi sumus » (p. 42, ed. Vaticanis).

24

Exc.mus P. D. PAULUS VERSCHUREN

Episcopus tit. Aquaesirensis, coad. c.i.s. Helsinkiensis

Cum nobis apertum sit declarationem de Iudaeis et non christianis magna cum cura et labore confectam esse, pro qua re secretariatui libenter gratias agimus, tamen textus uti iacet, non plene nostrae exspectationi satisfecit. Quare has animadversiones scriptas humiliter iudicio secretariatus submittimus.

I. *De titulo.* Titulus non plene placet:

1. Quia Iudaei et non-christiani non constituunt divisionem adaequatam.

2. Quia duae partes, scil. n. 32 de Iudaeis ex una parte, et numeri sequentes ex alia parte, sub unico titulo sunt nimis diversae (cf. animadvers. seq.).

3. Quia declaratio non agit simpliciter de Iudaeis vel aliis, sed potius « de christianorum attitudine erga Iudaeos ».

Quae ultima expressio proponitur tamquam titulus.

II. *De compositione declarationis.* Displicet additio nn. 33 et 34, qui respiciunt non-christianos in genere, nam declaratio de Iudaeis est omnino sui generis:

1. Propter rationes theologicas, quae probant relationem inter christianos et Iudaeos esse specificam (cf. *infra*).

2. Propter rationes historiae et opportunitatis, quae exigunt falsam attitudinem quorundam christianorum erga Iudaeos condemnari modo speciali.

Praeterea displicet differentia stylistica inter unam et alteram partem.

Proponitur ergo, ut ea quae in nn. 33 et 34 habentur, edantur ut declaratio separata.

III. *De n. 32.* Displicet benevolentiam christianorum erga Iudaeos deduci tantum ex « communi patrimonio ». Haec argumentatio sane conveniret scientiis humanis uti sunt anthropologia et historia religionum. Sed pauper apparet respectu theologiae, quae de populo Iudaeo invenitur in Novo Testamento, praesertim in S. Pauli Epistula ad Romanos (capp. 9-11). Ibi enim innuitur Iudaeos non tantum tempore Veteris, sed etiam Novi Testamenti, ergo hodie, relationem habere quandam specialem ad Ecclesiam, sicuti Ecclesia ex parte sua ad ipsos fide, spe et caritate modo speciali attendit.

Quae ut clarius exponantur quam in schemate habentur, proponitur inde a lin. 14 textus emendatus: « *Semper quoque memoria remanent digna* (1), *quae dicit* Apostolus Paulus de Iudaeis, " quorum adoptio est

filiorum et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissa " (*Rom.* 9, 4).

Hi veteres (2) *quidem Dei favores nec hodie plane cessaverunt eos allicere ad finalem suam salutem, qui etiam nunc sint " secundum electionem carissimi propter patres. Sine paenitentia enim sunt dona et vocatio Dei "* (*Rom.* 11, 28 sq.) (3).

Ne christifideles (4) *propterea ignorent* (5) adunationem populi Iudaici cum Ecclesia partem esse spei christianae, sed docente Paulo apostolo (cf. *Rom.* 11, 25 et 14), fide inconcussa exspectent accessum huius populi ad plenitudinem populi Dei, atque *operoso* desiderio *ad illum praeparandum adlaborent* (6).

Cum igitur *tanta bona inter christianos et Iudaeos sint communis originis, tanta quoque communis spei* (7), Sacra haec Synodus mutuam utriusque cognitionem et aestimationem, quae et studiis theologicis et fraternis colloquiis obtinetur, omnino fovere vult et commendare, atque insuper, sicut iniurias hominibus ubicumque illatas severe reprobat, *eo magis* (8) odia et vexationem contra Iudaeos deplorat et damnat.

Ideo curent omnes... ».

Explicationes ad textum propositum:

(1) Verior forsan expressio quam quae habetur in schemate. Simul stylistice iam praeparantur vota mox exprimenda.

(2) Privilegia indicata pertinent ad Vetus Testamentum, sed innuitur adhuc hodie Iudaeos magis quam alios populos non christianos esse privilegiatos. Quod exprimitur ipsis verbis S. Pauli.

(3) Citatio habetur etiam in schemate constitutionis *de Ecclesia* (cap. II, n. 16, pag. 37, linn. 25 ss.), sed exigitur hic saltem aequa ratione.

(4) Spes adunationis Iudaeorum hic organice et logice sequitur. Textus tamen non proponitur ut veritas de Ecclesia, sed ut votum pro christianis.

(5) Cf. *Rom.* 11, 25: « Nolo enim vos ignorare, fratres ».

(6) Etiam hic magis attenditur ad scopum practicum declarationis, simulque iam praeparantur ulteriores conclusiones.

(7) Breviter resumitur duplex ratio adducta ad inculcandam specialem benevolentiam erga Iudaeos.

(8) Dicitur propter easdem speciales rationes « eo magis ».

25

EXC.MUS P. D. IOANNES IULIANUS WEBER
Archiepiscopus-episcopus Argentinensis

Quod dictum est de musulmanis (pag. 48, linn. 21 s.) valde breve est. Et mentio non fit de ceteris religionibus. Haec brevitas et hoc silentium supplentur in schemate *de Ecclesia* (pag. 37, n. 16). Forsan mentio de populis

a Iudaeis differentibus nec necessaria hic esset: religio christiana enim cum Iudaeis et cum ipsis solis relationem intimam habet, cum christiani ex Iudaeis orti sint.

26

PLURES EXC.MI PP. DD. EPISCOPI BRASILIAE

Cum mente Concilii Oecumenici Vaticani II concordat declaratio de Iudaeis et de non christianis, cum Concilium nostrum dialogum instituere velit cum omnibus hominibus bonae voluntatis, licet locus loquendi de non christianis in appendice decreti *de Oecumenismo* minus aptus videatur, nam nexus non apparet saltem si vox « oecumenismus » in suo sensu communiter adhibito sumitur. Quoad Iudaeos res aliter se habet ut optime apparet ex ipsis dictis in n. 32 huius declarationis.

Iamvero, quod dicta de Iudaeis attinent, declaratio ista pro nobis quandam delusionem constituit. Cur?

Si ex una parte favorabilia de Iudaeis dicuntur et sermo fit de studiis theologicis et fraternis colloquiis, reprobando quoque odia et vexationes contra Iudaeos, ex alia parte in declaratione ista odiosa nobis videntur haberi pro Iudaeis. Nam quaerimus quare Iudaeis temporis Christi indirecte in textu imputentur quae acciderunt in passione et morte Christi? Nonne est iniuriosum pro B. Maria Virgine, pro apostolis, pro diversis amicis Christi, qui omnes Iudaei erant, si passionem et mortem Domini Iudaeis sic et simpliciter imputamus? Verum est in Sacra Scriptura, praesertim in Actibus Apostolorum nos quaedam invenire dicta ab apostolis quae culpabiles reddunt Iudaeos de morte Domini, sed quaerimus nonne sunt illa interpretanda in contextu sermonis necnon in contextu totius Sacrae Scripturae?

Quibus consideratis, desideramus ut propositio illa sub n. 32, linn. 31-32: « Caveant praeterea ne Iudaeis nostrorum temporum quae in passione Christi perpetrata sunt imputentur » ita immutetur ut sic dicatur: *Caveant praeterea ne Iudaeis nostrorum temporum imputentur quae a quibusdam tantum illorum in passione Christi perpetrata sunt.*

Praeterea desideramus ut in textu, probabiliter post verba « ut gentem reprobatam » (linn. 29-30) adiungantur verba « vel deicidam », quae toties apparent in praedicatione catholicorum, et non tantum male sonant, sed ob supra dicta videntur iniusta.

Insuper, ex altera tamen parte, decretum istud, non dogmaticum, inter varias interpretationes *Rom.* 9, 4, unam elegit. Cf. pag. 7, linn. 14-16 ubi textus sumitur in sensu Israelis separati a Christo ac si adhuc privilegia Legis, Electionis, etc. servaret, sicut revera sonat in Vulgata: « ... quorum adoptio *est* filiorum... ». Attamen textus graecus caret verbo, et non solum contextus proximus (*Rom.* 9, 6) sed remotus (*Eph.* 2, 15; *Col.* 2, 14) loquentes de abolitione V. T. clare ostendunt verbum fuisse potius in praeterito, si aliquod verbum ibi supponendum est. Ita, S. Thomas (in *Comm.*

in Ep. ad Rom.): « Postquam apostolus posuit dignitatem Iudaeorum, nunc ostendit quod ista dignitas non pertinet ad eos qui carnaliter processerunt ab antiquis patribus; sed ad spirituale semen, a Deo electum. *Illi non adoptantur in filios Dei qui sunt filii carnis,* i. e., ex hoc ipso quod secundum carnem progeniti sunt ab Abraham ». Ita etiam Cerfaux: « Privilegium servatur tantum pro Iudaeis qui ultra litteram veniunt. Ceteri non amplius verus Israel sunt, cum tantum in carne sint, ideoque, coram Deo, nihil sunt ».

Proponimus ergo, vel 1) deleantur linn. 14-16; vel 2) allusio fiat potius ad *Rom.* 11, 24: « Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam, quanto magis ii qui secundum naturam inserentur suae olivae », et etiam v. 17 s.

Si istae animadversiones prae oculis habentur et textus iuxta eas corrigatur, tunc declaratio ista de Iudaeis honorabitur nostrum Concilium. Secus melius esset quaestionem ne quidem tangere.

[*Subscripserunt*] Agnelo Rossi, arch. Rivi Nigri; Aloisius Lorscheider, ep. Angelopolitanus.

[*Adhaeserunt etiam*] Vicente Scherer, Helder Camara, João de Souza Lima, Alberto Ramos, Gregorio Warmeling, José Lamartine Soares, Fernando Gomes dos Santos, João Batista da Motta e Albuquerque, João Rezende Costa, José Alberto de Castro Pinto, Augusto Carvalho, Jaime Luiz Coelho, Henrique Gelain, Avelar Brandão Vilela, José Newton Almeida Batista, Romeu Alberti, José Brandão de Castro, Acácio Rodrigues Alves, Belchior Joaquim da Silva Neto, David Picão, Manuel da Silveira D'Elboux, Francisco Austregésilo Mesquita, Antonio Barbosa, Jospe Gonçalves da Costa, Severino Mariano de Aguiar, Altivo Pacheco Ribeiro, Ruy Serra, Luiz Gonzaga Peluso, Eugenio de Araujo Sales, Edilberto Dinkelborg, Hugo Bressane de Araujo, José Medeiros Leite, Claudio Colling, Edmundo Luiz Kunz, Walmor Battu Wichrowski, Benedito Coscia, Henrique Golland Trindade, Camilo Faresin, José D'Angelo Neto, Milton Pereira, Augusto Petró.

27

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI MADAGASCAR

N. 33. Utile videtur magis explicite in hoc numero loqui de valore supernaturali actus religiosi positi ab infideli. Nam Deus, qui vult omnes homines salvos fieri, si agitur de actu religioso conformi religioni naturali infideli dat suam gratiam ad talem actum ponendum.

[*Subscripserunt*] J. Wolff, arch. Diego Suarez; Jérôme Rakotomalala, arch. Tananarive; Gilbert Ramanantoanina, arch. Fianarantsoa; Xaverius Thoyer, arch. tit. Odessitanus; C. Chilouet, ep. Farafangana; Martinez Ange, év. Tsiroanomandidy; A. Tsiahoana, év. tit. Abtugni; C. Rolland, év. Antsirabe; A. Fresnel, év. Fort Dauphin; F. Vollaro, év. Ambatondrazaka; J. Puset, év. Tamatave; L. Messmer, év. Ambanja; J. David, év. Majunga; F. Rajaonariva, év. Miarinarivo; M. Canonne, év. Tulear; Jos. Zimmermann, év. Morombe.

CONGREGATIO GENERALIS XCII
1 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS XCII

1 octobris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii Secretarius generalis*:

Moderabitur 92 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Quaesitum est quem valorem habeant « Adnexa » heri distributa, circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* et cuius auctoritate distributa sint.

Haec « Adnexa » confecta sunt a commissione de apostolatu fidelium et exhibita nostrae secretariae, ut distribuantur Patribus, tanquam documentum mere privatum, quod nullam officialitatem — transeat turpe verbum latinum! — quod nullam officialitatem habet in hoc Concilio. Sed commissio ea paravit tantum ut suam mentem panderet, scil. mentem qua confectum est schema « De Ecclesia in mundo huius temporis ». Quapropter authenticum et officiale est tantummodo schema « De Ecclesia in mundo huius temporis ». « Adnexa » sunt documentum mere privatum.

Crastina, Patres venerabiles, vobis distribuetur relatio circa schema *de Oecumenismo,* nempe circa tria priora capita, quae sunt suffragationi subiicienda. Velitis, crastina, vobiscum ferre etiam textum schematis, non quia crastina discutietur, sed quia necesse erit a vobis exquirere suffragium utrum placeat determinata ratio proposita circa suffragationem faciendam. Unde bene est prae oculis habere non solum paradigma omnium suffragationum, sed etiam textum cui suffragationes referuntur. Et si vobis, Patres venerabiles, placuerit illa ratio quae proponenda erit, suffragationes circa illud schema, nempe circa tria priora capita, incipient feria secunda proximae hebdomadae.

Nunc venio ad nomina eorum, qui orationem facere desiderant circa schema *de divina revelatione,* nempe circa prooemium et capp. I et II. Hi sunt em.mi ac rev.mi PP. DD. cardd. Paulus Léger, arch. Marianopolitanus in Canada; Ioannes Landázuri, arch. Limanus in Peruvia; Michaël Browne; beat.mus P. D. Ignatius Petrus Batanian, patr. Ciliciae Armenorum; exc.mi PP. DD. Casimirus Kowalski, ep. Culmensis in Polonia; Victorius Costantini, ep. Suessanus in Italia; Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis in Germania; Felix Romero, ep. Giennen-

sis in Hispania; Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Antonius Vuccino, arch. tit. Aprensis; Ioseph Reuss, ep. aux. Moguntinus in Germania; Henricus Compagnone, ep. Anagninus in Italia; Ioannes Ferro, arch. Rheginensis in Italia; Aemilius Guano, ep. Liburnensis in Italia; Thomas Wilczyński, ep. tit. Polybotensis; Paulus Zoungrana, arch. Uagaduguensis in Volta Superiore; Michaël Arattukulam, ep. Alleppeyensis in India; Armandus Fares, arch. Catacensis in Italia; Ioseph Attipetty, arch. Verapolitanus in India; Petrus Rougé, ep. Nemausensis in Gallia; Ioannes van Dodewaard, ep. Harlemensis in Neerlandia; Casimirus Morcillo, arch. Matritensis-Complutensis in Hispania.

Hi Patres qui adhuc debent dare suos modos circa suffragationes heri factas possunt dare assignatoribus locorum hoc mane. Gratias.

PATRUM ORATIONES

(De divina revelatione)

1

Em.mus P. D. PAULUS AEMILIUS card. LÉGER

Archiepiscopus Marianopolitanus

Patres venerabiles,

Optimus textus nobis proponitur de divina revelatione.

Schema enim concordat cum spiritu motus biblici qui, providentialiter suscitatus in Ecclesia a pluribus annis, ad progressum studiorum theologicorum tantum proficit.

Quod attinet ad quaestionem de sic dictis duobus fontibus, solutio in schemate proponitur quae prudenter vitat omnes disputationes theologicas. Cum haec solutio post multas discussiones et tribulationes inventa sit, et tum commissioni theologicae tum secretariatui pro unitate placuerit, spero aequilibrium ita obtentum, in discrimen non adducturum esse.

Schema ergo mihi valde placet et observationes quas de secundo capite proponam nonnisi ad meliorem adhuc redactionem tendunt.

Intentio mea solum in hoc sistit, ut textus constitutionis, modo omnino claro, in lucem ponat transcendentiam depositi ab apostolis nobis traditi (per scripturam et traditiones suas) relate ad traditionem ecclesiasticam et magisterium Ecclesiae.

Transcendentia illa depositi sacri in lucem ponenda est propter quatuor rationes:

a) Quia omnino verum est revelationem divinam transcendere totam vitam Ecclesiae, actusque etiam solemnissimos magisterii. Sola enim revelatio divina dici potest *verbum Dei.*

b) Quia proprium est Ecclesiae ad ipsam revelationem assidua cum cura semper redire ut sese renovare possit. Quod requirit vivam conscientiam et agnitionem transcendentiae eius.

c) Quia proclamatio huius transcendentiae et practica agnitio illius in vita Ecclesiae multum conferre possunt ad dialogum oecumenicum, cum tam acutus sit apud fratres seiunctos sensus praestantiae verbi Dei.

d) Quia hac in materia examen conscientiae opportunum videtur. Non raro enim accidit ut in Ecclesia, prae momento revelationis, quidam nimis extulerunt momentum magisterii.

Propter has rationes, praesens schema mihi videtur peculiaris occasio clarius exponendi transcendentiam divinae revelationis 1. relate ad traditiones post-apostolicas, et 2. relate ad magisterium Ecclesiae. Observationes meas, ergo, sub duobus titulis dividam.

I - *De transcendentia revelationis divinae servanda quando loquitur de traditione.* In art. 8, vita Ecclesiae exponitur ut continuatio quaedam ipsius traditionis apostolicae, quae semper in Ecclesia vivere dicitur.

Sane agnosco necessitatem describendi nexum vitae Ecclesiae cum praedicatione apostolica. Agnosco etiam intelligentiam verborum traditorum crescere durante vita Ecclesiae. Tamen, non mihi placet textum ipsam traditionem apostolicam describere ut aliquid vivens quod decursu historiae Ecclesiae cresceret. Sic enim obscuratur momentosa distinctio inter traditionem apostolicam ex una parte, et magisterium traditionesque Ecclesiae ex altera parte.

Necesse est ergo distinctionem clariorem instituere in textu inter traditiones apostolicas et traditiones post-apostolicas. Solae enim traditiones apostolicae et quidem primitivae revelationem constituunt. Praeterea, mea opinione, notio « traditionis vivae », quae in art. 8 venit, cautius adhiberi deberet. Hoc enim diverso modo interpretari potest et de facto diverso modo interpretatur. Insuper, illa expressio innuere videtur ipsam traditionem apostolicam in vita Ecclesiae proficere, v. g. in lin. 14 ubi dicitur: « Viva haec traditio in Ecclesia sub assistentia Spiritus Sancti proficit ».

II - *De transcendentia divinae revelationis relate ad magisterium.* Ad transcendentiam divinae revelationis relate ad magisterium in textu et in ipsa vitae Ecclesiae servandam, duae observationes mihi videntur faciendae:

a) Oporteret melius et clarius distinguere munus docendi apostolorum ab illo quod pertinet successoribus eorum. Apostoli enim « testes Resurrectionis » fuerunt et praedicatione sua ipsum sacrum depositum revelationis constituerunt. Nos autem episcopi, successores apostolorum, e contra, nec directi testes revelationis sumus nec praedicatione nostra sacrum depositum revelationis constituimus. Textus schematis non sufficienter hanc distinctionem patefacit in art. 7...[1]

Praeterea, textus, in ultima sententia pag. 16, menti iniicit identificare assistentiam quae a Spiritu Sancto episcopis praebetur cum illa qua gaudebant apostoli quando per traditiones suas depositum revelationis constituebant.

b) Nos omnes scimus quandoque in Ecclesia accidere ut in infallibilitate modo indiscreto immoratur, necessariis distinctionibus neglectis. Cum haec tendentia non paucum noceat dialogo oecumenico et cum impedimentum magnum sit progressui scientiae theologicae, puto Concilium multum conferturum esse ad unionem christianorum progressumque theologiae si coram omnibus christianis claram et debitam distinctionem faceret inter infallibilitatem ipsius revelationis et illam quae pertinet magisterio.

Alia enim est Locutio Dei in se definitiva, alia authentica interpretatio illius quae, etsi in peculiaribus casibus infallibilis sit, adhuc tamen perfectibilis remanet. Secundum effata apostoli, « investigabiles » sunt divitiae Christi, dum nonnisi « ex parte » nos mysteria cognoscimus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (pag. 15, linn. 23-26 et pag. 16, linn. 34-40).

Textus additus:

Ad mentem observationum de transcendentia revelationis, hic proponuntur emendationes:

Pag. 15, linn. 25 s. Melius esset dicere: « ut hunc Evangelium omni creaturae praedicarent ».

Pag. 15, lin. 27. Melius esset dicere: « Sacra igitur traditio *apostolica* ».

Pag. 16, linn. 10 s. Haec verba ambigua sunt. Videretur dici totam vitam Ecclesiae ad traditiones apostolicas pertinere.

Pag. 16, lin. 30. Propono ut dicatur: « Sacra traditio *apostolica* ».

Pag. 16, lin. 37. Propono ut dicatur: « Sacra traditio *apostolica* autem mens... » doctrina et « mandata Christi per apostolos, assistente Spiritu Sancto, fideliter transmissa ».

Tollitur « praeconium » quia traditio non fit tantum per praeconium uti dicitur in pag. 15, linn. 15 s.

Tollitur « eorumque successores » ne praeconium episcoporum videatur ut traditionem apostolicam constituere.

Pag. 17, lin. 5. Propono ut dicatur: « Sacra traditio apostolica ».

Pag. 17, linn. 19 s. Propono ut dicatur: « Quod quidem magisterium etiam quando infallibilitate gaudet aliquid tamen essentialiter perfectibile remanet. Nec illud magisterium supra verbum Dei est... ».

Pag. 17, lin. 26. Dicere oporteret: « Patet igitur sacram traditionem *apostolicam...* ».

De cap. I, art. 5, linn. 20-25. Descriptio quae hic datur de *fide* videtur nimis abstracta (intellectualiste) et non revera biblica. Oboeditio fidei dicitur « plenum revelanti Deo... etc. ». In textu autem Concilii Vaticani I, fides non dicitur « plenum... etc. », sed dicitur quod *per fidem* Deo praestamur « plenum... etc. ». Quod est alia res.

Peius fit dum scribitur fidem esse « voluntarium veritati... assensum » et refertur ad Concilium Tridentinum et Vaticanum I. Haec enim descriptio: *a*) non nititur in illis Conciliis, ubi de libertate fidei disseritur et nil dicitur de fide ut « assensu veritati... »; *b*) non exprimit id quod est essentia fidei, quae est assensus *Deo* in primis, non veritati (notio abstracta).

2

EM.MUS P. D. IOANNES CARD. LANDÁZURI RICKETTS
Archiepiscopus Limanus

Em.mi DD. Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Specialis omnino laus commissioni doctrinali tribuenda est, quae hanc intricatam de revelatione divina quaestionem plano modo in hoc novo schemate nobis proposuit.

Dum enim numerosae de revelatione quaestiones, minime ad secundaria et accidentalia se referentes, theologorum animos exasperant, in quibus difficile est invenire unitatem, commissio de fide et moribus prudenter atque sapienter textum apparavit qui, sententiarum discrimen devitans, tamen ad nimis trita et usitata nullo modo devenit. In schemate prout exstat, ea revera inveniuntur quae desiderari videntur ut tum fides tum fidei scientia, securum valeant prosequi iter.

Unde, in genere, dicendum est: schema placet, et approbationem meretur.

Nonnullae tamen desiderantur emendationes ad textum etiam cap. I et II de quibus nunc agitur, quas ut textus perfectior adhuc evadat, proponere mihi liceat, nomine etiam 45 Patrum conferentiae episcopalis Peruvianae.

1. *In pag. 6, linn. 3-9*: dicitur revelatio contineri non tantum ver-

bis, sed et gestis et rebus. Haec sententia omnino fundatur in Sanctis Patribus, et anteacto tempore a theologis unanimiter erat accepta. Sed, propter aliquorum exaggerationes, recentius illa doctrina minus accepta facta est, et *nonnulli*[1] exegetae, nimio studio sensus litteralis, per se recto, gesta et res in revelatione contenta despexerunt, vel potius neglexerunt. Unde opportunum est sententiam in Sanctis Patribus fundatam retinere, sed non ita simpliciter et absque limite seu moderamine prout in schemate ponitur.

Etenim, si absque limite edicitur, periculum inesse potest ne immoderate revelationis ambitus — et exinde fidei obligatio — augeatur.

2. *In pag. 6, n. 3, linn. 15-29*: recte ibi mentio fit de manifestatione Dei « in ipsa rerum natura ». Attamen, optandum videtur ut explicite notetur differentia inter hanc sic dictam revelationem naturalem et illam positivam supernaturalem de qua inde a lin. 19 agitur. In praesens enim confusioni inter ordinem naturalem et supernaturalem nimis favetur; hodie ordinis supernaturalis proprietates et exigentiae valde ignorantur; quare opportunum non videtur Concilium talibus loqui verbis, quae hanc confusionem adhuc augere *videantur.*[2] *Nam*[3] in hoc ipso n. 3, schema notionem revelationis duplici sensu supponit: in prima parte, usque ad lin. 19, etsi verbum non adhibeat, agit de revelatione naturali quae fidem non postulat; post lin. 19 vero de revelatione quae fidem postulat.

Proinde desideratur ut de utraque in distinctis phrasibus agatur, et ostendatur inde a lin. 19 de alia omnino revelatione agi.

Propono ergo ut pressius, his vel similibus verbis dicatur: « Deus in Verbo suo omnia creavit, et *ita* in ipsa rerum natura perenne sui testimonium hominibus ostendit. *Insuper autem,* inde ab initio etc... ».

3. Pag. 7, lin. 11 *asseritur*[4]: « Oeconomia christiana nunquam praeteribit ». Hoc verum est, sed non absolute. Oeconomia enim *terrestris,* usque ad consummationem saeculi, non praeteribit, sed, uti in constitutione *de Ecclesia* aperte dicitur, post hanc oeconomiam terrestrem incipiet *illa*[5] caelestis: in fine ergo saeculi oeconomiae christianae actuali succedet oeconomia christiana definitiva.

Quapropter[6] in praedicta paragrapho *forsitan*[7] melius diceretur sic: « Oeconomia ergo christiana *praesens* usque ad consummationem saeculi durabit...[8], et non est aetas *historiae religiosae*[9] etc. ... ».

4. Nunc autem ad cap. II *transeuntes,*[10] in n. 8, pag. 16, optimam invenimus descriptionem divinae traditionis, quae non considerari debet anteacti temporis aliquod depositum, omnino et simplicter clausum, sed est vera virtus quaedam actuosa, omnium saeculorum et omnium gentium Ecclesiam pervadens.

Haec autem traditio divina, cui obsequium fidei debetur, sedulo distinguenda est ab elementis mere ecclesiasticis, imo mere humanis, quae in vita Ecclesiae inveniuntur, et quae ad revelationem supernaturalem *non* [11] pertinent ac proinde fidem minime postulant.

Placet in schemate variis hic inde occurrentibus locutionibus agi exclusive de traditione originis divinae. Videat tamen commissio doctrinalis utrum haec distinctio inter traditionem divinae originis et traditionem originis ecclesiasticae adhuc clarius exprimi possit.

5. Tandem pag. 17, linn. 17-19 legitur: « per quod suprema auctoritas in uno nomine Iesu Christi et in una eius Ecclesia est constituta ». Haec propositio non valde clara est nec facile intelligitur. Quapropter opportunius est si forma activa exprimatur; e. g. dicendo: « Munus autem verbum Dei scriptum vel traditum authentice interpretandi soli concreditum est vivo et infallibili Ecclesiae magisterio, quod supremam auctoritatem in uno nomine Iesu Christi, in eius Ecclesia constituit ».

Hisce *rebus perpensis* [12] confidimus textum schematis perfectiorem atque accurationem evasurum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] non pauci. [2] videntur. [3] deest. [4] dicitur. [5] oeconomia. [6] Quare. [7] deest. [8] (cf. *Mt*. 28, 2). [9] deest. [10] transeundo. [11] minime. [12] deest.

3

Em.mus P. D. MICHAËL card. BROWNE

Loquor de nostro schemate, etsi non abscondo me anxietatem sentire quantum ad quaestionem de extensione traditionis, sicuti movetur quaestio in relatione quae dicitur minoritatis.

Sed, loquendo ad nostrum textum,[1] quaedam in par. 2, pag. 6, linn. 4-12, non placent.

In lin. 4, verba « *gestis verbisque* » deberent poni ordine inverso, dicendo: « *verbis gestisque* ». Verba enim principatum habent in significando.

In linn. 5-9, fateor verba « ... opera in historia salutis a Deo patrata doctrinam et rem verbis significatam manifestent et corroborent, verba autem opera proclament », etsi forte defendi possent, absolute loquendo, minus clara et aliqualiter involuta esse. Commendo ut simplificentur...[2]

In cap. II, in par. 8 — *paginam omisi* [3] — lin. 14, « *De Traditione* » [4]: verbum « crescit » dictum de traditione ...[5] non placet. Traditio enim *divina* non crescit, sicut neque crescit ipsa Sacra Scriptura.

Doctrina in ea contenta evolvitur, i. e. augetur quoad explicationem, non quoad substantiam.

Item, lin. 16, non placet ut Traditio dicatur cresci seu evolvi « ex intima rerum spiritualium experientia ». *Quaeri enim potest*[6]: de qua experientia agitur? Proprie enim loquendo experimur, cum singularia per sensum cognoscimus. Vox potest quoque transferri ad cognitionem intellectualem sicut *fit*[7] in angelis, sed nonnisi cum quadam cautela transfertur ad cognitionem intellectualem nostram. Unde consulerem ut hic non adhibeatur, vel saltem ut sensus in quo adhibetur explicetur.

Et istud consilium do, etiam propter historiam non nimis longinquam a nobis de tempore Modernistarum (non — nullo modo volo — dico quod schema intendit loqui in istum sensum, sed scimus in istis temporibus actum fuisse, motam fuisse quaestionem valde vivam de experientia, « experientia religiosa », de « experientia religiosi »), unde ne in mentem alicuius suspicio veniret nostrum schema loqui cum quadam referentia ad istud punctum Encyclicae Pascendi, *consulerem ut aliter res exprimatur. Et iterum repeto: nullo modo volo insinuare mentem schematis esse ut hoc idem loquatur.*[8]

Item noto quod, in isto loco, nil dicitur de labore theologorum quoad evolutionem doctrinae traditionis. *Agitur de contemplatione fidelium, utique; sed communis contemplatio fidelium, sine labore theologorum, ut puto non perveniret ad rectam evolutionem doctrinae Traditionis. Unde hoc esset inserendum.*[9] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] 1. [2] 2. In par. 5, pag. 7, lin. 26, verba « et internis Spiritus Sancti auxiliis » superflua videntur post verba « praeveniente et adiuvante Dei gratia ». 3. [3] deest. [4] deest. [5] loco « evolvitur ». [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] Hoc non placet.

4

BEAT.MUS P. D. IGNATIUS PETRUS XVI BATANIAN
Patriarcha Ciliciae Armenorum

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres conciliares,

Constitutio *de divina revelatione,* quae nobis discutienda proponitur, in sua prima parte, laude digna videtur, propter structuram organicam, claram expositionem, necnon quaestiones discussas vitandi conatum.

Post sobrium et condensatum prooemium, quo, verbis S. Ioannis, ad sublimiora vitae aeternae mysteria contemplanda introducimur, clara

fit expositio naturae revelationis eiusque obiecti, textibus ex Sacra Scriptura praesertim desumptis.

Transitus fit deinde ad divinae revelationis transmissionem; et traditio ac Sacra Scriptura veluti speculum exponuntur et exstant, in quo Ecclesia in terris peregrinans contemplatur Deum.

Consulto vitatur quaestio disputata de fontibus revelationis, dum momentum traditionis et Sacrae Scripturae earumque mutuae relationis extollitur.

Hoc depositum verbi Dei, constitutum traditione et Sacra Scriptura atque Ecclesiae commissum, integrum ac intactum servatur per magisterium.

Ideo optima est declaratio quae habetur in n. 10, pag. 17, linn. 26-32, de connectione inter « Sacram Traditionem, Sacram Scripturam et Ecclesiae Magisterium ».

Liceat mihi quasdam animadversiones facere circa hanc declarationem:

1. Connectio inter Sacram Traditionem, Sacram Scripturam et Ecclesiae Magisterium debet esse norma fundamentalis in omni labore exegetico.

Finis enim exegeseos est expositio veritatum et factorum in Sacra Scriptura afflante Spiritu Sancto consignatorum. Hoc autem fit prae oculis habito textu genuino ininterrupta traditione nobis transmisso ac interpretato, necnon qua tali a magisterio Ecclesiae recognito.

2. Firmitas fidei revelationi praebendae, ut tuto tradatur fidelibus doctrina a Deo revelata, seriam obligationem imponit exegetis magna cum prudentia procedendi, etsi laudandi sint hi strenui operarii, quorum « conatus — ut ait Pius XII, sanctae memoriae, in Litteris Encyclicis *Divino afflante Spiritu* — non solum aequo iustoque animo, sed summa etiam cum caritate iudicandos esse ceteri omnes Ecclesiae filii meminerint ».

Sed liceat mihi, infirmo inter Ecclesiae pastores, rogare ut et ipsi exegetae meminerint maximam responsabilitatem assumptam; et, in verbo Dei interpretando, ad praedictam connectionem inter Sacram Traditionem, Sacram Scripturam et Ecclesiae Magisterium, semper attendere satagant.

3. Haec norma nullimode tollit libertatem exegetarum, sed, illos continendo intra determinatos limites, contra periculosam audaciam praemunit.

Peropportunum est in mentem habere nuperrima verba Summi Pontificis Pauli VI, feliciter regnantis, qui, feria sexta elapsae hebdomadae, sic alloquebatur participantes XVIII Hebdomadae Biblicae: « L'orto-

dossia dottrinale, che la Chiesa raccomanda ed esibisce nelle pericolose ed attraenti esplorazioni esegetiche moderne, non preclude lo studio, non offusca lo sguardo nelle più ardue e complesse ricerche bibliche, ma consente all'esegeta fedele di tutto conoscere e di nulla perdere; di conoscere ciò che le scienze antiche e nuove ci sanno razionalmente offrire in campo scritturale; e di non perdere ciò che la sapienza della fede sa esservi contenuto ».

Porro connectio tam commendata inter Sacram Traditionem, Sacram Scripturam et Ecclesiae Magisterium in praxi servari non potest nisi procedendo in labore exegetico secundum sensum Ecclesiae.

Ideo humiliter et submisse propono ut in fine n. 10, cap. II, pag. 17, addantur haec vel similia verba: « Cum autem nulla sacrarum litterarum interpretatio recta existimanda sit quae cum sensu Ecclesiae non concordet, haec Sancta Synodus enixe invitat exegetas et theologos ad hanc normam scrupulose sequendam ».

Simili additione consulitur fini pastorali Concilii: hac enim ratione agendi ostenditur omnibus qua diligentia Ecclesia vult ut fideles ad rectam intelligentiam verbi Dei pervenire possint, media adhibendo confusionem impediendi in re tanti momenti.

Consulitur quoque vero oecumenismo. Etenim tum orientales acatholici tum protestantes, qui Sacram Scripturam tamquam locutionem Dei ad homines tenent, et consentanei esse volunt cum seipsis, clare vident quod Libri Sacri, hac sola ratione agendi Ecclesiae catholicae, fideliter conservari et authentice interpretari possunt. Dixi.

5

Exc.mus P. D. CASIMIRUS IOSEPH KOWALSKI
Episcopus Culmensis

Venerabiles Patres,

Schema de divina revelatione nobis, episcopis Poloniae quorum nomine loquor, valde placet.[1]

Revelatio divina certo certius fidem supponit et fide supernaturali recipitur, ut credentes in fide crescant, non deficiant, immo corroborentur, uti iusti ex fide vivant et per fidem salventur.

Sed latius patet voluntas Dei, qui « omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire ». Ideo Spiritus Sanctus emittens divinam revelationem in mundum, cum in Vetere Testamento tum in Novo, minime praetermisit mentionem de iis, qui verbum Dei non recipiunt,

immo respuunt. Testes huius divinae paedagogiae et Ieremias ...[2] et auctor libri Sapientiae *in Vetere,*[3] et apostoli Petrus ...[4] et Paulus ...[5], Ioannes ...[6] et Iuda *in Novo Testamento,*[7] exsistunt. Hanc methodum invenimus etiam in omnibus *Decretis Conciliorum*[8] necnon in documentis Magisterii Ecclesiae...[9]

Proponendo doctrinam de divina revelatione, schema quod nobis in genere — *ut dixi*[10] — valde placet, abstractionem facit ab iis, qui hodiernis temporibus divinam veritatem, immo ipsum Deum, negant, contraponentes veritati religiosae conceptionem sic dictam « scientificam » mundi. Qui fautores atheismi hodie doctrinam materialismi athei inter non christianos *et christianos, catholicos et non*[11] catholicos longe et late, *magna cum audacia,*[12] divulgare student.

Ideo sollicitudo *patiens*[13] ecclesiarum et pastoralis cura animarum et fidelium et infidelium exposcere *nobis*[14] videtur ut in schematis prooemio fiat mentio, *et quidem mentio pastoralis,*[15] de vera atheismi natura. *Rationes nostrae sunt sequentes*[16]:

Ex textibus S. Thomae Aquinatis (e. gr. « Omnia cognoscentia cognoscunt implicite Deum in quolibet cognito » — *De veritate* ...[17]), scimus atheismum esse contradictionem omnis verae cognitionis humanae et omnis cogitationis logicae et ...[18] omnis scientiae et vitae scientificae hominis.

Quae contradictio etiam ex actuali statu investigationum philosophiae *et theologiae*[19] christianae circa Kantismum, agnosticismum et modernismum omnino clare sequitur. Nam ens finitum intrinsece contradictorium esset, si de iure rationi humanae Deum non manifestaret et Dei existentiam non probaret. Cum vero divina revelatio intellectum humanum « in cuius natura est ut rebus conformetur » ...[20], necnon scientiam humanam nullo modo tollat, sed immo manuducat et perficiat, ideo atheismus censendus est divinae revelationis et rationis humanae eiusque vitae scientificae negatio et corruptio.

Sine cognitione Dei homo viator nullo modo finem suum implere valet, nempe formalem Dei gloriam. Insuper, ut docet Pius XI in Litteris Encyclicis *Quadragesimo anno,* « homo sociali natura praeditus in his terris collocatur ut in societate et sub auctoritate a Deo ordinata ...[21] vitam ducens omnes suas facultates in laudem et gloriam Creatoris sui plene excolat evolvatque » ...[22]. Quam perfectionem humanae personae atheismus impossibilem *omnino*[23] reddit.

Denique per atheismum inanis evenit omnis contactus vere humanus hominis cum homine, quia haec conversatio humana supponit agnitionem in homine illius « sigilli Dei » de quo Psalmista ait: « Signatum est super nos lumen vultus Tui, Domine ».

Ratio ultima.[24] Nihilominus atheismus hodiernus, dialogans cum fidelibus, saepe formam fautoris progressus apparentiam liberatoris a « superstitionibus » et speciem advocati lucidae sapientiae assumit, arte dialectica multos simplices corde in dubitationem et *in*[25] errorem inducens.

Quapropter Pauli VI Summi Pontificis, *feliciter regnantis,*[26] qui in Litteris Encyclicis *Ecclesiam suam* mentionem de atheismo ad solatium omnium hominum bonae voluntatis, *speciatim illorum millionorum qui sub potestate atheorum degent,*[27] non praetermisit, vestigia premens et caritate pastorali erga credentes et non credentes flagrans, Sancta Synodus in prooemio nostri schematis mentionem de vera atheismi natura humili nostro iudicio minime omittere potest. Quae pastoralis exhortatio his verbis exprimi potest: « Patres Conciliares in atheismo humanae rationis, scientiae et dignitatis personae negationem agnoscentes, omnes fideles ab hoc mortifero veneno animarum longe abesse cupiunt. Divinam vero revelationem omnibus fratribus etiam non credentibus propinquissimam et acceptatissimam fore desiderant, memores verborum Sancti Evangelii: " Qui crediderit ...[28] salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur " ... ».[29]

Conclusio.[30] Talis enuntiatio Concilii Vaticani II hodie a plurimis hominibus bonae voluntatis *vere et sincere*[31] exspectatur. Ideo eius realisatio, *secundum nostrum humile iudicium,*[32] grave debitum morale et pastorale Concilii erga humanitatem contemporaneam constituit. Quae declaratio sine dubio ab omnibus fidelibus ad fidei corroborationem summa cum gratitudine et magno cum plausu excipietur. Hominibus non credentibus certo certius viam ad fidem salvificam applanare valet ...[33]. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Cf. Sermo de apostasia populi *Ier.* 2, 1-19; praesertim vv. 2, 10-13; 2, 19. [3] *Sap.* 13, 1-9. [4] *1 Pt.* 2, 7-8; 4, 17-18. [5] *Rom.* 1, 18-23; 2, 8; *Eph.* 2, 11-12; *2 Tim.* 2, 14-19. [6] *Io.* 3, 36; 8, 43-47. [7] *Iud.* 3-4; 15-18. [8] Conciliis. [9] (cf. DENZ., passim). [10] deest. [11] christianos acatholicos et etiam. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] deest. [17] q. 22, a. 2, ad 1. Cf. *In Psalm.* 22, 23; *Summ. Theol.* I, q. 2, a. 1, ad 1; *In Boethium de Trinitate* I, art. 3, ad 4. [18] per consequens. [19] deest. [20] (*De veritate,* 1, 9). [21] (cf. *Rom.* 13, 1). [22] (DENZ. 2266). [23] deest. [24] deest. [25] deest. [26] deest. [27] deest. [28] et baptizatus fuerit. [29] (*Mc.* 16, 16). [30] deest. [31] deest. [32] deest. [33] Nomine episcoporum polonorum Romae degentium.

6

Exc.mus P. D. VICTORIUS M. COSTANTINI
Episcopus Suessanus

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres, omnes adstantes carissimi,

Textus emendatus *de divina revelatione* per se, placet. Dum enim quae omnino certa de re summatim exponuntur et recta principia ad studium *profundius et largius* [1] S. Scripturae augendum et fovendum proferuntur, plurima vitantur quae difficultates gignere possent.

Tamen, si integrum schema consideretur, videtur non sufficienter agere de divina traditione, quamvis de eadem integrum novum numerum insertum invenimus. Necessarium enim ad pastorales exigentias pari gradu censemus studium Sacrae Scripturae et Sacrae Traditionis prosequendum esse. Valde enim confert doctrinae ac vitae christianae profectum etiam studium Sanctorum Patrum necnon Scriptorum Ecclesiasticorum, item et studium documentorum magisterii ecclesiastici, liturgicarum rerum, archeologiae christianae aliorumque testimoniorum traditionis.

Liceat nunc quasdam animadversiones proferre:

In cap. I, pag. 5, lin. 22 ...[2]. Legitur: « Deus invisibilis ... homines tamquam amicos alloquitur *etc.*[3] », *et postea dicitur*[4]: « cum Patre et Filio, et Spiritu Sancto invitet et admittat ». Textus evidenter emendandus est; *et hoc iam dixit em.mus card. Döpfner.*[5]

Eadem adnotatio fieri potest in n. 3, pag. 6, linn. 25 ss.; sufficit tamen ponere formam quam schema iam adhibet in cap. IV, pag. 33, n. 14, lin. 8 ...[6].

Animadversiones in cap. II, pag. 15, lin. 11. 1. Ubi dicitur ... « Evangelium etc. ... tamquam fontem omnis *et* salutaris veritatis », melius diceretur: « tamquam fontem *omnis salutaris* veritatis »: omittitur scil. coniunctio « et » ...[7].

2. Insuper in eodem loco melius conceptus exprimi debent cum dicitur: « mandatum dedit apostolis et *Evangelium* quod promissum ante per prophetas Ipse adimplevit, etc. ... »; attamen per prophetas primo et per se non Evangelium promissum est, sed Christus qui mittendus erat ad pauperes evangelizandos, etc. ...

3. Pariter de apostolis non bene sonat pericopes in lin. 15, eiusdem n. 7: « Ab apostolis, qui in praedicatione orali, *exemplis* et institutionibus ea tradiderunt, etc. ... »; forsan clarius res hoc modo proponi

potest: « ... tum ab apostolis, qui *una* cum orali praedicatione, exemplis docuerunt et institutionibus ea tradiderunt, quae sive ex ore etc. ... ».

4. In lin. 19, eiusdem numeri et paginae — scil. pag. 15 — non videntur probanda verba: « tum ab ipsis (apostolis) *viris*que *apostolicis* »; verum est duo tantum Evangelia ab apostolis conscripta; at non infrequenter usus invaluit per verbum: « apostoli » etiam evangelistas comprehendi. Ceterum, claritatis causa, et ad quamlibet equivocationem pellendam sufficit scribere, *e. g.*[8]: « .. ab ipsis apostolis et ab evangelistis », vel: « et a Luca et Marco, etc. ... ».

5. In n. 8, pag. 16, lin. 2, post verba: « Itaque praedicatio apostolica quae in inspiratis libris speciali modo exprimitur ... », opportune inserenda est particula « postea », ut dicatur: « Itaque praedicatio apostolica, quae *postea,* in inspiratis libris etc. ... ».

Ratio: Momentum sacrae praedicationis et catechesis, quae Ecclesiae initia distinxit et signavit, evidentius affirmaretur ...[9].

6. In eodem n. 8, lin. 16: verba: « tum ex intima spiritualium rerum experientia », videntur aequivocationem parere, et una cum praecedenti periodo (linn. 13-15), legentibus impressionem dare possunt quod traditionis cognitio magis manifestetur *ex subiectivis* criteriis, quam ex documentis Patrum et monumentorum. Valde enim interest de obiectis fontibus sacrae traditionis fusiorem mentionem facere etiam ad momentum oecumenicum sustinendum, ne quidam censeant Ecclesiam traditionem sine evidentissimo fundamento recipere vel tenere.

7. In eadem pag. 17, n. 10. Verba et conceptus probanda sunt; forma vero dictionis nimis involuta est, et magis perspicua reddi debet.

Ultimo.[10] In lin. 30 eiusdem n. 10, pag. 17, ubi legitur: « Patet igitur s. traditionem, S. Scripturam et Ecclesiae magisterium, ... ita inter se connecti, etc. ... ut unum sine aliis non consistat ». Verbum « consistat », nota explicativa non obstante, non recte videtur conceptus exprimere. Unum et altera: Evangelium scil. et sacra traditio, nequeunt recte interpretari sine magisterio Ecclesiae, quod proinde non solum est validissimum instrumentum ut veritates et sancte serventur et recte intelligantur, sed quamvis in ipsis eiusdem existentia magisterii probetur, vicissim, quoad fidem, eisdem validum fundamentum credibilitatis pro hominibus, Spiritu Sancto adsistente, constituit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] profundiore et largiore. [2] et pag. 6, linn. 1 ss. [3] et cum eis conversatur, ut eos ad societatem. [4] deest. [5] ita ut dicatur, e. g. « Deus homines alloquitur... ut eos ad suam societatem, scil. Patris etc. ... invitet et admittat ». [6] « ... ita se... tanquam unicum Deum. etc. ». [7] quia Evangelium non est fons omnis veritatis, sed *salutaris* veritatis. [8] deest. [9] (Nam... per stultitiam praedicationis, ut ait S. Paulus, etc.). [10] 8.

7

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS JÄGER
Archiepiscopus Paderbornensis

Venerabiles Fratres conciliares,

Schema *de divina revelatione* in genere valde placet, quia verum progressum doctrinalem in hac materia praebet. Fideliter prosequitur cap. II constitutionis *de fide catholica* Concilii Vaticani I, quod feliciter complet profectu scientiae et intelligentiae.

Plene adhaereo illis, quae heri ab em.mo card. Döpfner dicta sunt, praesertim de ipsius traditionis pleniore conceptu. Velim nunc solummodo quasdam additiones Patribus deliberandas proponere.

1. In cap. I, n. 2, pag. 6, lin. 3, post verbum « admittat », sequentia verba inserantur: « Revelatio ergo quoddam colloquium est, quod Deus Pater per Iesum Christum in Spiritu Sancto aperuit atque per aetates et tempora instituit, quo salutis colloquio Verbum Dei sive per Incarnationem sive in Evangelio nobis arcana Dei aperuit nosque ad amoris societatem invitat ».

Ratio. Hic revelationis aspectus clare enuntiatur in Encyclica Pauli VI Summi Pontificis *Ecclesiam suam,* unde haec verba fere ad litteram sunt desumpta ...[1].

2. In eodem cap. I, n. 2, pag. 6, post lin. 14, addatur textus illustrans relationem inter revelationem et historiam salutis, quae relatio in schemate nimis breviter significatur.

Ratio. Haec « historicitas » revelationis hodie magni momenti est in dialogo tam intra quam extra Ecclesiam. Nam revelatio non fit extra tempus historiae et non tempore mythico, sed per revelationem Deus intervenit in ipsa historia humana et quidem certo tempore, ut scripturae testantur et Origenes contra Celsum acriter defendit ...[2]. Huius historiae salutis culmen est incarnatio Verbi Divini. Qua in re notandum est revelationem tam eventibus historicis quam verbis perfici, ita ut revelatio insimul sit historia et doctrina.

Textum propositum et examinandum in scriptis adiungo.

3. In n. 4, pag. 7, post lin. 10, addatur sententia declarans Christum insimul esse Deum revelantem et Deum ipsum revelatum, et hoc confirmetur testimonio S. Ignatii Antiocheni.

Textum deliberandum trado in scriptis.

4. Pag. 7, in n. 5, post lin. 31, pars brevis inseratur declarans, quomodo interior actio gratiae prosequitur exteriorem praedicationem evangelii, ita ut missio Christi compleatur missione Spiritus Sancti.

Textum in scriptis adiicio.

5. In pag. 7, post lin. 17, adiungatur phrasis quae demonstrat revelationem factum esse historicum completum et tamen in Ecclesia semper praesentem et actuosam.

Textum examinandum adiicio.

6. Pag. 16, lin. 16, dicitur quod traditio viva crescit « *ex intima spiritualium rerum experientia* ». *Ad rectam huius dicti intelligentiam confirmandam, possit in nota adiuncta provocari ad doctrinam S. Thomae Aquinatis* « *de dono Sapientiae* » (*S. Th. II-II,* q. 45, a. 2). *Ita etiam voto em.mi card. Ruffini, et quodammodo etiam optionibus em.mi card. Browne, hac in re plene satisfieret.*[3] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (Cf. Enc. *Ecclesiam suam* in *L'Osservatore Romano,* die 10-11 augusti 1964, p. 2, col. 2). [2] (Origines, *Contra Celsum,* II, 55). [3] deest.

Emendationes additae:

Textus, si placet, in n. 2, pag. 6, post lin. 14 inserendus: « Revelatio Veteris et Novi Testamenti progressu ergo historico completur, nam Deus transcendens omnem creaturam libera sua voluntate intervenit per aetates et tempora in eventibus historicis usque dum adduxerit illam beatam temporum plenitudinem, qua Verbum incarnatum veniens in hunc mundum historiam salutis perfecerit totamque humani generis historiam consecraverit. Per hanc salutis oeconomiam variae illae Dei interventiones progressu temporum coniunctae in unum conveniunt consilium salutare, quem manifestant prophetae, per quos loquitur Spiritus Sanctus, ut vero sermone illos eventus historiae interpretentur. " Quia non facit Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas " (*Am.* 3, 7). Ita et Christus crucis et resurrectionis mysteria verbis suis manifestavit. Ideo Dei revelatio ad nos pervenit tam factis historicis verbis propheticis illustratis quam etiam sermonibus doctrinam salutarem annuntiantibus, ut v. g. in Libris Sapientialibus vel in orationibus Domini post ultimam coenam ».

Duo erga observanda et distinguenda:

a) non sufficit eventus historicus nec eius perceptio sola ad constituendum revelationem, sed adiungi debet interpretatio prophetica, quae finem a Deo volitum et sensum et intentionem divinam manifestat. Cf. *S. Th. II-II,* q. 173, art. 2;

b) adsunt etiam revelationes, ubi sermo vel verba doctrinam proferentia prae factis historicis omnino primatum habent.

In n. 4, pag. 7, post lin. 10 addantur verba: « Christus ergo est ipse Deus revelans, quem nos audire debemus (*Mt.* 17, 5; 11, 27) et insimul ipse est Deus revelatus, imago Dei invisibilis (*Col.* 1, 15; *2 Cor.* 4, 4), splendor gloriae et figura substantiae eius (*Hebr.* 1, 3). Ideo Christus est via, qua Deus unus et trinus semetipsum plene revelavit et a nobis fide cognoscitur. Quare S. Ignatius Antiochenus affirmat, Iesum Christum esse cognitionem Dei (*Eph.* 17, 2), « quia unus est Deus omnipotens, qui manifestavit seipsum per Iesum Christum Filium suum, qui est Verbum ipsius » (*Magn.* 8, 2).

In eadem pag. 7 et in eodem n. 4, post lin. 17, possit adiungi: « Revelatio

enim quamvis iam in Christo completa et finita, tamen remanet viva fons veritatis attingens omnes generationes, quas efficaciter appellat ad oboedientiam fidei. Hoc sensu intelliguntur sacrae Liturgiae effata: " Hodie Christus natus est " vel " Qui pridie quam pro nostra omniumque salute pateretur, hoc est hodie... ". Et quamvis evangelium iam implevit scripturas et Ecclesia praedicat definitivum salutis nuntium, tamen ultimus revelationis actus adhuc expectatur in adventu glorioso Domini. Hac spe Sponsa Ecclesia Sponso redeunti eiusque gloriosae manifestationi sub fidei velamine adhuc absconditae ardenti desiderio praestolatur ».

Textus, si placet, pag. 7 in n. 5, post lin. 31, inserendus: « Interior Spiritus Sancti illuminatio et inspiratio ergo cor nostrum aperit ut intendamus evangelio a Christo et Apostolis annuntiato et ab Ecclesia praedicato (cf. *Act.* 16, 14), et ita missio Christi revelantis completur missione Spiritus interius trahentis. Qui Spiritus gratiae libere respondet Deique partes credendo sequitur, obviam datur Deo ipso, qui prior nos dilexit (*1 Io.* 4, 19), et in colloquium divinum fiduciae plenum peramanter assumitur.[1] Cum autem homo hanc Spiritus inspirationem et abiicere possit,[2] per verbum Dei praedicatum iudicium fit mundi (*Io.* 12, 48) et salus hominis in apertum discrimen deducitur ».

8

EXC.MUS P. D. FELIX ROMERO MENJIBAR
Episcopus Giennensis

Venerabiles Patres,

In cap. I huius schematis,[1] quod sincero plausu et omni laude dignum est, tria complenda putamus, quae textum maiori adhuc perfectione, humili meo iudicio, ditare possunt. *Scil.*[2]:

1. In pag. 6, lin. 25, sub n. 3 (De evangelicae revelationis praeparatione), munus Moysis non sufficienter effertur et in eodem plano statui videtur ac munus reliquorum prophetarum, simulque de revelatione sinaitica prorsus silentium habetur. Theologia autem biblica hodierna merito Moysis munus ac praesertim momentum liberationis populi electi ab Aegypti servitute et revelationem sinaiticam sicut centrum totius Veteris Testamenti considerat. Inde:

Postulatur: ut in hoc loco, brevi quidem sed explicito modo, ratio habeatur horum factorum, quae historiae salutis Veteris Testamenti velut apicem constituunt, videlicet:

a) Liberatio ab Aegypti servitute, quod factum cum Novi Testamenti Paschate tam intime est connexum.

---

[1] Cf. Enc. Litteras *Ecclesiam suam,* in: *L'Osservatore Romano,* die 10-11 augusti 1964, p. 2, col. 2.

[2] Conc. Trid., sess VI, cap. 5, DENZ. 797.

b) Constitutio Novi Populi et donatio Legis in Sinai. Foedus namque sinaiticum tum ratione revelationis divinae ibi peractae, tum ex sua ad Novum Foedus relatione, omnino afferendum videtur, cum agatur de evangelicae revelationis praeparatione.

c) Ingressus denique Populi in terram promissam, quae est velut meta peregrinationis totius historiae patriarchalis et theatrum salutis in Christo peractae.

Quodsi textus de his non taceat et munus revelationis sub Moyse factae ita in ampliore luce ponatur, iam munus reliquorum prophetarum ut foederis custodum melius concipi potest.

2. In pag. 6, linn. 35-40, sub n. 4, in paragrapho « De Christo revelationis consummatore », in synthesi facta Prologi Evangelii Ioannis omissum est praecipuum elementum et velut climax totius Prologi, factum Incarnationis scil., quod nonnisi insufficienti modo introductum diceretur per verba « Misit enim Filium suum... ». *Exinde* [3]:

Postulatur: ut in textu ratio habeatur facti Incarnationis, quod duplici in loco fieri potest:

a) vel ante verba « ... inter homines habitaret », ita ut textus sic decurreret: « ... qui omnes homines illuminat ut, *caro factus,* inter homines habitaret... »,

b) vel ante verba « homo ad homines », quo in casu sic textus haberetur: « Iesus Christus ergo, *Verbum caro factum,* homo ad homines etc. ... ». Hac additione expressio « homo ad homines » magis praecisa redderetur.

3. Denique in pag. 7, linn. 8-10, sub eodem n. 4 *et sub eadem paragrapho,*[4] obiectum seu contentum revelationis in Christo peractae sic proponitur: « Deum nempe nobiscum esse, ad homines ex peccati mortisque tenebris liberandos eosque in aeternam vitam resuscitandos ». Quae verba, iuxta explicata in relatione ad hunc numerum, pag. 12, dicuntur desumpta ex *animadversione 458, sub serie E,*[5] ut revelationis contentum summis lineis adumbretur. Sed textus omnino a suo proposito deficere videtur. Suggerit enim tantum quamdam praesentiam seu assistentiam salvificam Dei, virtutem tamen revelationis caritatis Dei in redemptione per mortem et resurrectionem Filii, quibus illa praesentia et assistentia de facto in nobis realizata est, non in iusta luce ponit. Unde:

Postulatur: ut hoc in loco mentio fiat de *facto redemptionis,* quod revelationis eximiae caritatis divinae in mundum est summum momentum. Sic etiam mors et resurrectio Christi, quae in enumeratione praecedente solummodo per verbum « praesertim » efferuntur, melius ap-

parerent ut elementum supremum revelationis Dei in Christo « qui — *secundum Primam ad Corinthios*[6] — factus est nobis sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio » ...[7]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] In hoc capite. [2] deest. [3] Unde [4] (De Christo revelationis consummatore). [5] E/458. [6] deest. [7] (*1 Cor.* 1, 30).

9

Exc.mus P. D. LAURENTIUS IOSEPH SHEHAN
Archiepiscopus Baltimorensis

Venerabiles Patres,

Capp. I et II huius schematis in genere valde placent. Haec mea interventio respicit n. 2 cap. I, in pag. 5: « *De revelationis natura et obiecto* ».

Nemo est qui non videt necessitatem, hoc tempore, praesentandi notionem completam et clarissimam Divinae Revelationis. Ipsa evolutio textus quem ante nos habemus, cuique tam multi Patres vires suas attulerunt, conscientiam manifestat de necessitate praesentandi notionem ampliorem et magis praecisam quam illa quae invenitur in manualibus theologicis et in textu prioris schematis. Notio desideratur, quae studiis de Sacra Scriptura et de sacra theologia congruit, necnon necessitatibus hodiernis respondit.

Sicut notatum est heri ab em.mo card. Döpfner, in textu nostro pars auctoris humani nimis negligitur.

Textus emendatus cap. I, n. 2, de lin. 15, pag. 5, usque ad lin. 14 pag. 6, clarus atque perspicax est. Hoc autem defectu, mihi videtur, laborat: non satis explicite exprimit id quod perficitur a subiecto revelationis, i. e. a *mente humana,* quae revelationem a Deo recipit et interpretatur et populo Dei transmittit. Ergo non exprimit cur revelatio, a Deo data, talibus et talibus praecisis verbis enunciata est; cur hanc formam peculiarem et specificam induit. Haec vero quaestio menti hominis moderni maxime interest.

Quapropter emendationem propono: immediate post vocabulum « admittat », quod invenitur in lin. 3 pag. 6, haec verba in textu addantur, *nempe*[1]: « Revelatio itaque supernaturalis vere est communicatio ex parte Dei cum hominibus qua Deus seipsum manifestat. Haec communicatio, *sensu activo et, quidem, dynamico,* merite dicitur locutio Dei, non autem necessarie tamquam dictio formalis ex parte Dei sed potius actio Dei salvifica erga homines *una cum electione divina et mo-*

tione testium, qui magnalia Dei, divino afflante spiritu, percipientes, earundem interpretationem in contextu historico populi Dei proferunt et verbis humanis transmittunt. Veteris Testamenti testes sunt, imprimis, patriarchae et prophetae; in Novo Testamento testimonium praestantissimum Christus ipse perhibet, et post eum apostoli ab eo vocati. Revelatio autem *sensu passivo et statico* habetur ut illa interpretatio testium, spiritu Dei facta, ex qua oriuntur doctrinae et veritates sic dictae revelatae ». Deinde procedat textus emendatus a verbis in lin. 3 pag. 6: « Haec revelationis oeconomia etc. ... ».

Ad mentem emendationis. Haec quae proponitur emendatio ambas partes processus revelationis praesefert, i. e. *actio Dei* seu *magnalia Dei* (quae quidem categoriam ampliorem quam propositionem doctrinalem *consistunt* [2]), atque *perceptio* et *experientia* horum magnalium Dei eorumque *interpretatio.* Quae, vero, interpretatio minime est interpretatio et experientia subiectiva *Modernismi,* quia Spiritus Dei subiectum revelationis actualiter movet ad percipiendum et interpretandum, et quia interpretatio cognitiva realiter dependet a gestis veris, obiectivis, quae in historia — praesertim in historia populi a Deo electi — perfecta sunt; quae quidem gesta Dei intimam realitatem revelant.

Rationes emendationis. 1. *Ratio theologica.* Tractatio de revelatione divina in multis manualibus theologicis indicare videtur revelationem divinam perfici per verba proprie dicta, i. e. per formalem locutionem — quod quidem, sensu exclusivo, minime congruit cum modo communicationis sive humanae sive divinae. Communicatio scientiae personalis, ceteris vitae experientiis exclusis, et solis verbis adhibitis, fere numquam perficitur, neque certissime communicatio inter Deum et homines sic peragitur. Communicationi humanae, certe, verba adsunt et per verba communicatio ordinarie perficitur, sed verba ex cogitatione et reflexione super experientiam fere semper oriuntur. In processu revelationis, certissime, verba adsunt; sed verba ex reflexione vel cogitatione super experientiam, veram et obiectivam, « praereflexivam » orta. Sic revelatio est actio ex parte Dei et interpretatio sub influxu Divini Spiritus ex parte subiecti.

2. *Ratio pastoralis.* Ex hac ampliore revelationis notione homines partem humanam melius comprehendere possunt, et inter verba humana veritatem, verbis humanis vestitam, invenire.

Ratio oecumenica et aliae rationes submittuntur secretario generali, scriptis.[3] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] constituunt. [3] *Ratio oecumenica.* Contra conceptum unilateralem revelationis tamquam solas doctrinas seu proposi-

tiones credendas vel tanquam locutionem Dei qui scientiam hominibus communicat, acatholici aliqui alium conceptum etiam unilateralem perfecerunt qui conceptus revelationem intelligit tanquam gesta Dei sola, i. e. actus salvificos ex quo homo, vi sibi propria, veritatem cognoscit. Haec autem notio, inquantum parte essentiali deficit, falsa est. Emendatio proposita dat conceptum qui debet approbationem fratrum seiunctorum mereri et concordiam de vero conceptu revelationis fovere.

10

Exc.mus P. D. ANTONIUS GREGORIUS VUCCINO

Archiepiscopus tit. Aprensis

Venerabiles Patres,

Cum haec Sacrosancta Synodus inter alia sibi proposuit motum oecumenicum promovere, ut possibilis evadat dialogus cum illis christianis cum quibus optabilis plena communio non habetur, in particulari vero cum Reformationis sequacibus qui fidem solae Scripturae profitentur, ad nos pertinet divinae revelationis materiam sapienter exponere ut certe et clare appareat omnibus nexus internus et, ut ita dicam, ontologicus inter traditionem et Scripturam. Ad optime autem illum apparatum instituendum mihi videtur opportunum expositionem sicuti habet in schemate de quo disceptatur *vel* [1] moderate componere cum eis quae ab Ecclesiis orientalibus profitentur, vel saltem notabiliter *memoriam* [2] eorum facere quae breviter sic habent.

Verbo « Traditio » alicuius doni transmissio intelligitur, actio scil. donatoris simulque ipsum donum. « Omne autem donum optimum et omne donum perfectum desursum est a Patre luminum » ...[3]. Traditio ergo christiana iuxta typum trinitarium intelligenda sit. Iamvero, Pater Filium suum generando seipsum ipsi revelat iuxta illud: « Ego dixi ...[4]: Filius meus es tu; ego hodie genui te ». Ambo autem, Pater et Filius in ipsa ineffabili spiratione Spiritui Sancto seipsos communicantur et revelant. Eadem via sequenda erit in oeconomia salutis quae per modum revelationis, ratione historica secundum duplicem mensuram temporis et spatii, ita ut fiat « insitum verbum » in corde hominis « quod potest salvare » illum, iuxta dictum apostoli S. Iacobi ...[5]. Hoc autem accidit ubi Pater Filium suum misit in mundum et hominibus tradidit illum, cooperante Spiritu Sancto, in ipso actu Incarnationis, quando introduxit « primogenitum in orbem terrae » ...[6].

Filius vero, qui « in terris visus est et cum hominibus conversatus est » ...[7], seipsum discipulis revelando et manifestando ipsum Patrem

revelavit, cum Pater et Filius unum sint. Priusquam autem caelos ascenderet discipulis suis Spiritum Sanctum promisit, ut fierent testes sui genuini, testes scil. mysterii Christi in quo universalitas divinae revelationis continetur. Propterea S. Athanasius profitetur identitatem inter revelationem divinam et traditionem apostolicam cum dicit: « Traditio, doctrina et fides primitus a Domino Ecclesiae catholicae traditae, ab apostolis praedicatae et a Patribus custoditae fuerunt ». Ideo, certum est traditionem Christi vitam et verba amplecti, quae ab apostolis tradita deinde verbo scripto credita fuerunt, in Ecclesia interpretantur sine ulla interruptione.

Iamvero ab initio, Ecclesia praedicationis catecheticae suae unicum fontem habuit, videlicet conscientiam suam Spiritu Sancto efformatam et manuductam secundum verba Domini ab apostolos: « Cum venerit Spiritus docebit vos omnem veritatem » ...[8]. Unde clare patet Ecclesiam ab initio communionem viventem et florentem fuisse, seorsum ab omni traditione scripta. Ubi vero traditio Ecclesiae verbo scripto credita fuit, nihil aliud in illo documento exprimebatur quam ipsa traditio apostolica, itaque fides Scripturae praebebatur, quia in ea traditio elucebat. Unde S. Augustinus potuit dicere: « Credo Evangelio quia credo Ecclesiae ».

Denique in symbolo fidei Ecclesia profitetur seipsam unam, sanctam, catholicam et apostolicam. Quomodo hodierna Ecclesia sese apostolicam potest profiteri, nisi quia in ea indefectibiliter et fideliter, Spiritu Sancto auxiliante, universalitas apostolici kerygmatis, videlicet traditio, scripta vel non scripta, custoditur, infallibiliter interpretatur et Domino iubente praedicatur?

Denique[9] dixit quidam peritissimus sectator Reformationis Ecclesiam hodiernam quamdam mediam periodum transire, quia etsi mysterium Christi effectum suum habuisset, attamen effectum suum plenum nisi in saeculis venturis habebit. « Etenim Ecclesia hodierna, fundata super apostolos, incapax est apostolos efficere ». A. v., traditio apostolica interruptionem transitoriam passa est. Sed si hoc verum esset, Ecclesia hodierna false profiteretur seipsam apostolicam, quod repugnat, nam Dominus dixit apostolis suis: « Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis, (qui) apud vos manebit et in vobis erit » ...[10].

Ideo sole clarius patet inter traditionem non scriptam et traditionem scriptam, scil. Scripturam sacram, nexum internum et ontologicum existere, quia ambo afflante Spiritu Sancto initium habuerunt et in finem saeculorum ab eo indefectibiliter in Ecclesia apostolica manebunt.

Conclusio: humiliter proponitur ut argumentum schematis, tam pe-

rite et perspicue tractatum *a Commissione,*[11] cum argumento orientalis Ecclesiae *magis trinitario et*[12] pneumatico componatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] (*Iac.* 1, 17). [4] hodie. [5] (*Iac.* 1, 21). [6] (*Hebr.* 1, 6). [7] (*Bar.* 3, 38). [8] (*Io.* 16, 13). [9] deest. [10] (*Io.* 14, 17). [11] deest. [12] trinitario et magis pneumatico.

11

Exc.mus P. D. IOSEPH M. REUSS

Episcopus tit. Sinopenus, aux. Moguntinus

Venerabiles Patres,

Verbum petivi ad loquendum de actus fidei descriptione, quae in schemate proposito non sufficiens esse videtur ...[1]. Negligitur nempe in schemate proposito indoles personalis actus fidei tamquam actus totius hominis respondentis Deo revelanti, quam indolem Sacra Scriptura docet.

Cum autem essentialia huius rei *iam em.mus card. Döpfner in suis animadversionibus heri protulerit,*[2] ceteris verbis renuntio et solummodo enixe peto ne haec res maximi momenti negligatur ...[3]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. pag. 7, n. 5, linn. 21-23). [2] quae maximi momenti est, iam in adnotationibus em.mi card. Döpfner contenta sint. [3] Emendationem quam 24-9-1964 proposui, retracto et subscribo emendationi correspondenti em.mi card. Döpfner.

12

Exc.mus P. D. HENRICUS ROMULUS COMPAGNONE

Episcopus Anagninus

Venerabiles Patres,

Circa capp. I et II schematis *de divina revelatione* sequentia praesertim mihi animadvertenda occurrunt:

1. Si praescindatur a salebrosa quaestione de qua infra, materia placet quoad substantiam. Placet praesertim quod dicatur divinam revelationem fieri non solum verbis enunciantibus veritates circa Deum et circa hominem ad Deum relatum, sed etiam factis et praesertim ipsa Christi persona. Sic complete, ut puto, significatur multiformis manifestatio Dei ad homines et sensus « evangelii » seu boni nuntii quem christiana religio hominibus praedicat.

2. Quantum ad loquendi modum, non placet imprimis prooemium, quod post viginti saecula christianae praedicationis et magisterii Ecclesiae sive ordinarii sive extraordinarii peccare videtur quadam praesumptione.

Displicet etiam in toto schemate modus dicendi nimis complexus, qui claritati et solemni eloquii simplicitati non favet.

Equidem notum est quam arduum sit commissionum munus, quae pro posse inserere debent in textum permultas suggestiones quae a Patribus conciliaribus veniunt. Praeterea laudandus est abundans usus textuum Sacrae Scripturae.

Attamen exinde resultat eloquium nimis complexum, in quo praeterea non raro fit transitus molestus et non necessarius ab una re ad aliam.

Peto igitur ut, labore ceteroquin non excessivo, periodi in simpliciorem formam redigantur.

Transmitto quaedam circa usum citationum Sacrae Scripturae, et transeo ad quartum punctum.[1]

4. In n. 8, quandam lacunam persentio quam potius redactioni tribuendam esse puto quam doctrinae.

Iam in constitutione *de Ecclesia,* in fine n. 25, declaratum est magisterium ecclesiasticum novam publicam revelationem tanquam ad divinum fidei depositum pertinentem non accipere.

Similis affirmatio habetur in praesenti schemate in fine n. 4.

In hoc n. 8 autem, locus proprius erat indicandi quasi instans in quo cessat fidei depositi constructio et incipit eius custoditio. Oportebat scil. clare enunciare distinctionem inter munus constitutivum depositi tradendi quod apostolis reservatur, et munus fideliter custodiendi et exponendi quod Ecclesiae committitur.

Haec distinctio in textu quidem apparet. Siquidem Ecclesia dicitur *perpetuare* et cunctis generationibus *transmittere* omne illud quod ipsa est, omne quod habet, omne quod credit.

Sed cum agatur de re tanti momenti ad definiendam ipsam essentiam magisterii Ecclesiae illa distinctio munerum deberet fortius et expressis verbis affirmari.

Hoc in textu fieri posset, si non placet nova enunciatio, etiam hac brevissima additione: in pag. 16, lin. 10, post verba « sicque Ecclesia », addatur: « *depositum illud fideliter custodiens nullamque novam revelationem ei addens,* in sua doctrina etc. ... ».

Integra periodus ita legeretur: « Quod vero ab apostolis traditum est ea omnia complectitur quae ad populi Dei vitam sancte ducendam fidemque augendam conferunt, sicque Ecclesia, *depositum illud fideliter*

custodiens nullamque novam revelationem ei addens, in sua doctrina, vita et cultu omne illud perpetuat cunctisque generationibus transmittit quod ipsa est, omne quod habet, omne quod credit ».

Alia lacuna habetur evidenter, ut mihi videtur, in linn. 14-16 ...[2] ubi deest illa quae est praecipua causa evolutionis intelligentiae traditionis, scil. magisterium authenticum Ecclesiae.

5. De illa hucusque unanimi doctrina, quae tamen iam ut salebrosa quaestio proponitur, circa latitudinem Divinae Traditionis cum Sacra Scriptura comparatae, postquam audivimus in aula duplicem relationem, maioritatis et minoritatis, nescio quamnam practicam utilitatem habitura sit protracta disceptatio de hac re.

Mihi videtur nullum dubium subesse posse quod haec propositio — « Divina Traditio latius patet quam Sacra Scriptura » — in hac sua simplici enunciatione omnino firmissima sit et ex ipso schematis textu eruatur. Iam enim in textu habetur, et maioritatis relator hoc notavit, per traditionem ipsas Sacras Litteras absoluta certitudine Ecclesiae innotescere. Ideoque saltem propter istam affirmationem stat illa propositio et sine ulla dubitatione in ipso textu posset includi.

Si autem tot ac talia sint motiva ob quae maioritas commissionis doctrinalis censuit non esse affirmandam in textu doctrinam hucusque communem, in qua per manualia scholastica in vestris seminariis, venerabiles Patres, vestri sacerdotes sub vestra vigilantia hucusque in sacra doctrina sibi acquirenda et populo postea tradenda communiter et pacifice instruebantur, hoc saltem, iure ut puto, exigendum est ne scil. in hoc Concilio regressus fiat in propositione doctrinae iam in praecedentibus Conciliis solemniter declaratae. Quod quidem absonum esset et forsan prima vice occurreret in historia Conciliorum.

Peto igitur ut alicubi in textu inserantur verba, prius a Tridentino solemniter prolata et postea pari cum solemnitate a Vaticano I repetita, affirmantia divinam revelationem « contineri in libris scriptis et *sine scripto traditionibus* ...[3] ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] 3. De usu citationum S. Scripturae, praeter excessivam cumulationem iam notatam, haec mihi videntur dicenda: *a*) In prooemio continetur aliquid in textu 1 Ioannis quod nostrum Concilium sibi applicare non potest. « Quod *vidimus* et *audivimus* annuntiamus vobis... » dicitur a Ioanne afferente proprium personale testimonium. Quod sane de nostro Concilio dici nequit; *b*) In n. 4 (pag. 7, linn. 11) dicitur: « Oeconomia ergo christiana nunquam praeteribit » (cf. *Mt.* 24, 35). Assertio autem Christi in loco citato respicit firmitatem eius verborum et sensum omnino diversum habet. Rogo igitur ut usus textuum S. Scriptuare a viris peritis accurate examinetur et magis sobrius atque ad rem vere pertinens reddatur. [2] eiusdem pag. 16. [3] quae ab ipsius

Christi ore ab apostolis acceptae, aut (ab) ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt » (DENZ., ultima editio, 1501, 3006).

Secretarius Generalis: Venerabiles Patres, nuntius nobis nuper perlatus est rev.mum D. praepositum generalem S.I. gravissimo et letali morbo correptum esse. Commendo orationibus Patrum egregium virum, ita ut possit convalescere, iuxta omina quae omnes ipsi praebemus.

Hac occasione utor ad aliquid communicandum nomine em.morum moderatorum, et circa illam explicationem, quam dedi initio super « Adnexa » schemati *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Ad ambiguitatem vitandam, moderatores rogant ut ulterior fiat declaratio de textu « Adnexorum ». Textus iste est confectus a commissione mixta ex commissione doctrinali et ex commissione de apostolatu laicorum, rogante commissione de coordinandis Concilii laboribus. Ideo non est textus mere privatus, sed non est textus in Concilio discutiendus. Ideo non gaudebit valore conciliari. Tempore suo, relator de sensu illorum « Adnexorum » fusius dicet.

13

EXC.MUS P. D. IOANNES FERRO
Archiepiscopus Rheginensis

Venerabiles Patres,

Hoc schema *de divina revelatione*, ...[1] diligentissimo studio a commissione confectum, tot venerabilium Patrum collatis consiliis, dignum absque dubio videtur quod a nobis laudetur, gratiis exhibitis omnibus commissionis membris.

Attamen, cum de re summi momenti agatur, in qua si quid non satis proprie et accurate dicitur, veritas obnubilari potest, maxima adhuc adhibenda est diligentia, ut non tantummodo Spiritus Sancti praelucente gratia, veritas absque errore proponatur, sed etiam ut *pro posse*[2] caveatur in posterum quaelibet falsa interpretatio, et via tuta sternatur ad profundiorem verbi Dei cognitionem in humilitate fidentique animo rite acquirendam sub Ecclesiae ductu, cui divinae revelationis depositum fideliter custodiendum, atque infallibili magisterio omnibus tradendum a Christo Domino commissum est.

His dictis, quasdam observationes humiliter vobis proponere audeo, perpaucis verbis *tamen*.[3]

...[4] Omnino nova et impropria videtur locutio illa in ...[5] n. 4, pag. 7, lin. 7: « tota sua persona ». Nam confusioni et falsae interpretationi ansam praebere potest.

3. Ex iis quae pag. 12, littera F, circa finem, dicuntur, mens commissionis ostenditur ad ulteriorem disputationem relinquendam esse doctrinam communiter in Ecclesia receptam de revelatione morte apostolorum clausa.

Quod cavendum esse videtur, ne graves errores inducantur, eorum praesertim qui revelationem subordinare intendunt humanitatis evolutioni per monismum materialisticum et pantheisticum.

Oportet igitur nunc non solum de divina revelatione ac de eius transmissione genuinam doctrinam proponere, uti egregie factum est in schemate, sed etiam apertis verbis affirmare divinam revelationem clausam esse morte apostolorum.

Ceterum inter propositiones damnatas decreto *Lamentabili,* haec quoque propositio includitur reprobanda: « Revelatio, obiectum fidei catholicae constituens, non fuit cum apostolis completa ».

4. Ad pag. 16, n. 8, linn. 13 et ss. Videtur non satis provisum esse ut quae affirmantur de traditionis progressu et « evolutione », essent quoque clare enucleata et distincta: quare periculum oritur, ne multi illa intelligant de evolutione sensu obiectivo sumpta, quasi de novo quodam et continuo veritatis divinae augmento. Hoc modo aditus pateret ad subiectivismum. *Quare plene* [6] adhaereo iis, quae hac in re *nuper* [7] dicta sunt, *nempe heri* [8] ab em.mo Ruffini, *hodie ab em.mo* [9] Browne, exc.mo Constantini *et aliis.* [10]

Veri nominis progressus traditionis intelligatur oportet attentis praeclaris verbis S. Vincentii Lirinensis: « In ipsa catholica Ecclesia, magnopere curandum est ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est » ...[11].

5. *Demum* quaedam citationes Sacrae Scripturae quae fiunt in nn. 7 et 8 non ea omnimoda perspicuitate gaudent, quae exigi debet in textu conciliari, et potius apta videntur ad pietatem fovendam et ad amorem Sacrarum Scripturarum promovendum, quam ad verbum Dei fideliter custodiendum atque ad ulteriorem eius inquisitionem peragendam, firmiter adhaerendo Ecclesiae magisterio.

Sic, e. g., in pag. 15, lin. 30, citatio *1 Cor.,* 13, 12, quandam secumfert difficultatem. Nam Dei visio facie ad faciem non est ad finem actualis oeconomiae *Ecclesiae* [12] militantis demandanda, neque datur Ecclesiae militanti qua tali (nam cum iustis multi admixti sunt peccatores et cum tritico zizania crescunt), sed datur singulorum hominum animabus post mortem ...[13].

Haec propono humiliter ad schema clarius perficiendum. Quod ut consequamur nullo parcendum esse labori omnes scimus, simulque pre-

ces Deo fundendas, ut ...[14] per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus ...[15].

In textu scripto tradito: [1] ingenti ac. [2] deest. [3] deest. [4] 1. Ad pag. 7, n. 4, lin. 15 mentio « de revelatione eschatologica humili mea sententia hic videtur esse a textu auferenda. Nam terminus « revelatio » in textu apostoli qui profertur, alio sensu accipitur ac in toto schemate. Verba apostoli respiciunt non revelationem doctrinae, sed apparitionem sive parousiam ipsius Christi. Quapropter ad quamlibet confusionem vitandam quae oriri potest, propono ut periodus concludatur verbis « nullaque adhuc nova revelatio publica exspectanda est »; reliqua vero expungantur. Nam etsi verba S. Pauli sunt pulcherrima, non hic videntur esse ponenda. Omnibus enim compertum est quam absonum et periculosum esset hoc loco significationem innuere veluti novae revelationis sive novi magisterii ex parte Iesu Christi. 2. Item. [5] eodem. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] (*EP* 2168). [12] deest. [13] (*2 Cor.* 5, 9-10). [14] intercedente S. Hieronymo doctore. [15] N. B. Prima observatio dubitative ponitur.

14

Exc.mus P. D. AEMILIUS GUANO

Episcopus Liburnensis

Venerabiles et dilectissimi Patres et Fratres,

Liceat nonnullos adspectus schematis *de divina revelatione,* qui valde placent et qui prae oculis habendi sunt in eo diiudicando, enucleare.

1. Placet totam tractationem initium sumere ab ipso nuncio divino et ab ipsa revelatione Verbi Dei, tali modo ut tota attentio feratur, potiusquam ad quaestiones circa modum vel modos communicationis Verbi Dei, ad ipsum hoc factum Deum locutum esse et loqui hominibus.

Revelatio autem, vel potius verbum Dei, prospicitur in schemate non solummodo in quantum veritatem exprimit et intelligentiam alloquitur, sed in quantum Deum vivum et amantem exprimit, et, utique intellectu humano tramite, *totum* hominem tangit, alloquitur, permeat sua vi creatrice et vivificatrice. Verbum Dei est Verbum, quod, ex abundantia caritatis, homines utique illuminat, sed etiam ad amicitiam invitat, ipsos tamquam amicos alloquitur, iis vitam divinam annunciat et communicat.

Magis autem placeret textus si magis harmonice omnia quae de revelatione dicuntur in hac luce viderentur, dum, ni fallor, aliqua discrepantia forsan adhuc adest (confer quae dicuntur in n. 6, et aliquomodo etiam in parte secunda, n. 4).

Praesertim autem bonum esset si conceptus fidei, de qua fide in n. 5 agitur, magis responderet huic conceptui pleniori revelationis

Verbi Dei. Dicitur utique fidem esse oboeditionem, plenum intellectus et voluntatis obsequium, ipsam gratia Dei et auxiliis Spiritus Sancti egere. Sed posset forsan conceptum fidei in sensu praegnanti exhibere, sicut ea perhibetur, ut mihi videtur, in S. Ioanne et pluries in S. Paulo. Hic sensus praegnans minime excludit assensum intellectus ad veritatem revelatam, sed latius patet. Verbum enim Dei revelatum est verbum veritatis et vitae et amoris; fides, *quae huic verbo respondet,*[1] in hoc sensu praegnanti est acceptatio plena totius verbi Dei, qua totus homo amanter verbo Dei oboediens, veritatem quae de mysterio Dei loquitur humiliter et gaudenter acceptat, at simul acceptat *a Verbo Dei*[2] praecepta, consilia, promissiones, amicitiam, vitam denique Dei.

2. Placet deinde quod, consequenter, traditio non ita proponatur quasi solummodo ageretur de transmissione alicuius veritatis — *vel plurium veritatum —, alicuius veritatis*[3] cognoscendae et firmiter utique retinendae: per traditionem transmittitur non tantum doctrina, sed, per omne quod Ecclesia habet et est, tota vita Ecclesiae.

Etsi autem breviter (meo iudicio nimis breviter), solemniter tamen affirmatur traditionem et Sacram Scripturam inter se connecti et communicare.

Si possibile esset, placeret hanc connexionem et communicationem melius explicitari: magis apparere deberet traditionem et Sacram Scripturam non connecti inter se solummodo tamquam duo rivuli ab una scaturigine promanantes et ad unum finem tendentes et quasi per occasionem mutuo sese tangentes, sed profundius et necessario et continuo traditionem et Scripturam communicare in una revelatione divina et in una vita Ecclesiae.

Ad cursum autem traditionis, de quo in n. 8, christifideles videntur conferre non tantum contemplatione et experientia (ubi certe non agitur de experientia in sensu modernistico), sed etiam quatenus ipsi — *omnes ipsi, etiam laici*[4] — testes sunt et nuncii, quisque pro modulo suo et pro missione sua, Verbi Dei.

3. Placet denique, schema secuti, Ecclesiam contemplari tamquam Sponsam cum Patre et cum Sponso sine intermissione colloquentem.

Quod si in lucem poneretur Patrem per Verbum homines in Spiritu Sancto convocare, et ex hoc Ecclesiam suam originem ducere et continuo, ut ita dicam, ipsam nasci; insuper continuo ipsam vivere in auditione et contemplatione et servitio Verbi Dei, et ita, per communionem cum Sponso suo, ipsam fieri quasi verbum ad Patrem et ad homines prolatum; *si haec in luce ponerentur,*[5] tunc optime pateret nexus inter hoc schema *de divina revelatione,* de quo nunc agitur, et aliud *de Ecclesia* de quo nuper egimus.

Ita (in mente habeo litteras Encyclicas Sancti Patris) profundior evaderet in conscientiis christianorum sensus Ecclesiae, efficacior forsan eius renovatio *fieret,*[6] et cum mundo, ad quem Verbum Dei destinatur, colloquium; simplicior et plenior nostra Dei contemplatio. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest.

15

EXC.MUS P. D. THOMAS WILCZYŃSKI

Episcopus tit. Polybotensis

Em.mi ac exc.mi Patres,

Antequam exc.mus secretarius generalis Concilii hac in aula modum discutiendi super schema *de divina revelatione* proclamavit, iam tradidi secretariatui summam meae interventionis.

Quia ad unumquodque huius schematis caput aliquas brevissimas habeo animadversiones, ideo ab em.mo moderatore huius congregationis generalis veniam peto, ut, intra tempus statutum, illas possim proferre, ne, de eodem schemate ter loquendo, venerabiles Patres taedio afficiam.

Schema propositum in genere mihi placet.

Ut patet e relatione generali de observationibus acceptis super schema constitutionis de revelatione, pag. 51-64, tradita, opiniones Patrum Concilii valde inter se discrepant. Tali in casu, schema nequit plene omnibus satisfacere. Numerus redactionum etiam hoc probat. Theologis relinquitur campus ulteriorum investigationum.

Clarum est schema hoc non posse omnia continere quae dici possunt de revelatione, inspiratione et traditione.

Absque dubio, non sunt sublata sed ulterius evolvuntur in nostro schemate ea quae dicta fuerunt in Concilio Tridentino et Vaticano I, sess. III, cap. II.

Valor ultimae redactionis nobis propositae, inter alia et in eo consistit quod ianuam ulteriorum investigationum in scientiis biblicis non claudit. Cum Concilio Vaticano II aetas evolutionis doctrinae revelatae, *naturaliter*[1] sensu catholico intellectae, non finietur.

A Patribus Concilii debetur sincera gratitudo iis, qui maximo cum labore, in sudore vultus sui schema nostrum paraverunt.

Nunc transeo ad particularia. Cap. I de divina revelatione est logice dispositum. Natura et obiectum revelationis modo concreto et verbis ipsius revelationis — in quantum fieri potest — describuntur. Ulterior

doctrinae evolutio, inter alia, in eo consistit quod praeter revelationem verbis factam, revelatio operibus, gestis et imprimis tota vita Christi, sublineatur. Filius Dei non est tantum mediator revelationis sicut alii, sed etiam plenitudo eius tam in ordine naturali — « per quem facta sunt omnia » — quam in ordine supernaturali.

Revelatio a Christo facta est definitiva, et ante revelationem finalem alia revelatio publica non est exspectanda. In fide revelationi praebenda, necessitas gratiae praevenientis et adiuvantis evolvitur, necnon necessitas auxiliorum internorum Spiritus Sancti.

Cap. II: *de divinae revelationis transmissione.* Revelatio duplici tramite transmittitur: scil. praedicatione orali, exemplis et institutionibus, — et secundo: scriptis sub inspiratione.

Scripta inspirata non solum infallibilis transmissionis modum constituunt, sed ipsa sunt « verbum revelatum ». Hoc notari debet cap. II, n. 7, lin. 20.

Verum quidem est, numero sequenti, scil. 8, ubi sermo est de praedicatione apostolica, « quae in inspiratis libris speciali modo exprimitur », aliquid diversi inter duas vias transmissionis asseritur; tamen expressio « speciali modo » tamquam non accurata, plenam claritatem non affert.

In loco ubi[2] « De Sacrae Scripturae divina inspiratione et interpretatione », *habeo dicendum*[3]: num verbum « divina » refertur etiam ad « interpretationem »?

In *loco ubi est*[4] de « condescensione » Auctoris Principalis Sacrae Scripturae ...[5]

Moderator: Exc.me Pater, de cap. III et de aliis capitibus libentissime te audiemus cum de iisdem capitibus agetur in congregatione.

Orator: Gratias. Dixi. Transmitto secretariatui.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Cap. III. [3] deest. [4] n. 13, linn. 35 ss., in quibus. [5] « qua Dei verba humanis linguis expressa, quoad omnia humano sermone assimilia facta sunt », addenda sunt verba « excepto errore » et post ultima verba huius numeri: « excepto peccato ». Hoc in casu dabitur perfectus parallelismus, optima comparatio et accuratior sensus.

Cap. IV: *de Vetere Testamento.* N. 15, lin. 4, sonat: « Qui libri, etiamsi plura imperfecta, et provisoria contineant... » phrasis mutari debet: « Qui libri, etiamsi plura imperfecta, quoad obiectum tractatum, et transitoria contineant... ». Ipse textus constitutionis talis esse debet ne indigeat explicatione quae data est pag. 35 sub *c*) finali seu extra constitutionem.

Cap. V: *de Novo Testamento.* N. 19, lin. 25 quae sonat: « Illa enim intentione scripserunt, sive ex sua propria memoria et recordatione, sive ex testimo-

nio etc. ». Post verba: « Illa enim intentione scripserunt » addenda sunt: « sub inspiratione Spiritus Sancti », quia praeparatoria etiam cadunt sub actionem inspirativam.

N. 20, lin. 35, post verba: « Novi Testamenti canon, praeter quattuor Evangelia etiam scripta apostolica, Spiritu Sancto inspirante exarata continent », addendum est: « prout enumerata sunt in sess. IV Concilii Tridentini ».

Ultima sententia huius capitis debet suppleri mentione episcoporum vel magisterii Ecclesiastici, nam parum profuisset Ecclesiae Christi, si tantum apostoli sine eorum successoribus adiutorium Spiritus Sancti accepturi essent.

Cap. VI: *de Sacra Scriptura in vita Ecclesiae.* N. 23, lin. 23, ubi de officio apostolico doctorum catholicorum, distingui possit inter investigatores scientiarum biblicarum et professores Sacrae Scripturae in seminariis. Hi ultimi debent servare iustam proportionem in suis praelectionibus de iis quae adiuvant studium textus biblici v. g. linguae orientales, archaeologia, geographia biblica et ipsum textum sacrum. Saepe saepius textus inspiratus fere negligitur.

N. 24, lin. 7, in sententia: « ideo Sacrae Scripturae studium sit veluti anima sacrae theologiae ». Loco verbi « anima » mallem ponere: « fons ».

Post n. 25, lin. 39, addi possit: « vigens in aliquibus regionibus laudabilis consuetudo explanandi Sacram Scripturam in sic dictis « horis biblicis » promoveatur.

16

EXC.MUS P. D. PAULUS ZOUNGRANA

Archiepiscopus Uagaduguensis

Venerabiles Patres conciliares,

Loquor in nomine sexaginta septem episcoporum Africae.[1] Praesens hoc schema de revelatione divina profecto laudandum est totum, utpote multo perfectius.

Praecipue laude dignam puto indolem biblicam cap. I. Si quidem, ut dicitur in praenotandis, pag. 9, « textus prior non mutetur nisi Patribus postulantibus, et adhibitis quantum fieri potest verbis ab eis propositis », possibile mihi videtur melius deduci posse naturam divinae revelationis e veritatibus ipsis in Scriptura revelatis. Sic melius apparebit *haec veritas maximi momenti, scil.*[2] *revelationem esse Christum ipsum.*

1. *Christus etenim, in Vetere Testamento promissus, in plenitudine temporum natus et in Ecclesia transmissus, fundamentaliter divina revelatio est.*

Asseritur autem in *1 Ioannis*[3]: « Annuntiamus vobis vitam aeternam quae erat apud Patrem et apparuit nobis, quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis ut et vos societatem habeatis nobiscum et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius Iesu Christo ». Sed ex ipso textu melius deducendum esset quae sit illa vita aeterna quae nobis

apparuit. Quaenam, nisi Verbum quod « erat in principio apud Deum », et quod semel « caro factum », fit nobis « Via, Veritas et Vita »? Dominus noster Iesus Christus, Dei Filius et Mariae, ipse est Dei revelatio.

E verbis ad Philippum a Iesu prolatis, idem concludendum erit, scil.: « Tanto tempore vobiscum sum et non cognovistis me? Philippe, qui videt me videt et Patrem... Verba quae ego loquor a meipso non loquor... Pater in me est, ipse facit opera » ...[4]. Pater ergo *in Christo* et *per Christum* se manifestat nobis. Est vera Dei revelatio Christus « Imago Dei invisibilis » ...[5], « Splendor gloriae et figura substantiae eius » ...[6].

Deus autem unam facit revelationem, unum dicit Verbum et in hoc Verbo omnia dicta sunt. Pater nos iubet Filium suum audire ad cognoscendas veritates, voluntatem suam et omnia gratiae media, cum dicit occasione transfigurationis: « Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, Ipsum audite » ...[7]. Quapropter, aliquid novi a Patre revelandum petere, iniuriam Patri eiusque Filio afficit. Nihil revelari potest quod Christo maius sit, nec adest aliquid revelandum quod in Christo non contineatur. Ita nos docet S. Ioannes a Cruce, Ecclesiae doctor, quando de revelationibus tractat in operibus spiritualibus ...[8].

Ex his omnibus ...[9], optarem ut in schemate persona Christi revelatio ipsa diceretur.

2. Hoc esset magis consentaneum indoli et fini pastorali Concilii, necnon menti religiosae hodiernae.

Etenim nobis omnibus, Patres conciliares, perutile est meminisse huius Concilii indolis et finis. Indoles pastoralis est, finis vero immediatus Ecclesiae membrorum renovatio. Si Ecclesiae catholicae institutiones renovantur aut restituuntur, si tamen spiritus, qui has institutiones vivificare debet, non renovatur, parum prodest ministerio nostro pastorali ac Ecclesiae membrorum renovationi.

Nam revelatio divina constituta, ut aiunt, veritatibus quibus adhaerere oportet, mandatis quae adimplere tenemur, religiosae menti, praesertim hodiernae, quae eminenter personalis est, non favet et amorem non suscitat. Veritates credendae et mandata adimplenda indigent ut magis relate ad personam viventem considerentur.

Dicite mundo, Patres conciliares, *Iesum Christum esse divinam revelationem,* « ut mundus universus audiendo credat, credendo speret et sperando amet ». Magis splendeat in Ecclesia festivus vultus Christi. Hoc modo, prodigia amoris et fidelitatis, quae in Ecclesia primaeva splendebant, renovabitis.

Ita testatur virgo christiana[10]: « Regnum mundi et omnem ornatum saeculi contempsi »... Curnam? « Propter amorem Domini Iesu Christi, quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi » ...[11]. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] par. 1 textus *1 Io.* 1, 2-3, quae sic sonat. [4] (*Io.* 14, 9-10). [5] (*Col.* 1, 15). [6] (*Hebr.* 1, 3). [7] (*Mt.* 17, 5). [8] (p. 246). [9] quae dixi. [10] deest. [11] (Resp. 9 lect. 3 noct. comm. non virg.).

[*Subscripserunt etiam*] Raymond M. Tchidimbo, arch. Conakry; D. Yougbare, év. Koupéla; A. Duirat, év. Bouaké; J. Lingenheim, Sokodé; Noël Boucheix, Porto Novo; C. Ulyatt; P. Kelleter; J. Brétault, év. Koudougou; Gabriel Champagne, ep. Tamalé; D. De Montclos; André Dupont; Jean Lesourd; Em. Durheimer, Katiola; Jean M. Maury, Dél. Ap. A.O.; H. Thiandoum, arch. Dakar; Peter Dery; J. A. Essuah; Th. Brosnahan; P. Redois, Natitingou; J. M. Etrillard, Gagnoa; P. Dodds, év. Ziguinchor; L. Durrieu, év. Ouahigouya; J. B. Coudray; P. A. Kankan; J. Strebler; Gérard Bertrand, ep. Navrango; A. Konings, ep. Ketaensis; Etienne Courtois, év. Kayes; Barth. Hanrion; B. Yago, arch. Abidjan; E. Kwakou, év. Abengourou; L. Agboka, év. Abomey; Robert Dosseh, arch. Lomé; Eug. Maillat, év. N'Zérékoré; G. de Milleville, arch.; L. Sangaré, arch. Bamako; A. v. d. Bronk, év. Parakou; P. Kimbondo; Jan Van Cauwelaert; Ad. Messmer, év. Ambanja; H. Veniat; P. Dalmais; Victor Sartre; J. Coucherousset; Paul Etoga; Amand Hubert, vic. ap. Heliopolis; Th. Mbemba; Pierre Habra; J. Bernard, arch. tit. Are; Stephanus Sidarouss, patr. Alexandr.; Paul Nousseir, Egypte; Youhanna Kabes; J. Wolff; A. Tsiahoana; F. Cléret de Langavant; B. Gantin, arch. Cotonou.

17

Exc.mus P. D. MICHAËL ARATTUKULAM
Episcopus Alleppeyensis

Venerabiles Patres,

Vellem ad duo animum vertere vestrum circa schema constitutionis *de divina revelatione*: primum de prooemio textus emendati, et deinde de n. 8, de Sacra Traditione, noviter addito in cap. II.

1. *In prooemio,* citationes ex *1 Io.* 1, et ex S. Augustino, « De Catechizandis Rudibus », cap. IV, sunt de praedicatione Evangelii. Intentio autem Concilii nostri est dare doctrinam genuinam de revelatione eiusque transmissione. Nexus inter intentionem Concilii et textus citatos non est evidens. Concilium intendit genuinam doctrinam de revelatione edocere, quia haec doctrina multum adiuvaret quotquot Evangelium audiunt ad rectam fidem, spem et caritatem in se concipiendam, et ad intrandum in societatem apostolorum et omnium fidelium in Ec-

clesia, immo in societatem Dei in vita aeterna. In textu prooemii haec intentio Concilii debet primum declarari, sicut fiebat in priore schemate, et momentum huius intentionis exsecutioni mandandae debet per textus citatos illustrari. Propono ergo ut textus prooemii hoc vel simili modo redigatur: « Sacrosancta haec Synodus, Concilii Vaticani I inhaerens vestigiis, genuinam de divina revelatione ac de eius transmissione doctrinam proponere intendit, ut mundus universus Evangelium salutis audiendo recte credat, credendo recte speret, et sperando recte amet ...[1]. De quo Evangelio salutis S. Ioannes dixit: « Annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem et apparuit nobis, ut et vos societatem nobiscum habeatis, et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius, Iesu Christo » ...[2].

2. *In n. 8* noviter addito, agitur de Sacra Traditione. Sane, in contextu cap. II « De divinae revelationis transmissione », traditio duplici sensu posset accipi et explicari, scil., ut traditio apostolica et traditio ecclesiastica. Solummodo traditio apostolica est constitutiva revelationis, dum traditio ecclesiastica est solummodo interpretativa et explicativa revelationis. In utroque sensu traditio posset dici sacra, quia utrique assistit Spiritus Sanctus. Discrimen autem in hoc consistit, quod dum apostolis assistebat Spiritus Sanctus ad tradendas res et veritates quae constituebant depositum Fidei, Ecclesiae docenti assistit idem Spiritus Sanctus non ad augendum depositum Fidei, sed ad recte et profundius intelligendum iam ab apostolis traditum depositum Fidei.

In n. 8 hic duplex sensus traditionis deberet clarius ab invicem distingui. Textus enim noster in pag. 16 primum loquitur de traditione apostolica in primis novem lineis, usque ad verbum « conferunt » inclusive; deinde a lin. 10 usque ad lin. 22 inclusive, loquitur de traditione interpretativa et explicativa Ecclesiae. Deinde iterum in linn. 23 et 24 loquitur de traditione apostolica et deinceps usque ad finem n. 8 iterum de traditione ecclesiastica. Haec confusio debet omnino evitari.

In explicando autem conceptu traditionis apostolicae ne vereamur fideliter adhaerere doctrinae Concilii Tridentini et Vaticani I, eo vel magis quod in prooemio statuitur hoc Concilium genuinam de divina revelatione eiusque transmissione doctrinam proponere inhaerendo vestigiis Vaticani I. Vaticanum vero Primum, in constitutione de Revelatione, citans verba Tridentini, dicit: Revelationem supernaturalem contineri « in libris scriptis *et* sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt ».

Ex verbis Tridentini, a Vaticano citatis, haec clare concludi possunt et debent:

1. Revelatio christiana seu depositum fidei christianae clauditur morte ultimi apostoli;

2. Quaedam, quae ad revelationem supernaturalem pertinent, continentur in scripturis sacris, et quaedam in traditionibus ab apostolis sine scripto seu oraliter Ecclesiae datis;

3. Ipsi apostoli didicerunt revelationes in traditionibus apostolicis contentas ex ore Christi Domini et a Spiritu Sancto eos docente.

Ex actis Concilii Tridentini constat intentionem Concilii fuisse, contra placita Novatorum edocere, revelationem divinam non contineri in solis libris sacris, sed in libris sacris *et* in traditionibus oralibus apostolorum simul sumptis. Nec idem Concilium diceret Ecclesiam sacras Scripturas et traditiones ipsas *pari* pietatis affectu ac reverentia suscipere et venerari, si nihil in traditionibus admittendum censeret quod in sacris Scripturis non contineretur. Nam de pari pietatis affectu et reverentia loqui non possumus nisi habeatur aliud et aliud contentum constitutivum revelationis, saltem aliquo modo inter se distinctum, in sacris Scripturis et in traditionibus oralibus apostolorum. Si, sicut omnia in Scripturis contenta sunt tradita, ita etiam omnia tradita inveniantur in sacris Scripturis, tunc habetur solummodo unicum contentum constitutivum revelationis in sacris Scripturis et in oralibus apostolicis traditionibus. Sublata pluralitate obiectorum ad quae dirigatur pietatis affectus et reverentia, non amplius locus habetur pro *paritate,* de qua nemo potest loqui nisi relate ad plura.

Veniam ad conclusiones.[3] Omnino gratuito asseritur, solummodo Canonem librorum sacrorum esse in apostolicis traditionibus non scriptis, qui non contineatur in ipsis libris sacris. Quid impedit quin alia etiam habeantur? Num ex ore Christi et a Spiritu Sancto apostoli receperunt solummodo Canonem sacrarum Scripturarum Ecclesiae oraliter tradendum? Nonne de facto habentur aliae veritates et res fidei de quibus cognoscimus, vel saltem certo cognoscimus, solummodo ex vestigiis traditionum oralium apostolorum, ut, e. g., de septem Sacramentis et de validitate baptismi parvulorum? Num dogmata Immaculatae Conceptionis et Assumptionis B. Mariae Virginis definita sunt solummodo propter Proto-Evangelium, an potius propter certa vestigia sine-scripto-traditionis apostolicae? Etiam quando quaedam veritates fidei non certo probantur ex Sacris Scripturis donec accedat testimonium oralis traditionis apostolicae, haec (i. e. traditio apostolica) aliquid habet quod in illis (i. e. in sacris Scripturis) non continetur. Concilium Tridentinum in aerem verberaret anathematizando eos qui « traditiones praedictas » contempserint, si non assereret quaedam in traditionibus apostolicis haberi quae non sint in sacris Scripturis, nam nemo qui sacras Scriptu-

ras veneratur contemnit traditiones saltem implicite sed certo in sacris Scripturis contentas.

Conclusiones. 1. In n. 8 schematis, clare distinguatur traditio apostolica seu constitutiva revelationis a traditione ecclesiastica seu interpretativa et explicativa eiusdem revelationis.

2. In parte quae tractat de traditione apostolica, deinde, clare enuncietur doctrina Tridentini et Vaticani I de traditione apostolica.

3. Ibidem inserantur verba ab exc.mo Francisco Franić proposita, scil.: « Per (eamdem) traditionem apostolicam non solum quaedam veritates revelatae, verum etiam ipsae Scripturae sacrae nobis certe innotescunt ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (cf. S. Aug., *De catechiz. rud.*, cap. IV, 8). [2] (*1 Io.* 1, 2-3). [3] deest.

18

Exc.mus P. D. ARMANDUS FARES

Archiepiscopus Catacensis-episcopus Squillacensis

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres conciliares,

Attente audivimus hesterna die in hac aula relationes duas de schemate constitutionis *de divina revelatione*, quod nobis praesentatum est discutiendum post ingentem laborem commissionis doctrinalis: et sive relatoribus sive commissionis membris gratum animum ostendere fas est, cum in materia tam gravi ipsi munus sibi commissum expleverint intelligentia et sagacia peculiari praediti.

Liceat tamen mihi, examini subiecto ipso textu schematis qui prostat in prooemio et capp. I et II, duas animadversiones significare: unam quidem generalem, aliam peculiarem.

1. *Animadversio generalis*: Materia in praesenti schemate praesentata amplior est illa quae in prima redactione schematis continebatur, et est aptius ordinata; locutiones sensu et textibus biblicis perfunduntur; multum placet quod in maxima luce ponatur revelationem *per* Christum et *in* Christo consummari, ita ut omnes statim intelligere possint cur dicatur *revelatio christiana* illa cui adhaeremus, quam fide profitemur et operibus vivere et ostendere debemus.

Opportunum tamen *erit,*[1] in revisione cui subiicietur textus, ut, ad vitandas aequivocationes vel novitates, *saltem in terminis,*[2] — praeter alia ab aliis Patribus iam notata — *etiam quaedam notentur, quae omitto in lectione; sed sunt circa n. 4 et n. 7.*[3]

2. *Animadversio peculiaris.* Huiusmodi animadversio peculiaris respicit n. 5: de fide revelationi praebenda. Textus actualis, qui amplior est textu praecedenti, non videtur in plenam lucem ponere quid et quomodo agat homo in praestanda fide Deo sese revelanti. Agit enim « de oboeditione fidei », sermo fit de gratia divina necessaria ad actum fidei ponendum, dicitur de obsequio intellectus et voluntatis quod praestatur Deo per fidem; *sed* in consideratione hominis qui actum fidei ponit omittuntur omnia quae respiciunt motiva fidei et praecipue motivum formale ipsius actus fidei, quod est auctoritas Dei revelantis.

In textu tamen qui indolem pastoralem et oecumenicam redolere debet, mihi videtur non esse omittenda explicita mentio huius motivi formalis.

Etenim hoc motivum formale fidei *saltem implicite* continet quae *prae*requiruntur ad actum fidei ex praeambulis fidei remotis (existentia Dei) et ex praeambulis fidei proximis (factum divinae revelationis vel Dei sese revelantis). De facto Deus sese revelat: scire debeo *esse* Deum; accipere *revelationem Dei* in notitia et postea concludere: *Deo oboedio.* Quanam ratione? Quia Deus nec falli nec fallere potest, ideoque ipsi adhaereo: est enim Deus meus. Cum tamen huiusmodi adhaesio secumferat *metànoian* seu conversionem vitae etc., evidens est nullo pacto haec produci nisi gratia Dei praeveniente et adiuvante; actus tamen *meus* est et remanet vere *humanus, liber* et *deliberatus.*

Et sic actus fidei, ex plena cognitione motivi formalis, ostenditur:

a) *sub aspectu negativo* [4]: ut non sit *nec* abnegatio rationis humanae; *nec* proinde degradatio quaedam dignitatis humanae; *nec* sit sensus religiosus quicumque, erumpens ex conscientia cui resisti non possit; *nec* sit caeca adhaesio veritati extrinsecus acceptae;

b) sed *demonstratur positive quod* [5] sit actus vere *liber*; immo *liber* et *deliberatus* in sua ratione psychologica, *liber* et *meritorius* in sua ratione supernaturali, perducens vero ad salutem per adhaesionem Deo sese revelanti.

Haec doctrina magis explicite proposita a Concilio favebit:

a) *ante omnia* [6] fini pastorali, cum omnes fideles scire debeant Deo adhaerendum esse opere personali, *ideo* [7] fide et opere, ut ipsi placeamus et eius vita et amicitia per Christum fruamur;

b) *favet* [8] fini oecumenico, cum *veram libertatem* in unoquoque individuo homine agnoscamus et in campo fidei ex ipsa ratione actus fidei ipsam postulemus. In mentem revocemus quae dicuntur in schemate decreti *de Oecumenismo,* in n. 28: « Ecclesia catholica praecipit ne ullus invitus cogatur ad amplexandam fidem catholicam. Quae tradi-

tionalis norma Ecclesiae pro unaquaque persona valet et *ab ipsa natura actus fidei postulatur* ».

Conclusio: rogo ergo ut mentio explicita de motivo formali actus fidei in textu ad n. 5 fiat. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] est. [2] deest. [3] sequentia etiam prae oculis habeantur: 1. in n. 4, in pag. 7, lin. 11, quaedam addantur verba ad recapitulationem doctrinae: i. e., ubi nunc legitur « Oeconomia christiana nunquam praeteribit » inserantur alia verba, ita ut textus sic legatur: « Oeconomia ergo christiana, a Christo peracta et ab apostolis proposita, nunquam praeteribit ». Sic melius affirmatur quod extra Christum non est in alio aliquo salus (cf. *Act.* 4, 12). 2. in n. 7 clarius significetur revelationem clausam esse morte ultimi apostoli, quibuscumque aliis exclusis (contra ea quae videntur insinuari in adiecta relatione ad n. 7, litt. F *b*) in pag. 20). Ergo aut nominentur viri apostolici Marcus et Lucas qui theopneustia ditati fuerunt, aut mutetur phrasis excludendo quidquid dici posset contra sententiam de fine revelationis cum morte apostolorum. [4] negative. [5] positive. [6] deest. [7] i. e. [8] deest.

19

EXC.MUS P. D. IOSEPH ATTIPETTY
Archiepiscopus Verapolitanus

Venerabiles Fratres,

Liceat mihi *sequentem facere observationem.*[1] Obiectio ad cap. II praecipua contra schema est eius *consultum silentium de traditione constitutiva.* Hinc de n. 8 liceat mihi sequentia animadvertere:

1. Plaudo laborem commissionis in conficiendo integrum numerum de traditione.

Sed intentionem consulto praetereundi « vexatam quaestionem de contextu obiectivo traditionis » nullatenus probare possum, et quidem, ut mihi videtur, ob rationes gravissimi momenti. Etenim:

a) Redactores profitentur se intendisse ut « nulla duarum sententiarum alteram superaret, nec ulla tamquam suffocata exinde haberetur » ...[2]. Intentio optima, sed impossibilis, ut videtur, utpote de re contradictoria. Una enim sententia tenet dogma esse fidei, a Concilio Tridentino definitum, et ulterius durante quatuor saecula magisterio ordinario et universali explicite propositum, exsistentiam traditionis constitutivae, nempe adesse veritates certe plures quae nullo modo in Sacra Scriptura continentur. Iamvero, si libertas contrariae opinioni servatur, ut vult schema, eo ipso sententia dogma affirmans ut falsa proclamatur. Dogma enim excludit libertatem opinionis.

b) Studia recentissima extra ullum dubium, ut videtur, posuerunt veram mentem Concilii Tridentini esse eam ipsam quam Ecclesia per tot saecula intellexit.

Brevitatis causa, non citam sententiam.[3]

c) Integre probo observationes em.mi Patris de quibus in pag. 60 in relatione generali schematis.

d) Videtur mihi consectaria gravissima secutura si Concilium sub silentio praetereat quaestionem prorsus fundamentalem de exsistentia traditionis constitutivae. Nam:

1. Irrisioni exponetur Sancta Mater Ecclesia cuius inimici dicent illam erronea doctrina fideles nutrivisse, ab eis exigendo assensum fidei exsistentiae traditionis constitutivae.

2. Irridebitur etiam doctrina infallibilitatis magisterii ordinarii et universalis, quod per tot saecula credidit hanc doctrinam esse de fide catholica in Concilio Tridentino definitam.

3. Irridebuntur etiam multa dogmata catholica sive ex theologia sacramentaria, sive ex mariologia. Quem enim latet in istis tractatibus argumentum probativum saepe desumi ex traditione? Negata, vel in dubium vocata exigentia talis traditionis, quaeso, quid valoris concedetur huiusmodi argumento? Valore hoc sublato, nonne quis dicere potest de facto magisterium egisse ac si esset « *supra verbum Dei* » in fidelibus imponendo dogmata ex Sacra Scriptura non demonstrata? Habeturne ulla spes Fratres separatos dogmata, puta Assumptionis, accepturos, innixos in argumentis ex Sacra Scriptura deductis? Et si ipsi talia dogmata acceptare renuunt, qualis spes unionis remanet?

4. Si de facto dogma est fidei exsistentia traditionis obiectivae tunc nonne officium nostrum pastorale exigit ut hic explicite dicamus sive ob bonum spirituale fidelium sive ipsorum auctorum catholicorum qui iis ultimis annis surrexerunt contra interpretationem doctrinae hucusque in pacifica possessione Ecclesiae habitae?

5. Nulla potest praeoccupatio oecumenica iustificare silentium nostrum menti. Omnes enim dicent Ecclesiam catholicam nescire ipsosmet locos ubi invenitur verbum Dei explicandum, tuendum, definiendum. Nihil periculosius quam, propter praeoccupationes oecumenicas detrimentum inferre integritati fidei nostrae. Fortasse, hoc favebit unioni, sed tunc unio illa erit, ut Pii XII verbis utar, « in communem ruinam » ...[4].

6. Praeterea, negando vel in dubium vocando traditionem constitutivam ...[5], praesertim, impossibilem reddendo quamlibet aliam definitionem de privilegiis marianis: quis verus devotus Mariae, matris Ecclesiae et matris nostrae, talem situationem creare vellet?

Unde liceat mihi proponere ut quaestio de exsistentia traditionis constitutivae ponatur et solvatur. Si Concilium non pervenit ad decisionem, Sanctissimus Papa Paulus VI rogetur ut auctoritate sua suprema hanc quaestionem decidat ...[6]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] sequentes facere observationes: *In genere*: 1. Schema propositum placet ut basis discussionum. 2. Probatur intentio commissionis textum praesentandi qui, prae oculis habitis observationibus Patrum prout in relatione generali leguntur, respondet in quantum fieri potest, optatis in his observationibus expressis. 3. Gratiae commissioni debentur ob expositionem claram mentis Summi Pontificis Pauli VI de condemnatione errorum (pag. 52-53). 4. Mirum tamen videtur in schemate nihil dici de « erroribus, abusionibus et dubitationibus » in concreto. Errores enim, mihi videtur, debent clare et in concreto denunciari si damnum quod ipsi animabus inferunt efficaciter cohiberi desideratur. *In specie*. [2] (pag. 19). [3] Inter principaliora cito: *De Scriptura et Traditione*, cura Pontificiae Academiae Marianae Internationalis, Romae 1963; *Escritura y Tradiciones* a Vincente Proano Gil in *Burgense* 2 (1961), 9-65; *Tradición y Escritura*, eiusdem auctoris: *Burgense* 5 (1964), 287-400; *De Traditione constitutiva* a Dr. Heribertus Schauf in *Seminarium* 4 (1964), 267-277. Liceat conclusionem ultimi auctoris solidissimis argumentis fultam huc referre: « Sensu vero et bono de duplici fonte loqui possumus, immo debemus. Qui renuit loqui de duplici fonte, vel alium omnino sensum, sensum novum verbis tribuit, vel simpliciter traditionem constitutivam negat. Dari tamen traditionem constitutivam doctrina certa et indubitabilis catechismorum est. In sensu quo catechismi doctrinam intellexerunt haec doctrina negari non potest. Qui ergo de sufficientia S. Scripturae loqui amant, alium, si catholice loqui intendunt, sensum sufficientiae S. Scripturae tribuunt, quam traditio per saecula in catechismis expressa tenuit. Attendendum ergo ne diversae terminologiae confusionem pariant, et, quod peius est, veritatem obnubilent vel ad errorem ducant. Principium formalis insufficientiae a catechismis non ut principium unius applicationis, inspirationis Scripturae S. et Canonis intelligi potest, sed ut principium quod aliquas saltem applicationes patitur. Ideo materialis insufficientia S. Scripturae non ad unicum casum inspirationis Scripturae restringenda est. Dein, materialis insufficientia respicit cognitionem, et quidem non tantum hominis christiani fidelis, sed etiam ipsius Ecclesiae. Proinde et ipsa Ecclesia in magisterio suo indiget traditione constitutiva. Scriptura sola una cum magisterio ecclesiastico non sufficit, ut totum verbum Dei revelatum, uti oportet, praedicari possit. Traditio non solum est explicativa, sed etiam constitutiva, quod attinet veritates ad fidem spectantes. Alio sensu catechismi intelligi posse non videntur » (*Seminarium*, l. c., p. 277). [4] (*Humani generis*: *A.A.S.*, 42 [1950], p. 565). [5] portam claudimus, ut puto omni progressui mariologico. [6] Ad n. 10 (textus emendatus). Ob rationes supra relatas omnino non placet delectio incisi « quae in una vel altera depositi parte implicite et obscure continentur ».

20

EXC.MUS P. D. PETRUS ROUGÉ

Episcopus Nemausensis

Venerabiles Patres,

...[1] Novus textus mihi valde placet, *ob rationes satis iam expositas.*[2]

...[3] Momentum *huius cap. II*[4] apparet ex sequentibus observationibus:

1. Momentum *praesentationis huius capitis.* Usque in hodiernum diem quaevis discussio doctrinalis de traditione et Scriptura subiiciebatur controversiis cum fratribus nostris seiunctis circa principium « solius Scripturae ».

Praesertim post Concilium Tridentinum accidit, ut libri catechismi et tractatus theologiae tanquam scopum sibi proponebant, munus traditionis extollendi, utpote organum revelationis et instrumentum eius transmissionis, necnon inquisitionis doctrinae revelatae.

Huiusmodi discussiones non amplius apparent in textu nostri capitis; directe incipit a testimoniis historicis, scil. ab ipsis libris inspiratis et a documentis historiae Ecclesiae. Post expositionem integri decursus revelationis divinae, indicat quomodo traditio, tam oralis quam scripta, procuravit transmissionem fidelem veritatum revelatarum, et possibilem reddidit progressum doctrinalem, in ipsa revelatione divina innixum.

...[5] Describitur traditio speciatim in n. 8 ...[6]. Forsan melius esset, *sicut iam dictum est,*[7] si in *hoc numero*[8] clarius in lucem poneretur momentum peculiare traditionis apostolicae ...[9].

...[10] Pariter *hoc caput*[11] bene ostendit actionem Spiritus Sancti in tota vita Ecclesiae. Modos eius actionis describit, et nos enixe invitat ad eos attente considerandos et bene distinguendos. Spiritus etenim ille est qui apostolos edocet, scriptores sacros inspirat, magisterium Ecclesiae illuminat, conscientiam cuiusvis christiani dirigit, omnes christianas communitates vivificat, et hoc modo in tuto ponit fidelitatem et progressum, in unitate veritatis ab Ecclesia proclamandae.

...[12] Ex tali expositione biblica et historica doctrinae Ecclesiae, possibilis evadit cooperatio fraterna inter christifideles, qui unitatem quaerunt in veritate et caritate, necnon in desiderio ad plenitudinem Christi perveniendi, mediante actione Spiritus Sancti, qui Ecclesiae adsistit in transmissione fideli, et in vero progressu veritatis revelatae.

...[13] *Obstacula evitata. a)* Ex modo quo textus noster exaratus est, evitari possunt controversiae illae steriles circa comparationem Scripturae et traditionis; utraque defluit « ex eadem divina scaturigine », et pollet adsistentia Spiritus Sancti.

b) Pariter evitabitur inclinatio ad tractandas huiusmodi quaestiones modo abstracto, cum conceptibus mere theoreticis; multo magis disceptandae sunt in relatione ad argumenta positiva et concreta, in libris sanctis vel in documentis historiae nobis transmissa.

Propterea exoptamus, ut *solummodo aliquae emendationes leviores subiicientur, textum ad perficiendum.*[14]

Tales observationes minoris momenti porrigemus et nos secretariatui Concilii *tradimus.*[15]

Unam tantum noto: pag. 16, lin. 5, dicitur quod « Apostoli... tradendo eis quod et ipsi acceperunt, eosdem simul traditae sanctis fidei supercertari deprecantur »: non dicitur « simul », sed « semel », ad mentem apostoli.[16]

In textu scripto tradito: [1] I. Valor schematis. [2] ob rationes sequentes: 1. Omnia secundum substantiam tractat, elementa secundaria eliminando; 2. In quaestiones libere disputatas minime intrat; 3. clarissime exponit quomodo Christus « Verbum Dei incarnatum et Salvator mundi », opus revelationis divinae consummavit; 4. Motui oecumenico favet, eo quod argumenta desumit ex S. Scriptura vel ex historia sic praebet fundamentum discussioni positivae inter theologos ex variis ecclesiis christianis. [3] II. Valor cap. II in specie. [4] eius. [5] 2. Modus quo fit talis transmissio. [6] incipiendo a missione praedicandi Evangelium, quam Christus apostolis concredidit. [7] deest. [8] nn. 8 et 9. [9] nempe momentum traditionis oralis et scriptae, afflante Spiritu Sancto. Quamvis distinctae sint revelatio et inspiratio, scimus quod utraque clausa est cum morte ultimi apostoli. Bene exhibet etiam cap. II quomodo integra traditio Ecclesiae « in sua doctrina, vita et cultu » contulit fideli conservationi et progressui doctrinae revelatae. Denique, postquam in n. 9 relationes indicatae sunt inter traditionem et Scripturam, exponitur in n. 10 « Munus magisterii Ecclesiae », quae interpres est authenticus et infallibilis verbi Dei transmissi vel scripto vel oraliter, et eisdem ministrat. Concludendo cap. II fortiter insistit in unitate perfecta quae exsistere debet inter traditionem, Scripturam et magisterium. Cum plenitudine ergo, et mirabili perspicuitate, textus ille schematis omnia de traditione dicit, nec plus nec minus, quae asserenda erant circa hoc argumentum. [10] 3. Actio Spiritus Sancti. [11] deest. [12] 4. Momentum oecumenicum huius doctrinae. [13] III. [14] Concilium hunc textum, maximo valore pollentem, integrum accipiat, et solummodo emendationibus levioribus eum subiiciat. [15] deest. [16] deest.

Emendationes additae:

1. Cap. I, n. 2, pag. 5, lin. 19. Loco: « Verbum carnem factum »: « Verbum *incarnatum et ex mortuis suscitatum* ». *Ratio*: ad mentem n. 4, pag. 7, linn. 1-7: per suam Resurrectionem, humanitatem suam glorificando, Christus factus est respectu Ecclesiae, novo titulo, « Verbum Dei » (cf. S. Paulum).

2. Cap. II, n. 5, pag. 7, lin. 24. Loco: « Quae fides ut praebeatur... » addendum forsan esset antea: « *Per fidem homo vocatur ad assentiendum Veritati Primae Dei revelantis.* Quae fides ut praebeatur... ». *Ratio*: post textus Conciliorum Tridentini et Vaticani I, sic in memoriam revocari posset doctrina S. Thomae de obiecto formali fidei: « nihil est aliud quam Veritas Prima ». Secundum

Divum Thomam, fides in nobis a Deo producitur tanquam adhaesio obiecto increato cognitionis, quod est ipse Deus et nobis sese per verbum suum communicatur (II-II, q. 1, art. 1).

3. Cap. II, n. 8, pag. 16, lin. 3. Loco: « quae in inspiratis libris speciali modo exprimitur » « *quae in sacris libris Spiritu Sancto inspirante exprimitur* ». *Ratio*: in relatione, pag. 21 (B) dicitur quod praedicatio apostolica in libris inspiratis contenta speciali modo ex inspiratione provenit. Cum relatio non edita sit in textu definitivo, melius esset, ad vitandas falsas interpretationes, introducere in ipsum textum hanc enucleationem.

Pag. 16, lin. 5: loco « simul » scribere « *semel* ». *Ratio*: « Semel » melius exprimit sensum *Iud.* 3 quam « simul ».

Pag. 16, lin. 6: « *Traditionesque quas* ». Hoc in loco stylus corrigendus est.

Aliunde, optandum esset ut per dispositionem typographicam melius appareant diversa stadia Traditionis. Quamobrem nobis opportunum videtur, ut nova alinea fiat: « linea 4, post (C); linea 8, post (D); linea 19, post (I); linea 22, post (L).

4. Cap. II, n. 9, linn. 32-33. « Ex eadem divina scaturigine promanantes ». Addendum esset: « ex eadem divina scaturigine et *ex eodem Spiritu* promanantes ». *Ratio*: sic melius affirmatur origo divina et adsistentia Spiritus Sancti.

Pag. 16, linn. 30-40. « Etenim... fideliter transmissa ». Phrasis parum clara videtur, quia constructio haud feliciter efficitur. Sic legi posset: « *Per Apostolorum praeconium, docente Spiritu Sancto,* commissa (cf. *Io.* 16, 13; 14, 26) eorumque successoribus, *eodem Spiritu Sancto adsistente,* fideliter transmissa ». *Ratio*: linn. 36-40 claritate carent, cum relate ad traditionem, apostoli non eodem modo se habeant ac eorum successores. Nam hi tantum custodiunt quod priores Ecclesiae tradiderunt, ut optime pag. 17, n. 10, praesertim linn. 19-26 dicitur. Neque idem charisma apostolis datur ac eorum successoribus.

5. Cap. II, pag. 17, n. 10, lin. 14. Loco: « scriptum vel traditum » dicatur: « *traditum vel scriptum* ». Id. cap. VI, n. 24, pag. 45, lin. 1. *Ratio*: sic melius servatur anterioritas traditionis oralis respectu traditionis scriptae.

6. Cap. III, pag. 27, n. 11, linn. 7-8. Citationi ex *Io.* 20, 31 desumptae et in textu indicatae praeferenda esset, mea sententia, citatio ex *Lc.* 1, 3; item: loco *2 Pt.* 3, 15-16 citetur *1 Pt.* 1, 12.

Pag. 27, linn. 20-21. « Docere profitendi sunt »: dicatur potius: « *exhibere agnoscendi sunt* ». Ratio: latinitas hac in phrasi haud classica videtur. Aliunde, in relatione pag. 30 (H) iam habemus « Loco autem *docere* ponitur *exhibere* ».

7. Cap. IV, n. 14, pag. 33, lin. 14. Loco citationis ex *Ier.* 3, 17 ponatur *Is.* 2, 1-5; 60, 1-3. *Ratio*: textus prophetae Isaiae, melius quam Ieremiae, extensionem universalem adnotant revelationis populo israelitico a Deo factae.

8. Cap. IV, pag. 34, n. 16, lin. 20. Citationi unice ex *Rom.* 8, 2-3 depromptae adiungatur *Rom.* 8, 2-4. *Ratio* est quod *Rom.* 8, 4, plane in rem cadit.

9. Cap. VI, pag. 45, n. 24, linn. 9-10. « Eodem *verbo*... ministerium *verbi* ». Est-ne voluntaria haec repititio eiusdem « verbi »?

Moderator: Proxima congregatio erit crastina, feria VI, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS XCIII
2 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS XCIII

2 octobris 1964

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderabitur congregationem generalem 93 em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Dum plebs sancta egreditur, lego nomina eorum qui verbo uti petierunt circa schema *de divina revelatione,* nempe super capp. I et II. Sunt exc.mi PP. DD. Ioannes van Dodewaard, ep. Harlemensis in Neerlandia; Casimirus Morcillo, arch. Matritensis-Complutensis in Hispania; Octavius Beras, arch. Sancti Dominici in Republica Dominicana; Antonius de Castro, ep. aux. Villaregalensis in Lusitania; Angelus Temiño, ep. Auriensis in Hispania; Hyacinthus Argaya, ep. Mindoniensis-Ferrolensis in Hispania; Henricus Nicodemo, arch. Barensis in Italia; Ioseph de Iesu Alba, ep. Tehuantepecensis in Mexico; Ioannes Rupp, ep. Monoecensis in Principatu Monaco; Fidelis Garcia, ep. tit. Sululitanus; Salvator Baldassarri, arch. Ravennatensis in Italia; Lucianus Rubio, prior generalis Ordinis S. Augustini; Christophorus Butler, sup. gen. Congregationis Angliae O.S.B.; Raphaël Calabría, arch. Beneventanus in Italia; Franciscus Marty, arch. Remensis in Gallia; Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis in Iugoslavia; Georgius Flahiff, arch. Vinnipegensis in Canada.

Deinde transitus fit ad cap. III, post relationem debitam uti patet, et circa hoc caput loqui petierunt: em.mi ac rev.mi PP. DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Franciscus König, arch. Vindobonensis in Austria; exc.mi PP. DD. Ioannes Weber, arch. Argentinensis in Gallia; Franciscus Simons, ep. Indorensis in India; Primus Gasbarri, ep. adm. ap. Grossetanus in Italia; Iacobus Flores, ep. Barbastrensis in Hispania; Carolus Maloney, ep. aux. Ludovicopolitanus in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

Venerabiles Patres, forsan iam distributus est vobis fasciculus continens relationem circa tria priora capita *de Oecumenismo* et modum suffragandi schema decreti *de Oecumenismo.* Hunc modum parcatis si legam.* Videatis paginam alteram post frontem huius fasciculi, et prae oculis etiam habeatis schema decreti *de Oecumenismo.*

---

* Cf. pag. 271.

Fiet una suffragatio pro n. 1 (uti videtis, schema est distinctus numeris); II suffragatio pro n. 2; III suffragatio pro n. 3; IV suffragatio pro n. 4.

Deinde, cum caput completum sit, fiet quinta suffragatio de integro capite cum prooemio; fiet, venerabiles Patres, si vobis placuerit, ut patet.

Deinde: VI suffragatio pro nn. 5 et 6; VII suffragatio pro n. 7; VIII pro n. 8; IX pro nn. 9-12.

Etiam nunc cadit suffragatio super integrum caput, quod comprehendit nn. 5-12.

XI suffragatio est pro n. 13; XII suffragatio est pro nn. 14-18; XIII suffragatio est pro nn. 19-24.

Et tandem XIV suffragatio erit de integro cap. III.

Uti iam fecimus pro schemate *de Ecclesia,* quoad singulas suffragationes, nempe circa puncta, votum erit *placet* vel *non placet*; quando vero fiet suffragatio super integra capita, nempe super unumquodque singulum caput, tunc formula erit triplex: *placet, non placet, placet iuxta modum,* et in hoc casu modi scribendi et subsignandi sunt, ut ceterum pluries ad abundantiam dictum est.

Porro circa hunc modum suffragandi em.mi moderatores volunt cognoscere consilium, mentem amplissimi huius coetus, et haec mens, hoc suffragium exquiretur versus horam 12 huius congregationis, per erectionem personae vel per sessionem. Ergo hora 12, Patres venerabiles, rogamini ut vestris locis stetis universi.

Post exactam disceptationem circa schema *de divina revelatione* incipiet disceptatio super schema *de apostolatu laicorum,* et, ut Ordo praescribit, circa hoc schema disceptatio fiet ita: imprimis de principiis generalibus; deinde, postquam exquisitum fuerit votum congregationis generalis an istud schema possit esse basis ulterioris discussionis, fiet transitus ad capita.

Idem modus servabitur etiam cum disceptabitur de sequenti schemate, nempe *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Qua ratione pro divina revelatione id factum non est? Factum non est, quia discussio generalis iam facta est in prima sessione huius Concilii, itaque, ut Ordo postulabat, transitus factus est ad singula capita discutienda, ut nunc facimus.

Ergo, Patres, versus horam 12 exquiretur vestrum suffragium circa modum suffragandi tria priora capita schematis de Oecumenismo. Gratias.

1

EXC.MUS P. D. IOANNES VAN DODEWAARD
Episcopus Harlemensis

Venerabiles Patres,

Nomine conferentiae episcoporum Neerlandicae relate ad schema *de divina revelatione* c. 2, sequentia proferre velim. Gratias quam maximas agens ob novam hanc redactionem, quae tam pro Ecclesia catholica ipsa quam pro relationibus inter communitates ecclesiales maximi erit momenti, unam tamen animadversionem adiicere velim, ut momentum eius oecumenicum adhuc manifestius pateret.

Constat, quod multi christiani non-catholici magni aestimant quandam distinctionem inter Ecclesiam apostolicam primaevam et eandem Ecclesiam fundatam super apostolos. Prima enim est canon et norma Ecclesiae temporis sic dicti post-apostolici. Ipsum hoc schema reapse innuit hanc distinctionem (v. g. pag. 15, n. 7, linn. 14-22, et etiam pag. 16, n. 8). Titulus tamen ipse (licet non sit definitivus) « Apostoli eorumque successores, praecones Evangelii » ...[1] hanc distinctionem diluit.

Quam ob rem, propter rei veritatem et momentum oecumenicum proponere velim ut pag. 15, in fine n. 7, addatur pericopa, in qua certa quaedam « unicitas » (germanice Einmaligkeit) Ecclesiae apostolorum prae Ecclesia temporis post-apostolici expresse affirmetur, et qua ipso facto fundamentum sternatur multorum dictorum in hoc cap. II, praesertim relate ad submissionem totius Ecclesiae traditioni et praedicationi apostolorum et virorum apostolicorum.

Propono proinde ut[2] pag. 15, n. 7, post ultimam lineam ...[3] sequentia *addentur*[4]: « Successores apostolorum seu episcopi proinde apostolos non in omnibus horum iuribus succedunt, sed usque ad consummationem temporis remanere debent « super fundamentum prophetarum et apostolorum ...[5] ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (pag. 15, n. 7). [2] Proponuntur proinde. [3] (lin. 32). [4] deest. [5] (cf. *Eph.* 2, 20).

2

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO GONZÁLEZ

Archiepiscopus Matritensis-Complutensis

Venerabiles Patres conciliares, Observatores et Auditores dilectissimi,

Novum schema de quo nostra conciliaris disceptatio, in genere admodum placet. Idcirco, ab omnibus perficiendum et perpoliendum ut in omnibus optimum evadat. In hoc sensu *nunc loquor.*[1]

Textus *Io.* 16, 13: « Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem » diversimode applicatur in schemate, nam in n. 8 Spiritus Sanctus adhibetur inducens credentes in omnem veritatem, et in n. 20 Paraclitus dicitur missus in apostolos ut apostolos perducat « in omnem veritatem in aevum servandam ad aeternam humani generis salutem ». In par. autem 8 sensus obscurior fit ex eo quod ab Ecclesia, de qua immediate supra loquitur, transitus fit ad credentes in quibus, i. e., in unoquoque verbum Christi abundanter inhabitare facit Spiritus Sanctus.

Ad quos, ergo, verba Christi de quibus Ioannes in textu allato? Ad solos apostolos? Ad discipulos suos in communitate coniunctos? Ad singulos credentes in Christum?

Non defuerunt nec desunt qui verba illa singulis credentibus dicta fuisse intellexerunt, ita ut unusquisque horum in totam veritatis apprehensionem a Spiritu Sancto induci potest et inducetur, praecisione facta a sua unione cum Ecclesia. Nullo, tamen, argumento scripturistico haec opinio suffragari potest. Nec textus iohannicus, nec contextus nec ulla recta exegesis consentiunt cum illa. Ceterum, haec interpretatio nedum in omnem veritatem, potius in tot errores quot capita induceret et iam extra Ecclesiam catholicam induxit.

Alia interpretatio novissima vult destinatarios sermonis Christi illos esse quos ipse Christus dixit *suos* ...[2]. « Sui » sunt, secundum sic opinantes, ii qui in doctrina et norma vivendi cuiusdam magistri et chorifei communicant et ipsum sequuntur. In casu nostro, « sui » sunt tota communitas credentium quae, addo ego, ut tota revera sit, una cum apostolis concipienda erit. Iuxta hanc sententiam, tota communitas, i. e., tota Ecclesia a Spiritu Sancto inducetur in omnem veritatem.

Attamen, non clare patet quod communitati loquutus fuerit Chri-

stus quia verba sua protulit quando missionem Spiritus Sancti promittebat; missionem, dico, visibilem et solemnem quae solum ad Apostolos facta est.

Dicendum, ergo, verba illa solis apostolis dicta esse sicut ipse evangelicus textus directe et expresse declarat.

Si apostolis tantum dicta, nulla difficultas. Si *suis* i. e., toti communitati discipulorum Christi, difficultates etiam evanescunt, nam et christifideles et apostolos complectitur atque sensus fidei et magisterium pastorum una simul et concorditer pergunt.

Quocumque modo intelligatur, verum erit quod Ecclesia in suis primordiis totam veritatis cognitionem non est adepta, sicut apostoli ante Spiritus Sancti missionem non assecuti fuere. Postea, volventibus saeculis, sub actuosa Spiritus Sancti operositate Ecclesia perducitur in integram ac profundiorem veritatem de persona Christi ac de eius Evangelio.

Recta intellectio illius eximii textus S. Ioannis, « Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem », solidissimum affert fulcimentum Ecclesiae magisterio, illi praeprimis quod Successori Petri infallibiliter competit, illi deinde quod ceteris episcopis communionem habentibus cum R. Pontifice concreditum est. Laudanda, ergo, schematis verba quae in n. 10 de vivo et infallibili Ecclesiae magisterio proferuntur.

Ne tamen ansa praebeatur falsae interpretationi textus iohannici et verborum ipsius schematis, consequenter ad nuper dicta propono:

1. Ut in n. 8 ...[3] sic corrigatur textus: « ... et Spiritus Sanctus qui vivam vocem Evangelii in Ecclesia et per ipsam in mundo resonare facit, eamque in omnem veritatem inducit, verbum Christi in credentibus abundanter inhabitare facit ».

2. Ut in n. 10 ...[4] post verba « ... ac ea omnia ex uno fidei deposito haurit quae tamquam divinitus revelata credenda proponit », nova haec adiciantur: « usque dum sub ductu Spiritus Sancti ad totam veritatem perveniat ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] vocem meam extollere nunc audeo. [2] (cf. *Io.* 13, 1). [3] (linn. 26-28). [4] (lin. 26).

3

EXC.MUS P. D. OCTAVIUS ANTONIUS BERAS
Archiepiscopus S. Dominici

Venerabiles Patres, aestimatissimi Observatores, Periti et Auditores,

Liceat mihi pauca verba dicere de cap. II schematis constitutionis *de divina revelatione,* quod inscribitur: « De divinae revelationis transmissione ».

In relatione, inter alia, legitur: « censuit subcommissio illis tantum postulatis attendere, quorum obiectum in *pacifica possessione* videbatur; ab iis, e contra, abstinere, quae *vexatam quaestionem* de contento obiectivo traditionis comparative ad Scripturam denuo excitarent » ...[1].

Sane, methodus facillima, et si tali via ac ratione hoc Sacrosanctum Concilium procedere vellet, omnes vexatas quaestiones, potissimum de sacramentalitate episcopatus, de relatione inter episcopatum et primatum, de cooperatione b.mae Virginis in oeconomia nostrae salutis, et ita porro, sub silentio praeterire, potuisset per paucas hebdomadas ad conclusionem pervenire.

At, quaestio poni posset imprimis: nonne praecise munus et officium Oecumenici Concilii sit quaestiones quae traditionalem doctrinam de fide et moribus tangunt, et de quibus orta est discussio, dirimere et traditionalem doctrinam stabilire?

Nullus inter nos est qui imprimis in catechismo, deinde in scholis non docuit non omnes veritates quas Deus revelavit, in sacra Biblia scriptas inveniri et per consequens: « Existit traditio, quae est fons revelationis distinctus a S. Scriptura, Scripturamque excedens » (cf. VAN NOORT, *Tractatus de fontibus revelationis necnon de fide divina* ...[2]), vel prouti in Catechismo, iussu Concilii Tridentini conscripto a pluribus viris, quorum nonnulli partes habuerunt in ipsomet Concilio, legitur, nempe: « Omnis doctrinae ratio, quae fidelibus tradenda sit, verbo Dei continetur quod in Scripturam traditionesque *distributum sit* », ita ut *partim* in Scriptura, *partim* in traditionibus adest.

Si nunc Concilium non vult quaestionem nostris diebus agitatam de obiectivo contento revelationis dirimere, id differre posset, non quia venerabiles Patres non sint certi hac de re, sed quia ipsis non videatur opportunum ob unam aliamve rationem id peragere.

Quidquid sit, in uno vel alio casu, mihi videtur necessarium afferre et sollemniter confirmare verba ipsa quibus Concilium Vaticanum I

utitur, nempe quod divina revelatio, de qua est sermo « secundum universalis Ecclesiae fidem a Sancta Synodo declaratam continetur *in libris scriptis et sine scripto traditionibus,* quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos pervenerunt » (cf. Concilium Vat. I, sess. III, constitutionem dogmaticam *Dei Filius* ...[3]), ita ut « fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur » (*ibidem* ...[4]).

Ne dicatur hoc aliis verbis vel melioribus, dictum esse in periodo prima (pag. 15). Nemo enim est qui ignoret vastam litteraturam existere de mutatione particulae « partim — partim » in « et... et ». Deinde quia in eadem relatione dicitur quod « omnia et singula novi textus verba sedulo ponderanda sunt, hoc praesertim intuitu: ne ulla duarum sententiarum alteram superaret, nec ulla tamquam suffocata exinde haberetur » ...[5], facili negotio concludi potest quod aderunt etiam qui singulas mutationes Tridentini et Vaticani I ponderando vellent ibi invenire quod desiderant. Propterea propono ut post primam periodum afferantur praeallegata verba Concilii Vaticani I qua talia idque sequenti modo: « quapropter Sacrosanctum Concilium Vaticanum II suam facit declarationem Vaticani I et Tridentini, nempe ... etc. ».

Hanc declarationem Vaticani I et Tridentini ponderando numquam deficient theologi qui, quemadmodum ultimis quattuor saeculis, ita deinceps docebunt illam traditionalem doctrinam a Tridentino declaratam et a Vaticano I confirmatam, nempe haberi veritates revelatas quae non continentur in Sacra Scriptura, i. e. in sacris libris exaratis ante mortem ultimi apostolorum; a. v.: docebunt quod existit non tantum traditio inhaesiva et declarativa, verum etiam constitutiva.

Haec sententia apparet haud parvi ponderis, potissimum quando sermo fit de tribus dogmatibus marialibus, nempe perpetua virginitate, immaculata conceptione et assumptione. Notum est quosdam potissimum recentiores viros protestanticos haec dogmata reicere, quia nisi principio « solius Scripturae » traditionem reiciunt (cf. *De Mariologia et oecumenismo* ...[6]). Alia ex parte, haud desunt catholici viri qui tenent haec dogmata marialia non ex Scriptura, sed ex traditione probari posse. Ita e. g. scripsit Michel: « Recentissima definitio dogmatica assumptionis in sacra Scriptura ne implicite quidem contenta videtur », et varii auctores virginitatem *in* et *post* partum ex traditione eruunt (cf. *De Scriptura et Traditione* ...[7]).

Venerabiles Patres, in litteris quas nomine episcopatus Reipublicae Dominicanae, die 15 augusti c. a. ad vos omnes misi, vos certiores feci de celebratione Congressus Mariologico-Mariani Internationalis, qui,

sic Summo Pontifice Paulo VI disponente, in Santo Domingo, in America Centrali, diebus 18-25 martii anni proximi ...[8], celebrabitur. Hisce vero litteris vos omnes ad hunc Congressum invitavi, necnon vestrum auxilium petii, communicans vobiscum quod thema Congressus Mariologici erit: « Maria in Sacra Scriptura ».

Haud dubitamus quin Consilium permanens Congressibus mariologicis-marianis internationalibus celebrandis, quod in sinu Pontificiae Academiae Marianae invenitur, nihil intentatum relinquet, ut melioris notae exegetae diversarum tendentiarum, utendo omnibus mediis quibus exegesis catholica hodie disponit, omnem lapidem movebunt, ut in ipsis sacris Litteris inveniant illa dogmata mariana, quae a Fratribus separatis reiciuntur. At, si exegesis catholica etiam hoc obtineret...

Moderator: Exc.me Pater, tempus tuum actum est. Velis concludere.

Orator: At, si exegesis catholica — concludo — etiam hoc obtineret, esset verum id quod unus ex aestimatissimis Observatoribus edixit, nempe quod tale « miraculum exegeticum » minime finem poneret controversiae intra nos et Fratres separatos, quia controversia non praecise doctrinis mariologicis, sed aliis quae respiciunt systema theologicum qua tale nititur.

Et inter illa principia certo adest notio vera traditionis, non tantum inhaesivae verum etiam constitutivae. Et si ita res est, quaestio ponitur: nonne magis esset opportunum potius quam hanc vexatam quaestionem silentio praeterire, illam ad trutinam revocare, quia de fundamentis agitur, vel saltem iam nunc ita quaestionem de transmissione revelationis proponere, ut de traditionali doctrina catholica quoad veram notionem traditionis nullum reale dubium oriri queat? Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (pag. 19). [2] n. 143. [3] Mansi, LI, 431. [4] 432. [5] (pag. 19). [6] Romae, 1962, pag. 486 ss. [7] Romae, 1963, pag. 12, 633. [8] 1965.

4

Exc.mus P. D. ANTONIUS DE CASTRO XAVIER MONTEIRO

Episcopus tit. Ombitanus, aux. Villaregalensis

Venerabiles Patres,

Cum aliquod adiumentum definitivae cap. II redactioni afferre possint animadversiones quae sequuntur, *secretariatui easdem misi. Cum vero aliquod momentum pro aula conciliari habere viderentur, summu-*

lam istam venerabilibus Patribus libentissime et brevissime his verbis tradam.

Etiam [1] de illo novo numero, scil. 8, versantur. Agitur *ibi, ut scitur,* [2] de Sacra Traditione.

Mihi placet illa descriptio synthetica traditionis in verbis Tridentini Concilii inspirata; etiam mihi opportunae videntur citationes ... [3] S. Pauli et Iudae; sed cum agatur de traditione dogmatica, oportet ut aliquod textui addatur, ut firmiter et absque ambiguitate in eodem textu *infallibilitas* [4] declaretur illius transmissionis doctrinae fidei et morum, inde ab apostolis, ope ... [5] praedicationis et fidei Ecclesiae.

Ratio [6]: multi sunt *auctores* [7] qui traditionem ut *fontem* [8] divinae Revelationis respuunt praecise propter hoc: quia traditio, natura sua, corruptioni obnoxia est. Immo, non defuerunt illi qui Ecclesiam iam defecisse in doctrina circa graviores veritates fidei et morum proclamaverint.

Generali autem historia Ecclesiae, praesertim vero Conciliorum historia, inde a temporibus apostolicis usque ad hoc Oecumenicum Concilium Vaticanum II, apodictice demonstratur quanta cum cura et labore Ecclesia, in decursu temporum, erroribus restiterit et corruptioni sese opposuerit, ut doctrina fidei et morum fideliter custodiretur atque infallibiliter declararetur. *Ergo puritas doctrinae fidei nostrae traditione acceptae strenue defendenda mihi videtur. Textus constitutionis mea humili opinione in hoc deficiens apparet.* [9]

Cum res ita sint, propono. Textus *qui prostat* [10] (in pag. 16, in linn. 8 s.) qui sic sonat: « Quod vero ab apostolis traditum est, ea omnia complectitur quae ad populi Dei vitam sanctam ducendam fidemque augendam conferunt, sicque Ecclesia, in sua doctrina, vita et cultu, omne illud perpetuat cunctisque generationibus transmittit quod ipsa est, omne quod habet, omne quod credit.

Viva *enim* [11] haec Traditio in Ecclesia sub assistentia Spiritus Sancti proficit »; *propono, si mihi licet,* [12] hac nova substituatur redactione, nempe: Quod vero ab apostolis traditum est, ea omnia complectitur quae ad populi Dei vitam sancte ducendam fidemque augendam conferunt, idipsum Ecclesia, in essentialibus suae doctrinae, vitae et cultus, fideliter perpetuat cunctisque generationibus incorruptibiliter transmittit.

(*Aliis demptis*) [13]. Viva enim haec traditio, in Ecclesia, sub assistentia Spiritus Sancti proficit. Etc.

Concludo. Si nos in n. 11 *capitis sequentis* [14] inerrantiam Sacrae Scripturae affirmamus, et optime quidem, asserere nunc ne timeamus incor-

ruptibilitatem Divinae Traditionis quae, *ut multi theologi dicunt*,[15] pluribus titulis ipsam Sacram Scripturam antecellit. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] doctrinali commissioni eas libentissime trado. [2] deest. [3] epistularum. [4] infallibilitatem. [5] oralis. [6] Nam. [7] adversarii. [8] fons. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] deest.

5

Exc.mus P. D. ANGELUS TEMIÑO SAIZ
Episcopus Auriensis

Em.mi ac rev.mi Patres conciliares,

Ex corde gratulamur commissioni theologicae, quae fere ex integro confecit cap. II de revelatione, ut in votis erat apud plurimos. Valde enim desiderabatur de traditione vitali in hoc Concilio tractare, cum hodierna die tanti habeatur. Illi enim progressus dogmatum tribuitur.

Valde placent fere omnia, quae in hoc schemate continentur. Ast debet perfici. Quaedam dicam de n. 8, non ad modum emendationis, sed potius ut melius exprimatur, quod in mente est omnium.

In pag. 16, linn. 13 ss. dicitur: « Viva haec traditio in Ecclesia sub assistentia Spiritus Sancti proficit. Crescit enim tam rerum quam verborum intelligentia, tum ex contemplatione credentium, qui eam conferunt in corde suo ...[1], tum ex intima rerum spiritualium experientia ».

Huiusmodi verba possent intelligi, quasi exclusivo modo probaretur via, sic dicta, affectiva et munus rationis *et alia ignorentur* [2] eiusque momentum in progressu dogmatis, contemnatur.

Inde opportunum duco quod de munere rationis, non tantum intelligentiae, quae sensum ambiguum habere potest, expresse locutio fiat. Nec satis sit ad illam alludere per citationem Conc. Vaticani I, quae de illa agit, *ut fit* [3] in relatione.

Maxime cum dicitur: « Crescit..., tum ex intima spiritualium rerum experientia ». Haec propositio ad praeposterum sensum trahi potest, quasi aliquas veritates dogmaticas ex intima conscientia ortum habere posse. Proinde aliquid addendum humiliter opinor, ut mala interpretatio *praecludatur*.[4]

Postremo, non abs re esset indicare quod etiam eventus historici patefaciunt nonnumquam sensum verborum Dei in revelatione, sicut etiam apostolis ipsis contigit. Ipse enim Deus qui fecit revelationem,

cursus factorum dirigit, speciatim quae respiciunt historiam salutis hominum. Fere sicuti in adimpletione prophetiarum, clarius sensus earum percipiuntur. Sunt enim dogmata, quae ad modum prophetiae eventus historicos respiciunt, ut constitutio Ecclesiae, *exempli causa,*[5] et illis *ipsa dogmata*[6] verificantur.

Ex his omnibus, venia vestra, audeo proponere, quod textus huiusmodi perficiatur seu compleatur. Emendatio posset his vel similibus verbis perfici: « Crescit enim tam rerum quam verborum intelligentia, tum ex contemplatione credentium, qui eam conferunt in corde suo (*nunc venit mea emendatio*[7]) tum ope rationis, quae diversa revelata inter se comparat, ut potior notitia obtineatur, vel analogiae adiutorio res divinas perscrutatur » (ex Conc. Vaticano I, sess. 3, cap. 4 ...[8]) — *prosequor*[9]: « ex intima quoque spiritualium rerum experientia » — *quibus addatur*[10]: « qua in sacro deposito revelatio contenta innotescit, aut ex historia denique, quae mentem divinam nobis aperire queit de quibusdam revelatis quae facta externa *historica*[11] respiciunt ».

Haec mihi mutanda vel addenda videntur, eo quod in textu intentio progressum fidei declarandi manifestatur. Hoc tamen deficienter — *ut puto*[12] — efficitur, et cum periculo malae interpretationis.

De relatione inter Sacram Scripturam et traditionem, i. e., utrum in traditione aliquae veritates non contentae in Sacra Scriptura habeantur, incongruentiam quamdam invenio. Ecce:

In schemate *de Ecclesia,* cap. III, n. 25, in pag. 68 ss. (*non cito verba sed haec doctrina habetur*[13]): docetur infallibilitas magisterii Ecclesiae universalis, cum totum *id est omnes episcopi*[14] cum Papa aliquam doctrinam tradit ut definitive tenendam.

Iam vero videtur non posse dubitari episcopos omnes cum Romano Pontifice per saecula docuisse, ut veritatem dogmaticam ab omnibus tenendam, traditionem aliquas veritates continere, de quibus fundamentum *serium* non est in Sacra Scriptura.

Hoc prae oculis habito, non intelligitur quomodo in eodem Concilio contendimus studiose praescindere ab hac doctrina, *et liberam* pro disputatione illam relinquere, et simul tradere principium doctrinale de valore Magisterii Universalis, *quod obligat* ad illam credendam. Forte multis videbimur nosmetipsos contradicere...[15]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Lc.* 2, 19 et 31). [2] ignoretur. [3] factam. [4] impediatur. [5] deest. [6] deest. [7] (...). [8] DENZ.-SCHÖN. 3016. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] dicitur: « Licet singuli praesules infallibilitatis praerogativa non polleant, quando tamen, etiam per orbem dispersi, sed communionis nexum inter se et cum Successore Petri servantes, authentice res fidei et morum docentes in unam sententiam tamquam definitive

tenendam conveniunt, doctrinam Christi infallibiliter enuntiant ». Seu. [14] deest. [15] Multo minus intelligitur, quod doctrina, quae per saecula fuit edocta, immo quae agnoscitur ut vera, positive ignoretur, et occasio detur ut impugnetur, et quae novissima est et plurimis non probata edoceatur.

6

EXC.MUS P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA

Episcopus Mindoniensis-Ferrolensis

Venerabiles Patres,

Breviter, ne in inutile et vitandas reiterationes incidamus, aliqua paucissima verba circa nn. 8, 9 et 10 cap. II humiliter dicam.[1]

Valde placet quod commissio, iuxta postulata plurimorum Patrum, doctrinae de divina traditione accuratiorem redactionem dederit, magis fidelem Tridentinae Synodo. Propterea non possum non laudare quod schema aperte doceat traditionem divinam esse *continuo operantem* in Ecclesia, adeo ut indesinenter « Spiritus Veritatis vivam *Ecclesiae*[2] vocem in Ecclesia resonare faciat, credentes in omnem promissam veritatem inducendo » (pag. 16, n. 8, lin. 25 ...[3]).

In textu citato affirmatur, traditionem et Scripturam *pari pietatis affectu ac reverentia* accipiendas ac venerandas esse. Et ratio his verbis ...[4] indicatur: « nam ambae, Scriptura nempe et traditio, ex eadem divina scaturigine promanant » ...[5].

In n. 10 Scriptura et traditio bene et clare distinguuntur a « *magisterio Ecclesiae* » his verbis: « munus authentice interpretandi verbum Dei *scriptum vel traditum* soli vivo et infallibili Ecclesiae magisterio concreditum est ». *His verbis explicite et inconfuse affirmatur*[6] Scripturam et traditionem antecedere et praevalere ipsi magisterio infallibili.

Nunc autem aliquam emendationem, meo iudicio necessariam, insinuare vellem.

Etenim in n. 9, linn. 35-36 dicitur *ad litteram*[7]: « Sacra Scriptura est locutio Dei, quatenus divino afflante Spiritu consignata », quae quidem verba omnino recta sunt et accurata. Sed minus proprie, ni fallor, prosequitur textus: « Sacra traditio autem, mens, doctrina, exempla et mandata Christi per apostolorum eorumque successorum praeconium, assistente Spiritu Sancto fideliter transmissa ».

His verbis *traditio nihil aliud est quam Ecclesiae praeconium, factum assistente Spiritu Sancto,* quod quidem *nihil aliud est quam magisterium Ecclesiae.*

Nam traditio est, non a Spiritu Sancto mere *assistente,* prout hic dicitur, sed a Spiritu Sancto *semper* Ecclesiae catholicae *perpetuo suggerente,* actione antecedente et positiva.

Conclusio. Ne igitur in nostri schematis n. 9 divina traditio confundatur vel aequiparetur magisterio, servatis in eodem numero omnibus quae vera sunt, humiliter propono ut ipsa *divinae traditionis notio perficiatur hoc modo*: « S. Scriptura est locutio Dei quatenus divino afflante Spiritu scripto consignata; s. traditio autem, a *Spiritu Sancto est, Ecclesiam iugiter in omnem veritatem deducente* (...[8] odogesei), qua mens, doctrina, exempla et mandata Christi per apostolorum eorumque successorum praeconium fideliter transmissa *perdurant* ».

In hoc textu, quem propono, verba addita ad divinae traditionis notionem perficiendam, fere ad litteram deprompta sunt verbis Conciliorum Nicaeni II et Tridentini. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Evangelii. [3] pag. 23, linn. 9 ss. [4] ibi. [5] (n. 9). [6] Hic ergo affirmatur et quidem explicite et inconfuse [7] deest. [8] cf. *Io.* 16, 13.

7

Exc.mus P. D. HENRICUS NICODEMO
Archiepiscopus Barensis

Venerabiles Patres,

Valde placet quod numerus novus, nempe 8, in cap. II, olim I, nostri schematis exaratus sit ad ampliorem praebendam traditionis expositionem.

Praecipue laude dignum videtur criterium a subcommissione habitum, de quo verbum fit in animadversione praevia ad relationes de singulis numeris, ubi legitur: « Censuit subcommissio iis tantum postulatis attendere, quorum obiectum in pacifica possessione videbatur; ab iis e contra abstinere, quae vexatam quaestionem de contento obiectivo traditionis comparative ad Scripturam denuo excitarent ».

Optime quidem. Ideo propositum probatur dandi in novo numero expositionem completam notionis traditionis, quoad totum eius historicum conspectum. Indicantur enim varia historica momenta theologicae reflexionis circa traditionem: ab eis, quae apostoli ipsi, S. Paulus praesertim, de traditione sentierunt et affirmarunt, ad acceptionem vivam et dynamicam conceptus traditionis, quae a non paucis hodierni temporis theologis propugnatur, quamvis tamen fatere debeam non per-

fecte intellegere quid in concreto sibi velint — in contextu — sive profectus traditionis sive potissimum verborum traditorum intellegentiae incrementum, et ob aliquas locutiones adhibitas et quia nihil de magisterio dicitur.

Quoquo modo, praecise quia in schemate conspectus tam latus et, necessario fortasse in brevitate, non semper sufficienter determinatus traditionis exhibetur, aliqua perplexitas, imo anxietas, exsurgit, *quae etiam post auditam perlucidam relationem maioritatis perseverat,*[1] circa modum intendendi et determinandi traditionem ipsam in casibus — et hoc est factum, quod omnibus clarum apparet, non autem vexata quaestio — in quibus aliquae veritates fidei inveniuntur, absque ullo dubio, in sola traditione. Agitur, evidenter, istis in casibus, de traditione *obiectiva constitutiva,* quidquid sit de verbis, determinanda.

Profecto nemo negare potest haberi in doctrina catholica quaedam ut iam certa et definita, quae nullo modo constat, nisi contrarium probetur, in Scriptura inveniri. Talia sunt, v. g. numerus septenarius sacramentorum, efficacia sacramentorum ex opere operato, validitas baptismi ab haereticis collati (sunt veritates de fide, a Concilio Tridentino definitae), B. M. V. in caelum assumptio (est veritas a Pio XII f. r. definita ut de fide) etc. Quomodo haec omnia in Scriptura inveniantur difficile est videre et tamen doctrinam certam et definitam constituunt. « Magisterium autem — sunt verba nostri textus — non supra Verbum Dei est, sed ei ministrat, docens nonnisi quod traditum est ». Ergo quod traditum est, ab apostolis scil., quia revelatio cum ultimo apostolorum conclusa est, obiective est determinandum relate ad veritates, quae definiuntur.

Hoc videtur necessario indicandum, cum non pauci exstent, qui existentiam traditionis constitutivae omnino negant, traditionem *interpretativam* tantummodo admittentes. Quod reapse significat *sufficientiam* Scripturae quoad omnes veritates vindicare, non solum sensu quod omnes veritates ad Scripturam aliquomodo *reduci* queant, cum omnes veritates in veritatibus sic dictis centralibus fundamentum habeant, quae certo veritates centrales in Scriptura continentur, sed etiam sensu quod omnes veritates e Scriptura possint *deduci.*

Eo vel magis perplexitas et anxietas manent quia, quamvis opportune in textu emendato, n. 9, omittantur verba « ut altera alteri extranea non sit » (nempe traditio Scripturae et vicissim), quae verba erant in textu priori, et hoc sane ne sententia de sufficientia Scripturae videatur supponi, ut in relatione de n. 9 asseritur, in linn. tamen 22-25, n. 8, videri posset induci vel saltem innui formula quae proponit totum esse in Scriptura et totum in Traditione, quamvis diversimode.

Peropportunum itaque esset, *ut iam alii Patres sive hesterna die sive hodie dixerunt,*[2] ad omnes difficultates et anxietates praecavendas, includere in *nostro textu*[3] verba ipsa Tridentini, sicut illa eadem verba adhibuit Vaticanum I (Constitut. Dogm. *Dei Filius,* cap. ...[4] De revelatione ...[5]), i. e. « hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt » ...[6].

Quae maior claritas in hac doctrina affirmanda et relationibus oecumenicis, meo humili iudicio, maxime proderit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] textu hoc. [4] II. [5] DENZ.-SCHÖN. 3006. [6] (Sess. IV, Decretum de libris sacris et de traditionibus recipiendis, DENZ.-SCHÖN. 1501).

8

EXC.MUS P. D. IOSEPH DE IESU ALBA PALACIOS
Episcopus Tehuantepecensis

Venerabiles Patres, Auditores et Observatores,

Grati sumus commissioni doctrinali, eo quod maiori amplitudine in nostro capite agitur de Traditione.

Ad titulum numeri novi, de Sacra traditione, videretur opportunius substituere: « De divina traditione », ut clarius appareat agi de divina revelatione per traditionem transmissa, nec ansa daretur aequivocationi seu confusioni; Ecclesiastica enim traditio et similiter traditio mere apostolica possunt quadamtenus sacrae vocari, dum, e contra, usus perantiquus nullam ambiguitatem permittit quando verbum Dei scriptum vocatur Sacra Scriptura.

In linn. 5-19 eiusdem novi n. 8, in pag. 16, non videtur haberi clara expressio de praecipuo organo transmissionis verbi Dei traditi, i. e. praedicationis verbi per praepositos Ecclesiae, de quibus clare locutus est S. Paulus, cuius textus in Epistolis Pastoralibus omitto.

Sufficiat recolere textum notissimum S. Irenaei: « Quid autem, si neque apostoli quidem Scripturam reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias? ».

In linn. 19 et 20 dicitur: « Sanctorum Patrum dicta huius traditionis vivificam testificantur praesentiam »; quod quidem verissimum est;

forte clarius esset exprimendum hanc testificationem ab Ecclesia recognitam esse maximam dotem Patrum in rebus fidei et morum; ne, sicut in nota ad litteram K pag. 22, videatur munus praecipuum Patrum fuisse systematizationem acceptae ab ipsis revelationis, quamvis enim hoc officium sit maximi momenti in Patribus, praecipue autem in Doctoribus Ecclesiae, quoad transmissionem revelati veri qualitas testis est primaria.

Videtur mihi omnino laudandus modus procedendi commissionis in praescindendo a quaestione difficili et disputata de duobus fontibus revelationis et de veritatibus quae forte contineantur unice in traditione, non autem in Sacra Scriptura. Certum est Concilium Tridentinum noluisse definire hanc sententiam. Certe aliqui Patres hanc sententiam novam, incognitam ante finem Medii Aevi, tenebant (hanc sententiam) et ideo proposuerant ut diceretur « partim-partim ». Sed hoc non habetur in definitione. Videtur ratio cur non ita definitum fuit quia omnes cognoscebant doctrinam S. Thomae. Summa S. Thomae praesidebat sessionibus Concilii Tridentini. Iam vero S. Thomas dicit omnes veritates ad salutem necessarias contineri in S. Scriptura. Similiter dicit in Summa Theologica ad probandam doctrinam fidei argumentum deberi sumi ex S. Scriptura, esse unicum hoc argumentum validum.

Propositae sunt rationes de magisterio ordinario. Sed Summus Pontifex Pius XII in Encyclica dogmatica *Humani Generis* expresse nos monet quod Summi Pontifices nolunt definire quaestiones disputatas in scholis, in documentis magisterii ordinarii, nisi hoc expresse dicant; v. g. Summus Pontifex Pius XII definivit — saltem in posterum — qualis sit materia, qualis sit forma in sacris ordinibus, quamvis antea S. Thomas aliter censuerit.

Dicit Summus Pontifex nobis redeundum esse ad fontes. Hic agitur de quaestione disputata.

Argumentum quoad sensum fidelium videtur omnino infirmum. Certe fideles nostri sciunt adesse in Ecclesia catholica — et nos distingui a protestantibus eo quod non admittimus unice Sacram Scripturam, admittimus etiam traditionem. Sed est quaestio iam valde subtilis, utrum aliqua veritas inveniatur tantum in traditione et non in Scriptura. Videtur impossibile quod fideles mediocriter exculti in sacra doctrina possint de hac quaestione opinari.

Veniamus ad exempla. Dicitur de canone; sed omnes scimus quod, quoad canonem Sacrae Scripturae, multa innuuntur et continentur certe in ipsa Sacra Scriptura. In libro Ecclesiastici habetur aliquis canon, possemus dicere, de libris Veteris Testamenti. Postea S. Ioannes certe supponit Synoptica, S. Lucas in Actibus Apostolorum alludit ad Evange-

lium, supponit S. Marcum. S. Ioannes praesentat suum ipsum Evangelium in Prima Epistola. Ipse Liber Apocalypsis est testis propriae inspirationis. Non possumus dicere quod agatur de petitione principii, nam hic non habetur argumentum philosophicum neque apologeticum; est theologicum!

Postea quoad sacramenta. Omnes nos in scholis conati sumus probare sacramentalitatem per verba Sacrae Scripturae, etiam sacramentalitatem matrimonii. Ipsum argumentum solum ex Sacra Scriptura forte non esset sufficienter efficax, sed simul cum traditione est efficax.

Quoad Immaculatam Conceptionem et Assumptionem, Summi Pontifices curarunt fundare suam definitionem in Protoevangelio et in salutatione angelica, in doctrina S. Pauli circa effectus Redemptionis et etiam in Apocalypsi.

Non est demonstratio mathematica, quam non possumus quaerere in re theologica; sed similiter non potest haberi demonstratio mathematica quoad traditionem.

Documenta clara traditionis quoad haec dogmata sunt posteriora.

Igitur, sicut S. Paulus et ipse Dominus Noster Iesus Christus proposita argumenta scripturistica, quae mathematice non sunt valida, v. g. Dominus Noster probavit Resurrectionem ex eo quod Deus sit Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob; S. Paulus libertatem christianorum a lege mosaica eo quod Abraham habuit duas uxores, Saram et Agar, quae genuerunt duos filios, unum natum ex libera, alium autem ex ancilla...

Ideo videtur quod volumus accommodare categorias cartesianas ad Sacram Scripturam. Dixi.

Textus scripto traditus:

Grati sumus commissioni doctrinali, eo quod maiori amplitudine in nostro capite agitur de traditione, ita ut non amplius consideretur veluti « cenerentola », ut aliquis Patrum conquerebatur.

Ad titulum numeri novi, de sacra traditione, videretur opportunius substituere: « de divina traditione », ut clarius appareret agi de divina revelatione per traditionem transmissa, nec ansa daretur aequivocationi seu confusioni; Ecclesiastica enim traditio et similiter traditio mere apostolica possunt quadamtenus sacrae vocari, dum, e contra, usus perantiquus nullam ambiguitatem permittit quando verbum Dei scriptum vocatur Sacra Scriptura.

In linn. 5-19 eiusdem novi n. 8, in pag. 16, non videtur haberi clara expressio de praecipuo organo transmissionis verbi Dei traditi, i. e., praedicationis verbi per praepositos Ecclesiae, de quibus clare locutus est S. Paulus in epistolis pastoralibus, v. g., in *2 ad Timotheum* (2, 2): « Et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios

docere », et in Epistola *ad Titum* (1, 7 s.): « Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem... amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere ».

Hunc esse inviolabilem et unice securum tramitem testantur primi Ecclesiae Patres, v. g. S. Polycarpus et S. Ignatius sicuti S. Clemens Romanus, praecipue autem S. Irenaeus et Tertullianus.

Sufficiat recolere textum notissimum S. Irenaei: « Quid autem, si neque apostoli quidem Scripturam reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias? » (*Adv. Haer.* II, 4, 1).

In linn. 19-20 dicitur: « Sanctorum Patrum dicta huius traditionis vivificam testificantur praesentiam »; quod quidem verissimum est, sed clarius forte esset exprimendum hanc testificationem ab Ecclesia recognitam esse ceu maximam dotem Patrum in rebus fidei et morum; ne, sicut in notam ad litteram K, pag. 22, videatur munus praecipuum Patrum fuisse systematizationem acceptae ab ipsis revelationis, quamvis enim hoc officium sit maximi momenti in Patribus, praecipue autem in doctoribus Ecclesiae, quoad transmissionem autem revelati veri qualitas testis est primaria.

Omnino laudanda videtur prudentia commissionis doctrinalis in praescindendo a difficili et controversa quaestione de duplici fonte revelationis divinae, necnon de exsistentia veritatum revelatarum quae unice per divinam traditionem, non vero per Sacram Scripturam, aliquo saltem modo, ad nos usque transmitterentur et ab Ecclesia possint proponi ut verbum a Deo revelatum.

Nam 1. constat aliquos Patres Concilii Tridentini habuisse talem opinionem de veritatibus contentis in traditionibus et non in Sacra Scriptura, et ideo forsitan prima formula proposita fuit: « Perspiciensque hanc veritatem partim contineri in libris scriptis, partim sine scripto traditionibus », sed haec formula mutata est in aliam, quae definitivam habuit approbationem: « Perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, etc. ».

Videtur rationem fuisse commissionis, opinio expressa ab uno Patre Concilii Tridentini scil.: omnem veritatem Evangelii contineri in Scripturis (Holstein, *La Tradition dans l'Eglise,* p. 101; Congar, *La Tradition et les Traditions, Essai historique,* p. 227, nota 37), multo autem magis doctrina valde communis usque ad finem Medii Aevi de sufficientia Scripturae Sacrae, quae nullatenus excludebat traditionem. Huius sufficientiae praeclarus testis est S. Thomas v. g. in I, q. I, a. 8, ad 2; I, q. I, a. 36, 2 ad 1 et *Quodl. VII,* q. VI, a. 1.

2. Quamvis obiiciantur textus Summorum Pontificum in quibus asseri videtur duos fontes revelationis divinae dari, scil. S. Scripturam et traditionem divinam, attendenda est doctrina S. P. Pii XII in Enc. doctrinali *Humani generis,* in qua solum excludit liberam disceptationem inter theologos, si Romani Pontifices in actis suis data opera sententiam ferunt in re hactenus controversa (Denz. 3883-3886). Ita, v. g. factum est quoad materiam et formam Sacramenti Ordinis (Denz. 3858 s.) quae, saltem in posterum, consistit unice in impositione manuum et verbis correspondentibus, non obstante diversa opinione multorum, inter quos S. Thomas. Numquam autem data opera sententiam tulit Summus Pontifex, quamvis perfecte noverit hanc magni momenti quaestionem de fontibus libere a catholicis controverti.

3. Quoad sensum fidelium: liceat dicere omnes catholicos qui sufficienter susceperunt fidem sub Ecclesiae magisterio, certe nosse accipiendam esse traditionem et non solum Scripturam; utrum autem dentur veritates fide divina credendae quae nullatenus in S. Scriptura contineantur, quaestio est tam difficilis, ut ipsi optimae notae theologi non sint inter se concordes, et talis formulatio maioris extensionis traditionis, sine ulla relatione ad Scripturam, appareat omnino extranea menti maiorum doctorum scholasticorum et Patrum (CONGAR, *op. cit.*, p. 141 et s.), ideo non possumus in casu cum fructu interrogare fideles de his diversis theoriis, quas ipsi non intelligent, nec interrogationi possunt respondere.

4. Quoad Catechismos, notandum est Catechismum Romanum non uti formula « partim et partim », sed asserere: « Omnes autem doctrinae ratio quae fidelibus tradenda sit, verbo Dei continetur, quod in Scripturam traditionesque distributum est ». Haec autem expressio non aequivalet schemati priori non approbato a Tridentino, sed doctrinae definitae ab eo.

Certum est SS. Petrum Canisium et Robertum Bellarmino usos fuisse formulis « partim et partim », quamvis non constanter et sine absoluta exclusione relativae sufficientiae S. Scripturae, et eorum formulas in posteriorum catechismorum redactionem influxum habuisse, et ita quodammodo sanxisse theoriam duorum fontium revelationis, sed nullam obligationem ideo habemus praetergrediendi doctrinam Concilii Tridentini et admittendi ut eius authenticam interpretationem illam formulam quam ipsum Concilium non adhibuit.

5. Quoad dogmata quae dicuntur contineri in traditione et non in S. Scriptura, dicendum est, nullatenus asseritur ab auctoribus catholicis aliter opinantibus omnia dogmata posse probari logice ex Scriptura independenter a traditione; sed etiam nullum dogma habetur quod inveniatur contentum in sola traditione divina, sine ulla relatione ad S. Scripturam.

a) Quoad canonem Scripturarum, certum est ipsum non posse determinari dogmatice nec apologetice ex sola Scriptura, eiusque definitio infallibilem unice potuisse fieri a magisterio authentico sub lumine traditionis vivae Ecclesiae, sed in ipsa S. Scriptura inveniuntur elementa et initia constitutionis canonis.

Nonne D. Noster Iesus Christus supponit quoad Vetus Testamentum, collectionem bene determinatam librorum Sacrorum?: « Et incipiens a Moyse, et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quae de Ipso erant... Necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysis, et prophetis, et psalmis de me » (*Lc.* 22, 27 et 44). Et revera in capitulis libri Ecclesiastici a 44 ad 50 non solum praedicantur laudes Patrum, sed implicite recognoscitur elenchus sat amplus librorum sacrorum Veteris Testamenti, quorum citationes implent paginas Evangeliorum et scriptorum apostolicorum, in quibus etiam deuterocanonici libri recognoscuntur, generatim secundum textum septuagintaviralem, qui omnes libros Veteris Testamenti continebat.

Quoad Novum Testamentum, Liber Apocalypsis de seipso testimonium perhibet, testimonium validum in argumentatione theologica, quamvis non sufficiens in apologetica (*Ap.* 22, 18).

Epistola 2 Petri testatur de collectione quadam Epistolarum S. Pauli, quas assimilat ceteris Scripturis (c. 3, 15).

Epistola 1 S. Ioannis intime connectitur cum IV Evangelio, quod fidelibus praesentat vel ipsis notum supponit.

Evangelium S. Ioannis supponit et complet Synoptica.

S. Lucas commendat proprium Evangelium et fideliter in multis fere ad litteram sequitur S. Marcum.

Ideo non potest dici canonem S. Scripturarum statutum fuisse cum omnimoda independentia a verbo Dei scripto et nullatenus inspirationem librorum canonicorum in ipsa Sacra Biblia contineri.

Quoad numerum et efficaciam sacramentorum, certum est omnia sacramenta, etiam matrimonium connecti cum verbo Dei scripto et Ecclesiam in ipso inniti ad sollemniter exponendam doctrinam sacramentalem (v. g. quoad matrimonium: Conc. Trident. Denz. 1799).

Quoad dogmata Immaculatae Conceptionis et Assumptionis B. Mariae semper Virginis, attendendum est definitiones dogmaticas inniti praecipue in Protoevangelio et salutatione angelica, sub lumine doctrinae S. Pauli de redemptione (*Ineffabilis Deus* et *Munificentissimus Deus*), ita ut S. Scriptura sub lumine traditionis et lecta in vita Ecclesiae, sit firmissimum fundamentum pro fide Ecclesiae in his dogmatibus marianis.

Si sola S. Scriptura non potest probare haec dogmata, neque sola traditio, quae claram expressionem habet in saeculis iam a tempore apostolico aliquatenus remotis.

Non debemus quaerere mathematicas probationes in rebus fidei, hoc videretur cartesianismus in doctrina divina.

Sacra Scriptura legenda est in Ecclesia, in viva traditione subvigilanti et infallibili iudicio vivi Magisterii authentici.

9

Exc.mus P. D. IOANNES RUPP
Episcopus Monoecensis

Venerabiles Patres,

(*quos em.mos, beat.mos et exc.mos dicerem, si simplicitatem evangelicam melius intellegerem!*),[1]

Liceat tres animadversiones exprimere ac tres emendationes proponere.

A. Ad animadversiones:

Prima animadversio. Par. 8 laudatur quia sat clare exponit id quod traditioni competit, nempe: ea hominibus tradere quae a Deo tradita sunt aetate apostolica eaque sola hac sola aetate.

Duo ergo in verbo traditione includuntur: *a*) Traditio a Deo facta veritatum quas ipse revelavit; *b*) Transmissio earumdem veritatum decursu temporis.

Quae duo habentur et perfecte describuntur in Concilio Constantinopolitano II, saec. VI habito, quod tria capitula damnavit. Sic enim sonat textus: « Fidem tenemus quam verus Deus *tradidit* sanctis suis apostolis et sancti patres et doctores populis *tradiderunt* ».

His positis evidenter apparet quod exsistit *traditio divina* a traditionibus humanis valde diversa (παράδοσεις)[2] quae in Scriptura parum laudantur. Videatis *Mc.* 7, passim, vel Epistolam ad *Col.* 2, 8. *Non video bene ergo, cur* [3] haec vox *traditio divina* in textu omnino *deest.*[4]

Secunda animadversio: est iuxta par. 8, linn. 13 et 14 *ubi dicitur* (*iam memoriter omnes scimus post tam multas orationes de hac materia*) [5]: « Traditio vivit, proficit et crescit... » etc. *De hac materia nihil addere cupio quia perfecte exposita est necessaria distinctio in hac materia inter traditionem divinam et ecclesiasticam. Unum tantum dicere cupio*: *in prima sessione nostra huius Sacrosanctae Synodi multa dicta sunt de theologia sic dicta pastorali, quae modo plano ac suavi procedere debet et pro qua distinctiones modo plus minusve scholastice factae omnino vitandae sunt. Video quod hodie multi ex nobis ad illa S. Thomae regressi sunt*: *intellectus humanus procedit componendo et dividendo!* [6]

Tertia animadversio. Nihil vel fere nihil habetur in textu de « praxi Ecclesiae diuturna » in quantum fons est, saltem negativus, cognitionis traditionis divinae. Haec lacuna momento non caret.

B. Et nunc ad emendationes.

Emendatio prima. In pag. 15 verbum Evangelium bis invenitur. Propono quod una vice dicatur Evangelium esse Nuntium gaudii, vel Nuntium salutis vel simpliciter Nuntium bonum.

Secunda emendatio. Neque mihi neque pluribus episcopis vel theologis cum quibus de hac re locutus sum multum placent quae in par. 10, pag. 17, linn. 19-20 dicuntur: « Magisterium non est supra verbum Dei ». *Intelligo bene cur haec verba posita fuerint, nempe propter rem oecumenicam. Timeo tamen ne haec verba multis fratribus separatis tamquam gratuita, tamquam deus ex machina appareant, dum e contra insinuant plus minusve quod sunt catholici qui credant in hanc superioritatem magisterii supra verbum Dei,*[7] quod vero non respondet.

Hac de causa propono ut loco eorum verborum quae minus placent ipsa verba card. Caietani adhibeantur — *dum ultima vice Lutherum memoravi, ius habeo etiam Caietanum memorare, sed forsan est magis periculosum!* —, *verba card. Caietani adhibeantur* [8] quae in Commentario de II^{a}-II^{ae}, Quaestione I, art. 1, ante annum 1510, i. e. ante Reformationem — *ergo honeste* [9] — scripta sunt: auctoritas Ecclesiae est ministra Verbi Dei, *et optime distinguit auctoritatem veritatis increatae, auctoritatem Dei ipsius, et auctoritatem hominum qui Verbo Dei inserviunt.*[10] Ut ergo illa « diaconia » magisterii erga Verbum etiam melius intelligatur, verba Caietani sic amplificari possent *in eodem sensu*

eademque sententia[11]: « auctoritas Ecclesiae quae est ministra et serva Verbi Dei » et reliqua.

Tertia emendatio et ultima. In eadem paragrapho ubi verbum « infallibile » assumitur, propono ut character praesertim *negativus* huius conceptus in memoriam revocetur.

Propterea humiliter propono quod verbum « infallibile », quod in lin. 16 habetur, simpliciter deleatur et alio loco ponatur nempe lin. 19, quod sic, *cum iis quae antea diximus contracta sunt,*[12] legeretur: « Quod quidem magisterium, infallibili Dei assistentia ab errore praeservatum ubi revelata modo definitivo exponit, ministrum est ac servum Verbi Dei ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Ergo forte bonum esset si. [4] inveniretur. [5] deest. [6] Traditio vivit, proficit et crescit. Laudabiliter hic elementum dynamicum et internum introducitur. Sed si *traditio* est *verbum Dei* uti asserunt etiam textus nostri, quomodo crescere vel proficere potest? Ergo clarior distinctio afferri debet inter depositum fidei et transmissionem depositi seu inter *traditionem* proprie dictam et vehicula traditionis (ad vitandas aequivocationes). [7] Haec enim verba ex una parte possunt considerari ut gratuita, ut deus ex machina, ex altera parte insinuant quod catholici ipsi hanc superioritatem magisterii supra Verbum plus minusve admittunt. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest.

10

Exc.mus P. D. FIDELIS GARCIA MARTINEZ
Episcopus tit. Sululitanus

Venerabiles Patres conciliares,

Observationes in schema constitutionis *de divina revelatione* (cap. I, n. 2).

In primis lineis huius capitis obvium esset ut nobis tradita fuisset — sicut ipsa verba inter uncos posita sonare videntur: De revelationis natura et obiecto — aliqua definitio huius revelationis, de qua agendum erit, accurata et nitida. Nam vox « revelatio », usitata iam in mundo latino antequam in ipso religio et doctrina christiana divulgata esset, varias habet significationes seu ampliorem sensum, quam illum quo restringitur in theologia catholica; unde confusioni seu aequivoco occasio dari potest, nisi eius conceptus in hac theologia catholica nitide proponatur.

Vi ethymologica — remotio veli — vox revelatio quamlibet manifestationem alicuius rei occultae aut nondum cognitae significare valet.

Ita intuitio, sive naturalis sive supernaturalis; cognitio discursiva causarum ex earum effectibus; scientia infusa, etc. ... revelationes dici possunt. Sed minime revelationem constituunt de qua agitur in theologia catholica.

In visione et tactibus quibus apostolus Thomas agnovit Iesum resuscitatum, nec revelatio nec fides proprie dictae fuerunt; etsi ex illa agnitione *apostolus attingerit quasi* [1] ex motivo credibilitatis vel praeambulo fidei, *attingerit dico* [2] veram fidem ...[3] circa Christi divinitatem, ab ipso Iesu toties affirmata. « Quia vidisti me Thoma, credidisti ». Sed, ut bene dicit S. Gregorius Magnus, « aliud vidit, et aliud credidit ».

Neque in discursu, quo ex mundi creati contemplatione surgimus ad cognitionem omnipotentiae et aliorum Dei attributorum, « caeli enarrant gloriam Dei », revelatio datur cui fides theologica seu divina respondeat — assensus propter Dei auctoritatem seu testimonium; — sed simplex scientia « propter intrinsecam rerum veritatem ».

Neque quaelibet scientia, etiam supernaturaliter a Deo infusa, propter hanc intrinsecam rerum veritatem, revelationem theologicam, proprium et formale fidei divinae obiectum constituere potest, cum hoc obiectum ita definitum sit a Concilio Vaticano I ...[4]: « Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia Catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua... a Deo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem... sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest ».

Quae quidem Concilii Vaticani I definitio authentice, expressius et nitidius, declarata fuit in « Iusiurando contra errores modernismi », adiectis voci *revelata* hae aliae duae, quae nullam admittunt confusionem: *dicta, testata.* En textus ...[5]: « certissime teneo ac sincere confiteor fidem esse... verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae " ex auditu ", quo nempe, quae a Deo personali... dicta testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis ».

Haec doctrina ergo dogmatica est, et ab omnibus, sive theologis sive populo christiano profitetur, cum simpliciter revelationem divinam « verbum Dei », sive scriptum sive traditum, appellant.

Verum est in « Oeconomia revelationis » et in « historia salutis », ut dicitur in hoc cap. I n. 2, multa inveniri gesta seu facta a Deo patrata, in quibus, sicut in mundi creatione, perplura circa Dei naturam, voluntatem, providentiam, etc., nobis manifestantur, « invisibilia enim Dei ... per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur »; sed dum maneant simpliciter facta, nec verba Dei sint hominibus loquentis, obiectum materiale revelationis, et proinde fidei divinae, tantum esse poterunt; at ipsam revelationem, obiectum formale fidei, minime constituunt.

Inde, dici non potest, ut audivimus non semel heri in hac aula et ut invenitur in ipsa relatione nobis lecta *feria IV,*[6] pag. 7, quod et « opera a Deo patrata » et ipsius Dei « verba » sint « insimul » revelationis constitutiva elementa ». Et similis confusio, etsi non clare, vigere videtur, in ipso textu schematis, cap. I, n. 2.

Iam vero intelligere non possumus quomodo obiecta materialia alicuius actionis divinae, qualis est revelatio, vel alicuius actionis intellectus humani, qualis est fides, dici possint « elementa constitutiva », et proinde intrinseca harum actionum.

Ex alia parte, nobis videtur doctrina non solum certa, sed dogmatice definita, fidem divinam necessario debere fundari in solo verbo seu testimonio ipsius Dei.

Fortasse textus schematis hoc non negat; sed diserandum esset ut res clare declaretur.

Concludo[7]: omnino distinguere oportet revelationem Dei activam seu personalem, a revelatione obiectiva. Haec ultima constituitur veritatibus seu factis a Deo revelatis, obiecta materialia fidei; prima constituitur verbo seu testificatione Dei, obiectum formale eiusdem fidei. Sic, ni fallimur, omnia clarescunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] tanquam. [2] deest. [3] apostolus attingerit. [4] (DENZ. 1789). [5] (DENZ. 3542). [6] deest. [7] Aliis verbis.

Textus additus:

Theologia de fide divina et de eiusdem obiecto formali seu revelatione.

I. *Notiones praeviae.* Notiones quidem elementales et quae proinde videri possent non necessariae, sed quarum praetermissio ansam fortasse praeberet, ut de facto aliquando praebet, non paucis confusionibus vel aequivocis. Et sit initium verbum seu conceptus *fidei.*

Ne de aliis significationibus loquamur, quia maxime concisi esse volumus, tam substantivum *fides* quam verbum *credere,* significare possunt *fiduciam* in consecutione alicuius rei, in efficacia aliquorum mediorum, in fidelitate aut bonitate alicuius personae; et est significatio a protestantibus praecipue his vocabulis tributa toties usitatis in Sacra Scriptura (cf. *Dictionnaire de Théologie Catholique,* tom. VI, s. v. *foi*).

Etiam vulgo dicitur *credere* vel *credulitas* quaelibet opinio aut suasio, quicumque sint fontes unde procedant, aut argumenta quibus fulciantur. Et sic dicimus: credo te erravisse; credo crastina die optimam tempestatem fore, etc.

Sed in theologia catholica tum vocabulum *credo,* quo symbolum fidei inchoamus, tum vocabulum *fides divina* sunt vocabula, ut ita dicam, technica, quibus proprie et exclusive significamus: *verum assensum intellectus verbo Dei summe veracis,* qui *loquens patribus in prophetis novissime locutus est nobis in Filio.* Et haec significatio praecisa et specifica non solum ab illa universa theologia catholica docetur, sed nunc etiam doctrina dogmatica est, definita a Concilio Vati-

cano I (cf. DENZ. 1789), et nitidius expressa in « Iusiurando contra errores Modernismi » (DENZ. 3542). En textus: « Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua... a Deo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem... sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest ». « Certissime teneo ac sincere confiteor fidem esse... verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae " ex auditu ", quo nempe, quae a Deo personali... dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis ».

Iuxta has magisterii supremi Ecclesiae definitiones, omnes hodie theologi catholici ut doctrinam dogmaticam docent: fidem, seu primam ex virtutibus theologalibus, quae a Concilio Tridentino « initium humanae salutis » vocatur, « fundamentum et radix omnis iustificationis sine qua impossibile est placere Deo » (DENZ. 801) *assensum esse intellectus* — « non fiduciam divinae misericordiae » ut dicebant protestantes (DENZ. 882); nec « vitalem immanentiam » vel « sensum » religiosum, uti fingunt Modernistae (DENZ. 2077-2078), — *quo a Deo revelata vera esse credimus propter auctoritatem* — non dominativam ut volebat Gullielmus Parisiensis, vel alicuius experientiae seu « intrinsecae rerum veritatis », reiectae a Conc. Vaticano I (DENZ. 1789) — sed *testimonii Dei summe veracis,* i. e., *Veritatis primae, non in essendo, nec simpliciter in cognoscendo, sed in dicendo.*

II. *Quid sit revelatio supernaturalis proprie dicta.* Ex dictis manet iam definitus conceptus revelationis divinae proprie dictae, qua in praesenti providentia voluit Deus sese hominibus manifestare, quaeque obiectum formale, unicum et necessarium, constituit fidei theologicae seu divinae, scil., *locutio testificativa ipsius Dei.*

Nam et ipsa vox *revelatio* varias habere potest significationes. Et quidem, vi ethymologica — remotio veli — quamlibet rei occultae seu nondum cognitae manifestationem, sive naturalem sive supernaturalem, significare valet. Sic intuitio immediata, verbi gratia, primorum principiorum; cognitio discursiva causarum ex earum effectibus; scientia infusa; visio beatifica, revelationes dici possent. Sed cum in theologia loquimur de *revelatione,* nisi aliter expresse dicatur, illa semper revelatio intellegitur, quam modo definivimus: verbum Dei affirmans seu attestans quo Ipse hominibus adloquitur.

Consulto diximus: verbum seu locutio Dei *attestans.* Nam, ut docet S. Thomas (*Periherm.* lib. I, lect. VII), aliae sunt locutiones, quas ipse vocat *enuntiativas* seu affirmativas, in logica *propositiones,* in quibus tantum modo *invenitur verum et falsum,* et aliae quas vocat *ordinativas,* ut *deprecativas, optativas, interrogativas,* etc., « quae non significant ipsum conceptum intellectus, in quo est verum vel falsum... inde est quod in nulla earum invenitur verum vel falsum, sed solum modo in enuntiativis ».

Inde est quod locutio Dei ad homines, quae exigat horum assensum veritati in ipsa contentae, qualis est revelatio obiectum formale fidei divinae, debeat esse *enuntiativa,* i. e., aliquam veritatem affirmans seu testificans.

III. *Proprius conceptus locutionis.* Cum dicimus *verbum Dei, locutio Dei,* omnes homines, etiam rudes, facile intellegunt, per analogiam ad verbum vel locutionem humanam, qua utitur Deus hominibus adloquens, quid significare intendimus. At cum analysim facere vel intimam essentiam huius ipsius locutionis

humanae investigare volumus, laborem non facilem adgredimur. Id ipsum nobis accidit in multis notionibus, tum ordinis supernaturalis tum ordinis naturalis. Quid sit *persona,* e. g., tum inter homines tum in Trinitate, omnes, etiam rudes, aliquo modo vere capimus; sed huius notionis intimam analysim peragere, hic opus, hic labor.

Aliqua tamen in locutionis conceptu certe attingere possumus.[1]

A theologis simul ac philosophis locutio definiri solet: *ordinatio mentis ad alterum.* Ex hac definitione sequitur, quod locutio vera et cordata solum modo inter entia intelligentia praedita esse vel haberi potest; nam qui mentem seu iudicium suum ad alterum ordinat certe intelligens esse debet, et similiter qui talem mentem vel iudicium capere valet.

Sed quod maximi est momenti in hac investigatione de vero conceptu revelationis seu locutionis, seu ordinationis mentis divinae ad homines, qualis nobis facta est in prophetis, in hagiographis, in apostolis, et in ipso Filio Dei, quaeque obiectum formale constituit nostrae fidei theologicae, nitida determinatio erit essentiae specificae huius mentis ordinationis seu manifestationis loquentis ad alterum.

Nam duplex est via, ut docet Conc. Vaticanum I, qua invisibilia Dei cognosci possent: alia naturalis, discursiva *per ea quae facta sunt,* alia supernaturalis et *immediata,* revelatione seu locutione divina: « Eadem Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum verum omnium principium et finem, naturalis humanae rationis lumine a rebus creatis certo cognosci posse; " invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae *facta* sunt, intellecta, conspiciuntur "; attamen placuit eius sapientiae et bonitati, alia eaque supernaturali via se ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare, dicente apostolo: « multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis; novissime diebus istis locutus est nobis in Filio » (DENZ. 1785). « Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem... » continetur « in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt » (DENZ. 1787).

In his Conc. Vaticani I textibus habemus clare definitam naturam utriusque viae, seu utriusque manifestationis, quibus invisibilia Dei a nobis cognosci possunt: altera per *facta,* alia per *verba,* sive scripta sive tradita, quae ab ipsius Christi ore vel a Spiritu Sancto apostoli acceperunt.

Iam vero; verba, sive oretenus prolata sive scripto consignata, sunt *signa,* et quidem signa *conventionalia,* ut patet ex diversis idiomatibus ab unoquoque populo electis, quorum tota natura seu ratio essendi in hoc consistit: ut significet aliquam ideam seu mentis iudicium.

Facta, utpote effectus alicuius causae, dici possunt signa naturalia eiusdem causae, ex quibus per discursum rationalem, intellectus humanus ipsam causam cognoscere potest, et haec cognitio scientia vocatur.

In verbis, utpote in signis conventionalibus, quorum essentia est significare mentem loquentis, sufficit cognoscere hanc significationem seu hanc mentem, ut

---

[1] Inter omnes notos maximos theologos, forsan sit Cardinalis de Lugo, in suo opere « De Fide », Sect. X, d. I, et Sect. III, et IV, qui subtiliorem et profundiorem analysim conceptus locutionis nobis reliquit.

intellectus humanus, si veracitas loquentis iam ipsi nota sit — praeambula fidei — immediate et sine ullo discursu dictae menti cognitae adhaerere possit.

Liceat rem illustrare aliquo exemplo. Creatio mundi *factum* est, et quidem effectus omnipotentiae, sapientiae, bonitatis Dei; unde, ex noto discursu de effectibus ad causas, possumus ascendere ad Divinitatis cognitionem. Et quidem hanc cognitionem ipse Deus et praevidit et voluit. Et tamen nec creatio mundi est revelatio proprie dicta nec, cognitio divinitatis ex creatura mundi est fides sed scientia, etsi dici possit scientia theologica. Nec obstat quod Psalmista dicat: « Caeli enarrant gloriam Dei », nam haec enarratio non est immediata et formalis sed mediata et discursiva.

Id igitur bene stabilitum maneat: facta quaelibet, dum simpliciter facti conditionem servent, ex quo, per rationalem consequentiam, aliae veritates deducantur, nec revelationem proprie dictam nec fidei divinae obiectum formale constituere posse.

At non poterit aliquod factum devenire etiam *signum,* constitutivum propriae dictae revelationis et fidei obiecti formalis? Affirmative respondemus; et rem explicabimus.

IV. Etsi revelatio supernaturalis locutio seu verbum Dei appelletur, et recte quidem, quia maxima huius revelationis pars verbis, sive oretenus prolatis, sive scriptis, hominibus communicata est, haec verba ideo illius revelationis media seu instrumenta apta esse potuerunt, quia, ut nuper diximus, *signa conventionalia,* ex ipsa sua significatione, *ordinationes sunt mentis divinae ad homines,* id quod praecise definitionem locutionis constituit.

Iam vero; nihil impedire videtur quod *factum* quoddam, sive naturale sive supernaturale, ex *conventione* inter colloquentes, ut signum sumatur alicuius significationis seu ordinationis mentis ad alterum. Exemplo res clarescet.

Fumus signum naturale est ignis — fumus ignem declarat — quia huius effectus vel sequela, et inde ex hoc effectu seu facto devenire possumus in rationalem cognitionem ipsius causae, nempe, ignis. At si ex conventione facta, e. g., inter ducem alicuius exercitus et eiusdem vigiles custodes, ut possibilem inimici praesentiam ipsi significarent per fumi columnam, tum iam hic fumus signum esset conventionale, eodem modo ac sonus vocis vel scriptum determinatum, ad illam inimici praesentiam duci significandam, i. e., hoc in casu, fumi columna, quae signum naturale est ignis, signum deveniret conventionale ordinationis mentis — cognitionis praesentiae inimici — custodis ad suum ducem, quae est locutionis definitio.

Eundem valorem haberet nutus seu inclinatio capitis, ex universali conventione ut signum affirmativum recepta, in homine loquela privato, ad assensum suum significandum alicui interrogationi ipsi propositae.

In hac quaestione attentionem specialem exigunt facta miraculosa. In theologia fundamentali, generatim haec facta miraculosa proponuntur ut praeambula fidei, i. e., non ut revelatio seu locutio Dei stricte dicta, sed ut argumenta demonstrativa hanc revelationem divinam esse, quo posito, mens humana ipsi revelationi assensum immediate praestare possit. Tamen, inter veteres theologos non pauci erant qui, saltem aliqua miracula, proprie dictam revelationem seu locutionem divinam putabant; non quidem ut simplex factum, etsi supernaturale, sub quem adspectum solummodo, et mediante discursu, quaedam attributa divina, omnipotentiam, bonitatem, specialem providentiam vel etiam specialem missio-

nem thaumaturgi demonstrabant; sed quatenus signa conventionalia devenerant modo supra explicato.

Sic, exempli gratia, resurrectio Christi, ab Ipso praenuntiata ut *signum* suae divinae missionis — « generatio haec... signum quaerit et signum non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae » (*Lc.* 11, 29; *Mt.* 12, 39-40) — praeter argumentum maximum, ut *factum,* missionis Christi et eiusdem divinitatis, ut *signum conventionale,* et proinde revelatio proprie dicta, testificatio divina immediata erat eiusdem Christi missionis.

Similiter in resurrectione Lazari, dum Christus Patri loquens publice dixit hanc resurrectionem fieri « propter populum qui circumstat... ut credat quia tu me misisti » (*Io.* 11, 42), clare indicat miraculum patrandum, praeter intrinsecam quam in se habet demonstrationem omnipotentiae divinae, et etiam, in casu, specialis benevolentiae et amoris Christi erga familiam Lazari, signum conventionale erat missionis divinae eiusdem Christi, a Patre expetitum et a Patre concessum, unde vera et propria mentis eiusdem Patris ad populum circumstantem ordinatio seu vera locutio erat. De aliis vero pluribus miraculis haec specialis signi conventionalis conditio non certo constat.

Plura circa hanc quaestionem adiicere possemus; sed haec sufficiant ad scopum nostrum in praesenti; qui quidem scopus his paucis verbis formulari posset; numquam *mere facta* proprie dictam revelationem nec obiectum proinde formale fidei divinae constituere valent, sed principium tantum modo cognitionis discursivae, scientificae seu theologicae et praeambula fidei. Assensus fidei, qui numquam discursivus, sed immediatus est, necessarius necessitate medii ad salutem, et qui a nullo alio assensu, etiam supernaturali, suppleri valet, solum modo revelationem proprie dictam seu locutionem testificativam Dei, sive verbis, sive scriptis sive aliis signis conventionalibus significatam, ut obiectum suum formale habere potest.

V. Ex hucusque dictis sequens observatio in schema constitutionis *de divina revelatione,* cap. I, sponte occurrit:

In initio huius capitis, in quo definitio accurata et nitida desideratur *revelationis* de qua agendum erit, quaedam confusio apparet in conceptu huius revelationis, quae obiectum formale est fidei divinae, et proinde in conceptu eiusdem fidei, quae *initium humanae salutis* est *fundamentum et radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo* (Denz. 801).

Nam in dicto cap. I, n. 2, dicitur: « haec revelationis oeconomia fit gestis verbisque intrinsece inter se connexis, ita ut opera, in historia salutis a Deo patrata, doctrinam et rem verbis significatam manifestent et corroborent ».

Similiter in n. 4: « qua propter verbis et *operibus signis* et miraculis... (Christus) *revelationem complendo perfecit* ».

Haec omnia nobis valde confusa et aequivoca videntur, quae errori in re dogmatica fundamentali, qualis est natura revelationis et proinde fidei divinae, ansam dare potest. Re quidem vera, si revelatio, ut docet theologia catholica, populus christianus passim repetit, a Vaticano I et Iusiurando antimodernistico definitum fuit, et in ipso schemate pluries asseritur, verbum Dei est seu locutio personalis divina, non sine periculo confusionis, in textu nn. 2 et 4 cap. I, et gesta seu opera et verba, quasi eiusdem valoris in dictae revelationis oeconomia, miscentur; vel « verbis et *operibus, signis* et miraculis » eadem revelatio perfici dicitur.

Ac, si rectam huius modi loquendi intelligentiam seu explicationem, in relatione super cap. I et cap. II schematis constitutionis *de divina revelatione* ab exc.mo ac rev.mo relatore lectam, quaerimus, quae in eiusdem relationis pag. 7 dicuntur, scil.: « ipsius vero revelationis constitutiva elementa sunt simul opera et historia salutis a Deo patrata et verba quibus ipse Deus vult ut explicentur », nostram confusionem obscuriorem adhuc reddunt.

Nam, si verbum Dei seu revelatio divina actio personalis est ipsius Dei, et quidem naturae specificae, seu *in ordine locutionis,* ut supra explicavimus, quomodo *gesta, facta, opera* a Deo patrata, quaeque ut elementum a verbo Dei distinctum in ipsis textibus schematis et relationis nobis proponuntur, elementum constitutivum esse possunt eiusdem actionis personalis seu divinae locutionis?

Certe, in historia seu oeconomia salutis multa alia inveniuntur, quae nec locutio Dei sunt nec fides huic locutioni respondens, i. e.: ea omnia quae haec fides profitetur seu credit, et quae illa divina locutio seu verbum nobis testatur; de quibus theologia catholica, in suis diversis tractatibus, modo plus minusve longiore, expresse agit. Sed haec omnia *obiecta materialia* sunt et revelationis et fidei; minime, ut patet, eas constituunt. Immo inter haec obiecta materialia non pauca numerantur quae, in se ipsis, nec ordinis supernaturalis sunt, sed mere naturalia, ut docet Conc. Vaticanum I (Denz. 1786); sed simul a Deo revelata, ut « ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint ».

Inde est, quod ipsum Conc. Vaticanum I, in sua constitutione dogmatica *de fide catholica,* tam in cap. II *de revelatione,* quam in cap. III *de fide,* de huius revelationis et fidei natura et essentialibus relationibus tantummodo agat. Miscere illa obiecta materialia revelationis et fidei cum ipsarum natura et relationibus essentialibus, sub praetextu quod, alioquin, et revelatio et fides res essent nimis intellectuales, oblivionem implicat illius veritatis: quod et locutio divina *ordinatio mentis* sit, et fides *assensus intellectus* a Conc. Vaticano I definiatur.

Fides, etsi « initium salutis » sit, « fundamentum et radix omnis iustificationis », nec totam salutem, nec totam iustificationem constituit, ut volebant protestantes. Praeter fidem, sunt aliae virtutes et theologales et morales, est gratia, sunt sacramenta, est redemptio Christi et alia quae continentur in Symbolo, et in tota theologia catholica, i. e., omnia *obiecta materialia* revelationis et fidei; quae cum revelatione Dei summe veracis, obiectum formale fidei, vel cum ipsa fide confundere non licet.

Unde cap. I huius schematis constitutionis *de divina revelatione,* quod hanc confusionem sapit, aut recognoscendum erit, aut saltem in ipso interpoletur haec vel similis declaratio: « Bene tamen notandum est, quod haec omnia gesta vel opera a Deo patrata in historia salutis, in tantum a Deo revelata et fide divina credenda sunt, in quantum in verbo Dei summe veracis testata inveniantur ».

11

EXC.MUS P. D. SALVATOR BALDASSARRI
Archiepiscopus Ravennatensis

Schema *de divina revelatione* asserit implicite in textu, tacendo, et explicite in notis, quaestionem sic dictam de duobus fontibus non esse maturam.

Bene est recolere quaestionem ad hoc esse reducendam: utrum fundamentaliter — et repeto fundamentaliter — omnes fidei veritates textatae sint in Sacra Scriptura? Traditionem esse et ipsam fontem revelationis est de fide ex Tridentino, sed — dico nunc ut hypothesis — ad explicandum, clarendum, sensu profundiore monstrando veritates fidei iam fundamentaliter contentas in Sacra Scriptura.

Notas certe positivas [1] habet nostrum schema relate ad schema quod intitulabatur « de duobus fontibus », et quia nomine tam polemico non utitur, et quia magis insistit in quaestione principali quae est ipsa revelatio in se, et quia admittit possibilitatem dicendi omnes veritates fidei contentas esse fundamentaliter in Sacra Scriptura.

Displicet tamen sentire et hanc quaestionem non esse maturam, eo amplius quod constatationes huius generis pluribus vicibus in hac aula factae sunt. Potest quis *quasi subridendo* [2] petere: utrum fere integrum officium conciliare est constatare immaturitatem quaestionum?

Verum est et in aliis conciliis hoc evenisse — e. g. de Conceptione Immaculata in Tridentino — sed meo iudicio critice explorata historia Conciliorum hoc evenit accidentaliter et circa quaestiones secundi ordinis, dico secundi ordinis, saltem in contextu quaestionum conciliarium. E contra in Tridentino quando quaestio de iustificatione — quaestio certe primi ordinis — agitata est, dum quidam asserebant iustificationem tantum internam, quidam, *ut Colonienses,* [3] et internam et externam, non est dictum « quaestio est immatura » sed in profundum studium quasi hic et nunc deventum est, unde habetur celebre decretum de unica iustificatione interna.

In nostro casu liceat mihi quaedam tantum dubia vel elementa studii indicare. *Textus praecisi sunt nuperrime hic citati. Refero tantum quaedam.* [4] Dogmata Mariana « Conceptio Immaculata et Assumptio corporea » videntur fundari in sola traditione, *repeto*: *videntur,* [5] sed pontificia documenta relativa asserunt, *asserunt* [6] fundamentum aliquod esse in Sacra Scriptura. Dogma de Canone *Scripturarum* [7] quod idem videtur fundari in sola traditione, videatur *studio profundiore* [8] in contextu *documentorum* [9] Concilii Tridentini quod ad hanc definitionem advenit,

an fundamentum aliquod habeat *et ipsum* [10] in Sacra Scriptura. Dogma de Baptismate puerorum — et ipsum apparenter fundatum in traditione sola — nonne potest erui traditione mediante — *et traditione bene intellecta* [11] — ex verbis Domini *simul compositis* [12]: « Baptizate omnes gentes » et « nisi quis renatus fuerit, etc. »?

Et *praesertim* [13] praecisa testimonia quae habentur circa dogmata ante controversiam protestantem nonne fundamentalem appellationem semper faciunt ad Sacram Scripturam, *vel ad sacras paginas* [14]? Et ipsa discussio tridentina quae mutavit textum fere *iam* [15] admissum « *partim et partim* » [16] in alterum definitivum « in Scriptura et in Traditione », nonne quaedam *dici potest* [17] pro nostra quaestione *absolvenda* [18]?

Quapropter mihi non videtur quaestionem in obiecto esse immaturam; videtur e contra posse dici sensu certe melius *et clarius* [19] declarando dogmata fundamentaliter textata esse in Sacra Scriptura.

In textu scripto tradito: [1] Notam certe positivam. [2] deest. [3] autem. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] « vel in Scriptura vel in traditione ». [17] dicit. [18] deest. [19] deest.

12

Rev.mus P. D. LUCIANUS RUBIO

Prior Generalis Ordinis Fratrum S. Augustini

Venerabiles Patres,

Cap. II schematis *de divina revelatione,* diligenti commissionis labore iuxta Patrum animadversiones emendatum et auctum, multa continet quae placent, quaeque laudanda et laeto animo suscipienda sunt. Unum tamen est quod animum movet nempe quod doctrina de maiore amplitudine traditionis relate ad s. Scripturam ibidem non proponatur. Argumenta contra istam omissionem a relatore minoritatis, ut aiunt, commissionis theologicae proposita sunt; ea repetere non vacat. Duo tamen, de vestra licentia, velim notare:

1. mihi videri istam omissionem in quadam aequivocatione revera inniti,

2. prostare exemplum in historia Ecclesiae, quod non immerito classicum dicere possumus, unde elucet gravissimas quaestiones dogmaticas aliquando non per S. Scripturam, quae nullum praebebat validum argumentum, sed per traditionem fuisse solutas.

Quantum ad primum. In animadversione quam Patres commissionis ad relationem de singulis numeris cap. II praemittunt, legimus commissionem noluisse dirimere quaestionem utrum quaedam veritates divinitus revelatae per traditionem transmittantur quae nullo modo contineantur in S. Scriptura utpote quae vexata sit inter theologos.

Porro cum haec dicuntur, duae quaestiones permiscentur vel permisceri videntur, quae contra apprime et apte distinguendae sunt. Alia enim quaestio est utrum per traditionem transmittantur quaedam veritates divinitus revelatae, quae nullo modo continentur in S. Scriptura, i. e. ibidem non contineantur ne quantum quidem ad fundamentum; alia vero quaestio valde diversa est utrum per traditionem quaedam veritates divinitus revelatae transmittantur, quae licet aliquod fundamentum in Scripturis sacris forte habeant, tamen ex Scripturis Sacris erui seu demonstrari non possint, ita ut innotescere dicendae sint non per Scripturam, sed per solam traditionem.

Iamvero prima quaestio est quidem dubitatione obnoxia et disputata ac, meo iudicio, a theologis libere et pacifice disputanda; non sic autem secunda. Secunda enim quaestio soluta est, si non a solemni Ecclesiae Magisterio (mitto nunc controversiam de interpretatione Concilii Tridentini et Vaticani I, de qua multa dixerunt periti), saltem a magisterio Ecclesiae ordinario, quod per plura saecula nos docuit non omnes veritates revelatas in S. Scriptura contineri, seu ita in ea inveniri ut inde erui et per eam innotescere non possint.

Ne quis autem putet distinctionem quam fecimus ad subtilitates pertinere scholasticorum; illud commemoravimus, quod graviter monet S. Augustinus dicens: « Liberis verbis utuntur philosophi... Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus quae his significantur impiam gignat opinionem ».

Sinamus igitur theologos, quorum tanta laus est in Ecclesia, disputare de iis quae nondum certa sunt, nec per magisterium Ecclesiae satis elucent, nempe de intimiore relatione inter traditionem et S. Scripturam, i. e. utrum omnes veritates quae per Traditionem transmittuntur aliquo modo quantum ad fundamentum etiam in S. Scriptura inveniantur. Illud autem quod per magisterium Ecclesiae iam certum est diuque propositum, ne a silentio praetereatur, sed in constitutione *de divina revelatione* recipiatur et confirmetur; sicque sua erit theologis libertas, et Concilium in re tam gravi, normam et regulam credendi omnibus exhibendo, finem pastoralem et oecumenicum efficacius assequetur.

Quantum ad secundum. Exemplum de quo edicimus illud est quod obtulit S. Augustinus, cuius doctrinam referre inutile fortasse non erit. Nemo est qui ignoret Episcopum Hipponensem docuisse multa Eccle-

siam tenere quae in S. Litteris scripta non reperiuntur: sunt multa, inquit, quae universa tenet Ecclesia et ob hoc ab apostolis praecepta bene creduntur quamquam scripta non reperiantur. Inter haec multa S. Doctor sequentes enumerat Ecclesiae consuetudines: *a*) celebrandi festivitates liturgicas, ut Passionis Domini, Paschatis, etc.; *b*) baptizandi infantes; *c*) non admittendi ad altare seu ad communionem homines sine baptismo; *d*) non rebaptizandi eos qui extra Ecclesiam seu in haeresi baptizati fuerint.

Has consuetudines vim et significationem dogmaticam habere nemo negavit. Re quidem vera, S. Augustinus eas ut traditiones apostolicas habuit et inde argumentum ad dirimendas quaestiones dogmaticas deduxit; immo traditio non rebaptizandi eos qui extra Ecclesiam baptizati fuissent, unicum ei praebuit argumentum cum de validitate Baptismatis in haeresi sic collati disputaret; ipse enim palam fassus est quaestionem dirimi non posse ex S. Scriptura, ex qua nemo disputantium, nec donatistae, nec catholici poterant suam statuere seu demonstrare doctrinam. « In Novi Testamenti Libris nec a nobis nec a vobis — hic S. Doctor alloquens donatistas — rei huius invenitur exemplum, nec vos potestis proferre de Scripturis, quarum nobis communis est auctoritas, ab haereticis venientem denuo baptizatum, nec nos ita susceptum i. e. sine renovatione baptismatis ». Et concludit: « Quantum ad hanc rem attinet, pro nobis causa par est ». Sed causa quae catholicis et donatistis par erat relate ad S. Scripturam, par non erat relate ad traditionem; inde S. Augustinus invictum deducit argumentum ad dirimendam quaestionem contra illos: « Hoc, inquit, per universam catholicam quae toto orbe diffunditur observari placuit quod tenemus, i. e. quod non rebaptizentur hi qui extra Ecclesiam baptizati ad Ecclesiam convertuntur ».

Conclusio. Veritas de validitate baptismatis extra Ecclesiam collati, quae ipsam tangit essentiam doctrinae dogmaticae de sacramentis et fundamentum constituit nostrae cum fratribus separatis unionis ac proinde fundamentum hodierni oecumenismi, non argumentis scripturisticis sed argumento traditionis, olim illustrata et definita est. Hoc forte meminisse iuvabit dum de amplitudine traditionis relate ad S. Scripturam adsimus declaranda deque opportunitate eamdem doctrinam in nostro schemate inserendi. Dixi. Gratias.

Textus scripto traditus:

Silentium schematis circa traditionis amplitudinem, ut aiunt, materialem animum non parum conturbat. Non enim intelligitur quomodo doctrina a magnis theologis diu tradita atque defensa tamquam Ecclesiae doctrina, a synodis pro-

vincialibus non semel inculcata, in catechismis ad docendos populos ab episcopis probatis passim contenta possit a Concilio silentio praeteriri quin grave ordinarium Ecclesiae magisterium damnum patiatur.

In animadversione praevia ad relationes de singulis numeris cap. II (pag. 19) legimus commissionem noluisse quaestionem, *utpote vexatam,* dirimere, utrum quaedam veritates divinitus revelatae per Traditionem transmittantur, quae nullo modo contineantur in S. Scriptura.

Porro, cum dicitur: *nullo modo* duae quaestiones permiscentur, quae contra apprime et aptae distinguendae sunt. Alia est utrum sint veritates divinitus revelatae, quae nullo modo contineantur in S. Scriptura, ne quantum quidem ad fundamentum; alia vero utrum sint veritates revelatae, quae, licet aliquod forte in Scripturis sacris habeant fundamentum, tamen ex illis erui seu demonstrari non possint, ita ut non per Scripturam sed per solam traditionem innotescere dicendae sint.

Iam vero, prima quaestio est dubitationi obnoxia et disputata ac, iudicio oratoris, theologorum disputationi relinquenda; non autem secunda. Secunda enim quaestio soluta est per Ecclesiae magisterium, quod per plura saecula docuit et expresse docet non omnes veritates revelatas in sacra contineri Scriptura.

Ne autem distinctionem quam fecimus tamquam scholasticorum subtilitatem habeamus graviter monet S. Augustinus dicens: Liberis verbis utuntur philosophi... Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus quae his significantur impiam gignat opinionem ».

Postulat igitur humiliter, sed instanter orator ut, facta theologis facultate profundius indagandi in intimiorem relationem Traditionem inter et S. Scripturam, utrum nempe omnes veritates quae per Traditionem transmittuntur aliquo modo seu quantum ad fundamentum in S. Scriptura continentur, illud in textu conciliari ad n. 8 cap. II schematis recipiatur quod ordinario Ecclesiae magisterio docente tenendum est, nempe non omnes veritates revelatas ita in Scriptura contineri ut per eas innotescant Ecclesiae.

Formula ad n. 8, lin. 22 adicienda haec aliave similis esse poterit: Per eandem traditionem per quam nonnullae etiam veritates revelatae transmittuntur, quae non ita in S. Scriptura continentur ut ex illa erui seu demonstrari possint, et ipsae Sacrae Litterae etc.

13

REV.MUS P. D. CHRISTOPHORUS BUTLER
Praeses Congregationis Angliae O.S.B.

Venerabiles Patres,

Ego eram ex iis qui petierunt ius loqui antequam divideretur disceptatio de hoc schemate in tres partes. Ideo si quid iam breviter de cap. II dicam, spero quod licebit mihi amplius aliquid dicere subsequenti die de cap. V.

In cap. II videtur mihi quod in nn. 8 et 9 verbum traditio duobus sensibus applicatur; in prima enim paragrapho videtur divina traditio includere S. Scripturam cum aliis quae a Christo per apostolos nobis traduntur: tota vita Ecclesiae, inclusa Scriptura, est in hac traditione; sed in sequenti paragrapho relationes inter s. traditionem et S. Scripturam enuntiantur et hic s. traditio videtur contradistingui contra S. Scripturam. Ideo, claritatis causa, suggerere velim quod hoc notetur in ipso textu, verbis e. g.: « S. Traditio in quantum a S. Scriptura distinguitur etc. ... » (in n. 9).

Et iam possim aliquid animadvertere super disceptatione hodierna.

Primum, commissio doctrinalis non dubitavit de veritate eorum quae a S. Tridentino Concilio definita sunt super traditione, et ego non video causam qua definitio tridentina non repetenda esset in nostro schemate; hoc est omnino secundarium pro me.

Sed quod ad magisterium ordinarium subsequens, post Concilium Tridentinum, videtur mihi notari quod magisterium ordinarium non definit; hoc est characteristicum magisterii ordinarii comparati cum extraordinario; magisterium extraordinarium definit, magisterium ordinarium non definit et ideo praesertim de magisterio ordinario debemus distinguere inter verba quibus usum sit et intentionem verborum illorum.

Et pro me omnino clarum est quod magisterium ordinarium voluit affirmare quod illa, quae Ecclesia tamquam divinitus tradita docet, vera sunt. Quaestio utrum hae veritates etiam in Scriptura inveniantur, erat secundaria quaestio. Et ratio cur saepe in catechismis, e. g., dicitur quod traditio habet aliqua quae non sunt in Scriptura erat quod in illis saeculis non habebatur exegesis dynamica S. Scripturae, exegesis erat statica et prope materialis; solum in hoc saeculo, his centum annis, venimus ad exegesim dynamicam quae potest multa valide et vere invenire in Scriptura, quae antea videbantur abesse a Scriptura. Et ideo intentio magisterii ordinarii non erat formaliter dicere quod Scriptura deficiens est, sed quod Scriptura tamquam ab illis intellecta et ab illis necessario intelligenda erat, erat deficiens.

In conclusione vellem hoc dicere: videtur mihi quod res plane non est matura ad decernendum. Et una ratio apparet mihi: plane ex hac disceptatione apparet quod ii qui adversantur positioni quae a Newman, e. g., defendebatur de sufficientia aliquali Scripturae dum a traditione interpretatur, haec positio tam male intellecta sit a ponentibus huius theologiae. Haec est demonstratio mihi quod res non est matura, et ideo laudo commissionem quia de determinanda hac re nihil fecit. Gratias.

14

EXC.MUS P. D. RAPHAËL CALABRÍA
Archiepiscopus Beneventanus

Venerabiles Patres,

Sermo meus attingit quae in n. 8 cap. II exponuntur.

In citato numero fit descriptio traditionis, character dynamicus ipsius in evidentia ponitur, progressus activa elementa assignantur et vivificae praesentiae traditionis testimonia certa enumerantur.

Omnia effuso et quasi poetico sermone exponuntur; non tamen, ut mihi videtur, plena theologica sollertia.

Ad singula. Recte dynamismus traditionis in luce affertur. Recte progressus ille vitalis in solo progressu intelligentiae reponitur tam rerum quam verborum traditorum. Recte assistentia Spiritus Sancti causa prima et essentialis progressus illius vitalis in immutata et immutabili doctrina assignatur.

Non tamen mihi videtur recta ipsa traditionis notio; non completa enumeratio agentium humanorum progressum determinantium sub influxu Spiritus Sancti, nec felix ipsorum descriptio.

Ab ultimo incipio:

1. *Plene convenio cum iis quae dicta sunt ab em.mis cardd. Ruffini et Browne quoad illam intimam experientiam. Dicatur saltem in textu* [1]: « ... ex intima... experientia in deposito fidei fundata, et in habitibus supernaturalibus et in donis Spiritus Sancti ».

2. *Non completa enumeratio elementorum activorum determinantium progressum.*[2]

Schema dum ineffabilem doctrinae divinae fermentationem describit, alte silet de magisterio Ecclesiae.

Scio in n. 10 nervose affirmari: « Munus autem Verbum Dei scriptum vel traditum authentice interpretandi soli vivo et infallibili Ecclesiae magisterio concreditum est ». Sed res ita disposita nonne videtur magisterio unice assignare munus revocandi ad trutinam et placita doctorum et pios sensus sanctorum? Dum veri magistri longius patet officium: discipulos nempe iuvare, illos dirigere, et quasi manu ducere.

Quod in humana schola necessarium, non superfluum redditur in superiori illa schola quae Ecclesia est, nequidem ab assistentia Spiritus Sancti discipulis utique large concessa. Recolantur quae in cap. III sche-

matis *de Ecclesia* iure affirmata sunt de magisterio episcoporum. Recolamus quoties in nostris his ipsis conciliaribus disceptationibus appellare audivimus, et quidem *iure et*[3] laudabiliter, ad quotidianum ordinarium magisterium Pontificis nostri Pauli VI.

Ideo mihi videntur complenda quae dicta sunt in descriptione progressus ita vel simili modo: « tum ex contemplatione credentium... tum ex experientia *etc.*[4]..., *sub materno ductu hierarchiae* ».

Et quae postea in lin. 17 de Ecclesia in genere, per accommodationem, dicuntur, de hierarchia dicerem. Vitaretur ita aliud incommodum: non videremur Ecclesiam exhibere tamquam superentitatem impersonalem et abstractam. Verbo: meo submisso iudicio, quae a linn. 14-19 habentur sic immutari possent: « Crescit *etc.*[5] tum ex intima spiritualium rerum experientia in ipso deposito fidei fundata et a Spiritu Sancto nutrita, sub materno ductu hierarchiae, quae, volventibus saeculis, mulierem illam imitatur etc. ».

Ita et munus magisterii plenius describeretur et simul in evidentia poneretur materna ipsius sollicitudo necnon et fiducia in filios amantissimos.

3. *Ad ultimum*: *notio traditionis non mihi videtur recta.*[6] In textu legimus: « Itaque praedicatio apostolica, quae in inspiratis libris speciali modo exprimitur... » ...[7]. Verba ambigua, selecta, ut legimus in relatione textui adnexa, ad vitandam vexatam quaestionem de sufficientia materiali Scripturae ...[8].

Attamen, in pag. 21 ...[9] ab eadem relatione dicitur quod sententia de sufficientia materiali Scripturae non excluditur...[10].

Hoc vero cum mente Concilii Tridentini componi nequit nisi intendatur hoc sensu: in Scriptura semper invenitur indicatio vel suggestio vel analogia vel nexus quidam pro omni veritate revelata. Aperte enim Concilium Tridentinum ...[11] exclusit effatum Protestantium: « Hoc non est in Scriptura, ergo non est verum » ...[12].

Igitur in lin. 8 n. 8 post verba « quod vero ab apostolis traditum est » *addi posset*[13]: « et quod in Scripturis solis totum sufficienter non invenitur » ...[14].

Et puto in hoc nullam *esse quaestionem.*[15] Unus ex praecipuis theologis qui citantur, quasi teneat totam revelationem Christi esse scriptam in Novo Testamento, recentissime scripsit: « Exsistentia traditionum apostolicarum non scriptarum est factum certum ». Et idem docet, *in suo opere « La Tradition et la vie de l'Eglise »*,[16] traditiones illas *non esse in Scripturis*[17] in sensu quo protestantes volunt « Scriptura sola », sed alio sensu, qui non opponitur thesi secundum quam sunt veritates quae-

dam in doctrina Ecclesiae, quae ut tales non inveniuntur in Scriptura, quarum prima esset Canon ...[18]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Elementa activa progressus ista assignantur: contemplatio credentium et intima spiritualium rerum experientia, linn. 15-16. His verbis certe innuuntur speculatio theologica et communis sensus fidelium vel sensus christianus qui dicitur. Iamvero, si primum, speculatio nempe theologica, contemplatio credentium sine aequivocatione dici potest, non item affirmare licet de secundo. Scimus enim expressionem « intima experientia » non semper orthodoxa significatione sumptam fuisse, pro sensu nempe, non caeco, sed in deposito fidei fundato et habitibus supernaturalibus fidei et caritatis necnon et donis Spiritus Sancti nutrito; per quae fidelis, ad vitam divinam elevatus, gaudet connaturalitate quadam cum veritatibus revelatis et aptus redditur ad eas quasi instinctive percipiendas, priusquam rationes demonstrativae plene cognoscantur. Dicatur igitur saltem. [2] Sed nec completa enumeratio. [3] deest. [4] deest. [5] enim tam rerum quam verborum traditorum intelligentia, tum ex contemplatione credentium... [6] Sed adhuc: notio traditionis non recta. [7] n. 8 lin. 1. [8] cf. pag. 19 in medio folii et pag. 21 sub B). [9] sub D). [10] in textu. [11] in decreto sess. IV et in explicita declaratione praesidum. [12] (cf. Ehses, *Acta* X, 378). [13] addatur. [14] Simul corrigatur relatio in pag. 21. [15] vexatam quaestionem adesse, immo, nec quaestionem. Sane. [16] deest. [17] esse in Scripturis non. [18] (Congar, *La tradition et la vie de l'Eglise,* Paris 1963, pag. 32, pag. 82 et alibi).

15

Exc.mus P. D. FRANCISCUS MARTY

Archiepiscopus Remensis

Venerabiles Patres,

Schema *de divina revelatione* placet. Indicare vellem defectum quemdam in n. 8 schematis nostri ubi agitur, a lin. 13, de incremento traditionis vivae in Ecclesia. Puto quod hic defectus, primo visu mere doctrinalis, magnas consequentias habet sub respectu missionis Ecclesiae.

1. Recte affirmatur reale incrementum traditionis in Ecclesia. « Viva traditio in Ecclesia sub assistentia Spiritus Sancti proficit », dicit textus noster in linn. 13-14.

Attamen, quando postea indicantur fontes huius incrementi, scil. « credentium contemplatio » (lin. 15) et « intima spiritualium rerum experientia » (lin. 16), praevalet sensus quod incrementum traditionis vivae in Ecclesia fit *sine ulla connexione cum eventibus historiae mundi vel cum diversitate culturarum* ubi Ecclesia plantatur decursu saeculorum.

Quod, revera, falsum videtur. Sufficit considerare historiam Eccle-

siae ut manifestetur *diversitas* eiusdem vivae traditionis in Oriente et in Occidente. Et possumus sperare quod, in posterum, haec diversitas eiusdem traditionis magis ac magis apparebit quando Ecclesia vere accommodata erit populis e regionibus variis Asiae vel Africae.

2. Defectus quem sublineamus nobis videtur promanare ex eo quod in nostro schemate non eodem modo loquitur de traditione ac de revelatione, relate ad historiam salutis.

Breviter expono in quonam sensu. *a*) N. 2 nostri schematis recte affirmat revelationis oeconomiam fieri « gestis verbisque intrinsece inter se connexis » ...[1]. E textu nostro bene apparet quod gesta vel opera, in historia salutis a Deo patrata, maximum momentum habent ut « doctrinam... manifestent et corroborent » ...[2].

A. v., *Deus homines alloquitur intra eventus historiae Israel,* et scimus quod haec locutio Dei non adimpletur nisi in persona et vita Iesu Christi. « Homo ad homines missus » ...[3], Iesus Christus « opus salutare consummat » ...[4], et, ita, « verbis et operibus » ...[5], praesertim morte sua et gloriosa resurrectione ...[6], « revelationem complendo perficit » ...[7].

b) Evangelium salutis in Christo, quod est revelationis plenitudo, usque ad consummationem temporum conservari debet in *Ecclesia,* i. e. in Corpore Christi, ut integre et sine ulla corruptione transmittetur hominibus omnibus atque populis ubique terrarum.

Volventibus saeculis, ut bene dicit noster n. 8, « Deus qui olim locutus est, sine intermissione cum dilecti Filii sui Sponsa colloquitur » ...[8]. Per Ecclesiam, Spiritus Sanctus qui agit in intima corde omnium hominum, vivam vocem Evangelii « in mundo resonare facit » ...[9], credentes in omnem veritatem inducens verbumque Christi in eis inhabitare faciens ...[10].

Illa omnia, valde bona, male comprehendi possunt si non clarius affirmatur quod, post mortem apostolorum, *historia salutis proprie dicta perseverat decursu saeculorum.* Deus pergit homines alloqui intra eventus vitae individualis ac socialis, intra historiam hominum atque populorum. Et haec locutio Dei intra historiam a sola Ecclesia potest manifestari atque interpretari, quia in Ecclesia sola resonat viva vox Evangelii, semper eadem et semper nova, propter resurrectionem Domini Nostri Iesu Christi.

Conclusio. Rogo ut n. 8 schematis nostri partim recognoscatur ita ut cum maxima amplitudine appareat connexio traditionis vivae in Ecclesia cum historia salutis semper hodierna, praesertim autem ubi indicantur fontes incrementi huius traditionis.

Notandum est, denique, quod schema *de Ecclesia in mundo huius*

temporis, et quaestio de signis temporum de qua illuc agitur, non bene fundaretur, si in nostro schemate connexio supradicta inter traditionem vivam et historiam salutis non manifestatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (pag. 6, linn. 4-5). [2] (pag. 6, linn. 6-7). [3] (pag. 6, linn. 39-40). [4] (pag. 7, lin. 1). [5] (pag. 7, lin. 3). [6] (cf. pag. 7, linn. 4-5). [7] (pag. 7, linn. 6-7). [8] (pag. 16, linn. 24-25). [9] (pag. 16, lin. 26). [10] (cf. pag. 16, linn. 26-28).

Moderator: Loquatur exc.mus D. Georgius Flahiff, qui est ultimus orator in disceptatione circa capp. I et II schematis *de divina revelatione*.

16

Exc.mus P. D. GEORGIUS BERNARDUS FLAHIFF
Archiepiscopus Vinnipegensis

Venerabiles Patres,

Volebam animadversionem facere circa notionem traditionis, de qua agitur in cap. II schematis *de revelatione,* et praesertim de tendentia in n. 8 eiusdem capituli identificandi divinam traditionem cum tota vita Ecclesiae, scil. cum omnibus quae in Ecclesia docentur et traduntur.

Attamen em.mi et rev.mi DD. cardd. Meyer, Léger et Landázuri Ricketts ac aliqui alii Patres hac de materia iam bene et satis in aula dixerunt. Liceat mihi igitur renuntiare. Gratias.

Textus scripto traditus:

Schema *de Revelatione* in genere mihi placet. Sed liceat mihi animadversionem facere circa notionem traditionis, de qua agitur in cap. II.

Quamvis ea quae in cap. II dicuntur de divina traditione procul dubio profunda et bene elaborata sint, attamen, ut mihi videtur, tendentia ibi habetur identificandi istam divinam Traditionem cum tota vita Ecclesiae, scil. cum omnibus quae in Ecclesia docentur et traduntur. Textus cap. II, speciatim in n. 8, insinuat istam traditionem continuo in Ecclesia proficere et crescere, et quidem per profundiorem intelligentiam revelationis atque experientiam spiritualem fidelium. Hoc omnino verum est.

Sed, mea opinione, his statutis, nondum bene descripta sunt ea, quae traditionem in vita Ecclesiae vere et realiter concernunt. Habentur tempora, cum aliquae veritates, quamvis in Scriptura et traditione contentae, non clare in vita Ecclesiae intelliguntur et assimilantur. Habentur etiam tempora quando aliquae doctrinae et praxes, quamvis non ad divinam traditionem pertinentes, partem vitalem habent in Ecclesia. Dum firmiter credimus divinam traditionem secun-

dum eius substantiam semper, virtute Spiritus Sancti, in Ecclesia conservari, nullam habemus rationem putandi istum dynamismum, cui traditio in vita Ecclesiae subest, in semper progressiva linea evolvi.

Ad hoc illustrandum, do exemplum. Fuerunt tempora, quando doctrina de praesentia Dei in verbo eius, de qua in constitutione *de Liturgia* tractatur, non conscie et plene in vita Ecclesiae agnoscebatur. Libri theologici de ea silebant, documenta ecclesiastica de ea non mentionem faciebant, et quia ipsa liturgia latine celebrabatur, populus ea doctrina experiri non poterat. Haec doctrina tamen firmiter in Scriptura et traditione fundatur.

Nonne idem dicendum est de aliis quibusdam doctrinis, quae in hoc Concilio docentur? Hae in Scriptura et traditione continentur, sed per plura saecula non evidenter et authentice partes erant in conscientia Ecclesiae. Possumus enumerare doctrinas sicuti sacerdotium universale, collegialitas episcoporum, libertas hominum in re religiosa, et cetera.

Ex alia parte, difficile non esset ostendere tempora, quando quaedam doctrinae et praxes, quae omnino traditionales habebantur, tamen ad divinam traditionem vere non pertinebant, ideoque postea ex vita ecclesiastica iure evanuerunt. Eiusmodi enumerari possunt sive ex historia, sive ex nostro tempore. Nosmetipsos in seminariis nostris doctrinas et praxes tenebamus simul cum nostris professoribus putantes eas esse traditionales et immutabiles, de quibus autem postea compertum est eas non esse nisi transitorias ecclesiasticas consuetudines.

Consequitur inde nos attentos esse debere, ne nimis simpliciter divinam apostolicam traditionem aequiparemus cum actuali vita Ecclesiae in singulis aetatibus.

Consequitur etiam officium esse fidelium sed maxime episcoporum, continuo examinare vitam, doctrinam et devotionem Ecclesiae, eamque diiudicare in luce Scripturae et traditionis definitae. Tenetur igitur populus Dei sedulo discernere id quod vere authenticum christianum est in totalitate opinionum, doctrinarum, praxium et devotionum, quae in vita Ecclesiae inveniuntur.

Adsunt ergo duae principia dynamica in actu circa divinam traditionem in Ecclesia: alterum eam amplificans et propalans, alterum limitans eam atque purificans. Textus cap. II de uno tantum loquitur. Sed alterum non minus grave est. Propono, ut statuatur in numero octavo divinam traditionem non simpliciter identicam esse cum vita Ecclesiae, sed Ecclesia debere continuo discernere quaenam sunt authentica traditionis elementa.

In n. 10, unitas et cohaerentia ostenditur Scripturae, traditionis et magisterii. Sed haec intelligi non debet tamquam statica cohaerentia. Revera ea enascitur in continuo processu dynamico, non sine tensionibus et difficultatibus. Obtinetur a populo, sed praecipue a magisterio, examinando vitam doctrinalem et devotionalem Ecclesiae in luce Evangelii ad distinguendam authenticam divinam traditionem. Perutile esset hoc munus magisterii in penetranda traditione, ope Scripturae, indicare in n. 10, cap. II.

Secretarius generalis. Faveant Patres ad suas sedes redire, quia imminet hora duodecima.

Moderator: Leget relationem de cap. III schematis *de divina revelatione* exc.mus D. Ioannes van Dodewaard, ep. Harlemensis.

Exc.mus P. D. IOANNES VAN DODEWAARD
Episcopus Harlemensis

RELATIO
super capita III-VI Schematis Constitutionis « De Divina Revelatione »

Venerabiles Patres,

Disceptatione duorum priorum capitum schematis nostri « De Divina Revelatione » expleta, Vobis nunc quattuor capita tractantia *de Sacra Scriptura* proponuntur. Uti vidistis in pag. 63 huius schematis textus emendatus, sicut nunc prostat, secundum desiderata Patrum elaboratus est a subcommissione speciali Commissionis Doctrinalis, cuius membra et periti in pag. 63-64 enumerantur. Revisio ultima, quae hic proponitur, ab ipsa Commissione Doctrinali absoluta est in quatuor sessionibus diebus 3-5 iunii habitis.

Cum in disceptationibus anterioribus magnum pondus attentionis nostrae quaestioni cardinali de « duobus fontibus » seu « de habitudine inter S. Scripturam et Traditionem » datum fuit, nunc oculos nostros mentesque nostras ad *ipsam* Sacram Paginam vertere oportet, ipsamque secundum scopum Concilii nostri contemplemur non tantum sub aspectu doctrinali, sed — uti erat in votis Patrum — etiam et quidem speciali modo sub aspectu pastorali. Neminem enim nostris diebus latet quanti momenti sit Sacra Scriptura in vita Ecclesiae. Etsi Ecclesia Sacram Scripturam semper in honore habuit, uti e. g. ex libris liturgicis patet, tamen lectio privata S. Scripturae obsolevit, praesertim apud fideles laicos, dum nos omnes cum S. Hieronymo convenimus in hoc, quod « ignoratio Scripturarum ignoratio Christi est » (Comm. in Is., Prol.: *PL* 24, 17). Adhortationibus laboribusque tam in campo scientifico quam in pastorali ultimorum Romanorum Pontificum necnon « motu liturgico » a Sancto Pio X inaugurato hodie denuo Sacra Pagina in medio vitae Ecclesiae locum suum implere incipit, attamen adhuc multum faciendum est, quia desiderium omnium nostrum est, ut de unoquoque membro populi Dei dici possit, quod idem S. Hieronymus aliquando in epistola de sacerdote quodam iuvenili aetate morte erepto scripsit: « lectione assidua et meditatione diuturna pectus suum fecerat bibliothecam Christi » (Ep. ad Nepotianum...). Secundum hoc desiderium quattuor capita de Sacra Scriptura nostri schematis emandata sunt, ita tamen ut scopus pastoralis doctrina sana ac clara fulciretur. Doctores exegetae incitantur, ut ab una parte eorum labore « quasi praeparato studio iudi-

cium Ecclesiae maturetur » (pag. 28, linn. 24-28), dum ab altera parte « quam plurimi divini administri Scripturarum pabulum plebi Dei fructuose suppeditent, quod mentem illuminet, firmet voluntates, hominum corda ad Dei amorem accendat » (pag. 44, linn. 28-33). Theologi et ministri verbi divini excitantur, ut tam in praelectionibus quam in praedicatione verbum divinum sit anima theologiae, catecheseos et praedicationis pastoralis. Denique, omnes christifideles invitantur, ut « libenter ad sacrum textum ipsum accedant, sive per sacram liturgiam divinis eloquiis confertam, sive per piam lectionem, sive per institutiones ad id aptas aliaque subsidia, quae approbante et curante Ecclesia ubique nostro tempore laudabiliter diffunduntur » (pag. 45, linn. 33-39).

Inutile videtur in relatione nostra repetere considerationes quas vos omnes in fasciculo typis impresso legere potuistis. Econtra hic et nunc in aula conciliari utile mihi videtur synthetice proponere materiam in unoquoque capite expositam, praesertim indicando structuram singulorum capitum, indicandoque etiam partes novas emendationesque omnino principaliores.

Caput III: *De Sacrae Scripturae divina inspiratione et interpretatione.* – Structura huius capitis eadem remansit ac in textu priori: in n. 11 statuitur factum inspirationis et inerrantiae S. Scripturae; n. 12 de modo quo S. Scriptura sit interpretanda agitur; ac n. 13 de Dei condescensione fit sermo. – Etsi primo visu pauca emendata videntur, tamen textus multa cum sollicitudine et prudentia emendatus est, uti videri potest ex relationibus de singulis numeris. E. g. in n. 11, lin. 2 « Divina Revelatio » mutatum est in « Divin*itus* revela*ta* », ne dirimatur quaestio disputata de habitudine inter S. Scripturam et Traditionem. – Secundum quaesita Patrum inserti sunt aliqui textus ex Litt. Enc. *Divino afflante Spiritu* assumpti: enumerantur varia « genera literaria », non exhaustive tamen, ne ianua claudi videatur: ideo n. 12, linn. 3-4 additur « vel aliis dicendi generibus ». – In fine n. 12, lin. 21 additus est textus « de labore exegetarum », qui textus ex schemate priori n. 19 sumptus est, ubi aliquomodo extra locum erat, quia normae ibi datae pro tota S. Scriptura valent et non pro Evangeliis tantum.

Caput IV: *De Vetere Testamento.* – Textus prior secundum desiderata Patrum ita emendatus est, ut magis in luce poneretur in Vetere Testamento non tantummodo agi de « Historia populi electi in libris inspiratis enarrata », uti titulus prior dicebat, sed de « Historia *salutis* in libris Veteris Testamenti *consignata* ». Sic clarius patet momentum Veteris Testamenti pro omnibus saeculis, dum etiam ex alia formulatione in n. 14, linn. 18-24 apparet momentum perenne Veteris Testamenti non fundari in *argumento seu contento librorum sacrorum,* sed in *inspiratione* eorun-

dem. – Consequenter titulus n. 15 mutatus est, quia non tam de « *Indole* Foederis Veteris eiusque librorum » agendum erat, quam de « *Momento* Veteris Testamenti *pro christifidelibus* ». – In fine huius numeri secundum Litt. Enc. *Mit brennender Sorge* momentum Veteris Testamenti affirmatur, dum etiam ad momentum provisorium Veteris Testamenti fit allusio.

Caput V: *De Novo Testamento.* – Titulus huius capitis, qui pluribus Patribus displicebat, quia textus fere exclusive de « Evangeliis » loquebatur, idem remansit, quia numerus novus sc. 17 additus est, in quo tota materia Novi Testamenti modo generali praesentatur ac doctrina ex omnibus scriptis Novi Testamenti reassumpta est. Deinde in n. 18 et n. 19 tractatur in specie de Evangeliis, et in n. 20 de caeteris scriptis Novi Testamenti. – Magni momenti sunt quae in n. 19 de « Evangeliorum indole historica » dicuntur. Textus novus, praeparatus a subcommissione nostra mense aprilis 1964 nunc de facto consonat cum instructione « Sancta Mater Ecclesia » Commissionis de Studiis Biblicis diei 14 maii 1964. – Ea vero, quae in textu priori sub numero olim 19 de Exegesi catholica dicebantur, iam sub novo numero 12 dicta sunt.

Caput VI: *De Sacra Scriptura in vita Ecclesiae.* – Caput istud tam in titulo quam in textu mutatus est, ope etiam schematis « de Verbo Dei » ante primam sessionem Concilii a « Secretariatu ad unitatem christianorum fovendam » exarati. Maiori cum reverentia non iam de « usu » Sacrae Scripturae loquitur textus, sed « De Sacra Scriptura in *vita* Ecclesiae ».

N. 21 de veneratione Ecclesiae erga Sacram Scripturam tractatur.

In n. 22 accuratae versiones commendantur. Speciatim autem optatur, ut « exarentur versiones in varias linguas in liturgia atque catechesi necnon in pia lectione adhibendae », confectae — si possibile — « communi etiam cum fratribus separatis nisu » (linn. 12-18). Novus textus inter alia characterem pastoralem et oecumenicum manifestat.

N. 23 officium apostolicum doctorum catholicorum inculcat. Patres velint attendere ad linn. 25 ss., ubi de cooperatione exegetarum et eorum, qui theologiae dogmaticae et morali incumbunt, agitur. Haec enim cooperatio nostris diebus valde promovenda est et fructus huius cooperationis iam clare in multis studiis manifesti fiunt. – In fine huius numeri secundum postulationem plurium Patrum aliqua verba laudis pro munere exegetarum addita sunt: exegetae excitantur, « ut opus feliciter susceptum omni studio exsequi pergant » (linn. 37-38). Ideo cum fiducia pergant, ut « iudicium Ecclesiae » eorum laborioso studio « maturetur », sicut in n. 12 iam dicebatur.

N. 24 momentum S. Scripturae pro theologia explanatur. Hic non

tantum de theologia in sensu stricto sermo est, sed etiam de ministerio verbi, de catechesi ac de homilia liturgica. In his omnibus « Sacrae Paginae studium sit velut anima ».

Tandem lectio Sacrae Scripturae *omnibus* christifidelibus commendatur, atque ut illam melius et cum maiori fructu intelligant, ad « usum institutionum et subsidiorum illorum » incitantur, « quae approbante et curante Ecclesia ubique nostro tempore laudabiliter diffunduntur ».

Post hunc conspectum operis, venerabiles Patres, quod commissio doctrinalis magno cum labore et amore secundum desiderata vestra emendavit, et nunc disceptationibus et suffragiis vestris proponit, tantummodo mihi restat ut omnibus collaboratoribus, membris commissionis ac peritis gratias agam spemque pronuntiem, ut communi labore nostri Concilii verba, quae apud Isaiam inveniuntur, impleantur: « Et quomodo descendit imber et nix de caelo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare facit eam, et dat semen serenti et panem comedenti; sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui et prosperabitur in his ad quae misi illud » (*Is.* 55, 11-12).

Moderator: Gratias agimus exc.mo relatori et etiam commissioni pro opere bene confecto. Nunc loquitur exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Cum transacta sit hora 12, possumus procedere ad suffragationem circa modum suffragandi schema decreti *de Oecumenismo*.

De modo suffragandi schema decreti *de Oecumenismo*:

1ª suffragatio pro n. 1.
2ª suffragatio pro n. 2.
3ª suffragatio pro n. 3.
4ª suffragatio pro n. 4.
5ª suffragatio de integro capite cum Prooemio (nn. 1-4).
6ª suffragatio pro nn. 5-6.
7ª suffragatio pro n. 7.
8ª suffragatio pro n. 8.
9ª suffragatio pro nn. 9-12.
10ª suffragatio de integro capite (nn. 5-12).
11ª suffragatio pro n. 13.
12ª suffragatio pro nn. 14-18.
13ª suffragatio pro nn. 19-24.
14ª suffragatio de integro capite tertio.

N. B.: Suffragationes fient per *placet, non placet, placet iuxta mo-*

dum cum caput integrum suffragandum erit. Pro suffragandis numeris vel partibus capitum suffragatio fiet tantum per *placet* vel *non placet.*

Uti patet, obiectum suffragationis non est tantum distinctio in numeros vel numerum suffragationum sed etiam modus suffragandi. Igitur illud *Nota bene* ingreditur substantiam ipsius suffragationis. Illi Patres qui dicunt *placet,* surgendo, approbant non solum divisionem factam, sed etiam modum suffragandi, per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Ergo: sunt dispositi in aula assignatores locorum? Cum ego non habeam perspicilla tubulata ad longius videndum — binocolo —, videbunt assignatores locorum et mihi referent. Imprimis quaeram utrum placeat et ii quibus placebit surgent, et stabunt... [cum iam aliqui Patres surgerent] Non, non! Parumper! ... et stabunt aliquantisper, ita ut videatur numerus suffragantium. Postea contrarium faciemus ad probandum: illi quibus placet sedebunt et surgent alii.

Ergo quaero a vobis, venerabiles Patres: placetne vobis modus suffragandi schema decreti *de Oecumenismo* qui initio Congregationis generalis huius propositus est? — Illi quibus placet surgant, et videant assignatores locorum.

[*Intervallum - Fere omnes Patres surgunt*].

Videtur nullum dubium esse quin maioritas habita sit. Nunc, postquam sederitis, probationem faciemus: illi quibus placet maneant sedentes, alii surgant!

[*Intervallum - Perpauci Patres surgunt*].

Ergo... sunt rari nantes..., sed non natant, nonne? Ergo modus approbatus est.

Et feria II proxima procedetur ad suffragationem, hoc modo: feria II, fient quattuor primae suffragationes. Deinde feria III, sexta die octobris, fiet suffragatio de integro cap. I cum Prooemio, nempe a n. 1 ad n. 4; et deinde quattuor suffragationes respicientes cap. II; quapropter feria III erunt quinque suffragationes in summa. Feria IV, nempe die 7 octobris, habebitur decima suffragatio, de integro cap. II, a nn. 5-12; et prosequemur cum tribus suffragationibus sequentibus usque ad suffragationem 13. Die autem 8 octobris, nempe feria V, habebitur ultima suffragatio, scil. de integro cap. III. Ut vidistis, Patres venerabiles, suffragatio super integrum caput fit die sequenti, ita ut modi possint apte praeparari.

En igitur calendarium suffragationum faciendarum quae incipient proxima feria II. Gratias!

Moderator: Nunc incipiet disceptatio de cap. III nostri schematis.

17

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres,

In pag. 27, num. 11, linn. 6-10, legimus: « Libros enim Veteris et Novi Testamenti Sancta Mater Ecclesia *ex apostolica fide* ...[1] pro sacris et canonicis habet, propterea quod, Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt ».

Haec verba, ex cap. II constitutionis dogmaticae *De fide catholica* Concilii Vaticani deprompta, digne vere sunt quae in nostro schemate repetantur; sed ut sententia, iisdem verbis expressa, perfecta atque plena sit, nec non ab omni ambiguitate removeatur, oportet post dictionem: « Libros enim tam Veteris quam Novi Testamenti » continuo adiciatur: « *integros cum omnibus suis partibus, prout in Tridentini Concilii Decreto* (de canonicis scripturis) *recensentur* ». Quod additamentum eo magis necessarium esse censeo quia testimonia biblica in textu allata minime probant *omnes libros* Veteris et Novi Testamenti haberi ab Ecclesia pro sacris et canonicis *ex apostolica fide.*

Nam S. Ioannes loco laudato loquitur tantum de suo Evangelio, accuratius dicam, de cunctis Evangelii sui capitibus excepto capite XXI; in 2 Petri fit mentio tantum epistularum S. Pauli — nescimus autem num Petrus prae oculis habuerit omnes Pauli epistulas —; porro apostolus in 2 Tim. pretiosum quidem testimonium de Sacrae Scripturae inspiratione praebet, at non declarat quot qualesque sint libri ex quibus Scriptura inspirata constet.

In pag. 28, linn. 8-11, id scriptum invenimus: « Veritas enim seu id quod sacer auctor scripto significare voluit, non recte intelligitur nisi rite attendatur ad suetos illos nativos cogitandi, dicendi, narrandive modos, qui temporibus hagiographi vigebant, quique tunc mutuo hominum commercio passim adhiberi solebant ».

Haec est sane norma hermeneuticae rationalis ab omnibus in librorum antiquorum, vel dissitarum gentium, interpretatione ab omnibus tenenda; sed cum de Sacris Litteris agatur e memoria interpretis, seu exegetae, necesse est numquam excedat auctorem principalem Scripturae esse Deum, qui nec falli nec fallere potest.

Propterea si exegeta diligenter attendere debet « ad suetos illos dicendi narrandive modos, qui temporibus hagiographi vigebant », ei numquam suspicari licebit Deum inspirasse etiam falsa quae hagiographorum aetate populus ex consuetudine cogitabat.

Sermo communis, seu popularis — quicumque est — a doctis quoque viris adhiberi solet, sed cogitationes quae falsae sunt a sapientibus non excipiuntur, et multo minus affirmari vel confirmari possent a Deo.

Idcirco opinor verbum *cogitandi* omittendum esse.

Sub n. 12, in eadem pag. 28, Sacrarum Scripturarum interpreti distincte commendatur ut respiciat ad genera litteraria; quae norma tam evidens est ut multis supervacaneum videri possit eam in praesens caput inseri.

Nihilominus opportunam ipsa praebet mihi occasionem id notandi: genus litterarium Librorum sacrorum *fere* omnium constanti Ecclesiae traditione iam definitum esse.

Ceterum admitti non potest populum christianum et sacerdotes ipsos, quos Mater Ecclesia assidue per saecula verbo Dei *scripto* et tradito erudivit, ignorasse usque adhuc genus litterarium Librorum Sacrorum, cum generis litterarii cognitio sit cardo *ipse*[2] totius interpretationis!

Propterea hac in re prudentissime et maxima cum cautela agendum est.

Quicumque enim interpres, etiam qui doctissimus sibi videtur, genus litterarium libri sacri cuiusvis ne ipse ante definiat quam Sanctos Patres Ecclesiae consuluerit et sensum Ecclesiae cognoverit.

Deinde: adnotationem quae affertur in hac ipsa pag. 28 linn. 21-28 retractandam vel saltem perficiendam esse censeo.

E. g. quam implicata est sententia quae linn. 22-24 legitur: « respiciendum est etiam ad contextum totius Scripturae in viva Ecclesiae traditione, sub analogia fidei »! *Est obscura!*[3] Cur non commemorantur *aperto sermone et ordinatim* regulae hermeneuticae catholicae? quibus praecipitur: 1. servandam esse semper analogiam fidei, seu doctrinam catholicam qualis ex auctoritate Ecclesiae accepta est; 2. consulendos esse Patres Ecclesiae, quorum auctoritas permagna est, in primis si inter se consentiant; 3. adhaerendum esse sensui quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia.

Praeterea in textu, a linn. 24-28, velim dicatur locos Scripturae ad quos penitius intelligendos exegetae laborare deberent ut iudicium Ecclesiae maturetur, *esse paucos,* eosdemque difficiliores, de quibus — Ecclesia permittente — iam dudum disceptatur inter exegetas ipsos; quod, summisso animo, propono ne quis putet Sacros Libros, in universum, nondum plene ab Ecclesia intellectos esse. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. *Io.* 20, 3; *2 Tim.* 3, 16; *2 Pt.* 3, 15-16). [2] deest. [3] deest.

18

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. KÖNIG
Archiepiscopus Vindobonensis

Patres venerandi,

Loquor etiam nomine episcoporum conferentiae linguae germanicae.

Cap. III et IV *et quae sequuntur* [1] schematis *de divina revelatione* in forma emendata in genere placent.

Ad complendum schema autem addere velim quae sequuntur:

Scientia rerum orientalium in ultimis decenniis ope investigationum scientificarum multa protulit, quae miro modo veritatem historicam et fidem historicam Sacrae Scripturae imprimis etiam quoad Vetus Testamentum probant. Ita non paucae obiectiones disparuerunt quae adhuc in saec. XIX contra Sacram Scripturam, Vetus Testamentum imprimis eiusque authenticitatem movebantur.

Fructus harum investigationum ex parte scientiae rerum orientalium etiam exegesim in nostris temporibus ditiorem faciunt et iure meritoque in cap. III schematis pauca exponuntur quomodo Sacra Scriptura sit interpretanda ...[2], breviter disserendo de intentione hagiographi et de generibus litterariis, ita ut sensus Sacrae Scripturae melius et non raro profundius comprehendatur, et ita elementum divinum et elementum humanum melius distinguantur.

Attamen *ista* [3] scientia rerum orientalium insuper demonstrat in Bibliis Sacris notitias historicas et notitias scientiae naturalis a veritate quandoque deficere.

E. g., in Evangelio S. Marci, in cap. 2, in v. 26, legitur: Davidem intrasse in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum et panes propositionis manducavisse. De facto autem, sicut constat ex primo libro Samuelis in cap. 21, v. 1 ss., agebatur non de Abiathar sed de Abimelech patre eius.

Insuper,[4] apud Matthaeum in cap. 27, v. 9 legimus, in sorte Iudae Iscariotae impletam fuisse prophetiam Ieremiae. De facto autem citatur propheta Zacharia cap. 11, v. 12 s.

Insuper in Daniele cap. 1, v. 1 legitur regem Nabuchodonosor Ierusalem obsedisse in tertio anno regis Ioachim, i. e. in anno 607. De facto autem constat ex authentica chronaca regis Nabuchodonosor (edita a claro viro Wisemann ...[5]) obsidionem non potuisse locum habere nisi triennio postea.

Aliae indicationes geographicae et chronologicae eodem modo citandae essent.

Ad haec responderi potest, *et bene responderi potest,*[6] verbis quae leguntur in textu schematis, scil. in n. 13, lin. 36, ubi de condescensione Dei sermo est et hoc modo *in textu*[7] dicitur: « ... qua Dei verba humanis linguis expressa, quoad omnia humano sermoni assimilia facta sunt, sicut olim Aeterni Patris Verbum, humanae infirmitatis assumpta carne, hominibus quoad omnia simile factum est ». (*Ita legitur textus*).[8]

Insuper ne auctoritas Sacrae Scripturae ullum detrimentum patiatur, sincere et sine ambiguitate loquendum est ...[9]. Scil. cognitionem hagiographi quoad notitias historicas, pro conditionibus temporis sui, necessario limitatam fuisse et Deum eum uti talem ad scribendum movisse. Si ita condescensionem verbi divini, quoad omnia humano sermoni assimile facti, affirmamus, tunc melius defendimus verbum Dei in verbis hominum.

Omnibus his perpensis propono emendationem in n. 11, in pag. 27, in lin. 11, ubi legitur *quae sequuntur*[10]: « In sacris vero libris conficiendis Deus homines elegit, quos omnibus facultatibus viribus suis utentes », *et tunc propono ut*[11] inserantur haec verba: « limitibus suis non obstantibus », *et deinde*[12] « adhibuit ».

Et in pag. 27, linn. 16 ss., eadem res more positivo exprimatur. Hic enim *in textu schematis*[13] legitur: « Cum ergo omne id, quod auctor inspiratus seu hagiographus asserit » etc., usque ad lin. 21, hisce verbis substituere propono: « Cum ergo veritas — vel veritas Sacrae Scripturae — quam auctor inspiratus sive hagiographus asserere voluit retineri debeat asserta a Spiritu Sancto, inde Scripturae libri integri cum omnibus suis partibus veritatem fideliter integre inconcusse docere profitendi sunt ».

Ita difficultates melius solvuntur et auctoritas Sacrae Scripturae melius defenditur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (cf. n. 12). [3] laudata. [4] deest. [5] 1956. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] non artificiose et cum timore. [10] deest. [11] nunc. [12] deest. [13] deest.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit feria secunda, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS XCIV

5 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS XCIV

5 octobris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Celebratur hodie congregatio generalis 94, quam moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

In hac congregatione, Patres venerabiles, prout dictum est, fient suffragationes quatuor circa primum caput cum prooemio schematis *de Oecumenismo.* Sed antea, legitur relatio. Post lectam relationem, legentur singulae suffragationes et suffragium dabitur iuxta formulam iam notam: *placet* et *non placet* tantum.

Verbum postulaverunt circa schema *de divina revelatione,* nempe circa capita quae nunc disceptantur, em.mi ac rev.mi PP. DD. cardd. Albertus Meyer, arch. Chicagiensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Augustinus Bea; exc.mi PP. DD. Ioannes Weber, arch. Argentinensis in Gallia; Franciscus Simons, ep. Indorensis in India; Primus Gasbarri, ep. adm. ap. Grossetanus in Italia; Iacobus Flores, ep. Barbastrensis in Hispania; Carolus Maloney, ep. aux. Ludovicopolitanus in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Casimirus Morcillo, arch. Matritensis-Complutensis in Hispania; Neophytus Edelby, arch. tit. Edessenus Melkitarum; Petrus Maleddu, praef. ap. Hinganfuensis in Sinis; Eduardus Schick, ep. aux. Fuldensis in Germania; Raphael García, arch. Granatensis in Hispania; Villelmus Philbin, ep. Dunensis in Hibernia; Ioseph Heuschen, ep. aux. Leodiensis in Belgio; Ioseph Cordeiro, arch. Karachiensis in Pakistan; Emmanuel Del Rosario, ep. Malolosinus in Philippinis; Armandus Fares, arch. Catacensis in Italia; Aloisius Carli, ep. Signinus in Italia; Constantinus Caminada, ep. Ferentinus in Italia; Paulus Barrachina, ep. Oriolensis in Hispania; Aemilianus Čekada, ep. Scopiensis in Jugoslavia; Hermannus Volk, ep. Moguntinus in Germania; Ioannes Ferreira, praef. ap. in Guinea Lusitana; Petrus Boillon, ep. Virodunensis in Gallia; Carolus Maccari, arch. Montis Regalis in Pedemonte in Italia.

Moderator: Velit nunc dare relationem de cap. I schematis *de Oecumenismo* exc.mus D. Ioseph M. Martin, arch. Rothomagensis.

EXC.MUS P. D. IOSEPH M. MARTIN
Archiepiscopus Rothomagensis

RELATIO

SUPER CAPUT I

Hic agitur tantum de praesentatione Capitis primi Decreti de Oecumenismo, iuxta observationes Patrum Conciliarium emendati.

Praesentatio haec breviori modo fieri potest.

Etenim, textus completus Decreti iam die 21 novembris 1963 Congregationi generali in Aula exhibitus est, et Patribus ita placuit, ut per 1.966 suffragia contra 86 aestimaverint eum tanquam fundamentum ulterioris disceptationis acceptari posse.

Abhinc, perdurante secunda sessione Concilii et deinceps, circiter 500 observationes factae sunt, inter quas 75 nomine plurimorum Patrum.

Expositio praecisa laboris Secretariatus indicatur in Relatione quam Patres prae manibus habent, et ideo supervacaneum mihi videtur legere quod typis imprimitur (videte pag. 51 et seq. in fasciculo).

Sermo meus solummodo ad sequentia reducitur.

I - *Spiritus et criteria laboris Secretariatus ad Unitatem fovendam.*

Postquam auditores attentissimi fuimus in Aula, relatores fidelissimi voluimus esse, ita ut mentem Patrum Concilii plene participemus, et nunquam nostrum modum cogitandi substituamus opinioni Congregationis generalis.

Omnes observationes a Patribus factae diligentissime collatae et perpensae sunt, primo a Peritis, deinde a Membris Secretariatus in sessione plenaria, per sat longum tempus producta, et in adiunctis labori opprime faventibus ...[1].

Methodus adhibita in revidendis textibus indicatur in fasciculo, pagina 52, sub numeris 1-2-3-4.

Animadversiones post impressionem textus receptae, plane iuxta eadem criteria et cum pari benevolentia studio subiicientur.[2]

II - *Principaliores modificationes.*

Quatuor *tantum* [3] notandae sunt.

— *Prooemium.* Plures Patres optabant ut textui schematis praeponatur aliquod prooemium, quo iam in initio Decreti clare appareat ratio eius et obiectum proprium.

Speramus quod novus textus qui verbis incipit: « *Unitatis redintegratio* », expectationi Patrum respondebit et praeterea, in quantum possibile, fratribus nostris seiunctis placebit.

In fine textus ...[4] specificatur quod Decretum in doctrina in Constitutione De Ecclesia exposita nititur et cum ea bene conectitur.

— *Titulus Capituli Primi.* Prior titulus modificatus est. Non amplius dicitur: « De catholici Oecumenismi principiis », sed: « De catholicis Oecumenismi principiis ». Haec modificatio grammatica non momento caret. Significat etenim quod non datur specialis Oecumenismus catholicus, sed Oecumenismus unicus, et Catholici invitantur ut cum eo adlaborent, fideliter adhaerentes propriis principiis.

— *Actio Spiritus Sancti.* Pag. 6, linn. 18-24. Nova redactio expresse profitetur opus Spiritus Sancti in vita Ecclesiae. Hac additione ampliori respondetur votis multorum Patrum qui postulabant ut fusius et magis explicite sermo fiat de Spiritu Sancto et de eius influxu in oeconomia salutis.

— *Descriptio Oecumenismi* (pagg. 8-10, n. 4). Numerus ille notabiliter modificatus est ut votis plurium Patrum consulatur qui definitionem pleniorem Oecumenismi exoptabant.

Descriptio nova proponitur, ut facile cognosci possint notae essentiales Oecumenismi, qui non est formula statica sed Motus a Spiritu Sancto excitatus, cuius progressum futurum definire non possumus: « Spiritus ubi vult spirat ».

III - *Progressus actionis oecumenicae.*

Antequam ad suffragationem procedatur, cuius momentum sane omnes perspiciunt et aestimant, opportunum videtur notare progressum continuum Actionis oecumenicae, cui novus impulsus a Concilio certe datus est.

Plurimi sunt inter nos, fideles et sacerdotes, qui magis magisque gravitatem sentiunt scissurae inter Christianos, eamque deplorant. Multis in locis crebrior efficitur cura cogitatioque in causam Unitatis, necnon oratio et conatus ut melius intelligatur hac in re propositum Iesu Christi.

Colloquia cum Observatoribus non tantum cognitionem personalem inter nos procurarunt, sed etiam contulerunt ad instaurationem novi generis relationum et fiduciae mutuae inter confessiones christianas, et hoc iam absque dubio progressum constituit aestimabilem et reapse aestimatum. Ex his omnibus multum licet exspectare, praesertim si unusquisque nostrum et fratrum seiunctorum conatur, sub influxu Spiritus Sancti, propriam renovationem promovere.

Denique, ut omnes plane sciunt (sed hoc semper libentissime recordamur), peregrinatio Summi Pontificis Pauli VI in Ierusalem, et osculum pacis « in occursu illo felici et in saecula memorabili » (ut ait Patriarcha Athenagoras), tanquam nova pagina fuit illius historiae, a Providentia perductae, quae suum cursum pergit et cuius epilogus nondum expletur ...[5].

Conclusio

In memoriam revocentur mens et scopus Decreti ...[6]. Decretum hoc de Oecumenismo nec ignorare vult nec solvere praesumit difficultates quae inter nos exstant. Sed in conformitate cum spiritu a Summo Pontifice nuper in Encyclica *Ecclesiam suam* manifestato, textus noster sibi proposuit, in lucem evidentem ponere « id quod nobis commune est » potiusquam notare « id quod nos dividit ». Haec est via egregia, et ad nostrum dialogum quam maxime apta.

Ut omnibus patet, agitur tantum de initio itineris. Non per decursum aliquot dierum restaurari potest scissura saeculorum. Sed hoc certo affirmari potest: nihil restaurabitur in ignorantia et diffidentia reciproca, dum omnia possibilia sunt, opitulante Dei gratia, ubi viget spiritus comprehensionis, benevolentiae et fraternitatis.

In hoc mundo convulso et obnubilato, nonne appropinquat hora redintegrationis Unitatis, secundum propositum Providentiae divinae?

Haec est spes nostra et non solum nostra!

Si Patres Conciliares tam unanimes sunt in approbando textum definitivum Decreti, quam in approbatione textus initialis, tunc suffragium illud tanquam signum *Providentiae apparebit in firmamento nostri temporis,*[7] tanquam stella matutina quae, post procellam, surgit ante auroram.

In oratione: [1] non in Urbe, sed prope lacum nuncupatum « d'Albano ». [2] deest. [3] deest. [4] huius prooemii. [5] Sicut ab aliquo dictum est, ianua aperta est, quam posthac nemo claudere poterit. [6] Et breviter hoc faciam, quia plerumque suae propriae causae detrimentum afferunt oratores, qui adhuc nunc in terra degentes iam sunt sine fine dicentes. [7] certae spei in caelo nostri temporis populo Dei peregrinanti apparebit.

Secretarius generalis: Legitur textus subiiciendus primae suffragationis. Videatis, Patres venerabiles, libellum cui titulus « Schema decreti de Oecumenismo », pag. 5, n. 1 [*cf. vol. III, pars II, pag. 296*].

Placetne, Patres venerabiles, an non placet hic textus?

Moderator: Transeamus nunc ad disceptationem de schemate *de divina revelatione,* et quidem de capitibus restantibus a III usque ad VI.

1

EM.MUS P. D. ALBERTUS GREGORIUS CARD. MEYER

Archiepiscopus Chicagiensis

Venerabiles Fratres,

Cap. III nostri schematis *de divina revelatione* simul placet et minus placet.

Placet optimum summarium principiorum solidae et fructiferae exegeseos, quod par. *praesertim* [1] 12 proponitur. Ibi nempe utilissimum hermeneuticae instrumentum, nostra aetate accuratius elaboratum, scil. methodus generum litterariorum, feliciter consociatur cum regula diu nota et ab exegeta catholico adhibita, scil. respectu, *ut dicitur in textu,* [2] « ad contentum totius Scripturae, in viva Ecclesiae traditione, sub analogia fidei ».

Quae cum ita sint, minus placet *in nostro capite* [3] quod natura inspirationis exclusive sub ratione veritatis consideratur, et quidem veritatis stricte logicae, nempe propositionum. Inde sequitur quod ex omnibus consectariis huius divini doni, unum solummodo explicite tractatur, inerrantia, quin Concilium progrediatur ultra doctrinam encyclicarum *Providentissimus* et *Spiritus Paraclitus.*

Quod quidem, ut mihi videtur, dolendum est, quia eo tempore quo exegetae perpoliebant methodum generum litterariorum, theologi progrediebantur in intelligenda natura divinae revelationis sub aspectu verbi Dei sese communicantis. Hic progressus agnoscitur et applicatur in prooemio, in cap. I schematis, in novo n. 17 initio cap. V. Et etiam ad illum alludit caput nostrum ubi dicit: « Deus in Sacra Scriptura per homines *modo hominum locutus est* ». Contendimus ut quae alibi in schemate iam proponuntur, ad plenius exprimendam doctrinam de divina inspiratione adhibeantur.

Sacra Scriptura, ut usus Ecclesiae per saecula refert, est verbum Dei. Nunc autem verbum Dei, ut quodlibet aliud verbum, excedit meram manifestationem conceptuum alteri. Verbum triplicem functionem habet: 1. repraesentat aliquid: obiectum nominat, cogitationem enuntiat, factum narrat; 2. personam loquentem revelat; ostendit eius intimos affectus et desideria; 3. alteram personam alloquitur, eiusque reactionem excitat, responsum exigit.

Ideo verbum summarie describi potest: actio qua persona se exprimit et ad alteram tendit ad communicationem cum illa ineundam. Reapse verbum Dei eminenter hanc triplicem functionem exercet. Apo-

stolus igitur proclamat: « Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti » ...[4].

Haec persuasio circa verbum Dei vitam christianorum antiquorum pervadebat. Ioannes vitam aeternam inveniebat in cognitione Dei personalis: « Haec est vita aeterna: Ut cognoscant *Te*, solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum »; et Gregorius Magnus doctrinam Patrum concise exprimebat: « Disce *cor* Dei in verbis Dei ».

Optandum igitur mihi videtur ut doctrinam de divina inspiratione etiam sub hac luce proponamus. Et exinde tria consequemur.

1. Recte intelligemus veritatem specificam Sacrae Scripturae consistere non tantum in disiunctis veritatibus variarum propositionum, quantum in earum relatione ad centralem revelationem Cordis Dei.

2. Non exprimemus consectarium inspirationis termino negativo inerrantiae, sed positive verbis apostoli Pauli: « Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus ».

3. Nobis offert contextum ex quo melius intelligere possumus conceptum inerrantiae. Etenim facilius intelligemus quomodo divina revelatio componi possit cum humanis debilitatibus et limitationibus, in instrumento humano, sicut constat ex haud paucis exemplis ipsius Scripturae ad quae etiam em.mus card. König, ultima congregatione generali, se retulit. Et dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] (*Hebr.* 4, 12).

2

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Venerabiles Patres conciliares,

Loquar de cap. IV usque ad VI. Ut notum est, textus schematis, de quo agimus, partim opus est commissionis mixtae, partim solius commissionis doctrinalis quae illud, post animadversiones a venerabilibus Patribus acceptas, emendavit. In his quae dicam, non attendo[1] utrum loci, qui mihi difficultates creant, sint opus commissionis mixtae vel opus commissionis *doctrinalis*[2] solius, *sed exponam*[3] quid sentiam de textu emendato prout nunc prostat, a quocumque demum coetu *confectus sit.*[4]

1. Ac primum quidem sincere gaudeo me posse affirmare schema complexive sumptum ...[5] valde placere. Magni momenti est ut qualitates, quae in laudem schematis *afferri possunt,*[6] omnino conserventur. Sunt autem hae:

a) Optime exponuntur puncta fundamentalia doctrinae de divina revelatione, de Scriptura et traditione. Vix opus est dicere hoc maximi momenti esse in statu hodierno rerum in mundo. Permulti enim homines ...[7], post delusiones in tot systematibus philosophicis *expertas,*[8] quaerunt Deum, eius verbum eiusque lucem. Et schema ministerio pastorali *proinde*[9] optime inservit.

b) Item valde laudandum est expositionem fieri praevalenter modo *positivo*. Scio equidem plures Patres postulasse, ut schema magis insistat in damnandis erroribus. At mea quidem humili sententia, melior modus erroribus occurrendi est expositio *positiva* doctrinae catholicae. Quae sententia non tam mea est, quam ipsius Summi Pontificis Ioannis XXIII, *veneratae memoriae,*[10] qui in Concilio aperiendo explicitis verbis asseveravit: « Ad praesens tempus quod attinet, Christi Sponsae placet misericordiae medicinam adhibere, potius quam severitatis arma suscipere; magis quam damnando, suae doctrinae vim uberius explicando putat hodiernis necessitatibus esse consulendum » ...[11]. *Hoc valet etiam de doctrina de inspiratione de Novo et Veteri Testamento.*[12]

c) Recte *deinde*[13] factum est quod Concilium, non se immisceat in quaestiones disputatas inter *catholicos,* sed exponit, quae in communi possessione sunt ...[14].

d) *Denique*[15] expositio etiam eo excellit, quod res *maxime*[16] e S. Scriptura et antiquiore traditione probantur, immo quod in tota expositione adhibetur lingua maxime biblica, et multi textus vel saltem expressiones biblicae *habentur.*[17] Quae omnia ...[18] etiam multum iuvant ut doctrina exposita a fratribus christianis non catholicis facilius intellegatur et saltem aliquo modo admittatur.

2. Tamen schema in pluribus rebus non solum perfici posse sed etiam *necessario perfici debere videtur.* Qua in re ob temporis brevitatem sola aliqua summa capita tangere possum, alia autem scripto secretariatui Concilii significabo.

a) Ac primum quidem in aliquibus punctis *doctrina ipsa complenda et exactius exponenda est.* Unum tantum exemplum: Non puto momentum librorum Veteris Testamenti satis apte *et complete*[19] describi, ubi dicitur Vetus Testamentum ideo speciatim a Christi discipulis legendum esse, « *quia — pag. 34*[20] — quia vividum sensum Dei

sanctissimi ac clementissimi luculenter exprimit » ...[21]. Ad hoc enim observari potest doctrinam de Dei clementia, i. e. de bonitate et misericordia multo clarius in Novo Testamento exprimi. Praeterea plura alia Veteri Testamento saltem praevalenter, nisi etiam exclusive propria sunt. Sic v. g. doctrina de Dei iustitia ...[22], de Dei providentia, omniscientia, potentia et pluribus aliis. Item in libris didacticis amplissima habetur doctrina de vita religiosa et morali homine *digne*[23] gerenda, de virtutibus et vitiis, de peccato eiusque poenis. Haec doctrina, etiamsi in Novo Testamento perficitur, minime aboletur, immo vim suam servat et saepe saepius in Novo Testamento, v. g. in Evangeliis et exhortationibus S. Pauli, ut nota et ulterius vigens supponitur. Demum Vetus Testamentum est schola unica in suo genere *precandi* et praebet illam mirabilem collectionem precum, quod est Psalterium. Haec fere ergo in textu ut ratio ponantur, cur libri Veteris Testamenti etiam a Christi discipulis legendi sint ...[24].

b) *Dein*[25] doctrina aliquando *clarius et magis praecise exprimenda est*. V. g. in nn. 14-15 iterum iterumque transitus fit a Vetere Testamento, quatenus designat libros S. Scripturae et ad Vetus Testamentum *quantum*[26] significat Vetus Foedus, *oeconomiam,*[27] et viceversa ...[28]. Haec formula saltem maiore explicatione indiget. Item dicitur in eodem capite eosdem libros vim ac auctoritatem suam perennem servare, *quia* Divino afflante Spiritu conscripti sint ...[29]. Pagina autem sequente affirmatur eosdem libros « plura imperfecta et *provisoria* continere ». Iamvero quae « provisoria » sunt evidenter non servant vim et auctoritatem, id quod v. g. de tota lege sic dicta rituali, i. e. de magnis partibus Veteris Testamenti omnino verum est ...[30].

c) Demum, *tertio,*[31] pluribus locis res stylo magis claro et perspicuo explicandae essent, ut vere intellegantur nec dubiis locum praebeant ...[32].

Quid *v. g.*[33] significant verba illa initio cap. V: « Verbum Dei quod in Evangelio operatur in salutem omni credenti praecellenti modo per scripta Novi Testamenti inspirata efficax adest » ...[34]? Hic evidenter fit allusio ad verba Epistolae ad Romanos, Evangelium scil. esse virtutem Dei in salutem omni credenti ...[35]. Sed phrasis in schemate omnino mutatur et iam non *plene*[36] intelligitur.

Pag. 45, n. 26, dicitur: « Pariter Sacra Synodus christifideles omnes, *praesertim sodales religiosos,* vehementer peculiariterque exhortatur, ne ob ignorationem Scripturarum ignoratione Christi laborent ». Nonne haec formula negativa praesertim ad sodales religiosos directa ab eis iure ut *offensiva* habebitur ac si praecise ipsi *sodales religiosi*[37] ignoratione Sacrarum Scripturarum laborent?

Concludo. Haec sufficiant. Quae corrigenda vel perpolienda indicavi minime opponuntur iis, quae initio in laudem schematis dixi. Immo praecise quia schema optimas qualitates habet, quae omnino conservandae sunt, operae pretium erit illud maxima qua fieri potest diligentia *perpolire,*[38] quoad complementum doctrinae, quoad praecisionem et perspicuitatem. Tunc enim merito inter documenta maximi valoris et momenti huius Concilii numerabitur.

In textu scripto tradito: [1] Antequam de his tribus capitibus loquar, aliquid praemittere liceat, ne hic interventus minus recte intelligatur. Scimus hoc schema suo tempore revisendum traditum fuisse commissioni cuidam mixtae ex commissione de doctrina fidei et morum et ex secretariatu ad christianorum unitatem fovendam. Haec commissio mixta tempore verno anni elapsi opus suum absolvit et schema ita reformatum vobis transmissum est. Acceptis observationibus schema secundum easdem novo examini subiectum fuit, uti in relatione generali audivimus. Unde non satis liquet, num et quo gradu ea quae dicam respiciant opus tunc a commissione illa mixta, nostro secretariatu cooperante, confectum. Proinde mentem meam omni cum sinceritate aperiam, non attendens. [2] de fide et moribus. [3] candide exponens. [4] ipse confectus fuerit. [5] mihi. [6] efferam. [7] hodie. [8] passim. [9] deest. [10] v. g. [11] (*A.A.S.*, 54 [1962], p. 792). [12] deest. [13] etiam. [14] Ceterum haec erat directiva quam idem Summus Pontifex Ioannes XXIII v. m. pro hoc schemate reformando indicaverat. [15] deest. [16] optime. [17] deest. [18] praeterquam quod modum schematis procedendi Concilio valde dignum efficiunt. [19] deest. [20] deest. [21] (34, 7 ss.). [22] i. e. de Deo bonos praemiis malos poenis afficiente. [23] digna. [24] Addendum est autem etiam huius rei momentum pastorale, quia saepe saepius Vetus Testamentum tanquam minus perfectum despicitur et negligitur, ne quid dicant de iis quae contra Vetus Testamentum dicebant qui antisemitismo indulgebant. [25] deest. [26] quatenus. [27] deest. [28] In eodem capite dicitur libros Veteris Testamenti integros ut partem unius revelationis in praeconio evangelico assumptos fuisse (34, 16 ss.). [29] (33, 19 ss.). [30] Cap. VI dicitur: « praedicationis ergo evangelicae testimonium eximium sunt « Scripturae Sacrae » (43, 7 ss.), ac si etiam Vetus Testamentum testimonium praedicationis evangelicae esset. [31] deest. [32] En aliqua pauca exempla. Alia plura scripto significavi. Pag. 34, 5 dicitur libros Veteris Testamenti « momentum verae paedagogiae divinae etiam pro christifidelibus » servare. Sensus, uti videtur, est Deum hodie etiam libris Veteris Testamenti uti ut instrumentis quo homines et etiam christifideles instruit et educat. Res tamen clare dicenda esset. [33] porro. [34] (37, 1 ss.). [35] (*Rom.* 1, 16). [36] deest. [37] deest. [38] perpoliendi.

Animadversiones additae:

Pag. 7, lin. 11. « Oeconomia ergo... » in praecedenti commate (pag. 6, lin. 31 ad pag. 7. lin. 10) *perennitas* operis Christi et eius indoles definitiva clarius et explicite indicari deberet.

Pag. 7, lin. 14. Loco « nullaque adhuc nova revelatio... » dicatur « nulla *iam*... expectanda est» .

Pag. 8, lin. 2. « Eius autem... » videtur adesse aliqua vera oppositio et proinde loco « autem » dicendum esset « tamen ».

Pag. 15, lin. 18. « Spiritu Sancto suggerente didicerant »: quia in textu ex quo sumuntur haec verba, sermo est de Spiritu Sancto apostolis res « in memoriam revocante » (« hypomnesei » *Io.* 14, 26) quas Christus ipsis dixerat, melius non dicitur Spiritu Sancto « suggerente », sed « ea in memoriam revocante » et loco « didicerant » dicatur « intellexerant » vel adhibeatur alia similis aliqua expressio.

Pag. 15, lin. 19. « Tum ab *ipsis* virisque apostolicis »: quomodo potest sermo fieri simpliciter de apostolis tamquam auctoribus Evangeliorum? dicatur ergo: « *ab aliquibus* ex ipsis et a viris apostolicis ».

Pag. 16, lin. 15. « Qui ea conferunt in corde suo », dicatur: qui *secundum exemplum B. Virginis* ea conferunt... »; non est enim ratio cur non memoretur hic exemplum B. Virginis, ubi citantur verba Evangelii quae ipsam respiciunt.

Pag. 16, lin. 19. « Sanctorum Patrum *dicta* huius traditionis vivificam testificantur praesentiam... »: fortasse melius dicitur: « Sanctorum Patrum *Scripta...* testificantur praesentiam et operationem vel actionem... ».

Pag. 16, lin. 22. « Per eandem traditionem ipsae Sacrae Litterae... innotescunt »: innotescuntne ut Sacrae et inspiratae vel quomodo? Vel est sensus « melius intelleguntur »?

Pag. 16, lin. 25. « ... Spiritus Sanctus... *credentes* in omnem veritatem inducit »: textus hic citatus (*Io.* 16, 13) immediate ad apostolos refertur (cf. v. 12: « ... non potestis portare modo », quae verba evidentissime ad Apostolos referuntur). Ergo vel mutetur textus vel loco *Io.* 16, 13 adducatur textus magis universalis et omnes credentes respiciens: *1 Io.* 2, 27.

Pag. 16, lin. 36. ... « scripto consignata »: addatur: « Deum habet auctorem litterarium principalem ».

Pag. 16, lin. 37. « Traditio autem *mens...* »: est expressio sat dura, quae clarius reddenda esset.

Pag. 17, lin. 17. « Magisterio... per quod suprema auctoritas... constituta... »: sensus non est valde clarus; nam magisterium est una ex functionibus supremae auctoritatis in Ecclesia; non intellegitur ergo, quomodo auctoritas sit constituta « per magisterium », proponitur: « ... quippe quod est unus ex aspectibus activitatis supremae auctoritatis in Ecclesia a Christo constitutae eiusque nomine Ecclesiam Dei regentis ».

Pag. 28, lin. 2. « Aliter enim veritas in textibus vario modo historicis »: expressio minime clara est. Proponitur: « in textibus historicis huius illiusve generis ».

Pag. 28, lin. 22. « Respiciendum est etiam ad contentum totius Scripturae *in viva Ecclesiae traditione* »: quid significat hoc contentum Scripturae « in viva Ecclesiae traditione »? Dicatur res clarius.

Pag. 28, lin. 33. « Quae omnia... manifestam statuunt... condescensionem »: expressio « quae omnia » nimis indeterminata est nec satis patet ad quidnam referatur; certe illa quae immediate antea de traditione dicuntur non ostendunt aliquam Dei « condescensionem ». Ergo expressioni substituendum esset id quod in praecedentibus « condescensionem » demonstrat. Praeterea: forte melius ista idea « condescensionis » divinae initio huius capitis poneretur. Constituit enim sicut etiam in Encyclica *Divino Afflante* potius *suppostum* eorum quae hic ex-

plicantur, quam conclusionem. Optime autem haec idea condescensionis poneretur pag. 27, linn. 23 ss. ubi explicatur Deum « per hominem *more hominum* » locutum esse.

Pag. 33, lin. 15. « Quae oeconomia salutis... » haec verba videntur referri ad verba quae habentur lin. 10: « divinas cum hominibus vias experiretur »; sed nullo modo intellegitur quomodo illae « viae » sive modus agendi Dei cum hominibus identificari possint cum « oeconomia salutis ». Oeconomia haec enim (uti etiam e linn. 16 ss. apparet) designat consilium salvificum Dei paulatim praenuntiatum et praeparatum, non vero immediate et directe, « modum agendi Dei cum hominibus in genere », quod etiam ex eo patet quod illae « viae » sunt obiectum experientiae populi electi, dum « Oeconomia salutis » illo tempore non est nec esse potest obiectum experientiae, sed tantum paulatim praenuntiatur et praeparatur.

Pag. 33, lin. 18. « Hi libri igitur divino afflante spiritu conscripti »: cum in nota litt. I dicatur intentionem textus hic esse dare rationem, cur libri Veteris Testamenti vim suam servant dicendum esse « utpote Divino Afflante Spiritu conscripti ».

Pag. 33, lin. 18. « Hi libri igitur... servant »: dicatur « hi libri igitur *sub hoc aspectu...* servant »; videtur enim esse intentio textus, ut dicatur libros praecise *ideo* etiamnum vim et auctoritatem servare, quia oeconomiam salutis Dei exhibent.

Pag. 33, lin. 25. « Vetus autem Foedus ad hoc *praesertim* »: dicatur fortius « ad hoc *potissimum* dispositum erat »; sed melius simpliciter: « ad hoc dispositum erat, ut... ».

Pag. 37, lin. 26. « In scriptis *ipsi* et apostolici viri nobis tradiderunt »: dicatur magis praecise: *aliqui ex* ipsis et apostolici viri nobis tradiderunt (cf. supra ad pag. 15, lin. 19).

Pag. 43, lin. 5. « Postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt »: agitur quidem hic de textu S. Irenaei, tamen curandum esset, ne habeatur impressio ac si omnes apostoli totum illud quod primo praedicaverunt postea per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradidissent.

Pag. 43, lin. 9. Quid significant verba Ecclesiam Scripturas « velut ipsum Corpus Dominicum » semper veneratam esse? Videtur fieri allusio ad SS. Eucharistiam, sed hoc clarius dicendum esset.

Pag. 43, lin. 17. Quid significant verba, Scripturam prae se ferre « illam immutabilitatis indolem, quae regulae competit »?

Pag. 43, lin. 18. Quid significant verba, Scripturas « in verbis prophetarum apostolorumque vocem Spiritus Sancti personare facere »? Videtur esse sensus prophetarum apostolorumque verba nobis verbis Spiritus Sancti ipsius relata fuisse, inquantum ipso inspirante consignata sunt. Tota res (linn. 13-20) clarius exprimenda esset.

Pag. 43, linn. 20-23. Quid significat praedicationem ecclesiasticam et ipsam religionem christianam *regi et iudicari* S. Scriptura tamquam propria norma? A quonam iudicantur, a seipsis? Et quid de divina *traditione?*

Pag. 44, lin. 5. Estne necessarium hic versionem LXX *explicite* commemorare?

Pag. 44, lin. 15. Quid significant verba versiones S. Scripturae, si conficerentur « communi etiam cum fratribus separatis nisu », ab omnibus christianis

adhiberi posse? Estne aliqua adhortatio ut hoc fiat an permissio ut fiat? estne intentio praescribendi modum quo ipsae fiant vel quid est? Res clarius et *cautius* dicatur, *si* dicenda videtur.

Pag. 44, lin. 34. « Biblicarum rerum cultores... animum addit... »: non intellegitur constructio (Ordinarie dicitur *alicui* animum addere).

Pag. 45, lin. 4. « In mysterio Christi conditam »: nonne dicendum esset « reconditam ». Et quid est « mysterium Christi »?

Pag. 45, lin. 14. Quid significant verba fidem credentium in ministerio verbi veritatem Dei revelantis agnoscere? Idea clarius exprimatur.

Pag. 46, lin. 26. Adest hic quidem conclusio cap. VI, sed deest conclusio *totius schematis*. Iamvero schema longum est et valde utiliter principalia recolerentur et aliqua conclusio daretur.

Secretarius generalis: Lego textum II suffragationis. Videatis pag. 6: cap. I, « De catholicis Oecumenismi principiis », n. 2 [*cf. vol. III, pars II, pag. 297*].

Placetne an non placet hic textus?

3

EXC.MUS P. D. IOANNES IULIANUS WEBER

Archiepiscopus-episcopus Argentinensis

Em.mi Patres, venerabiles Fratres omnes et Sorores,

Schema *de divina revelatione* mihi videtur optimum sub omni respectu et in sermone Concilii *digno* [1] exaratum. Quapropter, de cap. III huius schematis locuturus (scil. de inspiratione et interpretatione Scripturae), nihil innovandum affero, exceptis paucis emendationibus quas secretariatui tradam. Liceat mihi tamen breviter ubertatem, unitatem et foecunditatem textus nobis propositi in lucem ponere.

1. Secundum testimonium ipsius Scripturae (praesertim *2 Tim.* ...[2] et *2 Pet.* ...[3]), Spiritu Sancto inspirante libri sacri conscripti sunt, ita ut Biblia sit simul liber divinus et liber humanus, opus Dei et opus hominum. Eius mysterium comparari potest aliquo modo mysterio Incarnationis Verbi.

Inspiratio divina, in se, est charisma personale, et non sociale. Extenditur ad omnes hagiographos et redactores librorum ut nunc exstant. Attamen hoc charisma inseritur in traditionem antecedentem divinae revelationis, quae, sub directione Spiritus Dei, gestis, verbis aut scriptis iam exstitit. Et hoc verum est in populo Israelitico aeque ac in Ecclesia apostolica. Liber sacer ergo non est aliquid de caelo delapsum, sed velut singulare nodum illius magnae catenae quam divina revelatio constituit.

2. Quis erit effectus divinae inspirationis? Homines iam in decursum divinae revelationis insertos et ita ad suum munus praeparatos, Deus eligit et assumit, omnibus (ut textus nostri capitis ait) facultatibus et viribus suis utentes, ut omnia eaque sola, quae Deus Ipse vellet, veraciter et inerranter nobis scripto traderent: secus Deus non esset auctor Scripturarum. Inde diversitas inter auctores sacros. Aliter, e. g., loquetur Amos, pastor ovium ad oram deserti Iudaeae, et Isaias, nobilis vir ex urbe Ierusalem; aliter scribit Paulus, in scholis rabbinicis formatus, ac « Discipulus ille quem diligebat Iesus ». Et tamen omnes, suis diversis modis, verba Dei referunt.

3. His, *fateor,*[4] nimis concise dictis, videmus quomodo Scripturam interpretari debemus, ut sciamus quid nos Deus per eam docet. Cum Deus locutus sit per homines suis facultatibus praeditos et suis methodis utentes, in suum quoque populum insertos, requirendum est quid hagiographus re vera nos docere intendit. Haec disquisitio primum opus erit exegetae: investigabit circa indolem libri et auctoris, circa finem quem auctor sibi proposuit, circa genus litterarium quod elegit (quia unumquodque genus litterarium suam propriam veritatem habet); circa modos loquendi, dicendi et scribendi, sive hagiographi ipsius, sive locorum et temporum ubi auctor sacer vigebat aut ad quae intendebat. Haec omnia necessaria sunt. Multo etiam proderunt recentes explorationes et etiam textus ex litteris vicinarum gentium aut culturarum, quae nobis comparationes suggerere poterunt. V. g., qui Psalmos aut libros sapientiales studuerunt bene norunt adiumentum quod afferunt pro libris hebraicis monumenta aegyptiaca aut assyro-babylonica, pro libro vero Sapientiae auctores graeci et manuscripti in Qumrân inventi. Haec omnia in omni prudentia et sinceritate adoriri officium erit Bibliae sacrae investigatoris. Labor eius inanis non erit, et monstrabit simul verum sensum et eminentem valorem Scripturarum.

4. Biblia sacra est aliquod unum, ex divina revelatione et inspiratione ortum. Libri sacri in sua diversitate magnam affinitatem inter se ostendunt et sese invicem complent. Hoc recognoscere potest unusquisque lector modernarum nostrarum versionum quae in margine textus et in notulis afferunt locos parallelos aut complementarios. Respiciendum est ergo ad contentum totius Scripturae: Scriptura sibi est primus et quam optimus contextus.

Cogitemus insuper Bibliam esse proprium patrimonium Ecclesiae, haeredis populi Dei (immo ipse populus Dei), in cuius sinu libri sacri orti sunt. Ne obliviscamur quoque Ecclesiae a Domino commissum esse nuntium verbi divini ...[5]. Unde sequitur nos non habere sanam exegesim

sine recursu ad vivae traditionis monumenta (ad Patres praesertim), ad analogiam fidei, i. e. ad comparationem cum aliis veritatibus revelatis, ultimo ad auctoritatem in Ecclesia constitutam, cuius munus est studia biblica incitare, positive dirigere (ad instar Instructionis *Sancta Mater Ecclesia* Commissionis de Studiis biblicis super Evangelia), potius quam refrenare.

Concludo. Si accurate haec omnia faciunt, sine dubio docti in Scripturis sacris fideles et prudentes erunt servi verbi Dei, Ecclesiae adiutores in investiganda veritate revelata, et simul scientiae veri nominis cooperatores. Fiat!

In textu scripto tradito: [1] dignum. [2] 3, 16. [3] 1, 19-21. [4] deest. [5] (cf. *Mc.* 16, 15 et *Mt.* 28, 19-20).

Emendationes additae:

Pag. 27, n. 11, linn. 7-8, legatur « ex apostolica fide » (*Lc.* 1, 1-3; *Io.* 20, 31; *2 Tim.* 3, 16; *2 Pt.* 1, 19-20; 3, 15-16).

Pag. 27, n. 11, lin. 12, post « elegit » addatur « iam per anteriorem traditionem divinam praeparatos, quos... ».

Pag. 28, omitti possunt linn. 14-20: « Cum haec omnia... minime officiunt ». Sunt enim inutiles et magis apologiam sentiunt quam expositionem.

Aliae animadversiones additae:

Mihi valde sapiens et vere conciliare apparet, sive quoad relationes inter Scripturam et traditionem, sive quoad capita quae ad Scripturam proprie dictam se referunt. Quare exopto ut sine mutationibus alicuius momenti schema adoptetur a Patribus.

Pag. 5, lin. 22, ad pag. 6, lin. 3: delere textum propositum et restaurare textum priorem sub hac forma: « ... efficiuntur. Quamquam enim velint homines " quaerere Deum, si forte attrectent eum aut inveniant ", non possunt tamen " profunda Dei " scrutari nisi Deus ipse per Spiritum ea patefecisset (cf. *1 Cor.* 1, 30). Haec... ». *Ratio*: aliter natura propria revelationis et differentia a religione in genere non est clara. Atqui haec est magna quaestio hodie et obiectum proprium paragraphi.

Pag. 6, linn. 15-22: loco textus propositi, legere « Deus qui ab initio protoparentibus sese manifestavit, etiam post lapsum " non sine testimonio semetipsum reliquit " (*Act.* 14, 15) apud gentes. Suo autem... ». *Ratio*: agitur hic de historia revelationis. Atqui textus propositus *a*) tractat de cognitione naturali Dei quae est obiectum n. 5; *b*) mutat ordinem temporum; *c*) tacet immensum periodum inter Adam et Abraham.

Secretarius generalis: Lego, venerabiles Patres, textum III suffragationis, pag. 7, n. 3 [*cf. vol. III, pars II, pag. 298*].

Placetne an non placet hic textus?

4

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS SIMONS
Episcopus Indorensis

Venerabiles Patres,

Doctrina, quae in cap. III, nn. 11 et 12, de inspiratione et inerrantia S. Scripturae habetur, in argumento niti videtur quod a priori, ex ipsis verbis divinae inspirationis, constructum est in modo alicuius circuli. Si Scriptura est inspirata, ergo inerrans; si inerrans, ergo tota inspirata. Sic ad doctrinam perventum est secundum quam hagiographi ea omnia eaque sola scripserunt quae Deus directe voluit, et quia *ita* [1] voluit, ergo omnia et singula immunia esse debent ab omni prorsus errore... Attamen argumentum tale, ...[2] *ut valeat,* supponi debet verba « divinae inspirationis » habere maximum quem habere possunt valorem. Hoc tamen minime supponi licet, sed probari debet.

Iam multae difficultates contra inerrantiam ex eo evanuerunt quod clara distinctio facta est inter litteram et eum sensum quem auctores biblici reapse intenderunt. *Ex eo,*[3] in probando inerrantiam Sacrae Scripturae, theologi iam provocant ad diversum genus litterarium historicum illorum temporum. Pro parte, talis probatio valere videtur. Sed pro altera parte, potius concludendum est fuisse errores quos auctores et homines illorum temporum ut legitimos seu excusabiles habebant, et qui proinde non erant mendacia. Hoc sensu auctores scripserunt secundum veritatem, i. e. sinceriter. Non exigebant *illis temporibus* [4] tam accuratam, ut hodie, investigationem et descriptionem rerum gestarum, nec tam magnam curam evitandi errores etiam minores. Est tamen perversio sensus verbi « erroris » ex eo concludere absentiam errorum, cum e contra errores magis abundabant. Exempla talium errorum ex Novo Testamento desumpta iam attulit em.mus card. König in ultima sessione ...[5]. Ergo, ad salvandam inerrantiam Sacrae Scripturae qualis ex divina inspiratione concludi debet, alio modo procedendum est.

In textu, n. 12, advertitur non tantum ad id quod « hagiographi reapse significare intenderint », sed etiam ad id quod « eorum verbis manifestare *Deo* placuerit » ...[6]. Necessarium iam esse videtur ut accuratius distinguatur inter ea quae auctores biblici et ea quae Ipse Deus intendebat. *Quaestio enim de divina inspiratione praecise est quaestio de eo quod Ipse Deus, non quod humani auctores, reapse manifestare seu significare intendebat.* Haec quaestio est cardo totius problematis.

Intentiones hagiographorum et Dei non simpliciter et semper coin-

cidere iam ex eo patere videtur quod, ut novimus ex Novo Testamento, Deus in multis verbis et factis Veteris Testamenti referre intendebat ad futurum Redemptorem Iesum, quin hagiographi id intendisse dici possint... Ergo, *sepositis* [7] argumentis quae ex solis verbis ...[8] procedunt, legitime quaeri potest et debet: « *Fuitne intentio Dei* ita adiuvare hagiographos ut iis directe omnia et singula scribenda inspiret et ita eos salvet ab omni prorsus errore ...[9], *an potius* fuitne intentio Dei, per hagiographos, *non obstantibus nec sublatis* eorum ignorantia, erroribus et imperfectionibus — qui utique erant homines sui temporis — immo *videtur,*[10] nec sublata eorum libertate scribendi quod ipsi intendebant, *fuitne intentio Dei, dico, per tales auctores,*[11] manifestare *seipsum suumque propositum de hominum salute,* et quidem modo hominum intelligentiae accommodato, i. e. modo gradatim clariore et pleniore? ».

Etiam in hac secunda suppositione agitur de vera « divina inspiratione », quae tamen se extendit tantum *ad Deum hominumque salutem, gradatim, modo clariore, revelandum.* In hoc secundo casu, libri posteriores gradatim corrigent et complebunt quae in prioribus minus recte de Deo hominumque salute asserebantur, et definitiva correctio et completio factae sunt per revelationem a Iesu Christo datam et a magisterio Ecclesiae duce Spiritu Sancto authentice interpretatam. (Hic *iam* [12] referre liceat ad articulum nuperrime editum a P. Norberto Lohfink, S.I., in periodico *Stimmen der Zeit,* mense iunii huius anni).

In hac secunda suppositione non supponi debet illud mirabile, quod de die in diem incredibilius factum est et factis biblicis clarius contradicere videtur, nempe auctores biblicos nullum fecisse errorem in iis quae asserere intendebant. In explicanda natura divinae inspirationis in primis attendendum est ad facta biblica ...[13]. Nec sunt multiplicanda mirabilia sine necessitate.

In propositione iam approbata ...[14] a 2.159 Patribus, 32 tantum contradicentibus, dicitur: « Infallibilitas, qua Divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide et moribus instructam esse voluit, tantum patet quantum divinae revelationis depositum, sancte custodiendum et fideliter exponendum... ». Doctrina autem quae docet inspirationem se extendere tantum ad Deum hominumque salutem, gradatim, modo pleniore, revelandum, nihil derogat de ipso deposito revelato, in Christo ad perfectionem adducto, nec *offendere videtur* [15] contra actum definitivum magisterii Ecclesiae. Ergo talis doctrina tuto, *saltem a Concilio,*[16] doceri potest. Munus autem depositum revelationis sancte custodiendi et fideliter exponendi Christus primarie non libro commisit, sed magisterio Ecclesiae, quod etiam nunc in intelligendo deposito fidei progredi pergit.

In explicanda inerrantia S. Scripturae iam progressive retractatio facta est, praesertim nuper et recte per distinctionem inter litteram et sensum eorum quae hagiographi scripserunt. Insuper nunc iam accuratius distinguendum videtur inter intentionem hagiographorum et intentionem Dei revelantis, ne aliqua doctrina a Concilio doceatur quae factis biblicis contradicat et postea multis adhibitis distinctionibus « explicari » ...[17] debeat.

Cetera secretariae tradam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] sic. [2] de immunitate ab omni errore, sic concepta. [3] deest. [4] deest. [5] Sed videtur exegetas hodiernos, qui ex diverso genere litterario historico illorum temporum concludere velint libros historicos S. Scripturae immunes esse ab erroribus, non bene distinguere *inter errorem et mendacium,* seu inter errorem legitimum et admissibilem et errorem illegitimum secundum opiniones illorum temporum. Auctores illi utique non mendaces fuerunt, quia scripserunt sinceriter secundum modum illorum temporum qui bene ab omnibus intellectus est, sed ex insufficienti investigatione et inaccurata et exornata descriptione rerum gestarum et ex auctorum ignorantia, negligentia et quadam incuria errorum minorum, errores non diminuti sed multiplicati sunt. Si propter talem methodum scribendi errores denegandi essent, etiam denegandi sunt in libris historicis illorum temporum qui eodem methodo opera sua composuerunt. Sed hoc est perversio sensus verbi « erroris ». Ex methodo historico diverso illorum temporum minime immunitas ab errore concludi potest, sed explanatur maior abundantia errorum... [6] sed docetur Deum manifestare voluisse omnia quae hagiographi intendebant. Sed. [7] spretis. [8] eorumque summo valore. [9] in rebus tam stricte religiosis quam saltem materialiter profanis. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] et ad ea quae etiam ex natura rerum probabiliora habenda sunt. Nam. [14] (suffragatione 26 cap. III *de Ecclesia*). [15] offendit. [16] deest. [17] i. e. deseri.

Animadversiones additae:

Ad cap. I, n. 3, pag. 6, linn. 19-22: haec verba videntur affirmare historicitatem ad litteram narrationis de protoparentibus, quae tamen ex sanis exegeseos principiis minime constare videtur (vide Renckens, Israels Visie op zijn Verleden). Agi videtur de narratione tarde constructa ad demonstrandum hominum peccata (statum peccaminosum), eorumque diras consequentias, atque misericordiam Dei erga poenitentes et fidem hagiographi et populi in redemptorem venturum.

Ad cap. III, nn. 11 et 12. Ex quo in probando inerrantiam S. Scripturae theologi iam provocant ad diversum genus litterarium historicum illorum temporum, ex parte talis probatio valere videtur. Sed pro altera parte potius concludendum est fuisse errores quod auctores et homines illorum temporum ut legitimos seu excusabiles habebant et proinde non erant mendacia. Hoc sensu auctores scripserunt secundum veritatem, i. e. sinceriter. Non exigebant tam accuratam, ut hodie, investigationem et descriptionem rerum gestarum, nec tam magnam curam evitandi errores etiam minores. Est tamen perversio sensus verbi

« erroris » ex eo concludere absentiam errorum, cum econtra errores magis abbundabant. Exempla talium errorum ex N. T. desumpta iam attulit card. König in ultima sessione.

Secretarius generalis: Lego textum IV, et ultimae pro hoc mane, suffragationis. Pag. 8, n. 4 [*cf. vol. III, pars II, pag. 299*].

Placetne an non placet, Patres venerabiles, hic textus?

Memoramini, Patres venerabiles, suffragationem circa hoc integrum caput futuram crastina, initio congregationis generalis, cum trina formula iam cognita. Pro nunc, formula est tantum *placet, non placet*. Gratias.

5

EXC.MUS P. D. PRIMUS GASBARRI

Episcopus tit. Thennesiensis, adm. ap. Grossetanus

Venerabiles Patres,

Textus *constitutionis,*[1] saltem ad ...[2] priora capita quod attinet ...[3], facile prodit laborem pro componendis adversis sententiis ea conditione ut altera alteram non superet nec alterutra ab adversa tamquam suffocata maneat. Quod candide asseritur in pag. 19, ubi relatio exhibetur operis et intentionis quam habuerunt commissarii in textu apparando ...[4], non tamen, ut expresse notatur, unanimi consensu *adprobando*.[5] Talis elaboratio, prudentiali hac norma conducta, necessario textum reddit perplexum ambiguumque et tam facilem ad aequivocationem ita ut recentiora opinamenta quaedam, hermeneuticam biblicam et exegesim Sacrarum Scripturarum quae spectant, salva appareant, ipsisque suum indulgeatur non moleste prosequi iter, quamvis non immerito periculosa habeantur. Etenim verba quae, in pag. 38, quasi tamen in transitu, afferuntur, reprobantia « creatricem potentiam primaevae communitatis », ad evangelicas narrationes elaborandas, plurium non explent, Concilio confisam, exspectationem, quum ipsi pleniorem desideraverint formulam eamque non genericam sed statui quaestionis apprime conformem. Quam, in re tanti ponderis et certo fundamentali, cum agatur de revelatione divina facta ut mundus universus credat et credendo salutem assequatur, a Patribus expostulare licet. Iuverit meminisse Tridentinos Patres, quibus similis causa, mutuam *nempe*[6] respiciens relationem inter Scripturam et traditionem, iam a limine Concilii, proponebatur, alia omnino ratione, ut ex actibus constat, progressos esse ad veritatem catholicam proponendam ac suo oraculo stabiliendam.

Ex argumentis, pro quibus haec consideratio valet, unum, quod est

biblicum, expendo. Scil. aliqui exegetae catholici, iamdudum, videntur ita favorabiliter erga systema quod dicunt « Historiae formarum » ...[7] vel, ut nunc dicere malunt, « Historiae redactionum » ...[8] dispositi, ut quaedam quae ab ipsis, sacri textus interpretationes offeruntur, historicum valorem narrationum biblicarum praeiudicent et infectae videantur tabe illius theoriae quae inspirationis, inerrantiae et traditionis apostolicae notiones omnino pervertit. Hic non est locus particulares casus discutiendi, qui in librorum sacrorum introductionibus illustrantur, quin invocare vel aliquod non probatum genus litterarium aut historicum vel singularem Dei condescensionem, quam in hoc casu dicerem potius inanem accommodationem, necesse sit. Sed aliqua generaliora notabo.

1. In aula, *anno superiore*,[9] prosperi commemorati sunt successus uberesque fructus qui ex Encyclicis Litteris *Divino Afflante* prodierunt in campum disciplinarum biblicarum. Qui permagni illas Litteras Encyclicas non fecerit, praesertim quod textus originales, methodum criticam adhibendam, genera et litterarii fontes indaganda, doctrinam biblico-theologicam enucleandam spectant, nemo est.

At ...[10] latet neminem ea quae Pius XII in illis Litteris Encyclicis docuit sapienter, speciatim circa genera litteraria, ita quosdam exegetas, etiam catholicos, male intellexisse et ad biblicam exegesim intemperanter applicasse, ut visi ipsi sint suis affirmationibus fautoribus historiae formarum accessisse.

2. Quam ob rem, die 20 iunii 1960, S. Officium *Monitum* vulgavit, in quo *a*) sermo est explicitus de sententiis et opinionibus qui circumferuntur et praeiudicant germanam veritatem historicam et obiectivam Sacrae Scripturae, non modo Veteris Testamenti verum et Novi, etiam quoad facta et dicta ipsius Christi; *b*) huiusmodi sententias et opiniones, ibidem affirmatur, anxios facere pastores et christifideles; *c*) qui de Sacris *Litteris* [11] scripto vel verbo agunt monentur ut debita reverentia et prudentia argumenta tractent, semper prae oculis habentes doctrinam Patrum, sensum et magisterium Ecclesiae, ne fidelium perturbetur conscientia neve fidei veritates laedantur.

Verba haec sunt certo gravissima nec potest ullus cogitare S. Officium ea dum profert somniasse.

3. Nec minus nos movent verba S. Congregationis de Seminariis (cf. *Acta et Documenta Concilio*... apparando, Series I, Antepraeparatoria, vol. III, pag. 315 ss.): *a*) affirmantis in scholis catholicis, etsi in genere sacra et integra doctrina doceatur, tamen detrimenta et pericula etiam adesse quae non sunt exaggeranda ac si Ecclesia proprie in crisi versetur, sed neque neganda; *b*) et proinde in specie commendantis ut veritates quae Evangelia de vita, praedicatione, sacrificio, resurrectione

divina tradunt, veritates esse historicas, sua auctoritate et plenis formulis Concilium affirmet.

Haec verba S. Congregationis, cuius est studia clericorum moderare, certe exstantia pericula denuntiant.

Tales S. Officii et S. Congregationis de Seminariis affirmationes non excluduntur celebratione disciplinarum biblicarum progressus; quem utique novissimis temporibus attigimus. Hi progressus exstant, deque his gaudemus quam maxime, sed non minus periculum et praeoccupationem, quae denunciavimus, exstare dicenda sunt. Haec iterum monebat Summus Pontifex Paulus VI dum recens alloquitur scientiarum biblicarum cultores aureis verbis his: « Sappiamo tutti quali nuove e immense difficoltà attraversano cotesto cammino (nempe: l'applicazione allo studio e all'impiego della Sacra Scrittura) e come esse siano tanto più gravi e pericolose quanto più intimamente legate allo sviluppo stesso degli studi biblici, tentati a volta a volta di restringere nel perimetro della teoria umana e personale il campo immenso e misterioso della verità biblica », *et cetera, quae possunt legi in « L'Osservatore Romano » in illo die.*[12]

In particulari dicere volumus. Admittimus genus historicum biblicum esse, et multiplex etiam esse; immo inquisitionem in hoc genere forte in posterum reservare nova eaque miranda nobis qui nullo praeiudicio adversus res novas ducimur. Sed, quaeso, dici debet — nam huc tandem aliquando disceptatio redit quam vestigiis videtur consequi biblicam, quam vocabant, quaestionem, cui Pontifices Leo XIII et Benedictus XV suis proviserant Encyclicis Litteris, — genus biblicum Historicum a legibus illis fundamentalibus quae sunt historiae (nempe dicere verum et ne quid falsi dicere audeat, ut aiebat Cicero) deflexisse?

Nam si ita esset historica Librorum Scripturae indoles, et *Evangeliorum in specie,*[13] quam Ecclesia semper habuit ut fundamentum religionis christianae solveretur, cum praeiudicio, ut nemo non videt, ipsius fidei.

In constitutione *de divina revelatione,* occasione huius magisterii ecclesiastici extraordinarii, talis doctrina annunciari clare et distincte desideratur, praesertim his temporibus quae animum pastorum trepidum faciunt.

In aula iterum iterumque audivimus...[14]

Moderator: Exc.me Domine, doleo tempus tuum exhaustum esse.

Orator: Dixi! Dixi!

In textu scripto tradito: [1] schematis constitutionis de divina revelatione. [2] quinque. [3] summatim doctrinam quam tractat attingit et. [4] et adpro-

bando. [5] deest. [6] deest. [7] (Formengeschichte). [8] (Redaktiongeschichte). [9] suo tempore. [10] pariter. [11] Libris. [12] fino a privarla del suo carattere sacro e dai suoi valori trascendenti, col triste risultato di vanificare la realtà e la potenza di quella Scrittura Sacra che sola e da soli pretendevano costituire sostanza della religione, e di dare, senza volerlo, testimonianza alla provvidenziale necessità d'un magistero vivo che tuteli e rischiari il senso autentico del Libro divino ». [13] praesertim Evangeliorum. [14] debere schemata constitutionum afflatu pastorali penetrari et commendari. At desiderabilior quam veritas afflatus pastoralis qualis est? Veritates quae ex libro divino fluentes historiam salutis prosequuntur, in ore et actione pastorum fiunt, iuxta Pontificis in praelaudata allocutione exhortationem, uberrima pascua pro grege Christi.

6

Exc.mus P. D. IACOBUS FLORES MARTIN
Episcopus Barbastrensis

Venerabilis Ecclesia Dei, Observatores humanissimi,

Loquar de [1] cap. III. Schema optimum videtur et doctrinaliter et pastoraliter, animum et amorem erga Sacram Scripturam infundendo in animis omnium fidelium.

Quattuor quaestiones brevissime tangam, circa nn. 11 et 12 huius cap. III.

1. Circa numerum 11: *de instrumentalitate hagiographi* in divina inspiratione Scripturarum. Idea instrumentalitatis et vocabulum ipsum inde fere a primis Ecclesiae Patribus ...[2], usque ad Encyclicam *Divino afflante Spiritu,* indesinenter usitata fuerunt cum de explicando divinae inspirationis conceptu agebatur. Verum quidem est aliquando, praesertim apud quosdam Ecclesiae Patres, nimis aut plus aequo deprimi ideam instrumentalitatis humanae, ita ut Hagiographus, tubae, citharae, vel calamo comparatus, quasi ad categoriam inanimati instrumenti redigeretur. Attamen, plures Patres et theologi, et nostris quoque temporibus Encyclica *Divino afflante Spiritu,* rem clariore luce illuminarunt: loquuntur enim de hominibus ad sacros libros scribendos a Deo delectis, tamquam vivis instrumentis, omnibus nempe facultatibus humanis praeditis.

Instrumentalitas ergo hagiographi sic intellecta, conceptus est et vocabulum quod a textu Conciliari omnino abesse non debet.

Propono ergo retinendam esse descriptionem, quae in priori schematis redactione erat, scil. Deum hagiographis, tamquam vivis instrumentis usum esse. Ergo *compleatur* [3] locutio in n. 11, lin. 12: « In sacris

vero conficiendis libris Deus homines, *tamquam viva instrumenta,* elegit, quos etc. ... ».

2. In textu emendato n. 11, lin. 13, dicitur: « In sacris vero libris conficiendis Deus homines elegit, quos omnibus facultatibus ac viribus suis utentes adhibuit... ».

Rectius, ni fallor, dicitur « viribus et facultatibus *praeditos* ». Quia utentes refertur potius ad usum, non ad facultatem vel potentiam. Iamvero homines, cum librum aliquem scribunt omnibus facultatibus utuntur, intellectu, voluntate, phantasia, sed aliquando, licet illis facultatibus praediti sint, eisdem non utuntur, quia eas adhibere in singulis casibus non est necessarium; aliter enim utimur phantasia vel psychica mentis et cordis motione cum poesim lyricam scribimus, *etc.,*[4] aliter cum res mathematicas tractamus aut res historicas.

Attamen semper debemus praeditos esse facultatibus, ergo melius retinetur et proprius « praeditos ».

3. In historia tractatus *De inspiratione Sacrae Scripturae,* quod hagiographus sit vere et proprie auctor, etsi auctori principaliter (scil. Deo) subiectus, idea est quae non parum ad rectam conceptus inspirationis intelligentiam iuvavit. Hagiographus enim tam proprie et totaliter auctor est eorum quae ipse scribit, quam nos sumus auctores eorum quae scribimus. Sub influxu quidem divino scribunt hagiographi, sed proprie loquendo et ipsi sunt veri auctores. *Et ita Sacra Scriptura ipsa dicit: libros conceperunt, conscripserunt, absolverunt, fontes adhibuerunt, amplificaverunt, contraxerunt.*[5]

Propterea eadem idea, non tantum plurimum iuvavit ad inspirationis naturam rite intelligendam, sed ad normas rectae interpretationis Scripturarum determinandas quamplurimum contulit. Immo quia hagiographi, tamquam veri auctores Librorum Sacrorum considerandi sunt, propterea doctrina de generibus litterariis, evoluta est. Genera autem litteraria, debito moderamine ad studium Sacrae Scripturae applicata, ad altiorem eiusdem Scripturae cognitionem procul dubio nos ducunt.

His igitur perpensis, mihi videtur explicite affirmari debere in textu schematis, hagiographos vere et proprie auctores suorum librorum esse, semper tamen sub ductu Spiritus Sancti.

Parvula igitur clausula adderetur n. 11, lin. 16: « ... scripto *veri quoque et ipsi auctores,* traderent ».

4. Ad n. 12, pag. 28, linn. 5-33: rectissimae dantur heic normae, quibus genuinum Sacrae Scripturae sensum intelligamus. Hae normae tum ad rationalem cuiusque scripti hermeneuticam, tum ad catholicam librorum sacrorum intelligentiam respiciunt. De facto agitur in hoc n. 12 de normis hermeneuticae rationalis et catholicae. Sed ratio non apparet

cur haec verba quae in priore textu habebantur *omissa sint.*[6] Cum tamen haec verba adsint in ultima Instructione Pontificiae Commissionis Biblicae, cum aptissima sint ad omnes huiusmodi normas paucissimis verbis inclusas clare proponendas, humiliter propono ut expresse heic inserantur, dicendo: « Cuncta enim haec de ratione interpretandi Scripturam, ad normam hermeneuticae rationalis et catholicae, iudicio Ecclesiae ultimo subsunt... ».

In fine vero proponerem ut in honorem Encyclicae *Ecclesiam suam* recolatur amor divinus in Sacra Scriptura nobis dando, asserendo in fine, *cum loquimur de condescensione Dei*[7]: « Dialogum salvationis amicabili simul et paterno amore nobiscum instituendo ». *Cum ergo haec in honorem personae humanae tantopere cedat, quae digna fuit instrumentum esse ipsi Deo in suo amabili erga nos dialogo, haec inserentur postulavi. Ita enim maiori cum delectatione ad hanc mensam accedemus ad gustandum hunc suavissimum panem a Deo Patre nobis praeparatum.*

Et ita, sicut ex adaucto Ss.mae Eucharistiae cultu Ecclesiae vita incrementum suscipit, ita ex digna aestimatione et cultu verbi Dei quod manet in aeternum novum vitae impulsum sperare licet.[8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Circa schema de divina revelatione. [2] ut videre est in omnibus tractationibus. [3] complenda esset. [4] deest. [5] deest. [6] non apparent. [7] deest. [8] deest.

7

Exc.mus P. D. CAROLUS GERARDUS MALONEY

Episcopus tit. Capsitanus, aux. Ludovicopolitanus

Venerabiles Patres, aliique in Domino amici carissimi,

Putabam nos de cap. III tantum locuturos, et ideo de aliis capitibus nihil dico.[1]

In hoc cap. III Concilium, nova et vetera proferens, quaedam indicare debet quae ab omnibus tenentur, et alia innuere quae per liberam sed prudentem investigationem et *disceptationem*[2] clariora reddantur. His stabilitis, acerbitas disceptationum, *rixarum certe*[3] minuetur et sternetur via ad illam unitatem internam Ecclesiae quae maculas Sponsae Christi *vere*[4] absterget et rugas evanascere faciet.

Methodus quidem ex parte nova; doctrina vetus!

Etenim, ut scite notatum est in hac aula ante paucos dies, genera

litteraria iam ab initio Ecclesiae innotuerunt, *et innotescere debuerunt,*[5] ut constat ex scriptis Patrum, e. g., ut duo tantum commemorem, ex opere S. Augustini *De Consensu Evangeliorum* et ex S. Ioannis Chrysostomi *Homiliis* in Epistolas S. Pauli. *Nunc haec quidem occurrunt etiam in documentis, in Litteris Encyclicis Romanorum Pontificum praesertim nostrorum temporum. Et*[6] nunc offeruntur Ecclesiae instrumenta ampliora historica, archeologica, aliaque id genus, ut cum progressu materiali scientiarum, multa corroborentur quae ab Ecclesia iam tradebantur; alia autem explicitius proferantur.

De novitate methodi, proh dolor! auctores populares prolixius aequo et minus apte scribunt, et in hoc animos fidelium, immo aliquando et praesulum, turbant.

De methodo historica, ut aiunt, notatu *omnino*[7] digna est Instructio Commissionis Biblicae diei 14 mensis maii proxime elapsi, quae nunc invenitur in *A.A.S.*, vol. 56, pag. 712.

Ibi, enim, « methodus historica universim considerata adiumentum novum exegeseos » dicitur, « si rite adhibetur ». Technologia autem quae in *Formgeschichte* seu historia formarum invenitur, bene distinguitur a falsis principiis quibus admiscetur. En verba Instructionis: « Ubi casus fert, interpreti investigare licet, quae sana elementa in " methodo historiae formarum " insint, quibus ad pleniorem Evangeliorum intellegentiam rite uti possit. Circumspecte tamen se gerat, quia saepe huic methodo commixta prostant principia philosophica et theologica haud probanda, quae tum methodum tum conclusiones in re litteraria non raro depravant ».

Hae assertiones ab omnibus, ni fallor, admitti possunt; et in quantum Instructio ipsa de interpretatione agit, oportet ut reflectio eius inveniatur in nostro cap. III, *de interpretatione.*[8]

Nunc breviter de emendationibus a me propositis,[9] ut, si Patribus opportunum visum fuerit, textus magis exactus et clarus reddatur.

Prima emendatio unum tantum verbum afficit, nempe, ...[10] in n. 11, lin. 13, *verbum « omnibus ». Nescio an vates, an hagiographus omnibus facultatibus utitur sub influxu inspirationis necne, et ideo propono ut dicatur loco « omnibus » verbum « humanis ». Legetur: « ... quos humanis facultatibus ac viribus utentes adhibuit ».*[11]

Deinde, post lin. 17, ante lin. 18, propono ut inseratur phrasis ut satisfiat necessitatibus utriusque opinionis, nempe phrasis « eaque modalitate qua asserit ». Et tunc legetur: « Cum ergo omne id, quod auctor inspiratus seu hagiographus asserit, eaque modalitate qua asserit retineri debeat assertum a Spiritu Sancto... ».[12] Hac media via, *forsitan,*[13]

obiectionibus *textui*[14] satisfieri potest, et notio genuina inerrantiae protegetur.

Alia emendatio, mea opinione, textum perficiet in prima periodo n. 12, *eadem pagina,*[15] lin. 28, ubi agitur de eo quod hagiographus investigare debet. In relatione sub littera D), legitur: « Abstrahitur autem a solvenda quaestione de " sensu pleniore " Sacrae Scripturae ».

Optime, sed quaestio est utrum haec abstractio in textu satis appareat, cum relationes in textu constitutionis locum non invenient.

Mihi, saltem, distinctio coniunctionis disiunctivae non sufficit; *et ideo proponerem ut iteratur verbum « quid », et tunc a lin. 27 legetur: « (Interpres) ... investigare debet, quid hagiographi reapse significare intenderint et quid eorum verbis manifestare Deo placuerit ».*[16]

...[17] *Et mihi videtur quod satis, h. e. ideo gratias ex corde reddens Angelo nostro, sed potius Archangelo nostro praeclari, necnon em.mo moderatore pro tam melliflua prolatione nominis archidioecesis Ludovicopolitanae*[18]! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] discussionem. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] His dictis quattuor emendationes proponere velim. [10] istud « omnibus » quod invenitur. [11] Periodus incipit lin. 11 et sic sonat: « In sacris vero libris conficiendis Deus homines elegit, quos omnibus facultatibus ac viribus suis utentes adhibuit etc. ». Num auctor sacer, sub influxu inspirationis, omnibus facultatibus ac viribus suis utitur vel adeo uti debet? Suggeritur ut loco « omnibus » legatur « humanis ». [12] In eodem n. 11, post lin. 17, claritatis causa velim unam phrasim addere, nempe « eaque modalitate qua asserit ». [13] ut videtur. [14] deest. [15] deest. [16] praesertim in constitutione quae dicitur pastoralis. Potius istud « quid » iterandum est post verbum « et » in lin. 28, ut distinctio vere possibilis appareat. [17] Tandem in pag. sequenti, lin. 2, periodus grammatice compleri et simul clarificari potest, si repetuntur « Aliter » et « in ». « Aliter aliterque enim veritas in textibus vario modo historicis, propheticis, poeticis, vel *in* aliis dicendi generibus proponitur et exprimitur ». [18] deest.

8

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO GONZÁLEZ

Archiepiscopus Matritensis-Complutensis

Venerabiles Patres, Observatores dilectissimi,

Tria puncta, quibus constat caput, nexu optime inter se disposita, rerum pondere et methodo valde positiva certe synthesim quamdam doctrinae circa Vetus Testamentum laudandam proponunt. Quaedam tamen notanda veniunt, quae ...[1] aut addenda aut immutanda sunt.

1. In n. 14 (*Historia salutis in libris Veteris Testamenti consignata*), tam titulus ipse quam rerum expositio totum Vetus Testamentum tantum ad historiam salutis restringit. Sanctum est quidem revelationem Veteris Testamenti in historia praecipue peractam fuisse et ideo elementum historicum quid essentiale esse in descriptione Veteris Testamenti cum Deus sese in historia et per historiam hominibus revelaverit. Sed praeterquam quod in hoc numero nec mentio quidem habetur de his libris qui proprie ad historiam non pertinent (v. g. de Sapientialibus et Psalmis aliquibus), in ipsa historia salutis describenda non sufficienter attenditur ad elementum fundamentale revelationis divinae ut in Vetere Testamento continetur. Tale autem elementum est Lex. Historia enim salutis praeprimis constituta est dialogo illo in quo manifestata est Dei voluntas et populi acceptatio ...[2] et quae praesertim in mandatis Decalogi continetur, quae sunt velut nucleum Legis.

Mirum quidem omnino quod, in toto capite, de Lege nec verbum quidem dicitur nec praeceptorum Decalogi ratio habetur. E contra, conceptus et momentum Legis in oeconomia Veteris Testamenti a Domino in sermone montano agnita sunt, quippe qui non venit legem solvere sed adimplere ...[3]. Atque S. Paulus totam oeconomiam Veteris Testamenti sub notione Legis comprehendit (in Epistolis ad Galatas et Romanos), eamque sanctam ...[4] et muneris fungentem paedagogi ad Christum ...[5] appellat, quamvis certe in plenitudine temporis ...[6] gratia substituendam ...[7].

Cum vero talis institutio et salutis oeconomia quae « lex » vocatur mandatis praecipue, quibus promissiones et minae additae sunt, constituatur:

Postulatur ergo, ut in hoc numero mentio fiat legis divinae populo datae, praesertim mandatorum Decalogi, quae ab ipso Domino, nedum soluta, ad perfectionem deducta sunt. Sic melius apparebit revelationem Veteris Testamenti non tantum quemdam sensum et directionem historiae salutis continere sed normam etiam divinitus datam, praesertim Decalogi praecepta quibus in antiqua oeconomia Deus obediendus erat et quae in oeconomia gratiae perfectione a Christo edocta adimpleri debent sub discrimine salutis ...[8].

2. Talis divinae Legis mentio in hoc capite secum fert etiam convenientiam paululum immutandi aliquas expressiones huius capitis, quae aspectui subiectivistico revelationis Veteris Testamenti nimis indulgent. Sic:

In pag. 33, ...[9] n. 14, effectus revelationis divinae ita exprimitur:

« ... ut Israel divinas cum hominibus vias experiretur... ». Quae verba momentum revelationis nimis reducunt ad experientiam quamdam progressivam actionis divinae, sed ad exigentias et mandata verbi revelati, quae actionis communicativae divinae elementum fundamentale sunt, non sufficienter attendunt. Unde forsan expressio magis completa esset: « ... ut Israel divinas cum hominibus vias et *verbi revelati exigentias experiretur...* ». Sic ad aspectum magis obiectivum verbi revelati attentio verteretur.

Pari modo in pag. 34, ...[10] n. 15 dicitur: « Unde (libri Veteris Testamenti) attente a Christi discipulis legendi sunt, speciatim quia vividum sensum Dei sanctissimi ac clementissimi luculenter exprimunt ». Haec verba iterum elementum valde subiectivum dant ut rationem cur libri Veteris Testamenti legendi sint. Ceterum, talis ratio non est elementum distinguens libros sacros nec motivum cur legendi sint, cum in Vetere Testamento habeantur libri in quibus talem sensum fortasse non ita vividum inveniat quis (v. g. Esther), et talis sensus vividus Dei etiam in libris non inspiratis inveniri possit. Ratio vera est quia sunt verbum Dei in quibus Deus hominibus loquitur.

Unde postulatur ut haec verba corrigantur iuxta ea quae statim dicenda sunt.

3. In eadem pag. 34, ...[11] eiusdem n. 15, verba: « ... etiamsi plura imperfecta et provisoria contineant... » non videntur omnino consona dignitati verbi Dei et ansam praebere possunt illi non plane christianae infravalorationi doctrinae Veteris Testamenti in amplis circulis hodie diffusae. Oeconomia etenim Veteris Testamenti non est dicenda imperfecta simpliciter nec respectu verbi Dei ibi contenti, sed tantum respectu perfectionis in revelatione Christi peractae. Si quidem in Vetere Testamento sint non pauca quae sub luce Novi Testamenti aliter sint iudicanda, ea tamen non simpliciter imperfecta dicenda sunt (quibus ita Dominus sese revelare non abhorruit), sed nondum ad perfectionem Novi Testamenti perducta. Unde: postulatur ut tota haec paragraphus denuo conficiatur sub dictis *supra,*[12] ita ut hoc vel simili modo textus habeatur: « Unde, etiamsi hi libri, pro populi captu et revelationis progressivae norma necnon Dei in Sacra Scriptura condescensione, aliqua habeant quae culmen revelationis evangelicae non attingant, et quae sub luce Novi Testamenti ut transeuntia a Christi fidelibus iudicanda sint, tamen verbum Dei in his libris Veteris Testamenti loquentis qua par est devotione et pietate suscipiendum et legendum est quippe quod ita sese clementissimo et sanctissimo Deo per gressus revelari complacuit ».

Quibus omnibus, motivum accedit oecumenicum, dialogi scil. cum Iudaeis, pro quibus Vetus Testamentum et praecipue Lex, est maximum Dei donum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] nostro humili iudicio. [2] (*Ex.* 19-24). [3] (cf. *Mt.* 5, 17). [4] (*Rom.* 7, 12). [5] (*Gal.* 3, 24). [6] (*Gal.* 4, 1). [7] (*Rom.* 6, 14). [8] (*Mt.* 7, 21). [9] lin. 10. [10] lin. 8. [11] lin. 4. [12] 2 et 3.

9

EXC.MUS P. D. NEOPHYTUS EDELBY

Archiepiscopus tit. Edessenus in Osrhoene Melkitarum

Venerabiles Patres,

...[1] Circa ...[2] principia proprie theologica interpretationis Sacrae Scripturae, liceat proponere vobis ...[3] testimonium Ecclesiarum orientalium. Certus autem sum fratres nostros orthodoxos in hac mea expositione genuinam suam atque nostram agnituros esse communem doctrinam.

Timiditas *par. 12 huius schematis*[4] indubitanter provenit ex difficultate quam experitur Ecclesia ...[5] egrediendi *e problematica post-tridentina.*[6] Atqui periodus controversiae cum Reformatoribus iam revoluta esse debet. Pro Ecclesiis orientalibus, sicut pro novis Ecclesiis Africae et Asiae, huiusmodi praeoccupatio non exsistit ...[7].

Reformatores opposuerunt *ad invicem*[8] Scripturam et Ecclesiam ...[9] Praecipuum remedium *huius, ut putamus, pseudoproblematis*[10] consistit in redeundo ad intimum Mysterium Ecclesiae, reiecta mentalitate nimis iuridica, *fere*[11] nominalistica, in qua occlusa est theologia sive Reformatorum sive theologorum *nostrorum.*[12] Separari enim non potest missio Spiritus Sancti a missione Verbi Incarnati. Hoc est primum principium theologicum cuiusvis interpretationis Sacrae Scripturae.

Nec obliviscendum est quod, praeter scientias auxiliares cuiusvis generis, finis ultimus exegeseos christianae est intelligentia spiritualis Sacrae Scripturae in luce Christi Resurrecti, sicut ipse Dominus noster apostolos edocuit iuxta Lucam, cap. 24.

Secundum[13] principium. Sacra Scriptura est realitas *liturgica* et *prophetica.* Est proclamatio potiusquam liber scriptus. Est testimonium Spiritus Sancti circa Christum, cuius tempus praecipuum atque privi-

legiatum est celebratio Liturgiae eucharisticae. Mediante hoc testimonio Spiritus Sancti, Oeconomia Verbi revelat Patrem. Controversia autem post-tridentina *videt*[14] praeprimis in Sacra Scriptura aliquam normam scriptam. Ecclesia vero orientalis potius videt in Sacra Scriptura consecrationem quamdam Historiae salutis sub speciebus verbi humani, quae separari non potest a consecratione eucharistica in qua recapitulatur totum Corpus Christi.

Tertium[15] principium. Haec consecratio exigit aliquam Epiclesim, *seu invocationem et actionem Spiritus Sancti.*[16] Epiclesis autem est *praecise*[17] Sacra Traditio. *Traditio igitur est Epiclesis historiae salutis,* nempe theophania Spiritus Sancti sine qua historia mundi est incomprehensibilis, atque Sacra Scriptura remanet littera mortua. Haec idea fusius evolvi potest quando agitur, in lin. 23, de « viva Ecclesiae traditione ». Schema nostrum sic inseritur in intimo Mysterio Ecclesiae, scil. in mysterio populi Dei coadunati per Spiritum Sanctum ut fiat Corpus Christi in sua maturitate.

Exinde profluit *quartum*[18] quoque principium, iuxta quod Sacra Scriptura interpretari debet *in totalitate historiae salutis.* In primo *scil.*[19] tempore, Spiritus Sanctus suscitat eventus salvificos atque aliquam communitatem hominum quae sit simul testis et actrix huiusmodi eventuum. Libri Veteris Testamenti sunt ...[20] prima epiphania Dei in medio populi sui. In secundo tempore, eventus salutiferus atque communitas in rem deducuntur, modo autem definitivo, in Christo Iesu: haec est oeconomia Verbi Incarnati, cuius libri Novi Testamenti sunt veluti unica epiphania. Tandem, in tertio aliquo tempore, in novissimis scil. temporibus in quibus vivimus, Spiritus Sanctus effunditur personaliter ut praesentes faciat in tota historia oeconomiam Verbi Incarnati atque potentiam suae Resurrectionis: haec est oeconomia Spiritus, seu Sacra Traditio in aevo Ecclesiae.

Exinde apparet quod Traditio, seu Ecclesia, in transmittenda effusione oeconomiae Verbi, est essentialiter *liturgia.* Lex orandi, lex credendi. Incepimus enim labores Sacrosancti *huius*[21] Concilii a mysterio Sacrae Liturgiae, a qua gressum fecimus ad sacramentalitatem episcopatus collegialis, ut in fine perveniamus ad integrum mysterium Traditionis *quod est mysterium Ecclesiae.*[22]

Ex omnibus deductionibus quas licet applicare interpretationi Sacrae Scripturae, aliqua tangit criterium vivum huius interpretationis. Spiritus enim est Spiritus Corporis Christi ...[23]. Traditio *igitur*[24] contemplanda est et vivenda imprimis *in luce sacramenti apostolicitatis, seu episcopatus.* Hoc signum liturgicum et propheticum est etiam aliqua epiclesis unitatis indefectibilis fidei Populi Dei. Hoc sensu auspican-

dum esset — liceat dicere per transennam — ut infallibilitas successoris Petri melius expliceretur iuxta hoc mysterium epicleseos. Auctoritas enim in Ecclesia, tamquam realitas iuridica, profluit ex realitate liturgica et prophetica, non vice versa, sicuti missio canonica non est fons ordinis episcopalis.

Ultimum denique principium, non autem *minimum*,[25] hoc est: *sensus mysterii*. Deus qui se revelat est enim « Deus absconditus ». Revelatio nos oblivisci facere non debet abyssum vitae Dei, Uni et Trini, quam vivit populus fidelis, sed quam nullo modo exhaurire potest. Ecclesia orientalis dicit quod revelatio est imprimis « apophatica », scil. quae vivitur in mysterio antequam verbis proferatur. Haec nota apophatica revelationis est in Ecclesia fundamentum illarum divitiarum traditionis, quae semper vivae sunt. Una enim ex causis difficultatum quas experta est theologia in ultimis hisce saeculis in hoc praecise consistit quod theologi voluerunt includere Mysterium in formulis. Atqui plenitudo Mysterii praetergreditur non solum formulationem theologicam, sed etiam limites litterae Sacrarum Scripturarum ...[26]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Numerus 12 huius schematis, qui agit de interpretatione Sacrae Scripturae, plura continet elementa, et quidem optima, circa contributionem scientiarum annexarum ad exegesim, et imprimis illius quae dicitur « critica litteraria ». Pars autem altera huius numeri, illa nempe quae continetur in linn. 21-32 pag. 28, nimis videtur debilis relate ad primam; aliquibus proinde indiget emendationibus iuxta principia enuntiata in cap. II. [2] autem. [3] venerabiles Patres. [4] supradictae paragraphi. [5] occidentalis. [6] extra problematicam post-tridentinam. [7] Pro tota autem Ecclesia, finis ponenda est huic obsessioni, ut denuo ingrediamur totalitatem Mysterii Ecclesiae. Nam de Ecclesia integra agitur in hoc schemate, non de disputationibus scholasticis, quae subtiliores sunt et fere semper steriles. [8] deest. [9] Hoc autem facere potuerunt quia in Ecclesia occidentali ubi nati sunt aliquantulum obnubilatus erat sensus authenticus traditionis, quem oriens et occidens cognoverunt durante millenaria periodo unionis. Cum occidens se retraxit a fontibus orientalibus, theologia latina pervenit usque ad sterilitatem saec. XVI, necnon ad falsa problemata quae usquedum difficultates suscitant, inter quas primum locum habet problema interpretationis Sacrae Scripturae. [10] deest. [11] quasi. [12] latinorum. Haec est mentalitas quae iam in Medio Aevo opponebat Consecrationem ad Epiclesim, quaeque recentius considerabat Primatum et collegialitatem uti realitates separatas. Haec eadem mentalitas iuxtaponit Scripturam et traditionem. Ipsa autem quaestio non recte ponitur. Redeundum est e contra ad Mysterium Ecclesiae, quod est centrum et cardo huius Concilii. [13] Aliud. [14] vidit. [15] Aliud. [16] deest. [17] deest. [18] aliud. [19] aliquo. [20] veluti. [21] deest. [22] deest. [23] qui aliquo modo est igitur in corpore. [24] deest. [25] minus. [26] Hac de causa, etsi Concilium dirimere non vult quaestionem de sensu « pleniori » S. Scripturae, affirmari nihilominus

deberet, ni fallor, necessitatem legendi S. Scripturam « spiritualiter », scil. in Spiritu. Non agitur tantummodo de analogia fidei, sed de totalitate Christi Resurrecti, cuius Spiritus Sanctus gradatim verificat in Ecclesia tum testimonium tum Parusiam.

Moderator: Quia exc.mus P. D. Petrus Maleddu, modo vocatus, absens est, loquatur nunc exc.mus D. Eduardus Schick, ep. aux. Fuldensis in Germania.

10

EXC.MUS P. D. EDUARDUS SCHICK

Episcopus tit. Araditanus, aux. Fuldensis

Venerabiles Patres,

Nomine episcoporum linguae Germanicae, et Scandiae, loquar ad capp. IV-VI.

I. Capp. IV-VI placent in genere, quia verum progressum in explicanda doctrina de Sacra Scriptura praebent et ad fructuose collaborandum inter exegetas et eos, qui theologiae dogmaticae incumbunt, haud paulum prodesse poterunt. Nostris enim temporibus minime sufficit — *ut iam indicavit em.mus card. Bea* [1] — prohibere diversos errores et assignare pericula, quae in campo exegeseos adesse videntur, sed magis necessarium est, vias explanare pro labore positivo, ut maior fructus tam theologiae quam praedicationi crescere possit et thesauro inexhauribili Sacrarum Scripturarum, ex qua Ecclesia vetera et nova profert sicut paterfamilias secundum diversitatem necessitatemque temporum eorumque capacitatem (cf. secundum Matthaeum, cap. 13, vers. 52).

II. *Quoad singula capita.*[2] a) *Cap. IV* laudandum est, quia adumbrationem aliquam theologiae christianae Veteris Testamenti praebet, ex qua tractatus primaevus, Sanctis Patribus carissimus, sed interdum in theologia temporis acti aliquantulum neglectus, de concordia testamentorum eorumque analoga unitate in Christo modo nostris temporibus eiusque methodis scientificis adaptato renovari possit.

b) *Cap. V* laudabiliter instructionem Pontificiae Commissionis de Studiis Biblicis « Sancta Mater Ecclesia », diei 14 mensis maii anni currentis, prolatum sequens principia sana *hermeneutica* [3] sacrorum Evangeliorum explicat. Hoc modo tandem videri potest methodos exegeticas hodiernas non simpliciter et necessario fidei christianae et catholicae adversari, sed recte adhibitas potius eam confirmare lucemque novam suppeditare posse. Clarius patet nunc quomodo mysterium Verbi Incarnati totam Scripturam pervadit eiusque forma intima est, in quan-

tum Deus per scripturas loquens hominibus vere carnem et vocem humanam accepit, ita ut Scripturae verum verbum Dei in verbis vere humanis et opus Dei in historia vere humana exsistant.

Liceat mihi aliquas emendationes proponere, ut textus cap. V adhuc perfectior evadat:

1. Pag. 38, lin. 22. Instructio supra laudata Commissionis Biblicae verbotenus citetur, i. e. post verbum « attendendo » inseratur « *explanantes* ». Haec additio parva, in Instructione contenta, minime superflua videtur, quia hoc factum, quod auctores sacri sub ductu Spiritus Sancti, eos in omnem veritatem inducendo, quaedam intuitu status ecclesiarum suarum explanaverunt, minime characteri historico Evangeliorum contradicit, immo ex eo clare elucescit munus Ecclesiae proprium interpretandi sacrum depositum idque applicandi ad statum *quorumcumque* [4] temporum.

2. Eadem pagina, lin. 29, loco « veritatem » secundum textum graecum forsan melius diceretur « *firmitatem* ». Ratio quidem est, quia sic clarius pateret, veritatem biblicam imprimis esse fundamentum firmum vitae humanae secundum parabolam Domini in fine sermonis in monte habiti, ubi de hoc firmamento locutio fit, quod verbum Domini praebet hominibus (secundum Matthaeum, cap. 7, vers. 24 et sequentibus). Tali modo etiam planius eluceret historiam Evangeliorum, quamvis veritatem firmissimam praebet, non tamen mensura historiographiae huius temporis metiendam esse, a qua generice differt.

3. Eadem de causa, pag. 39, lin. 7, secundum textum graecum, loco « omnem » dici deberet « *totam veritatem* », quia veritas Christi non est collectio singularium, sed aliquod totum et indivisibile.

c) *Cap. VI* permultum placet, quia valorem Sacrae Scripturae pro toto populo christiano et pro tota Ecclesiae vita bene in lucem ponit. Si quibusdam temporibus fratribus nostris seiunctis persuasum fuerit Ecclesiam catholicam fideles suos prohibere a lectione Sacrae Scripturae, quasi timeret eam et quasi veritas biblica et fides catholica non congruerent, nunc, ut talis suspicio omnino et penitus sublata sit, sine ambiguitate et sine cunctatione lectio Sacrarum Scripturarum omnibus fidelibus commendanda est, quae non impedimentum sed fundamentum et nutrimentum fidei nostrae praebeat. Imprimis laudabile nobis videtur, quod in pag. 44, linn. *15-19* [5] dicitur de communi etiam cum fratribus separatis nisu in propaganda ubique terrarum Sacra Scriptura. Hoc testimonium lucidum fidei pro mundo infideli praebebit, verbo Christi in omnibus gentibus annuntiando magnae utilitati est et dialogum inter christianos fovet.

Pauca ad singularia emendanda addam.

1. Pag. 44, lin. 28, post « vestigia sequentes » inserantur verba Summi Pontificis Pauli VI in nostro fasciculo pag. 53 allegata: « quibusvis aptis huius aetatis subsidiis utentes ».

2. In eadem linea, loco « sub ductu magisterii » dicatur potius « sub vigilantia magisterii », quia magisterii non est *imprimis* [6] in investigationibus exegeticis ducere, sed eis invigilare.

3. Pag. 46, lin. 1, loco « verbo Dei revelato scripto et tradito » scribatur: « revelato scripto in luce traditionis utique interpretando ». Hae rationes sunt: prima, contextus tractat, sicut iam ex titulo capituli apparet, de momento *Sacrae Scripturae* in theologia; altera, hoc modo munus traditionis quoad Sacram Scripturam melius *appareret*, [7] quod obiecto huius capitis magis congruit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] hermeneuticae. [4] diversorum. [5] 15-18. [6] deest. [7] apparet.

[*Consenserunt*] Exc.mi DD. Angerhausen, ep. aux. Essendien., Aufderbeck, ep. aux. Fulden., Baaken, ep. aux. Monasterien., Bengsch, archiep. ep. Berolinen., Bliestle, sup. gen. M.S.F., Bokenhofer, ep. Kimberleyen., Bolte, ep. Fulden., Braunstorfer, abbas praeses Congr. SS. Cordis Iesu, Buchholz, praef. ap. Shihtsienen., Buchkremer, ep. aux. Aquisgranen., Cleven, ep. aux. Colonien., Cobben, ep. Helsinkien., card. Döpfner, arch. Monacen. et Frisingen., Elchinger, ep. coad. Argentoraten., Emanuel, ep. Spiren., Ferche, ep. aux. Colonien., card. Frings, arch. Colonien., Frotz, ep. aux. Colonien., Fürstenberg, ep. Abercornen., Gnädinger, ep. aux. Friburgen., Grimm, ep. Zinceuven. adm. ap. Sibolgaen., Haene, ep. Guelen., Hengsbach, ep. Essendien., Hiltl, ep. aux. Ratisbonen., Hintringer, praef. ap. Khiamuszen., Hoeck, abbas praeses Congr. Bavaricae O.S.B., Hoehne, vic. ap. Rabaulen., Höffner, ep. Monasterien., Hofmann, ep. coad. Passavien., Jäger, arch. Paderbornen., Janssen, ep. Hildesheien., Kaiser, prael. null. Caravelien., Kampe, ep. aux. Limburgen., Kelleter, ep. Bethlehemen., Kemerer, ep. Posaden., Kempf, ep. aux. Herbipolen., Koberger, Sup. gen. Congr. Later. Austriacae, Koenner, ep. tit. Modrenus, Koestner, ep. Gurcen., Koppmann, vic. ap. Vindhoeken., Landersdorfer, ep. Passavien., Lenhardt, ep. aux. Bambergen., Lommel, ep. Luxemburgen., Lucas, arch. tit. Adulitan., Macheiner, ep. aux. Salisburgen., Niederberger, abbas praes. Congr. Helveticae O.S.B., Pachowiak, ep. aux. Hildesheien., Pietsch, ep. aux. Secovien., Reetz, abbas praes. Congr. Beuronen. O.S.B., Reuss, ep. aux. Moguntin., Riha, abbas praes. Congr. Austriacae O.S.B., Rintelen, ep. aux. Paderbornen., Rohracher, arch. Salisburgen., Rosenthal, ep. Civitatis Reginae, Schaffran, ep. aux. Vratislavien., Schaeufele, arch. Friburgen., Schmidt, ep. aux. Treviren., Schmitt, ep. Bulanaien., Schräder, ep. aux. Osnabrugen., Schneider, arch. Bambergen., Schoiswohl, ep. Secovien., Sedlmeier, ep. aux. Osnabrugen., Simons, ep. Indoren., Stangel, ep. Herbipolen., Stein, ep. aux. Treviren., Stimpfle, ep. Augustan. Vindel., Tenhumberg, ep. aux. Monasterien., Verschuren, ep. coad. Helsinkien., Wechner, ep. aux. Oenipontan., Wehr, ep. Treviren., Weigl, ep. Ikelaen., Wember, vic. ap. Norvegiae Septemtr., Weidner, praef. ap. Raipur, Westermann, ep. Sambalpuren., Wittler, ep. Osnabrugen., Zak, ep. S. Hippolyti, Zimmermann, ep. aux. Augustan. Vindel.

11

EXC.MUS P. D. RAPHAËL GARCIA Y GARCIA DE CASTRO
Archiepiscopus Granatensis

Venerabiles Patres,
Observatores et Auditores carissimi et clarissimi,

Paucis verbis velim quasdam proponere animadversiones, quae in cap. V, *de Novo Testamento,* in schemate constitutionis *de divina revelatione,* accuratiorem redactionem indicent. Existimo enim non omnia iuxta verum sensum exprimi, vel locutiones quasdam includi, quae doctrinam non omnino claram et *determinatam* [1] exhibent. Itaque ut ordinatim procedam ad tres numeros capitis, scil. ad 17, 19 et 20, successive respiciam.

I - Ad n. 17, linea penultima, ubi legitur « Ecclesiam *congregarent* ». Vox « congregarent » non videtur *omnino* [2] apta. Opus enim apostolorum non tam fuit « congregare » *dispersa,* quantum « *fundamenta* » Ecclesiae ponere. Ita loquitur Paulus (*1 Cor.* 3, 10): « ut sapiens architectus fundamentum posui ». Ideoque textus ita posset redigi in melius: « fidem in Iesum Christum ac Dominum excitarent et *Ecclesiae fundamentum ponerent* ...[3] ».

II - Maioris momenti ...[4] sunt ea quae sese referunt ad n. 19. Legitur in *lin. 7*: « post mortem Domini ea quae Ipse dixerat et fecerat... ». Posset quis credere ex hac formula electa apostolos tradidisse ea tantum quae Iesus fecit et dixit *usque ad mortem.* Ideo melius posset redigi formula hoc modo: « Apostoli quidem *post Ascensionem* Domini ea quae Ipse dixerat et fecerat... ». Locutio nova omnino exacta est, quia de facto apostoli praedicaverunt post Ascensionem et ita potuerunt testes esse non tantum rerum et dictorum Iesus ante mortem sed etiam post Resurrectionem et Ascensionem. Propterea in Novo Testamento exhibentur maxime ut testes « resurrectionis ».

In lin. 16 eiusdem numeri legitur: « formam praeconii retinendo ». Haec locutio ut dicitur in pag. 62, observatione 5, non habet sensum « universalem », ut aliqui voluerunt, sed debet intelligi « *aliquando* » formam praeconii retinuerunt. Sed hoc adverbium limitativum erat in textu priore, deest tamen in textu *emendato.* Ita ut iacet in novo textu habet sensum universalem, quod *verum non videtur.*[5] Nam Evangelia *non semper* habent formam praeconii. Immo, generatim, nisi contrarium probetur, habent *formam historiae,* i. e., omnino *narrativam.* Etiam quando referunt praeconium Baptistae aut Iesus, evangelistae referunt

ut narratores, quod Baptista aut Iesus dixerunt, sed evangelistae non loquuntur ex se.

Evangelia comparata cum sermonibus apostolorum in Actibus aut cum epistolis apostolicis multum differunt, sive in materia sive in forma, ab ipsa praedicatione. In compositionem enim Evangeliorum influxum habuit:

1. *Praedicatio seu kerygma, i. e. proclamatio solemnis et publica vitae et doctrinae Iesu, sed etiam adiacentia.*
2. *Sermo familiaris et narrationes privatae Apostolorum, respondentium quaestionibus et studio pro cognoscenda vita et doctrina Iesu fidelium ipsorum.*
3. *Narrationes discipulorum omnium, familiarium et amicorum Iesu, testium omnium.*
4. *Scripta praecanonica primitiva seu miraculorum sive sententiarum sive factorum infantiae, sive mortis et passionis, etc.*
5. *Investigationes factae apud testes ab ipsis evangelistis.*
6. *Redactio et activitas personalis ipsorum auctorum recordationis propriae, ut in casu Matthaei et Ioannis.*

Haec omnia determinaverunt evangelicos libros, qui testimonium praecipuum de vita et doctrina Iesu continent, quia magis complete et magis directe intendunt reproducere quod Iesus fecit et docuit in sua vita historica. Nota distinctiva Evangeliorum, si comparentur cum reliquis libris, haec est: auctores quaerunt fidem lectorum per narrationem factorum Iesu et consignationem directam doctrinae eius, sed non in genere sed in particularibus.[6]

Quapropter,[7] cum locutio « forma praeconii » possit diversimode interpretari, sapientius forsan esset illam omittere. Determinare « formam litterariam » Evangeliorum non videtur maturum pro Concilio. Relinquatur res solvenda et determinanda pro exegetis, quia Sacra Synodus, ut saepe manifestavit, non vult dirimere quaestiones disputatas inter exegetas catholicos. Iam ipse relator fatetur ...[8] divisiones inter ipsos Patres ...[9].

Expungatur ergo locutio « formam praeconii retinendo », maxime cum ex omissione nulla difficultas sequatur, et Sacra Synodus maneat in plano superiore quin *formam Evangeliorum* determinet.

In descriptione compositionis quattuor Evangeliorum, *ubi additur,*[10] *quorum auctores duo fuerunt testes,* opportunum esset addere hanc circumstantiam, quae clare affirmatur a Ioanne ...[11]: « et qui *vidit* testimonium perhibuit » (21, 24). Idea certe indicitur in fine numeri, quando locutio est de « propria memoria et recordatione », sed etiam indicitur

de acceptis a testibus, et tamen bis exprimitur. Unde locutio melius ita proponeretur: « Auctores autem sacri quattuor Evangelia conscripserunt, quaedam e multis vel *oculis visis* ...[12] vel ore vel iam scripto traditis selegendo... » ...[13]. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] certam. [2] deest. [3] (cf. *1 Cor.* 3, 10). [4] meo iudicio. [5] falsum est. [6] deest. [7] deest. [8] (pag. 62, n. 5). [9] Episcopi linguae germanicae, Scandinaviae et Indonesiae credunt Evangelia *semper* esse praeconium. Alius Pater notat vocem « praeconii » ansam dare posse interpretationibus minus rectis (E/1742); alius vero falsis et periculosis (E/2166) [10] addam quoad linn. 11-14 adhuc eiusdem n. 19. [11] 19, 35. [12] (*Io.* 21, 24 s.). [13] III. Tandem, ad n. 20 in ultima paragrapho: « Apostolis enim suis Dominus... ». Loco « apostolis » melius esset scribere « discipulis », ut latius pateat, et magisterium Spiritus Sancti extendatur ad omnes qui quoquomodo in redactione aut praeparatione Evangeliorum partem habuerunt, etiamsi non fuerint ipsi apostoli.

12

Exc.mus P. D. VILLELMUS PHILBIN

Episcopus Dunensis et Connorensis

Venerabiles Patres,

Loquor pro plusquam triginta Patribus, quorum nomina secretario generali transmitto. Velim imprimis laudes sinceras novae redactionis huius schematis in genere praemittere eis quae critice locuturus sum.

In relatione ad cap. V, pag. 41, lineis ultimis, asseritur: « In Schemate nostro » — ubi agitur de Novo Testamento — « *historicitas proprie dicta* ex recordatione et testimonio ipsorum qui audierant et viderant, specialiter illustratur ». Sed hoc propositum, admodum quidem laudandum, in textu non impletur. Videamus par. 19, pag. 38, ubi de hac re tractatur.

Notandum est imprimis asseri « Evangelia vere tradere quae Iesus etc. reapse et fecit et docuit ». Haec assertio valeret si etiam *minima* pars narrationis evangelicae esset vera, quod fere ab omnibus, etiam nonchristianis, admittitur. Quaerendum est quare non dicuntur « *ea* esse vera *quae* Evangelia de Iesu tradunt ».

Secundo loco, quaerendum est etiam quare veracitas ad opera et dicta Iesu ipsius restringitur. Lucas, e. g., prooemium suum de historicitate immediate iunxit cum narratione de iis quae vitam Iesu in terris praecesserunt et quae includunt doctrinam de B. Mariae Virginitate, quae ad fidem pertinet.

Tertio, verbum « vere », quod hic habetur, videtur multo debilitari et vim exuere in fine paragraphi ubi verbum « veritatem » intra signa citationis ponitur, quia, secundum notam in relatione, correspondet verbo graeco quod significat tantum « firmitatem », et quidem firmitatem doctrinae, *uti videtur.*[1] Hoc verbum aliud sonat ac veritatem historicam eventuum narratorum. Usus verbi « veritatis » in hoc sensu suggerit Lucam loqui *tantum* de certitudine doctrinae; quod omnino falsum est.

Quarto, si textus tractare debet, quod valde dubitandum est, theorias de genere litterario Evangeliorum, desiderandum est ut mentio fiat non mere de forma praeconii, de qua sermo fit, *uti ultimus Pater dicebat.*[2] Alia *est*[3] enim indoles Evangeliorum quae multo magis obvia est et maioris momenti quoad fidem eorum historicam, i. e., mirus modus in quo Evangelistae a praeconiis *abstinent* et narrationem obiectivam et factualem praebent, etiamsi difficultates exegeticae exinde oriantur. Si de methodis hermeneuticis etc. tractandum est, proportio et aequitas servandae sunt.

Multis igitur obiectionibus obnoxius est textus prout iacet, et munus Concilii Oecumenici in deposito custodiendo est ut in hac materia tendentias periculosas restringamus, de quibus Sanctissimus Pater Paulus, feliciter regnans, conquestus est, ut in pag. 53 videri potest.

Propono igitur, primo loco, ut ambiguitates et tendentiae supradictae removeantur, quippe quae opportunitatem certissime praeberent negandi id quod in relatione docendum proponitur, nempe historicitatem proprie dictam Evangeliorum.

Ad haec autem pericula praecavenda, procedendum esse videtur modo etiam magis positivo. Ad munus nostrum conciliare explendum, propono inserendam esse in textu admonitionem ut, in Evangeliis interpretandis, in mente habeantur non tantum methodi criticae hodiernae ex scientiis humanis derivatae sed etiam interpretationes ab Ecclesia auctoritative iam pronuntiatae. Verum est quidem alibi, e. g., in cap. III, par. 12, et in cap. IV, par. 23, mentionem fieri de iudicio Ecclesiae et de Magisterio quoad Sacram Scripturam in genere. Sed sensus horum locorum est ut exegetae ad pleniorem Scripturarum intelligentiam laborent « ut (textum cito) quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur ». Tenor huius modi loquendi est ut parvi momenti habeantur ea quae hucusque de sensu Evangeliorum pronuntiata sunt ab Ecclesia. Facile enim construi potest hoc modo: Magisterium sine dubio auctoritatem habet, sed debemus potius exspectare eius exercitium futurum quam examinare eius exercitium iam factum.

Omnino necessarium esse videtur in cap. V, n. 19, indicare quod multae partes Evangeliorum ab ordinario et universali magisterio Ecclesiae infallibiliter iam praedicatae sunt ubique et a primis temporibus uti narrationes historicae in sensu stricto. Exemplum iterum habemus in eventibus qui praecesserunt et subsecuti sunt Nativitatem Domini, qui eventus in praedicationibus, in orationibus, in liturgia, in catechismis etc. ..., habita sunt ut facta obiectiva ad fidem pertinentia. Definitio formalis non est necessaria ut doctrina de fide tenenda habeatur: admodum opportunum est ut hoc principium, etiam ad Evangelia interpretanda, his temporibus affirmetur. Meminerimus, *Patres,*[4] nos iam docuisse in primis capitulis huius schematis etiam facta, *etiam facta*[5] pertinere ad revelationem.

Propono igitur, secundo loco, ut haec verba aliave huiusmodi addantur: « In Evangeliis interpretandis prae oculis habendae sunt non tantum methodi scientiae criticae hodiernae, sed etiam ordinarium et universale magisterium, quo Ecclesia saepius de historicitate eventuum in Evangeliis narratorum mentem suam infallibiliter exposuit ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] lin. 23. [3] adest. [4] deest. [5] deest.

[*Consenserunt*] Exc.mi DD. Conway, PR. Armagh; Lucey, VR. Cork and Ross; Hanly, VR. Elphin; Fergus, VR. Achonry; O'Boyle, VR. Killala; Ekandem, VR. Ikot Ekpene; Corboy, VR. Monze; Agnozzi, VT. Adramittio; Cesana, VR. Gulu; Kihangire, VR. Maura; Msakila, VR. Karema; Mihayo, AR. Tabora; Dunne, VR. Kitui; Houlihan, VR. Eldoret; Winters, VR. Mbulu; Murphy, PA. Bechuanaland; Finn, VR. Ibadan; Grimley, VT. Tuburbo Minore; Carroll, AT. Gabula; McKeon, VT. Antipirgo; dos Santos, AR. Belo Horizonte; Mendoza-Castro, VR. Abancay; Arthurs, VR. Tanga; Dooley, AT. Macra; Byrne, VT. Lamian; Cronin, VT. Ubaza; Howe, VR. Myitkyina; Quinlan, VR. Chun Cheon; Kielt, SG. Society of St. Columban; Mahony, PA. Ilorin; Tonna, VR. Florida in Uruguay; Ddungu, VR. Masaka in Uganda; Olu, VR. Warri in Nigeria.

Secretarius generalis: Notos facio exitus suffragationum mane peractarum.

I suffragatio, quae se refert ad n. 1 cap. I schematis *de Oecumenismo*:

Praesentes votantes	2.111
Dixerunt *placet*	2.094
non placet	16
Suffragium nullum	1

Quoad II suffragationem, nempe de n. 2 cap. I *de Oecumenismo,* en exitum:

Praesentes votantes	2.112
Dixerunt *placet*	2.081
non placet	30
Suffragium nullum	1

De III suffragatione, quoad n. 3 cap. I *de Oecumenismo*:

Suffragati sunt	2.110 Patres, quorum
dixerunt *placet*	2.051
non placet	57

et 2 dederunt suffragium nullum.

Demum IV suffragatio, de n. 4 cap. I *de Oecumenismo*:

Inter Patres	2.107
pronuntiaverunt *placet*	2.056
non placet	50
et suffragium nullum	1

Ergo omnes quatuor hi textus probati sunt in congregatione generali.

Crastina videbitur de integro capite cum formula: *placet, non placet, placet iuxta modum.* Et rogamini, Patres venerabiles, ut velitis modos iam hoc die praeparare.

13

EXC.MUS P. D. IOSEPH HEUSCHEN

Episcopus tit. Druensis, aux. Leodiensis

Venerabiles Patres,

Textus schematis, prout a competenti commissione elaboratus est, iuxta desideria et vota multorum Patrum, valde placet. Verbum facere vellem de iis quae in eius cap. V de Novo Testamento affirmantur et modo magis peculiari de Evangeliorum indole historica, prout in textu schematis modo non minus claro quam sereno exponitur et tuetur.

Factum, hodie non amplius negandum, quod traditio evangelica, quae per triginta fere annos non solum praedicata sed etiam ad varias Ecclesiae condiciones applicata fuit, adaptationem quandam subiit, nostris diebus, multos inquietos facit, quia in periculo versari putant fidem

historicam Evangeliorum et Sacrarum Litterarum inerrantiam. Verum sane est quod inter eos qui inter christifideles scripta vulgant quidam occurrunt qui, nimio novitatis desiderio correpti, conclusionibus exaggeratis, saepissime praeiudiciis historicis, *sociologicis* [1] et theologicis obnubilatis, et scientifice nondum probatis fautorum sic dictae « methodi historiae formarum » imprudenter subscribunt et iustos limites in interpretatione facti adaptationis traditionis evangelicae transgrediuntur. At hi abusus deplorandi factum ipsum non mutant nec in dubium revocant. In ipsa Instructione « Sancta Mater Ecclesia », a Commissione de studiis biblicis nuperrime edita ...[2], expresse affirmatur auctores sacros materiam evangelicam, methodo, fini peculiari quem quisque sibi proposuit, congrua, ad utilitatem ecclesiarum consignasse eosque quaedam e materia evangelica transmissa selegisse, quaedam vero in synthesim redegisse, quaedam tandem ad statum ecclesiarum attendendo explanasse ...[3]. Brevissime in lucem ponere intendo traditionem evangelicam seu evangelium orale dicta et facta Iesu fideliter servasse illudque evangelium orale non minus quam evangelia scripta, dum facta et verba Iesu narrant, simul etiam verum eorum sensum eorumque applicationem ad vitam Ecclesiae ostendere.

Ad primum quod attinet: ab omnibus hodie admittitur doctrinam et vitam Iesu, quae materiam traditionis evangelicae constituunt, non simpliciter ab ipsa relatas fuisse eo solo fine ut memoria tenerentur, sed « praedicatas », ita ut Ecclesiae fundamentum fidei et morum praeberent. Ipsa ergo evangelia scripta, saltem magna ex parte, ex evangelio orali, e traditione scil. Ecclesiae primitivae eiusque catechesi exorta sunt. Quae ipsa traditio non est creata a communitate quadam anonyma et impersonali, sed initium transmissionis suae habuit a Duodecim qui testes vitae Iesu oculati fuerunt ...[4] et primas etiam partes in ministerio verbi habuerunt ...[5].

Obiectum autem praedicationis in Ecclesia primitiva non erat tantum « Christus fidei », sed etiam, immo praesertim, iuxta formulam e libro Actuum depromptam, « ea quae Iesu sunt » ...[6], verba nempe et facta Iesu historici, et in concreto, ut ex diversis in libro Actuum servatis Petri contionibus constat, facta essentialia vitae Iesu, eius scil. baptismum, praedicationem, ministerium a Galilaea ad Ierusalem, miracula, passionem, mortem, resurrectionem, apparitiones, glorificationem ...[7].

In transmissione autem huius traditionis extra Ierusalem, magna, testante Paulo, exsistebat cura servandi continuitatem cum Duodecim Apostolis et cum communitate hierosolymitana ...[8]. Unde certi sumus

nos cognitionem vere historicam habere circa facta et dicta essentialia vitae Iesu et praecipuos eius personalitatis characteres.

Attamen — et ita transitus fit ad secundam nostrae expositionis partem — attamen, dico, evangelium orale et evangelia scripta, dum facta et dicta Iesu narrant, simul etiam verum eorum sensum eorumque applicationem ad vitam Ecclesiae ostendunt. Evangelia etenim in ipsa Ecclesia efformata sunt. Scopus evangelii oralis, e quo evangelia scripta exorta sunt, non erat mere historicus sed simul religiosus; non intendebat enim nuda facta et verba Iesu ad modum chronicorum proponere, sed in his proponendis *simul*[9] veram eorum significationem ac vim religiosam in vita credentium *ostendere*.[10] Procedendo tali modo Ecclesia, sub ductu Spiritus Veritatis, ipsius Christi mentem fideliter servabat. Nonne Dominus ipse dixerat: « verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt » ...[11]; et alibi: « spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem » ...[12]. Quapropter ipsis gloriosis Christi eventibus instructi et lumine Spiritus veritatis edocti, praecones Evangelii auditoribus suis eam pleniorem mysterii Christi intelligentiam tradiderunt, quam Dominus ipse eis pro tempore post suam resurrectionem promiserat.

Et quod apostoli, ut Evangelii praecones, fecerunt, hoc etiam evangelistae qui, Spiritu Sancto inspirante, vivam Evangelii vocem scriptis mandaverunt. Patet enim ex examine eorum operum, unumquemque auctorum sacrorum, in exarando suo evangelio, propriam intentionem et modum componendi habuisse et peculiares laeti nuntii evangelici aspectus theologicos in lucem ponere. « Hagiographi », ita expressis verbis Instructio Commissionis de studiis biblicis, « hagiographi ex eis quae acceperunt, ea potissimum seligerunt quae variis condicionibus fidelium et fini a se intento accommodata erant, eademque eo modo narrabant qui eisdem condicionibus eidemque fini congruebat » ...[13]. Revelatio, ut omnes scimus, non fuit completa ante finem aetatis apostolicae; cur ergo evangelia scripta excludenda essent ab illa activitate Spiritus Sancti, quam Dominus promiserat et qua Paraclitus christianam revelationem explicat, modo adhuc ampliori et magis explicito quam Iesus ipse fecerat, eamque ad Ecclesiae necessitates applicat?

Concludo.[14] Evangelia eo sensu quo scripta sunt interpretari oportet. Vera sunt ergo, ratione inerrantiae, ea omnia quae hagiographus reapse affirmat ideoque intendit atque eo sensu quo eadem affirmat. Exegetarum erit, ut textus schematis nostri sub n. 12 optime suggerit, exegetarum erit, dico, sub ductu magisterii Ecclesiae, accurate indagare quid Evangelistae, dictum vel factum dominicum hoc vel illo modo

narrando vel certo in contextu ponendo, intenderint, huius vel illius quandoque peculiaris et liberioris evangelistarum modi loquendi indolem, rationes et limites circumscribere et singulorum sic dictorum litterarum generum leges et species ...[15].

Moderator: Exc.me Domine, doleo tempus tuum exhaustum esse.

Orator: Gratias.

In textu scripto tradito: [1] philosophicis. [2] (die 14 maii 1964). [3] (*A.A.S.*, 31 aug. 1964, p. 715). [4] (cf.*Lc.* 1, 2; Act. 1, 21 s.; 10, 41; *Hebr.* 2, 3). [5] (cf. *Act.* 2, 42; cf. 6, 2. 4). [6] (*Act.* 18, 25). [7] (*Act.* 2, 22-36; 3, 13-15; 10, 37-41). [8] (cf. *Gal.* 2, 2; *1 Cor.* 11, 23; 15, 3. 11; *1 Tim.* 6, 20). [9] deest. [10] ostendebat. [11] (*Io.* 6, 63). [12] (*Io.* 16, 13) et alibi adhuc: « ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis » (*Io.* 14, 26). [13] (*A.A.S.*, 31 aug. 1964, p. 715). [14] Conclusio. [15] semper profundius et melius investigare. Sic genuinam veritatem Evangeliorum plene tuebuntur et, etiam principiis theologicis in textibus interpretandis innixi, vivam Evangelii vocem suo modo in Ecclesia resonare facient, et per Ecclesiam in mundo.

Textus additus:

Unum verbum addere vellem de evangelio infantiae. Commissio doctrinalis consulto hoc problema non tractavit, sequendo hac in re modum agendi ipsius Commissionis de studiis biblicis in sua instructione « Sancta Mater Ecclesia ». Inter auctores catholicos nullus sane invenitur qui rite intellectam veritatem historicam primorum capitulorum evangeliorum Matthaei et Lucae in dubium revocat. Pro ipsis etiam valet quod in schemate nostro, sub n. 19, pag. 38, linn. 23 et 24 affirmatur, evangelia nempe nobis vera et sincera de Iesu communicare. Brevitas textus conciliaris exigit quod non ultro principia generalia progrediatur; multa alia dicenda essent si characterem proprium singularum Evangelii partium et in specie generis historici specifici evangelii infantiae accuratius determinare vellet. Ipsa etiam evangelia infantiae, iuxta fere omnes exegetas catholicos hodiernos, iuxta leges, quae his capitibus propriae sunt, composita fuerunt. Ostendere intendunt Deum voluntatem suam salvificam modo mirabili in Iesu Nazareno, Messia exspectato et Dei Filio, reapse exsecutam esse: quae expositio theologica connectitur cum demonstratione, in qua auctores probant in eventibus nativitatis Iesu Scripturas adimpleri. Ad perficiendum hoc primarium eorum intentum, auctores recurrunt ad narrationem eventuum realium et historicorum, quos tamen et insimul praesentant sub forma loquendi, quae ipsis factis et fini ab auctoribus intento convenit. Exegetarum est in intentionem propriam uniuscuiusque Evangelii infantiae indagare et exinde normam ad diiudicandam eorum veritatem deducere.

Concilium ipsum in tales quaestiones evidenter intrare non potest, eo magis quod hoc problema, ad particularia saltem quod attinet, nec inter ipsos peritos catholicos ad suam maturitatem pervenit.

Sufficienter autem dictum est in schemate materiam evangelicam non esse puram et simplicem creationem alicuius communitatis anonymae sed fundari in memoriis et testimoniis illorum qui « inde ab initio ipsi viderunt et ministri sermonis fuerunt » (*Lc.* 1, 2).

Secretarius generalis: Communico Patribus tristem nuntium mortis piissimae rev.mi P. Ioannis B. Janssens, praepositi generalis S.I. Paucis momentis antequam obiret, gaudio perfusus est visitationis Summi Pontificis. Ipsius anima in gaudio patriae nobis adsit nostrosque adspiret labores. Recitemus *de profundis*.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis clamavi ad te, Domine...* (alternatim cum Patribus).

14

EXC.MUS P. D. IOSEPH CORDEIRO

Archiepiscopus Karachiensis

Venerabiles Patres conciliares,

Haec mea interventio respicit solummodo cap. V. Hoc caput mihi in genere placet, praesertim quia[1] sese praebet tamquam thesaurum scientiae hodiernae et sapientiae antiquae de re biblica. Melioraretur tamen, ni fallor, si textus noster includeret emendationes sequentes, quas audeo proponere.

1. In pag. 38, linn. 13-22, liceat mihi suggerere, *ut iam dictum est optime ab exc.mo Schick,*[2] ut textus noster praebeat eandem materiam et utatur eisdem verbis quae inveniuntur in litteris recenter editis a Commissione Biblica. Quae litterae explanant quomodo apostoli ipsi in praedicando, docendo, et formando liturgiam christianam interpretati sunt verba et gesta Christi, prout necessitates auditorum postulabant. Evangelistae autem hac materia ore vel scripto tradita utebantur, — *et incipit citatio ipsius litterae*[3] — « quaedam e multis traditis selegentes, quaedam in synthesim redigentes, quaedam ad statum ecclesiarum attendendo explanantes ».

Sub luce huius expositionis magistralis a Commissione Biblica factae, oportet textus noster clarificetur in duobus locis:

a) In linn. 13-17, latius explicetur activitas apostolorum in formando materiam qua postea evangelistae utebantur in scribendo evangelia.

b) In linn. 21-22, textus schematis corrigi debet inserendo ver-

bum « explanantes », quod forsan per casum *omissum* [4] est, ut sensus genuinus habeatur. Ergo hae lineae legi debent: « Quaedam explanando ad statum ecclesiarum attendendo ».

2. In eadem par. 19, in linn. 23-24, propono ut *accipiamus* [5] formam prioris textus, *et ideo* [6] omittamus totam phrasim « ut non ficta, ex creatrici potentia primaevae communitatis promanantia ». Et liceat mihi rationes exprimere.

Quia haec phrasis redolet sententia Rudolfi Bultmann, credo quod finis huius phrasis sit condemnatio erroris scholae Criticae Formarum ...[7], tamquam propositi in modo extremo ab eius primis auctoribus. Sed omnes nos scimus quod hodie etiam multi discipuli ipsius Bultmann agnoverunt falsitatem huius doctrinae tum in eius principiis tum in eius conclusionibus. Hodie ergo forma primaeva et extrema doctrinae Bultmann mortua est, etiam apud eius discipulos qui reformaverunt hanc doctrinam edentes in lucem novum systema Criticae Redactionis ...[8]. Quare ergo introducuntur in textu nostro verba quae sese referunt ad systema de quo post quinquaginta annos remanebit sola memoria? Schema conciliare autem manet per saecula; ideo oportet sit liberum ab allusionibus nimis coniunctis cum nostra aetate.

Verum est quod nos debemus confirmare, *et quidem strenue,*[9] in textu nostro valorem historicum verborum et gestorum Christi sicut in evangeliis proponuntur. Sed, ni fallor, hic finis bene attingitur si nos, sicut in textu priore, tueamur valorem historicum evangeliorum per phrasim modo positivo et magis lato enucleatam. *Mihi videtur ergo melius esset ad textum priorem redire vel, si vultis, remeare* [10]!

Textus ergo noster legatur, in linn. 17-24: « Auctores autem sacri quattuor Evangelia conscripserunt quaedam e multis vel ore vel iam scripto traditis selegendo, quaedam in synthesim redigendo, quaedam cum attentione ad statum ecclesiarum *explanando,* formam praeconii retinendo, ita semper ut vera et sincera de Iesu nobis communicarent ».

3. In pag. 38, linn. 35-36, liceat mihi exprimere magnum meum dolorem videndo totas epistolas Novi Testamenti coniunctas sub illa phrasi *brevissima* [11]: « alia scripta apostolica ». Haec abbreviatio indigna videtur magnitudinis et momenti epistolarum Novi Testamenti. Dum in paragrapho priore (19) tractamus longius de Evangeliis, in hoc loco tamen (par. 20) *quasi cum festinatione* [12] nos expedimus de epistolis in una *parvula* [13] phrasi. Quid de doctrina S. Pauli, praecellentis theologi Novi Testamenti? Verum est Evangelia praebere facta oeconomiae salutis et opus Dei salvificum in eius Filio patratum. Quod opus tamen illuminatur et explanatur speciatim in epistolis S. Pauli. Ideo humiliter

peto ut haec paragraphus amplificetur ad recolendum omnibus christianis valorem perennem et momentum maximum doctrinae S. Pauli Apostoli Gentium. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Hoc caput de Novo Testamento perpulchrum est et. [2] deest. [3] deest. [4] lapsum. [5] sequentes. [6] deest. [7] (Formkritik vel Formgeschichte). [8] (Redaktionskritik vel Redaktionsgeschichte). [9] deest. [10] deest. [11] parvissima. [12] deest. [13] parvissima.

15

EXC.MUS P. D. EMMANUEL DEL ROSARIO
Episcopus Malolosinus

Venerabiles Patres,

...[1] Caput ...[2] schematis constitutionis *de divina revelatione* placet. Unam tantum emendationem vellem proponere, scil.: ut in n. 20, pag. 39, lin. 3, loco locutionis « Consummatio gloriosa revelatur » ...[3], legatur: « consummatio gloriosa in spe fundatur », vel quid simile. Accedit duplex ratio mutationis propositae:

1. Forma litteraria Apocalypseos non est « revelare » sed animos erigere et excitare. Liber Apocalypsis revelationem proprie suam non habet, sed ex prophetis multa repetit, eaque applicat ad Christum et ad christifideles, eodem modo ac apocalypses iudaicae fecerunt relate ad Iudaeos.

2. Ratio pastoralis: perplures christiani librum Apocalypsis ut « librum somniorum » habent, quatenus revelationes futuras continere deberet, quas tamen non habet (saltem nullas continet quas non scimus ex aliis libris Novi Testamenti).

Ad cap. VI. Sub n. 24, pag. 45, lin. 1, verba « Scripto et tradito » sunt adhuc ambigua (cf. Relationem...[4], pag. 48 ss.). Per hunc modum loquendi ambiguitatem tollere intendit; attamen ambiguitas remanet. Locutio « scripto et tradito » vultne significare « verbo Dei revelato scripto et verbo Dei revelato tradito », ac proinde referenda est ad Scripturam et traditionem? Si ita est, quomodo theologia agere potest de traditione, cum sit quaestio vexata de contento obiectivo traditionis (vide pag. 19, par. 3 ...[5]). Si traditio est traditio apostolica et haec significat vitam Ecclesiae, quomodo theologus concrete et practice « veritates » traditionis invenire potest? Quomodo distinguere potest inter traditionem, quae est apostolica, et traditionalismum, qui expurgandus est, prout Ecclesiam perturbans et confusionem seminans? ...[6].

In relatione de singulis numeris, pag. 19, dicitur: « Censuit subcommissio iis tantum postulatis attendere, quorum obiectum *in pacifica possessione* videbantur; ab illis e contra abstinere, quae *vexatam quaestionem* de contento obiectivo traditionis comparative ad Scripturam denuo excitarent ». Si non scitur quid obiective contineatur in traditione, ad quid se refert vox « traditio »? Mihi videtur vox « traditio » esse conceptus fundamentalis adhuc ambiguus in theologia et persaepe adhibetur, ut ita dicam, « ad revelandas compages ossium in cubiculo Ecclesiae », vel anglice loquendo "to explain away the skeletons in the closet of the Church".

Sed si definitio descriptiva traditionis in n. 9, pag. 16, serio sumenda est, tunc vox « traditio » semper habere debet sibi adiectam vocem « apostolicam », ut distinguatur ab aliis traditionibus, quae in Ecclesia abundant. (Sicut in locutione « Sacra Scriptura » vox « sacra » eam distinguit ab aliis scripturis).

Brevitatis causa, ne abutar patientia vestra et ne fame pereamus, cetera secretariatui tradam.[7] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Loquor nomine nonnullorum episcoporum in Insulis Philippinis. [2] V. [3] (C). [4] de n. 24 B. [5] et pag. 63 par. 4. [6] Si in praxi norma non habetur, quinam est valor traditionis in theologia? [7] Tunc si traditio sumitur ad significandam traditionem apostolicam, clarior nobis apparet hodie mutua relatio inter Scripturam Sacram et traditionem apostolicam: unica norma authenticitatis traditionis apostolicae (i. e. norma contra deviationes) est Scriptura; et unica norma pro authentice interpretandis S. Scripturis est traditio apostolica; et unica auctoritas, quae modo infallibili applicat istas normas est magisterium (Probatio huius desumitur tum ex Scriptura tum ex traditione). Conclusio: In hoc schemate constitutionis *de divina revelatione,* quotiescumque mentio fit de « sacra traditione » humiliter propono ut loco vocis « sacra » legatur « apostolica ».

Moderator: Proxima congregatio generalis erit crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS XCV
6 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS XCV

6 octobris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderatur hanc 95 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

In hac congregatione Patribus distribuetur relatio super schema decreti de apostolatu laicorum, de quo schemate disceptatio hodie si tempus erit incipiet. Prius fiet disceptatio de principiis generalibus, prout dictum est, postea si habitum fuerit suffragium favorabile a Patribus de prosequenda disceptatione, fiet disceptatio de capitibus eiusdem schematis.

Exsequiae rev.mi Patris Ioannis B. Janssens, praepositi generalis S.I. habebuntur feria 5 proxima, hora 16,30, in ecclesia Sanctissimo nomini Iesu dicata, nempe *del Gesù*.

Lego nomina eorum qui verbi uti petierunt adhuc quoad schema *de divina revelatione*. Hi sunt exc.mi PP. DD. Armandus Fares, arch. Catacen. in Italia; Aloisius Carli, ep. Signinus in Italia; Constantinus Caminada, ep. Ferent. in Italia; Paulus Barrachina, ep. Oriolen. in Hispania; Aemilianus Čekada, ep. Scopien. in Jugoslavia; Hermannus Volk, ep. Moguntin. in Germania; rev.mus D. Ioannes Ferreira, praef. ap. in Guinea Lusitana; exc.mi DD. Petrus Boillon, ep. Virodunen. in Gallia; Carolus Maccari, arch. ep. Montis Regalis in Pedemonte in Italia; deinde sequuntur Patres duo, qui nomine 70 verbo uti petierunt circa idem schema. Hi sunt: exc.mi DD. Annibal Muñoz, arch. Neopampilonen. in Columbia; Ioannes M. Gonzalez, ep. tit. Oxyrynchitanus.

Postea incipiet disceptatio circa schema *de apostolatu laicorum,* sed nomina eorum, qui petierunt loqui, legam tempore suo.

Nunc, Patres venerabiles, propono suffragationem circa integrum cap. I schematis *de Oecumenismo*. Videatis pag. 5 fasciculi. Concedatis mihi, Patres, ut legam tantum initium et finem, ne raucae fiant fauces meae... [*cf. vol. III, pars II, pag. 296-301*].

Ergo, Patres venerabiles, *placet, non placet* an *placet iuxta modum* hic textus? Ergo per tres formulas suffragium dari potest. Qui tamen dicit *placet iuxta modum,* det assignatoribus locorum una cum schedula etiam modos scriptos, ratione quam saepius explicavi. Gratias.

EXC.MUS P. D. CAROLUS HELMSING
Episcopus Kansanopolitanus - S. Ioseph

RELATIO

SUPER CAPUT II (*De Oecumenismo*)

Introductio: Post secundam Concilii sessionem, multas animadversiones Patrum circa Caput II, tam verbis in Aula quam epistolis traditas, Secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam, gratulanter recipiens, usque ad hos ultimos dies diligenter studuit ac comparavit, omnes suggestiones et emendationes mature considerans secundum uniuscuiusque numerum, pondus et mensuram. Aliqua ergo in Caput II introducta sunt secundum Patrum Concilii desideria.

Ratio Capitis: Postquam Capite I generaliter natura motus oecumenici hodierni eiusque relatio ad Ecclesiae naturam describuntur, utile est huius motus relationem ad vitam Ecclesiae et singulorum pastorum et fidelium in lucem ponere.

Ratio votationum: Inde clare apparent Capitis II structura et ratio votationum:

I. Desiderium profundioris unitatis ad Ecclesiae renovationem pertinet, nec potest separari ab omnibus illis modis quibus Ecclesiae vita, pastorum vocatio evangelizandi, et fidelium pietas et apostolatus, hodie prudenter ac firmiter ad pleniorem perfectionem tendunt. Haec renovatio Ecclesiae non tantum abstracta vel theoretica remanere debet, sed nata est ad profundam transformationem vitae singulorum fidelium ducere. – De hoc fiet votatio I, circa numeros 5 et 6.

II. Omnes ergo instanter invitantur, numero 7, ad conversionem cordis, ita ut, conscientiam suam examinando, etiam culpas contra unitatem corde et, tempore opportuno, ore quoque confiteantur, et magis ac magis ad puritatem vitae secundum Evangelium adspirent. – De hoc fiet votatio II.

III. Ad hanc conversionem cordis promovendam valde utilis est, immo et necessaria, oratio pro unitate, quam oportet ubique suscitare et, rerum adiunctis consideratis, etiam in fraterna consociatione cum Christianis Orthodoxis et Protestantibus. Ideo permulti Patres postulaverunt ut Decretum de Oecumenismo aliquod positivum principium proponat circa communicationem in sacris, ita ut, iudicio auctoritatis episcopalis, id est, sive Ordinarii loci, sive Conferentiae Episcopalis, omnes Christiani possint in communibus, etiam liturgicis, orationibus

saltem ad tempus coadunari. Quia rerum adiuncta valde differunt in diversis regionibus, tale principium debet esse sat generale, ita ut Episcopi possint de singulis casibus iudicare et Christifideles instruere secundum prudentiam. Hoc principium, ex duabus — ut ita dicam — dialecticis partibus constans, in ultima paragrapho numeri 8 invenitur. – De oratione unanimi et de generali principio circa communicationem in sacris fiet votatio III[a] nostri capitis.

IV. Ecclesiae renovatio, conversio cordis et unanimis oratio desiderium postulant melius cognoscendi nostros fratres Christianos etiam a nobis seiunctos. Varia media ad eorum meliorem cognitionem indicantur numeris sequentibus: numero 9, organizatio institutorum et, ut dicitur, dialogorum; numero 10, investigatio rerum oecumenicarum in cleri formatione et in fidelium instructione, quod, sicut indicatur numero 11, multum contribuere deberet ad claram et integram doctrinae fidei expositionem in dialogis oecumenicis, ubi, dicendo veritatem in caritate, tam falsum irenismum quam duritiam cordis et superbiam intellectus vitare oportet; vel etiam, numero 12, practica cooperatio cum omnibus Christianis ad promovendum bonum civitatis christianae et saecularis, ut omnes homines possent et vellent dirigere pedes suos in viam pacis. – De his punctis fiet votatio IV[a].

Conclusio

Sic, Patres venerabiles, Caput II schematis de Oecumenismo, si vobis placet, Ecclesiae renovationem favere potest, enucleando principia relationis motus oecumenici ad Sanctae Matris Ecclesiae vitam, et ita, ut optandum est, inspirando Episcopos et pastores animarum ad activitatem oecumenicam in singulis locis promovendam atque regulandam.

Iuxta desiderium plurimorum Episcoporum, Secretariatus ad Christianorum Unitatem Fovendam aliquod Directorium Oecumenicum elaborare et publicare intendit. Rogamus ergo Patres Concilii, ut de desideriis suis in concreto mentem Secretariatui aperiant, atque eos qui de activitate oecumenica experientiam in singulis regionibus iam habent, ut suggestiones et consilia mittant, ita ut hoc Directorium omnibus satisfacere possit.

Moderator: Enixe gratias agimus exc.mo relatori et omnibus, qui in conficiendo capitulo strenue cooperati sunt. Et nunc loquatur exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Propono textum VI suffragationis, circa cap. II scil. videatis pag. 14 [*cf. vol. III, pars II, pag. 305, nn. 5-6*].

Placetne an non placet? Nunc formula adhibenda est tantum *placet* vel *non placet.*

Moderator: Transeamus ad disceptationem de schemate *de revelatione divina* a cap. III usque ad cap. VI.

1

Exc.mus P. D. ARMANDUS FARES

Archiepiscopus Catacensis-episcopus Squillacensis

Em.mi ac rev.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres conciliares,

In nostra aetate quae magnopere inhaeret studiis historicis, non raro quaedam criteria in usu veniunt vel supponuntur vel tacite ab omnibus admitti aestimantur, quae historicismo potius quam historiae favent; insuper haec eadem criteria studiis religionis vel religionum applicata, modo saepe saepius exaggerato urgentur. Prae oculis habita hac modernorum mente, mihi sequentia liceat adnotare:

1. In cap. IV, *de Vetere Testamento,* in n. 14, non erit inopportunum ut quaedam verba adiungantur ex quibus in maiorem lucem ponatur *veritas historica* quae, argumentis sive extrinsecis sive etiam intrinsecis — et prae oculis habitis rationibus generis litterarii — convenit multis *libris Veteris Testamenti.* Tali modo animum etiam adderemus nostris introductionis biblicae et exegeseos cultoribus, qui labore non minimo satagunt ut momento quod inest doctrinae revelatae fundamentum vere solidum addatur, i. e. fundamentum vere historicum. Praeterea ostenderetur quanti reapse faciamus exigentias quae in hac materia a nobis requiruntur, cum agatur de religione, et quidem de religione revelata, quae in ipsa ordinatione Providentiae divinae fuit vera praeparatio ad Christum.

2. Hoc idem maiorem vim accipit, uti evidens est, cum de indole historica Evangeliorum sermo fit: quod habetur in textu huius constitutionis in cap. V, ad n. 19.

Unum tamen adnotare desidero. *Resumo quae scripsi* [1]: In notis ad hunc textum citatur documentum recentissimum quod, approbante Summo Pontifice Paulo VI fel. regn., editum est a Pontificia Commissione de Studiis Biblicis ...[2]. Documentum hoc inscribitur: « Instructio de historica Evangeliorum veritate » et incipit illis verbis: « Sancta Mater Ecclesia ». Principia summa, quae in hac Instructione inveniuntur,

breviter, immo brevissime recolliguntur in hoc n. 19 textus constitutionis *de divina revelatione.* Nunc vero: *optarem, prae oculis habente differentiam inter textum conciliarem et textum qui habetur a Commissione biblica ut* [3] in re tanti momenti, qualis est ratio historica Evangeliorum circa quam nullum potest et debet subesse dubium sive inter fideles sive inter non-fideles, *optarem* [4] ut in textu conciliari *amplior* de hac re fiat tractatio. Ita ex pleniore et manifestiore declaratione Concilii quaecumque dubitatio hac in re tolleretur, et ipsa Instructio maiorem vim acciperet.

Ad cap. VI quod attinet, i. e. *de Sacra Scriptura in vita Ecclesiae,* duo etiam adnotare vellem.

1. De collaboratione inter exegetas et theologos. Gratum animum exprimimus iterum atque iterum omnibus cultoribus studiorum Sacrae Scripturae et Sacrae Theologiae; insuper ipsis Institutis Superioribus de re biblica quae tantum decorem conferunt Ecclesiae in campo scientifico, omnibus Studiorum Theologicorum Universitatibus necnon Athenaeis, Academiis etc. quae ad profundiora studia impulerunt quotquot, sub ductu Ecclesiae, in depositum divinae revelationis acies mentis suae fixerunt.

Sed salvis methodis quae unicuique disciplinae sunt propriae; salva libertate, religiosa *quidem* [5] prudentia corroborata, qua necesse est indagines et investigationes facere; semper intacto manente principio de omnimoda inerrantia Sacrae Scripturae, tamquam immediato consectario ipsius divinae inspirationis, « ut ea per se ipsa — uti ait Leo XIII ...[6] et fortiter iterum asserit Benedictus XV ...[7] — non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse ». *Salvis ergo istis,*[8] *auspicamur* maiorem collaborationem inter exegetas et theologos, ut amplior et tutior progressus fiat in scientia Dei in Ecclesia.

Collaboratio — inquam — qua collatis consiliis, conatibus et investigationum fructibus, reapse omnes conspirent ad veritatem inquirendam; ad textus scripturales in suo vero et profundiore sensu investigandos; ad argumenta ex iisdem vere valida obiective et iuxta traditionem doctrinalem Ecclesiae apparanda; ut *sic* probetur, firmetur, defendatur et applicetur, etiam in campo pastorali, veritas Ecclesiae seu *veritas* [9] quam Ecclesia per divinam revelationem filios suos docet, et eorum fidem nutrit.

2. Ad n. 25: « Lectio Sacrae Scripturae commendatur ». Ne videatur in Ecclesia negligi Sacra Scriptura, praesertim quod divulgationem

in populo christiano spectat, puto non esse sufficientia quae leguntur in pag. 45, n. 25, lin. 40 etc. in folio sequenti, de versionibus librorum *Sacrae Scripturae, etc. in populo diffundendas.*[10]

Dicatur aliquid etiam de incoeptis quae iam magnos fructus in populo fideli attulerunt; et sic addatur animus consociationibus biblicis — ad mentem tamen Ecclesiae dirigendis —; illis incoeptis quae dicuntur « Gruppi del Vangelo », « missiones » biblicae, sicut fient hic Romae in currenti octobri mense; lectiones per epistolas (Scuola per corrispondenza) quae magnum favorem in Italia obtinuerunt ab ipsa Sacra Congregatione Concilii; et quaecumque alia zelus pastorum invenire et suggerere potest ad Christi Domini sanctum Evangelium diffundendum.

« Vae mihi si non evangelizavero! » ...[11] aiebat Apostolus *Paulus.*[12] Et nos, venerabiles Fratres, nullis parcamus laboribus ut Evangelium Christi praedicemus, ipsum sacrum librum praesentando, in quo Magister noster Christus Dominus monstratur: *via et veritas et vita* ...[13]. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] die 14 maii c.a. 1964 (approbatio data est die 21 aprilis c.a.). [3] attenta differentia valoris qui tribui debet documento quod emanatur a Concilio Oecumenico — sicut est praesens Constitutio, licet non habeat in sua inscriptione vocem « dogmatica », attenta indole pastorali ipsius Concilii — prae valore qui agnosci debet praedictae Instructioni, licet ipsa emanata sit a Commissione, et quidem pontificia, et quidem cum approbatione Papae, ego optarem. [4] deest. [5] deest. [6] (in Enc. *Providentissimus*: *DB* 1951). [7] (in Enc. *Spiritus Paraclitus*: *DB* 2186). [8] deest. [9] deest. [10] sacrorum etc. [11] (*1 Cor.* 9, 16). [12] deest. [13] (*Io.* 14, 6).

Secretarius generalis: Propono textum suffragationis VII, pag. 14 n. 7 [*cf. vol. III, pars II, pag. 306*].

Placetne an non placet hic textus?

2

Exc.mus P. D. ALOISIUS CARLI

Episcopus Signinus

Venerabiles Patres,

Omissis laudibus ceteroquin debitis, animadversiones meas in cap. V et VI partim scripto, ob temporis angustiam, partim oretenus vobis propono.

Animadversio I.[1] N. 19, in pag. 38, insufficiens mihi videtur ad satisfaciendum expectationi sive fidelium, sive pastorum animarum, sive ipsius Summi Pontificis cupientis ut Concilium « sacrum depositum veritatum a Deo traditarum tueatur adversus errores, abusiones, dubitationes » hodie in re biblica grassantes ex incauto usu et abusu theoriae sic dictae « Formgeschichte ». Sic frustratur exigentia maximi momenti pastoralis, cum tota vita supernaturalis et moralis christianorum fundetur super veritatem historicam Evangelii. Etenim:

a) Omissio illius brevis praeambuli, quod in vetere schemate legebatur (pag. 37, in parte sinistra linn. 31 s.), novum schema reducit, hac in re, ad elucubrationem quandam atemporalem scil. non reflectentem hodiernam praeoccupationem Ecclesiae, neque animum legentium excitantem ad huius argumenti momentum. Quod e contra factum legimus in aliis schematibus (v. g. *de Oecumenismo, de B. M. Virgine, de Iudaeis*);

b) Etsi schema dicat Evangelia vere tradere quae Iesus Dei Filius, vitam inter homines degens, ad eorum aeternam salutem reapse et fecit et docuit, tamen nihil dicit de veritate historica eorum dictorum et factorum quae Evangelia aliis tribuunt (v. g. in Evangelio infantiae), vel Iesum respiciunt ante vel post eius vitam terrestrem;

c) Etsi schema dicat evangelistas « vera et sincera de Iesu nobis communicare voluisse », tamen manet adhuc quaestio agaturne de veri nominis historia, in omnibus et singulis suis partibus, eo vel magis quod e novo textu exciderit, nescio cur, vocabulum « *historia* », quae in priore textu legebatur ...[2].

Animadversio II.[3] In pag. 43, lin. 13, *cap. VI,*[4] etsi per formulam grammaticaliter fortassis ambivalentem, scil. « una cum traditione », recte tamen dicitur non solum S. Scriptura sed et traditio semper habita ab Ecclesia tamquam suprema suae fidei regula. At mirum est quod statim, in lin. 20, de una Scriptura, reticita traditione, affirmetur omnem praedicationem omnemque religionem ad Scripturam respicere debere tamquam ad normam et auctoritatem quibus regantur et iudicentur.

Insuper in lin. 16, textus ita sonare videtur ut uni Scripturae tribuatur illa immutabilitatis indoles, quae regulae fidei competit, quasi traditio huius immutabilitatis sit omnino expers.

Ad has igitur inconcinnitates et lacunas auferendas, textum ita emendandum propono ...[5]: « *Sacram traditionem* Sacrasque Scripturas Ecclesia semper habuit *et habet* sicut *unam eamque* supremam fidei suae regulam, cuius auctoritate omnis praedicatio ecclesiastica *atque adeo ipsa* religio christiana *ultimatim* regitur et iudicatur. Sacris tamen Scripturis *id peculiare Ecclesia tribuit* quod, cum a Deo inspiratae sint,

ipsius Dei verbum impertiunt atque, *per scripta* prophetarum apostolorumque, vocem Spiritus Sancti personare faciunt, *et* insuper illam immutabilitatis indolem, quae regulae fidei *propria est, clarius manifestant* ».

Animadversio III.[6] In toto cap. VI traditio bis tantum, et quidem obiter et in obliquo, commemoratur ...[7]. Unde fieri non potest quin legenti persuasio ingeratur traditionem nullum prorsus influxum, nihil omnino conferre ad vitam Ecclesiae.

Quod neque verum est, neque congruit v. g. cum S. Basilio Magno aiente « utraque vim eamdem habere ad pietatem », traditionem « multum habere momenti (*PG* 27, 66), aut cum Tridentino statuente utraque « pari pietatis affectu ac reverentia » suscipienda ac honoranda esse (*DB* 783).

a) Constat enim in Ecclesia primaeva verbum Dei traditum maximum habuisse influxum in vita ipsius. Ante efformationem Scripturae N. Testamenti, unice verbo Dei tradito Ecclesia nutriebatur et crescebat. Immo ipsa Scriptura, in sinu et e sinu traditionis orta est et ad ipsam, tamquam ad sui complementum et explicationem, saepe appellat. Denique de ipso verbo per praedicationem tradito (et non, ut saepe schema abutitur, de verbo scripto) praeclaras invenimus laudes in Scriptura, iuxta quam verbum praedicationis apostolicae est « verbum salutis » ...[8], « verbum veritatis » ...[9], « verbum gratiae Dei » ...[10], « verbum vitae » ...[11], « verbum auditus Dei *quod* operatur in *n*obis » ...[12], « sermo Dei » qui currere et clarificari debet ...[13], verbum denique quod « potens est aedificare et dare hereditatem in sanctificatis omnibus »...[14].

b) Sed quid de vita Ecclesiae ceterorum temporum? Numquid verbum Dei traditum evanuit, aut elanguit, aut breviatum est? Minime vero! Sacra enim traditio etiam hodie revera exsistit, et quidem ad divinam revelationem aequo iure ac Scriptura pertinens — et hoc est dogma fidei —; ideo non possumus suspicari traditionem hodie nihil ad vitam Ecclesiae conferre, tamquam si amplius non exsisteret aut non esset et ipsa vivus et efficax sermo Dei.

Exc.mus relator maioritatis nuper admisit Scripturam non tantum vim et actuositatem suam a traditione accipere, verum etiam de sua integra exsistentia ac natura irrefragabile testimonium — quam ideam, verissimam et optimam, frustra in toto schemate quaesivi, sed non inveni! Si igitur unice ex traditione certo constare potest Scripturam esse revera verbum Dei inspiratum ideoque infallibile, ferrea logica, quae profecto fortior est diplomatico silentio schematis, nos obligat ad traducenda illa facta in haec principia, nobis cum fratribus orthodoxis communia: *nempe*[15] traditionem quantitative plus patere quam Scri-

pturam; traditionem habere fundamentale et semper validum momentum pro vita Ecclesiae.

Concludo. Ne ergo silentium cap. VI aequivalere videatur affirmationi inexsistentiae vel saltem inefficacitatis traditionis aut sufficientiae unius Scripturae, propono ut:

1. Titulus cap. VI ita mutetur: « *De verbo Dei revelato* in vita Ecclesiae ».

2. Subtitulus n. 21 sic mutetur: « Ecclesia *verbum Dei revelatum* veneratur », et totus n. 21 recognoscatur iuxta dicta et scripta ...[16].

3. *et ultimo.*[17] Firmis manentibus, etsi forsan aliquantisper contrahendis, quae optime dicuntur de studio et usu S. Scripturae, expresse affirmetur etiam traditionem momentum ac valorem suum habere pro vita Ecclesiae in genere et pro theologia et exegesi in specie ...[18] Deinde docti viri catholici revocentur expresse ad officium studendi etiam traditioni in suis genuinis monumentis, et praesertim in SS. Patribus sive orientis sive occidentis, et in SS. Liturgiis.

Sic puto introduci posse in schemate illud sanum aequilibrium illaque iusta proportio, quibus absentibus sacra traditio, de facto, ad « cenerentulam » quamdam reduceretur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] I. [2] II. In n. 20, pag. 38, lin. 35, auferatur vox « apostolica » ne videatur Concilium calculum suum adiicere sententiae tenentium non omnia scripta, praeter Evangelia, Novi Testamenti habere auctores illos apostolos quibus adscribuntur. Relinquatur quaestio liberae exegetarum disputationi. III. In cap. VI minus placet quod in pag. 43, lin. 12 verbum Dei scriptum et Verbum Patris Incarnatum vere realiter et substantialiter in Eucharistia praesens, in eodem veluti plano ponantur ac, nulla adiecta significationis differentia, ambo vocentur « panis vitae ». Revera in N. T. haec locutio soli Eucharistiae reservatur (cf. *Io.* 6, 33-52; *1 Cor.* 10, 16-17); neque in V. T. unquam invenitur verbum Dei vocatum « panis vitae » (difficultatem non faciunt neque *Deut.* 8, 3 neque *Eccli.* 15, 3 iuxta graecum). Ni fallor, similitudo duarum mensarum desumpta est ex libro « De Imitatione Christi » (IV, c. XI); at ibi bene distinguitur inter mensam sacram altaris, unde « panis sanctus » seu « panis vitae », i. e. « Christi Corpus pretiosum » sumitur, et mensem divinae legis unde « lux animae », i. e. « doctrina sancta » et « divina lex » sumitur. Item minus placet quod in pag. 43, lin. 29 S. Scriptura sic et simpliciter dicatur « vitae spiritualis fons », ac si ipsa, ad instar cuiusdam sacramenti, gratiam sanctificantem, in qua una spiritualis vita reapse consistit, conferret. [3] IV. [4] deest. [5] linn. 13-24. [6] V. [7] (pag. 43, lin. 13 et pag. 45, lin. 1). [8] (*Act.* 13, 26). [9] (*Eph.* 1, 13). [10] (*Act.* 14, 3). [11] (*Phil.* 2, 16). [12] (*1 Thess.* 2, 13). [13] (*2 Thess.* 3, 1). [14] (*Act.* 20, 32). [15] deest. [16] eo vel magis quod citatio initialis S. Irenaei sese refert sive ad traditionem sive ad Scripturam. [17] deest. [18] (et sub hoc respectu dolendum est quod in quibusdam schematibus, v. g. de B. M. Virgine, et de revelatione, tam parce recursus factus sit ad traditionem!).

3

EXC.MUS P. D. CONSTANTINUS CAMINADA
Episcopus Ferentinus

Venerabiles Patres,

Schema optime commendat lectionem Sacrae Scripturae, praesertim Novi Testamenti et imprimis Evangeliorum. Sed diffundere Scripturam inter fideles *sine ullo discrimine* reale periculum pro multis evadere potest.

Certissime enim verbum Dei est bonum semen; attamen ipse Christus — in parabola de seminante — loquitur de *terreno,* in quo bonum semen cadere potest; secus viam, supra petras, inter spinas ...[1].

Quot christiani similes sunt viis sterilibus, petris, spinis?...

Apostolus Paulus, in epistula prima ad Corinthios, confitebatur: « Lac potum vobis dedi, non escam; non enim poteratis; sed nec nunc quidem potestis; adhuc enim carnales estis »...[2].

Permulti christiani *hodie*[3] vere carnales sunt. Non pauci ignorant prima elementa christianae doctrinae. Quomodo possunt — *sine ullo periculo* et *vere utiliter* — Sacrarum Scripturarum solidam escam manducare?...

Apostolus Petrus christianis scribebat de S. Pauli epistulis et, generice, de Sacris Scripturis: « ... in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant — sicut et ceteras Scripturas — *ad suam ipsorum perditionem* » ...[4].

Nonnulli ad utilitatem probandam lectionis Sacrae Scripturae ex parte omnium fidelium citant S. Pauli verba: « Omnis Scriptura, divinitus inspirata, utilis est... ». Sed apostolus prosequitur dicendo: « ... ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia » ...[5].

Verba ista evidenter valent, imprimis et specialissime, non pro laicis sed pro pastoribus animarum, qui debent docere, ...[6] corripere, erudire et debent igitur haud dubio optime cognoscere totam Scripturam. Et ideo opportunum erit inserere in novo Codice Iuris Canonici obligationem quotidie legendi Sacram Scripturam, sicut habetur in Codice pro Orientalibus. Immo clerici, in scholis theologicis, legere deberent ante sacerdotium totam Bibliam.

Multae editiones — sic dictae « populares » — non respondent, in suis brevissimis et paucissimis explicationibus, problematibus quae verba divina frequenter ponunt et quibus saepe difficulter *etiam*[7] ipsi exegetae respondere sciunt. Lectio Scripturae ita fit frequenter, in multis lecto-

ribus, causa fidei dubiorum ...[8]. Experientia docet difficultates rectae interpretationis verbi Dei augeri in lectoribus intelligentioribus.

Licitum non est postulare a Spiritu Sancto perennis illuminatio mentis prorsus miraculosa!

Dixit Philippus ministro reginae Candacis, qui legebat Isaiam prophetam: « Putasne intelligis quae legis? ». Respondit potens minister: « Et quomodo possum si non aliquis ostenderit mihi? » ...[9].

Eamdem responsionem dare possent permulti lectores editionum Sacrae Bibliae sine sufficientibus adnotationibus: « Quomodo possum si non aliquis ostenderit mihi? ».

Certe bonus pastor debet aperire ovibus suis libros Sacrae Scripturae et, imprimis, diffundere Sanctum Evangelium. Novi parochum qui, in decem annorum spatio, legit suis fidelibus, diebus dominicis, totam Bibliam.

Perutilia erunt pro populo christiano anthologica biblica ex bene selectis paginis omnium Sacrorum Librorum sufficienter explicatis.

Valde commendanda sunt incepta italice dicta « Corsi biblici per corrispondenza » *et « gruppi del Vangelo »*.[10]

Sed, potissimum, omnes editiones Sacrarum Scripturarum instructae esse debent necessariis et vere et realiter sufficientibus explicationibus ut tuto ac utiliter Ecclesiae filii cum verbis Dei conversentur eorumque spiritu imbuantur.

Secus bonum semen vel conculcatur, vel volucres comedunt, vel non nascitur, vel a spinis suffocatur, vel — ut docet apostolus Petrus — fit depravationis causa.

In textu scripto tradito: [1] (*Lc.* 8, 5 ss.). [2] (*1 Cor.* 3, 2). [3] deest. [4] (*2 Pt.* 3, 16). [5] (*2 Tim.* 3, 16). [6] arguere. [7] deest. [8] et spiritualium tragaediarum. [9] (*Act.* 8, 26 ss.). [10] deest.

Secretarius generalis: En, venerabiles Patres, textum VIII suffragationis, pag. 15 n. 8 [*cf. vol. III, pars II, pag. 306-307*]. Placetne an non placet?

4

EXC.MUS P. D. PAULUS BARRACHINA ESTEVAN
Episcopus Oriolensis-Lucentinus

Venerabiles Patres et carissimi auditores et Observatores,

Cap. VI, in multis bonum, non est quod nobis sperare licebat, quoad eius valorem pastoralem.

A) N. 21 incipit loquendo de veneratione Ecclesiae erga Sacram

Scripturam. Et merito quidem. Sed haec veneratio fundatur formaliter in divina inspiratione Libri Sacri, Ecclesiae traditi.

Hic numerus, nihilominus, nimis insistit in immutabilitate Sacrae Scripturae, ita ut hanc immutabilitatem proponat tamquam ultimam rationem huius venerationis. Ait enim, lin. 15, confusionem provocans: « cum non tantum inspiratae sint etc., sed insuper illam immutabilitatis indolem etc. ». Immutabilitas, enim, est implicata in inspiratione Sacrae Scripturae, Ecclesiae traditae. Et si de immutabilitate agimus seorsum, est ut res magis explicita evadat.

B) Statim, post venerationem sic breviter stabilitam, loqui oporteret, in eodem numero, de transcendentia, seu momento vitali Librorum Sacrorum in Ecclesia. Sed haec transcendentia, similiter, fundari debet, non ultimo in absentia erroris, sed in divina inspiratione. « Quaecumque scripta sunt — ait S. Paulus — ad nostram doctrinam scripta sunt » ...[1]. De quorum doctrina et utilitate agere debet schema.

Ita saepe S. Paulus. Et eodem modo se proferunt Sancti Patres ...[2] (Relationes trado secretariatui generali).

Divus Thomas, de prophetia tractans (II-II *etc.*[3]) docet prophetas primo moveri ad cognitionem; sed secundo ad locutionem. Scil.: prophetas ad manifestationem illarum veritatum teneri; ob eorum momentum et utilitatem pro nobis. Quae quidem est ratio totius revelationis.

Et Concilium Vaticanum I, contra Holden, haec definivit: « libros, Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo... dumtaxat quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem ...[4] ». Ita etiam Pius XII in *Divino afflante Spiritu*.

Hic modus procedendi, nimis inerrantiam instans, et non ita rationem inspirationis, non fuit consuetudo primaeva, primis saeculis Ecclesiae orta: debetur saec. XVI, et suum maximum incrementum accepit in disputatione adversus rationalismum. Tunc quidem maximae necessitatis fuit loqui de inerrantia. Sed haec consuetudo, cum nimis in tempus protracta fuerit, magis negative de libris ...[5] *loquens*[6] Sacra Scriptura passim considerata fuit: ut liber hominum disputationum, liber sensus et interpretationis difficilis et ancipitis, liber scil. pro peritis et professoribus.

Nec satis. Multoties in nostris aulis et nostrorum libris, verba Sacrae Scripturae adhibita sunt uti media ad nostra schemata intellectualia propugnanda.

Propter haec facta historica, maxima intercedit distantia inter exegetas et dogmaticos ex una parte, et theologos et pastores ex alia. Et

ita liber sacer non fuit, proh dolor!, liber vitae, liber communitatis ecclesialis, liber — re vera — verbum Dei. Difficultas nonnullorum locorum Sacrarum Scripturarum non potest sese opponere maximae necessitati eorum lectionis et formationis.

Cuius processus historici sequelae adhuc in nostro cap. VI apparent: Quibus suppositis, iudico:

I. Prima virtualitas pastoralis — de qua agere deberet istud caput et quidem primo loco — est relatio ad communitatem ecclesialem uti talem.

a) Lectio biblica intelligebatur celebranda ecclesialiter, vel socialiter. Ecclesia congregabatur ad verbum Dei audiendum et interpretandum. Quae consuetudo iam constat in historia Veteris Testamenti. Ita Moyses, ut legitur in Exodo ...[7]. Ita Esdras *ut suo libro legitur.*[8]

Quibus suppositis, non est mirandum de consuetudine apostolorum legendi Scripturas per omne sabbatum in synagoga et eas postea interpretandi. Ita evenit in Antiochia Pisidiae: « Post lectionem autem Legis et Prophetarum — die sabbatorum — surgens Paulus et manu silentium indicens etc. » ...[9].

Eodem modo in synagoga Thessalonicae; legitur enim: « Secundum consuetudinem autem Paulus introivit ad eos, et per sabbata tria disserebat eis de Scripturis » ...[10]. Et sic Corinthi, Ephesi etc.

Quae, ita sunt vera, ut possit dici in Actibus Apostolorum, ut maxima expressio facti lectionis ...[11] eiusque transcendentiae in communitate: « Et Verbum Dei crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum » ...[12].

b) Quae lectio assidua ecclesialis, et interpretatio *consequens,*[13] efformat theologiam communitatis, seu catechismum communitarium, scil., cumulum veritatum, quae penes omnes erant et ipsam vitam publicam ordinabant. Ut videre est in efformatione Ecclesiae romanae, Ephesi et Corinthi. (Argumenta tradam secretariae generali) ...[14].

c) Haec lectio Sacrarum Scripturarum earumque interpretatio tanti momenti considerabatur, ut non tantum esset optima praeparatio ad « fractionem panis », qua maior non datur actio communitaria in Ecclesia; sed in integra actione culturali Ecclesiae maximum influxum habuit.

Nihil ergo mirum quod S. Augustinus audeat interrogare: « Quid vobis videtur plus esse, verbum Dei an Corpus Christi? Si verum vultis respondere, hoc utique dicere debetis, quod non sit minus verbum Dei quam Corpus Christi » ...[15]. Comparationem simpliciter relinquendo, haec affirmare audemus: Tum Verbum Dei tum Corpus Christi

sunt omnino essentialia in Ecclesia. Utrumque requiritur, tum ad aedificationem socialem Corporis mystici Christi, tum ad formationem individualem uniuscuiusque ...[16].

Quia sic historice non evenit: *a*) nostra vita christiana deformata aliquantulum fuit; *b*) practicae sacramentariae non omnes fructus salutares in nobis obtinuerunt. Ut haec formatio biblica re vera obtineatur, urgens apparet evolvere illam felicem expressionem « mensa verbi » ...[17].

II. Postquam locutum est caput de virtualitate pastorali verbi Dei relate ad communitatem ecclesialem, non potest oblivisci *familia christiana,*[18] in qua prima et praecipua lectio deberet esse Sacrarum Scripturarum.

Agere denique deberet de individuis, et praesertim de laicis, in numero pro ipsis parato. Quamvis enim in n. 22 dicitur: « Christifidelibus aditus ad Sacram Scripturam late pateat *oportere* [19] », de his tantum agitur vel ratione versionum, vel agendo de doctoribus catholicis, vel parvi *pendentes illos.*[20]

Ut conclusionem affirmo: novam ordinationem cap. VI stabiliendam esse, in qua haec tria capita non possent deesse.

1. De veneratione et transcendentia vitali Sacrae Scripturae.

2. De eius virtualitate pastorali in communitatem ecclesialem, in familiam et in *individuos.*[21]

3. De interactione lectionis Sacrae Scripturae et sacramentorum ...[22]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Rom.* 15, 4). [2] (*PG* 45, 741; *PG* 29, 209). [3] q. 171 et 173. [4] atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt (*EB* 77). [5] sacris. [6] loquendo. [7] (24. 3). [8] (10, 5) etc. [9] (*Act.* 13, 15-16). [10] (*Act.* 17, 2). [11] Sacrae Scripturae in Ecclesia. [12] (*Act.* 6, 7; 12, 24; 19, 20). [13] deest. [14] 1. Quando Paulus ad Romanos scribit, a. 57 vel 58, illa communitas composita est ex maxima parte gentilium et nonnullorum hebraeorum, est optime formata, possidet illam theologiam, ita Sacrae Scripturae conformem, ut eorum fidem ut exemplar exhibeat. Sic potest dicere: « fides vestra atque mea » (1, 13). Immo loquitur de fide et veritatibus ab illis possessis ita ut « fides vestra annuntietur in universo mundo » (1, 8). Quae non sunt mere intellectualia, sed corde profitentur in aliorum exemplum. Dicit enim: « et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ut possitis alterutrum monere » (15, 14). 2. Et Timotheo, capiti Ecclesiae Ephesinae, dicit, ne forte ipse Paulus cito redire valeat: *a*) quomodo illum oporteat in domo Dei — in illa communitate nempe — conversari, quae est Ecclesia Dei vivi (*1 Tim.* 3, 15); *b*) loquatur de mysterio Christi, in communitate assimilato, quod in Scripturis, iam ab infantia, didicit (*2 Tim.* 3, 15); *c*) hymnum recitet, fortasse dominii illius communitatis (*1 Tim.* 3, 16). [15] (*PL* 39, 2329). [16] membri. [17] et quidem in interactione cum re sacramentaria. [18] familiam christianam. [19] opor-

tet. [20] pendens illos relinquendo ut attendat ad sodales religiosos. Et ideo ille aditus non clare apparet. [21] individua. [22] seu de eorum mutua relatione in vita Ecclesiae.

Secretarius generalis: Patres ornatissimi, SS. Dominus Noster suum desiderium manifestavit ut in congregationibus generalibus, iis praesertim in quibus disceptaretur de sacerdotibus partem haberent tamquam invitati, ut patet, aliqui parochi. Igitur invitabuntur parochi.

Non omnes uti patet. Sed aliqui pauci, admodum pauci, qui tamen possint revera omnes parochos repraesentare [*fit plausus*]. Haec secretaria mittet litteras quibus hi parochi invitantur sub designatione Ordinariorum, eorum Ordinariorum a quibus petetur, uti patet.

Et nunc lego textum suffragationis nonae, quae ni fallor ultima est hoc mane. Pag. 15, n. 9. Lego festinanter, Patres venerabiles, nam textum prae oculis habetis [*cf. vol. III, pars II, pag. 307-308, nn. 9-12*]. Placetne an non placet, Patres venerabiles?

5

EXC.MUS P. D. AEMILIUS ČEKADA
Episcopus Scopiensis

Venerabiles Fratres,

Loquor de cap. VI schematis *de divina revelatione*. Post tot doctissimos interventus Patrum, qui suam eruditionem theologicam coruscare fecerunt in disceptatione schematis *de divina revelatione,* audiatur, quaeso, etiam simplex vox pastoris. Sincere fateor, me non esse competentem seu habilem in hac controversa materia dicere verbum, quod praeponderantem valorem praestare posset huic vel isti sententiae inter diversas in hac aula conciliari agitatas. Sunt etenim quaestiones, de quibus his diebus disputabatur, valde implicatae, immo et obscurae, praesertim cum de Sacra Scriptura sermo fit, ita ut nobis omnibus in hac materia solum cum maxima circumspectione progredi fas sit. Quod ad me attinet, nihil melius ego invenio nisi ut in plena sinceritate repetam verba S. Augustini: « Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae catholicae commoveret auctoritas! » ...[1].

Sane, non est parum suum intellectum « in captivitatem redigere in obsequium Christi » ...[2], sed propterea speramus fore, ut nostra humilis fides magnam habeat remunerationem in caelis ...[3].

At contra: caput schematis, de quo nunc sermo agitur, non laborat difficultatibus. Si Sacra Scriptura est verbum Dei vivi et veri, si est

mensa caelestis, ad quam recipiant oportet alimenta vitae et veritatis omnes filii Ecclesiae, tunc nostrum est omne studium adhibere, ut haec spiritualis alimonia omnibus catholicis praesto sit, quo ab omnibus assequi et manducari possit.

Sed quid, proh dolor, videmus? In catholicis nationibus ignorantia Scripturarum maxime floret vel, rectius dictum, grassatur. Protestantes necnon asseclae sectarum, quae ex protestantismo ortum ducunt, in cognitione Scripturarum iam dudum nos antecesserunt. Veritatem vobis dico: etiam nunc existit regio cum natione quadam antiqua et veneranda necnon bene merita de re catholica in saeculis praeteritis, quae nondum habet versionem completam nec solius Novi Testamenti. Similia dici possunt adhuc de una vel alia gente catholica — quin de recentibus nationibus mentionem faciamus —, quae demum ante paucos annos fortunam expertae sunt completam totius Sacrae Scripturae versionem in linguam vulgarem modernam habendi.

Ecce, fratres carissimi, campus inaratus, ubi pro apostolatu veritatis et dilatatione regni Christi immensa nobis praestant! « Levate oculos vestros et videte regiones, quia albae sunt iam ad messem » ...[4]. Nonne Africa, Asia et Oceania cum innumeris fere gentibus et stirpibus, quae per ianuas Ecclesiae in Christi ovile iam intraverunt vel intrare cupiunt, a nobis postulant, ut versiones Scripturae in suas linguas vernaculas quam primum suppeditemus?

Omnes bene norunt, *Anglicam Societatem Biblicam* iam innumeras versiones Sacrae Scripturae hucusque edidisse et per totum orbem terrarum divulgasse. His versionibus etiam catholici, propter absentiam versionis ab Ecclesia approbatae, persaepe usi sunt. Num possumus hoc eis peccato dare? Est dedecus nostrum. Est omissio ex parte nostra. Cur ad instar Anglicae Societatis Biblicae non posset institui apud Sanctam Sedem Societas Biblica Internationalis, cui omni modo et omnibus adiumentis, moralibus et materialibus, stimulandae erunt versiones et editiones Bibliae Sacrae in omnibus linguis mundi? Quanti praestigii et quantae utilitatis haec res esset pro re catholica, nemo est qui non videt!

Schemati nostro in n. 22 placuit propositio cuiusdam Patris ...[5], ut communi labore cum fratribus separatis conficerentur versiones Sacrae Scripturae, quae ab omnibus christianis adhiberi possent. Si commissioni doctrinali placuit haec propositio, mihi minus placuit.

Estne, quaeso, possibile propositionem hanc in praxim deducere? Habebitne haec oecumenica versio in suo volumine tantum libros protocanonicos vel etiam deuterocanonicos? Utrum haec versio provisa erit commentario an non?

Mihi haud possibile videtur invenire commentarium, quod principiis doctrinalibus omnis religionis christianae satisfacere valebit. Et si editur versio sine commentario, quid tunc erit cum praescripto can. 1391, qui versiones Sacrarum Scripturam in linguam vernaculam typis imprimi prohibet, « nisi edantur sub vigilantia episcoporum et cum adnotationibus praecipue excerptis ex sanctis Ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus ».

Hac occasione mihi adnotare liceat, nostro oecumenismo, ut a quibusdam concipitur, inesse quasdam notas, quae — ut mihi videtur — infantilismum vel romanticismum sapiunt. Sic e. g. sacerdos quidam catholicus in mea patria in certa ephemeride ecclesiastica, cuius nomen hic omitto, proposuit ut in mea urbe residentiali, cui nomen Skoplje, post terribilem terrae motum, qui anno elapso totam civitatem fere penitus destruxit, aedificaretur ecclesia cathedralis, quae simul inserviret et catholicis et orthodoxis. Et hoc, ex mente istius sacerdotis, esset perpulchra manifestatio spiritus oecumenismi.

Per se intelligitur, me cum indignatione repulisse hanc propositionem omni sensu realitatis orbatam. Si ecclesia Sacri Sepulchri Hierosolymis promiscue utuntur omnes christianae confessiones, eritne hic usus, ex necessitate inductus et maximis difficultatibus scatens, forsan introducendus in toto orbe terrarum?

Noster oecumenismus catholicus praeprimis concipi debet ut ampla et generosa tolerantia cuiuscumque positivae religionis, ut amica et amore plena relatio erga omnes homines, praesertim christianos, ut promptus animus instituendi cum heterodoxis dialogum circa res fidei et collaborandi in omnibus, quae ad commune patrimonium christianitatis vel ad bonum commune societatis pertinent: *attamen nullo modo ut quidam panchristianismus vel syncretismus christianus.*

Non dico omnes...

Moderator: Velis ad conclusionem venire, exc.me.

Orator: Iam sum ad finem. Non dico omnes fautores oecumenismi esse imbutos hac falsa idea; attamen ad errores, qui irrepsere possunt in nostram activitatem oecumenicam, etiam vos, venerabiles fratres, attentos reddere mihi officium duco.

Dixi, saltem principalia. Cetera autem, quae in nexu huius capitis adhuc proponere habeo, in scriptis secretariae generali transmittam.

In textu scripto tradito: [1] (Contra Ep. Man. 5, 6: *ML* 42, 176). [2] (*2 Cor.* 10, 5). [3] (*Hebr.* 10, 35). [4] (*Io.* 4, 35). [5] (E/327).

6

Exc.mus P. D. HERMANNUS VOLK
Episcopus Moguntinus

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres, carissimi Auditores, Observatores et clarissimi Periti,

Schema *de divina revelatione* ut totum eiusque ultima tria capita in genere omnino placent. Quaedam ad cap. VI liceat proponere.

1. Adverti debet, quanti sit momenti cap. VI non solum pro integro schemate *de divina revelatione,* sed insuper pro ponendis fundamentis systematicis eorum, quae dicuntur in constitutione *de sacra Liturgia* de usu liturgico verbi divini, *de liturgia verbi divini.*[1] Confer huius constitutionis nn. 31, 35, 51, 56.

In n. 33 e. g. dicitur: « In liturgia enim Deus ad populum suum loquitur; Christus adhuc Evangelium enuntiat ». Valde optandum est, ut haec in cap. VI schematis nostri melius respiciantur quo fiat ut varia schemata se invicem illustrant. Id quod de cetero iam in cap. III desiderabatur, quippe quod de inspirationis mysterio nimis intellectualiter loquitur. In cap. VI n. 21, linn. 24 ss. clarius enuntietur ipsum Deum in Sacrae Scripturae lectione nos alloqui neque tantum veritates de seipso communicare. Deus enim revelationem suam praebet non tantum, ut veritates adhuc ignotas nobis intimet, sed revelat etiam veritates, ut in iis seipsum ...[2] nobis communicet. Nam in omni revelatione Veteris et Novi Testamenti, Deus se ad foedus pangendum paratum esse revelat. *Nam*[3] ad hoc lectio Sacrae Scripturae facta est pars liturgiae, ut forte audiremus nova dogmata, sed ut ipsum Deum nos alloquentem audiremus. In hoc salutifero eventu praebetur nobis gratia et cibus spiritualis, secundum illud Domini *verbum*[4]: « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei » ...[5], qui textus, ni fallor, nullibi in schemate nostro obvenit. Revelatio ergo non solum movet quaestiones scientificas, sed potius nutrit vitam spiritualem cui scientia theologica servire debet. In hoc sensu Sacra Scriptura speciale momentum habere videtur, quia in se est verbum Dei et non solum continet verbum Dei, in Sacra Liturgia Sacra Scriptura incensatur et non traditio et in hac aula solemniter exponimus sacram scripturam et non traditionem.

2. In cap. VI inserantur quaedam verba de fide qua Deo revelanti responsum datur. In schemate *de revelatione,* de fide non sufficienter loquitur. Nam revelatio et fides ad invicem referuntur, et sunt corre-

lata. Revelatio non ...[6] effectum suum exercet nisi fide recipiatur. Qui non credit, mortem Christi nihil aliud esse putat quam capitis damnationem; soli credenti apparet ut oboedientia erga Patrem et traditio pro nobis in caritate facta. Iam in n. 5 cap. I fides non secundum suam plenitudinem describebatur, cuius consequentiae etiam in cap. VI sentiuntur. Sicut Deus revelat non tantum veritates quasdam, sed seipsum quatenus misericorditer se ad nos convertit, ita homo credendo recipit quidem veritates revelatas, semper autem etiam seipsum totum ad Deum convertit neque tantum intellectum et voluntatem Deo exhibet, sed seipsum suamque vitam Deo tradit. Vera fides, quae ad iustificationem ducit, semper continet elementa caritatis. Credentes iam diligere incipiunt, sicut dicit Concilium Tridentinum in cap. VI sessionis VI De Iustificatione ...[7]. Quatenus est totalis devotio Deo facta, fides crescere potest etiamsi omnes veritates revelatas credimus. Semper adhuc dicere debeo: Credo, Domine, adiuva incredulitatem meam ...[8], nam etsi omnia credo sicut spero, tamen saepissime verbum Domini frustra audivi.

3. Quia usu Sacrae Scripturae salutiferus fit occursus hominis cum Deo in mensa verbi quae dici debet complementum necessarium mensae sacramenti, usus Sacrae Scripturae nonnisi pietate peragi debet. Multae sunt condiciones audiendi verbum Dei. Ante et post Sacrae Scripturae usum oratio locum suum habeat oportet, ut aures cordis nostri verbo Dei aperiantur et ut orando responsum demus verbo Dei. De hac re plura in cap. VI dici deberent. Quod etiam ad hoc videtur necessarium, ut impulsus vitae spiritualis, quem exspectamus ex adaucto usu Sacrae Scripturae et in Missae celebratione et in recitando Breviario et in lectione fidelium, in effectum ducatur. ...[9] Concilium non quidem proponere potest completam de verbo Dei doctrinam theologicam. Tamen in cap. VI praeterquam de usu intellectuali etiam de usu spirituali Sacrae Scripturae sermonem fieri necessarium videtur.

4. Ultima sententia schematis ...[10] ita, *meo sensu,*[11] invertatur: Sicut ex adaucto Sanctissimae Eucharistiae cultu Ecclesiae vita incrementum suscipit; ita novum spiritualis vitae impulsum sperare licet ex digna aestimatione et cultu verbi Dei quod « manet in aeternum ». Dixi, gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] gratiosum et misericordem. [3] Non. [4] deest. [5] (*Mt.* 4, 4; cf. *Io.* 6, 68). [6] vere. [7] *DB* 798. [8] (*Mc.* 9, 24). [9] Nobis ipsis usus Sacrae Scripturae communis esse debet, ut fideles possimus in hac re formare. [10] (n. 26). [11] deest.

7

REV.MUS P. D. IOANNES FERREIRA

Praefectus apostolicus Guineae Lusitanae

Em.mi Praesides et Moderatores, venerandi Patres, carissimi Observatores et Auditores,

De cap. VI, cui est titulus « de Sacra Scriptura in vita Ecclesiae » breviter disseram.

Duo puncta tangam de critica interna textus et de nova ordinatione materiae instauranda.[1] Dicendum est caput generice specificas et fundamentales lineas ecclesiologicas atque pastorales Concilii conservare, nam materiae iter praebet practicum. Unde caput istud non tantum magni videtur momenti ob id quod explicitat, sed etiam propter id quod explicitari licet, ad perfectionem et definitivam redactionem textus quod attinet.

I - *De critica interna textus.* Primo loco adnotandus defectus brevis prooemii quod relationem formalem inter duos terminos theseos, nempe, Scripturam sacram et vitam Ecclesiae instituat. Certe, in cap. I toù « De Ecclesia », iam dictum est, « Corpus mysticum Christi esse *vivum* et organicum » ...[2] et « in corpore illo vita Christi in credentes diffunditur » ...[3]. In Scriptura apparet Iesus ut « panis vitae » ...[4], ut « vita et lux hominum » ...[5], transmittens huiusmodi vitam Ecclesiae, divino sermone, sacramentis, fide, spe et caritate, oratione, contemplatione necnon bonis operibus mediantibus. Optandum videtur ut schema prae oculis habens talem vitam concretam, *dicat* [6] quomodo Scriptura eam divine pervadit. Aliquid utique iam habemus inde a lin. 9 n. 21. Sed ex se, talis numerus, pauper et inordinatus apparet. Et quidem:

1. Textus Irenaei, ad primas lineas allatus, quamquam pulcherrimus pro praedicatione apostolica testanda, tamen non est textus selectus ad methodicam et logicam thesim de enuntianda relatione inter Sacram Scripturam et vitam Ecclesiae, quae hic postulatur.

Forsan melior esset, pro casu, textus eiusdem Irenaei qui invenitur apud Adv. Haereses, Libr. III, cap. IV n. 1, etsi opinemur quod textus decretorum et constitutionum conciliarium deberent esse, inquantum possibile, synthetici et clari, ab eruditione historica et litteraria alieni. Haec enim eruditio, si necessaria, tamquam subsidium in notas tantum releganda est.

2. Textus biblici deberent esse specifici de Scriptura et non tantum generici « de verbo Dei ». Proinde, textus citati ad linn. 29-34, aufe-

rendi sunt. Pro ipsis forsan iudicandi tanquam meliores, *2 Tim.* 3, 16 et epistola ad *Rom.* 15, 4. Notandum autem caput istud mutatum fuisse tum in titulo tum in textu, ope schematis « De Verbo Dei », ante primam sessionem conciliarem facti. Redactio actualis, ad linn. *29 ss.,*[7] patefacit mutationem tituli non comitatam fuisse contenti revisionem.

3. His prae oculis habitis, unam e duabus viis seligere possumus, nempe: aut prooemium breve in redactionem introducere, specificam inter Sacram Scripturam et vitam Ecclesiae praebens relationem, iam ibi fundamentalibus lineis denuntiatam; aut textu actuali nisi, facere ut textus initium habeat statim a lin. 9, modo sequenti: « Scripturas Sacras velut ipsum corpus dominicum... » usque ad verba « reapse exstat » (lin. 29), omissis tamen verbis « Omnis praedicatio etc. » (linn. 20-23), quae in specificum locum transire debent, ubi agitur « De momento Sacrae Scripturae pro Corpore Ecclesiae nutriendo ». Hoc quoad n. 21.

In n. 22, ad linn. 13-14, invenitur alium inordinatum incisum quod etiam transire deberet ad sic dictum caput « De momento Sacrae Scripturae pro Corpore Ecclesiae nutriendo ».

In n. 23 additiones in linn. 33-38 contentae, quatenus merum constituunt incitamentum, ut censeo, non permiscendae sunt *cum*[8] divino munere studendi et explicandi Sacras Litteras. Transferantur ergo hae additiones ad Epilogum.

Materia sub n. 24 pertractata, succinctis verbis amplianda videtur atque in relatione directa cum capitis scopo tractari. Ponatur ergo paragraphus *nova*[9] « De momento Sacrae Scripturae pro Corpore Ecclesiae nutriendo » et non simpliciter *ut habetur*[10] « De momento Sacrae Scripturae pro Theologia ». Praebeo rationem: Imprimis, quia in redactione textus, sub isto numero iam consideratur ministerium verbi, sub pluribus formis (cf. linn. 9-13). Et bene quidem, nam de « Sacra Scriptura in vita Ecclesiae » loqui intendit schema. In redactione posteriori consideratur proinde, speciatim quod Scriptura non est tantum anima Theologiae sic dictae scientificae, sed etiam theologiae catecheticae, kerigmaticae seu pastoralis ac missionariae necnon theologiae liturgicae, speciatim sacramentariae atque theologiae mysticae.

In his quae ad n. 25 pertinent, quod habetur inde a pag. 45, lin. 40, usque ad pag. 46, lin. 8, introducatur pro meliori systematizatione in n. 22, qui tractat de versionibus. Quod invenitur linn. 26-33, tamquam exhortatio finalis ad Epilogum transeat.

II - *De nova ordinatione materiae instauranda.* Videtur materia hic adhibita, etsi satis bona, logice et systematice ordinanda. Hunc in finem suadeo:

1. Ut n. 21 tamquam prooemium, correctionibus propositis adauctus remaneat.

2. Ut loquatur de « momento Sacrae Scripturae pro Corpore Ecclesiae nutriendo ». Ad quod habetur materia sub n. 24.

3. Loquatur de Sacrae Scripturae *studio* et *lectione* et quidem sub duobus respectibus, scil.:

primo aspectu, theoretico ac scientifico modo, quod pertinet ad exegetas et theologos ...[11]

secundo aspectu practico seu pastorali modo, quod pertinet ad populum Dei generaliter sumptum (cf. *n. 23 usque ad 25* [12]).

4. Postquam locus Sacrae Scripturae in vita Ecclesiae eiusque momentum pro nutriendo Corpore mystico necnon necessitas studii et lectionis in lucem posita sunt, linea logica postulat ut cultores et lectores Sacrae Paginae fide dignos habeant textus. Tantum demum commendandae sunt editiones et accuratae versiones (cf. n. 22).

5. et ultimo. Incitamenta circa studium et lectionem Sacrae Scripturae tam pro exegetis et theologis quam pro christifidelibus, quae sub n. 23, ad lin. 33 et n. 25, ad lin. 26 habentur, potius introducenda essent in exhortationem finalem *vel* [13] in Epilogum introducerentur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Praeprimis. [2] (*De Ecclesia,* n. 7). [3] (cf. *ibid.* n. 7, lin. 29). [4] (*Io.* 6, 35). [5] (*Io.* 1, 4). [6] diceret. [7] 29-34. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] (cf. nn. 23-24). [12] n. 25. [13] seu.

8

Exc.mus P. D. PETRUS BOILLON
Episcopus Virodunensis

Dilecti Patres et Fratres,

Cap. VI, *de Scriptura Sacra in vita Ecclesiae,* et sub adspectu pastorali, et sub adspectu oecumenico et sub adspectu theologico omnino eminet prae ceteris capitulis schematis *de revelatione.*

Hic duas tantum animadversiones proponere vellem ad Sacrae Scripturae momentum pro ipsa theologia melius enucleandum.

1. Optime dicitur Sacrae Scripturae studium esse « velut animam Sacrae Theologiae ». Si vero manualia theologica consideramus, obvium nobis est ea non sufficienter Sacrae Scripturae studio attendere. Quod gravissimas gignit consequentias pro cura animarum, in quantum nempe theologia ista, abstracta ac nimis a Sacra Scriptura aliena, futuros pastores imperfecte praeparat ad verbum divinum praedicandum.

Talis enim theologia Sacra Scriptura utitur, non ut in ipsa Scriptura theses inveniat, sed ut scholae theses fragmentis Scripturae probet vel potius ornet, ita ut frequenter abusibus locus detur ab ipsa Encyclica *Divino afflante Spiritu* damnatis. Ita negligitur praeeminens Sacrae Scripturae dignitas quae est primarium et originale testimonium scriptum de factis et verbis Christi ac Ecclesiae primaevae quo certius et accuratius testimonium in Ecclesiae traditione non datur. Ita negligitur Ecclesiae fides quae nec documenta traditionis in genere nec definitiones ac declarationes magisterii in specie ut divinitus inspiratas agnoscit.

Cavendum est ergo ne in theologia, quae debet imprimis Sacrae Scripturae studium esse, illius studium locum accipiat studium Enchiridii Denzinger, etiam in recenti et quidem excellenti editione!

Item magisterii definitiones ac declarationes semper in Ecclesia habentur ut definitiones ac declarationes illius testimonii primarii, originalis et inspirati quod in Scriptura invenitur. Etenim et pro definitionibus Immaculatae Conceptionis et Assumptionis B. Mariae Virginis, Pontifices ultimum fundamentum in ipsa Scriptura viderunt, non quidem necessario in tali vel tali textu particulari Divini Eloquii, sed profundius in factis vel doctrinis per totam biblicam traditionem textam et implicatam. Ex quibus sequitur definitiones et declarationes interpretandas non esse modo quasi autonomo — (ita ut documenta magisterii intellegantur ac enucleantur tantum ex aliis magisterii documentis) — sed Sacrae Scripturae lumine, sub quo ipsa elaborata fuerunt, tamquam testimonii scripti primarii, originalis et inspirati Divinae Revelationis.

2. Saepe et in praesenti schemate et in schemate *de Ecclesia* mentio fit de Ecclesiae magisterii *infallibilitate*. Sed cavendum est ne infallibilitas haec intelligatur modo nimis abstracto et absoluto. Infallibilitas enim, secundum intelligentiam Ecclesiae, non est aliqua species visionis beatificae anticipatae, sed expressio divinitus commendata fidei Ecclesiae peregrinantis. Non tantum enim pro singulis christianis, sed et pro ipsa tota Ecclesia eiusque Magisterii valent ...[1] S. Pauli in prima ad Corinthios ...[2] ubi legitur: « Ex parte enim cognoscimus et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod *perfectum* est, evacuabitur quod ex parte est... Videmus nunc per speculum in *enigmate*: tunc autem facie ad faciem ».

Tantummodo ex illa nota partialitatis, fragmentarietatis ac imperfectionis quae *omnem* cognitionem fidei afficit, explicari potest cur e. g. Concilium Calcedonense modo positivo emendare debuit declarationes christologicas Concilii Ephesini, vel cur Concilium Vaticanum II complere debet definitionem primatus Summi Pontificis per doctrinam

de episcopis et laicis. Ut ergo fideles intellegant non esse contradictionem inter doctrinam Vaticani I de primatu et Vaticani II de collegialitate, maximi momenti esse patet ut Concilium partialitatem et imperfectionem etiam definitionum ac declarationum magisterii Ecclesiae explicite agnoscat. Quae agnitio fratribus ipsis seiunctis melius manifestaret quinam sit verus sensus infallibilitatis Ecclesiae.

Conclusio. His duabus animadversionibus mature perpensis, propono ut addatur in n. 24 (pag. 45 post lin. 8 vel alibi) quae sequuntur: « Ideo theologi semper meminerint etiam Ecclesiae definitiones ac declarationes quibus non " facie ad faciem ", sed " ex parte " tantum cognoscimus ...[3] lumine Sacrae Scripturae interpretandas esse ».

Item, ut finalitas pastoralis totius schematis melius intelligatur, propono ut, sive in fine totius schematis, sive in fine prooemii dicatur: « Doctrina nostra de divina revelatione non proponitur ut ulterioribus theologicis investigationibus portae claudantur, sed ut in dies tota Ecclesia in fide peregrinans, in illius divinae revelationis intelligentia procedat et crescat ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] verba. [2] (13, 9. 10. 12). [3] (*1 Cor.* 13, 9. 12).

9

Exc.mus P. D. CAROLUS MACCARI

Archiepiscopus Montis Regalis in Pedemonte

Loquor de cap. VI. Cum ultimus sim in hac disceptatione aliqua repetam fere necesse est. Sperare liceat tandem aliquando fore ut repetita iuvent.[1] Ea quae textu continentur ...[2] si magna ex parte probantur immo laudantur, non plene satisfaciunt: constitutionem enim *de divina revelatione,* saltem meo humili iudicio, non integre et aequilibrate coronant. Proponerem igitur tituli commutationem et consequentem textus *aliquam* [3] accommodationem.

En titulus...[4]: « De verbo Dei in vita Ecclesiae ». Ratio triplex est: systematica seu logica, oecumenica, pastoralis.

1. Sive attendatur ad titulum totius constitutionis, sive ad praecipuum finem quem ipsa constitutio consequi vult, — *ut clare in prooemio pag. 5* [5] — qui finis est ...[6] eminenter pastoralis si ad haec attendatur, cap. VI logice et systematice exigit eam materiae conclusivam expositionem, quae non ad unam tantum partem scil. Sacram Scripturam restringatur, sed totam revelationem, traditam et scriptam, eamque vivo

Ecclesiae magisterio commissam, amplectatur. Agitur enim de constitutionis epilogo, cuius propositum est verbum Dei, in ceteris partibus sub aspectu potius theologico et doctrinali consideratum, practice in vitam ipsam Ecclesiae ita inserere, ut eiusdem « sustentaculum ac vigor » eiusque « filiis fidei robur, animae cibus, vitae spiritualis fons reapse exstet » (ut in pag. 43). Cur vero epilogus fere tacet de verbo Dei *non scripto*[7] deque vivo Ecclesiae magisterio? Grato animo audivimus exc.mum Florit in sua relatione asserentem: « Cum dicta traditio in tota vita Ecclesiae inscripta sit cum eaque confundatur, et ipsa ut quid vivum est habenda » ...[8]. Sed verbum Dei traditum et ecclesiasticum magisterium quo modo haberi poterint « ut quid vivum » et vitale pro Ecclesia, quando de facto in eius vitam pastoralem non inseruntur cum tota sua vi et virtute?

2. Ad oecumenicam rationem quod spectat, nemo nostrum ignorat quanta prudentia et caritate et comitate indigeat dialogus cum fratribus seiunctis, praesertim in hac materia. At in primis — ut iam ...[9] dictum est — vera dialogi efficacia minime fovetur tacendo vel quasi timide loquendo de iis quae sanctum Ecclesiae aedificium sustentant roborantque. « Motus biblicus », praeterea, qui studiosissime a nobis est fovendus, sensum et vigorem authentice catholicum habere nequit, nisi in sinu matris Ecclesiae, in qua Iesus Christus — ut verbis utar Leonis XIII — « vivum, authenticum, idemque perenne magisterium » instituit, « quod suapte potestate auxit, spiritu veritatis instruxit, miraculis confirmavit, eisque praecepta doctrinae aeque accipi ac sua voluit gravissimeque imperavit » ...[10].

3. Demum, ratio pastoralis. « Omnia vestra in caritate fiant », monet apostolus ...[11]. Caritas tamen ordinata esse debet: « Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei » ...[12]. Domestici fidei pro nobis sunt credentes, dilectioni curaeque nostrae commissi, quorum fides in Christo et in Ecclesia cotidiana experientia nos docet quot quasve suggestiones et aggressiones patiatur, praesertim fides iuvenum. De hac fide locupletanda ac tutanda in primis solliciti esse debemus, eo vel magis quod sollicitudo haec in nostros christifideles positive redundabit etiam in oecumenicum progressum, cuius rythmus et efficacia plurimum a splendore ac sinceritate professionis fidei in catholicis pendent. At si constitutio nostra et in specie cap. VI — post tot disceptationes in publica opinione vulgatas ac saepe saepius distortas — integre non recipiet et sollemniter non confirmabit id quod hucusque firmissimum fuit in magisterio extraordinario et ordinario necnon in *universali*[13] actione pastorali Ecclesiae, nonne grave periculum oriri poterit, et pro ordinata evolutione vitae pastoralis et pro serena firmaque christifidelium adhae-

sione magisterio pontificio et nostro? Non est quaestio — hoc notandum sedulo velim — non est quaestio de « quantitate » maiore vel minore Sacris Scripturis adsignanda potius quam sacrae traditioni, cum nemo nostrum dubitet vel dubitare possit de summo urgentique momento divinarum Paginarum in vita Ecclesiae interius augenda ac renovanda.

Est quaestio de « linea directiva » — *ut italice dicitur* — *de impostazione problematis*[14] — valida pro actione pastorali in universa Ecclesia; linea nempe quae ipsam radicem vitae Ecclesiae attingit quaeque auctoritate constitutionis conciliaris, influxum decisivum in futuro habebit, non modo in munus docendi ...[15] sed et in totam vitam Sponsae Christi.

Concludo. Humiliter postulans, ut ...[16] cum tituli indicata mutatione, in lucem maiorem ponantur et assiduo pioque studio commendentur etiam, pretiosissimus thesaurus traditionis et fons ditissimus perennis magisterii Ecclesiae, quae « custos et magistra verbi revelati » est (ut ait Vaticanum I ...[17]). Ita quae Sacrosancta Tridentina Synodus iam dixerat et pag. 16-17 referuntur *nostrae constitutionis,*[18] fient criterium practicum inspirans cap. VI; quo criterio omnia harmonice componentur et verbum Dei in omni sua extensione ut verbum vitae, iuvenescere et crescere faciet totam vitam Ecclesiae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Loquar tantum de cap. VI. Textus emendatus in genere placet, non solum quia, ratione habita prioris textus, ditior et plenior indubitanter apparet, sed etiam quia hodiernis et vivis Ecclesiae exigentiis studiose accurateque, etsi non complete, respondere conatur. Forma interdum magis exculta et expolita desideraretur. Tantum duo exempla adducam: in n. 24 pag. 45, brevi spatio trium linearum attributum « sacrae » ter non sine fastidio legitur; in n. 25 pag. 46, lin. 7 sermo fit de Scripturis Sacris, quae lin. 9 fiunt Scriptura Sacra (hic diversus usus formae singularis vel pluralis pro Scripturis Sacris nec necessarius nec textui conciliari consonus videtur). Pluris autem interest animum referre ad. [2] quaeque. [3] deest. [4] qui proponitur. [5] videlicet: « genuinum de divina revelatione ac de eius transmissione doctrinam proponere..., ut mundus credat, credendo speret, sperando amet » (in prooemio pag. 5). [6] igitur. [7] sine scriptis tradito: [8] (pag. 10). [9] pluries. [10] (*Unitas Ecclesiae*). [11] (*1 Cor.* 16, 14). [12] (*Gal.* 6, 10). [13] universa. [14] deest. [15] explendum. [16] una. [17] Const. de fide divina. [18] « utraque pari pietatis affectu ac reverentia suscipienda sunt et veneranda ».

10

REV.MUS P. D. CHRISTOPHORUS BUTLER

Praeses Congregationis Angliae O.S.B.

Venerabiles Patres,

Vellem iterum oculos vestros dirigere ad n. 19 huius schematis, pag. 38 a[1] de Indole Historica Evangeliorum. Omnes *quidem*[2] scimus anxietates ex utraque parte de hac re suscitatas esse, sive ab eis qui timent ne basim necessariam historicam pro fide nostra perdamus, sive ex altera parte ab eis qui velint exegetas *nostras*[3] omnem iustam libertatem habere in *opere suo pro Ecclesia tam benefico prosequendo.*[4]

Liceat mihi *Patres,*[5] insistere aliquantulum super hac libertate. Cum enim de historicitate evangeliorum agatur, res potest duplici modo, *duplici ratione,*[6] spectari. Sub luce quidem fidei certum est quod evangelia, sicut ceteri libri biblici, sunt inspirati cum omnibus consequentiis ex illa dogmatica veritate profluentibus. *Sed de consequentiis istis per transennam, liceat mihi dicere quod cum omnes consentimus, ex una parte debere retinere dogmata fidei sed ex altera parte debere expressionem fidei adaptare ad necessitates hodiernas sicut nos monuit Papa Ioannes XXIII. Ideo in n. 11 vellem omittere ultima verba illius numeri et concludere alineam his simplicibus verbis: « Omnes id quod auctor inspiratus seu hagiographus asserit, retinere debent assertum a Spiritu Sancto veritatis. Quia mentio errorum quamvis nos intelligamus quid significet, nonne fecit perplexitatem hodiernis hominibus qui sciunt quod multa sunt quae in litteras Scripturae contradicunt historiae scientificae et scientiis naturalibus. Nos possumus haec harmonizare sed verbum " error " est scandalum pro pusillis in hac re. Sed dum adhuc sub luce fidei spectamus evangelia certum est quod notio generum sic dictorum litterariorum habet veram et forte notam applicationem etiam evangeliis et quod ea quae licite possunt fieri cum notione generis evangelici in Vetere Testamento possunt etiam fieri in Novo Testamento et etiam in Evangeliis in particulare. Nulla est ratio ex fide vel dogmatibus orta quo hoc non fiat. Sed hic est lux fidei.*[7]

Secundo historicitas evangeliorum est quaestio inter illas quae pertinent ad praeambula fidei, quaestio nempe apologetica. Cum res sic spectetur, illegitime et prorsus inutiliter appellatur ad dogmata fidei, quippe quae non possint supponi in dialogo apologetico. Et sub hac luce omnino deplorandum esset si speciem daremus quasi non esset liber exegeta catholicus in prosequendo opere suo scientifico.

Iamvero in hac nostra par. 19 dicitur quod evangelistae ita *semper* scripserunt ...[8] ut non ficta, a creatrici potentia primaevae communitatis promanantia sed vera et sincera de Iesu nobis communicarent. Quaerendum esse mihi videtur utrum haec sententia non possit melius redigi. Neque enim ex fide neque certe ex scientia possumus scire evangelistas nunquam tali genere litterario usos esse quod possit in hodierno verborum usu dici fictionem — *Midrash* [9] — multa talia sunt in libris historicis Veteris Testamenti, neque ulla causa aut ratio a priori datur cur id quod in Vetere Testamento verificatur non possit accidere in Novo. Ideo suadeo ut ante verbum « ficta » inseratur verbum *mere* ficta et ante verbum « creatrici » inseratur verbum *sola* creatrici potentia et similiter post verba « de Iesu » inseratur *verba* [10] « Secundum genus litterarium evangelicum ».

In genere, Patres venerabiles, in hoc quasi-miraculo huius Concilii, multum *iter* [11] iam fecimus ad exorcizandum spiritum timoris et nimiae anxietatis per quem *spiritum* [12] interdum labor noster tam fructuosus impediebatur. Et nunc dico: ne timeamus veritatem critico-scientificam et historicam. Ne timeamus ne veritas veritati noceat. Neve timeamus ne exegetae nostri parum fideliter Ecclesiae et doctrinae traditae se habeant. *Unum ex duobus certe dubium est.*[13] Aut enim inter exegetas facta est quaedam *universalis et* [14] mundialis conspiratio ad subvertendum ipsa fundamenta christianae fidei; et ille qui hoc credit omnia monstruosissima credet. Aut exegetae nostri habent ut scopum laborum suorum veritatem plene obiectivam et genuinam eorum quae in evangeliis traduntur. Et in hac investigatione agunt tanquam simul catholici fideles simul scientifici historico-critici pro quibus integritas investigationis est prima omnium praesuppositio.

Certum est quod erunt qui libertatem in licentiam vertent; sed hoc est periculum quod propter maius bonum debemus incurrere. Certum est quod, in investigando historiam evangelicam multi fiunt et fient errores: sed nativum est in hac materia ut per tentamina et errores —by trial and error— veritas inveniatur. Id quod desideramus non est aliqua puerilis satisfactio in oculis a veritate avertendis sed vera critica historia per quam possimus in dialogum cum exegetis non-catholicis intrare *et parare viam per matura et adulta fidei christiana.*[15]

In textu scripto tradito: [1] Hic numerus tractat sobrie et substantialiter bene de re maioris momenti, nempe. [2] quippe. [3] deest. [4] opera sua pro Ecclesia tam benefica. [5] deest. [6] deest. [7] Sed certum est quod notio generum sic dictorum litterariorum habet applicationem evangeliis sicut et ceteris libris. Et est prope certum quod per hoc principium multae in Vetere Testamento difficultates solutae sint ita ut neque fidei nocumentum factum sit et

simul contradictiones apparentes inter libros inspiratos et alias notas veritates sive scientificas sive historicas disparuerint. Nulla est ratio ex fide vel dogmatibus orta cur non idem fiat de Evangeliis. [8] (lin. 23). [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] De hac re unum ex duobus certum est. [14] deest. [15] deest.

Moderator: Expleto numero eorum Patrum, qui opportuno tempore loqui petierunt circa schema *de revelatione,* nunc remanent tres Patres qui secundum normas nomine saltem 70 Patrum verbi uti petierunt et primus est exc.mus D. Eduardus Martinez et ad microphonium eat exc.mus D. Annibal Muñoz, arch. Neopampilonensis in Colombia.

11

Exc.mus P. D. EDUARDUS MARTINEZ GONZALEZ

Episcopus Zamorensis

Venerabiles Patres,

Magni momenti iure merito habita sunt ea quae in cap. II huius schematis pertractata fuere: medulla vero et essentia Sacrae Scripturae vere in hoc cap. III continentur. Tria autem praecipua reperiuntur in eo, quae speciali et intima relatione connectuntur: scil. inspiratio, inerrantia et Dei condescensio.

Ad primum quod attinet, ratione inspirationis divinae Deus auctor est principalis totius Sacrae Scripturae. Et siquidem inspiratio divina ad omnia quae in Scripturis habentur, etiam ad verba uno alterove modo, iuxta diversas opiniones, extenditur de facto, Deo attribui debent ea omnia quae ad essentiam auctoris pertinent, atque ad ipsum referre quidquid in libris sacris cum omnibus suis partibus continetur. Neque enim admitti quit Deum inspirantem ea quae ad fidem et mores directe vel indirecte spectant et hagiographo relinquentem pro suo arbitrio aut facultate cetera scripto consignare, quia quomodo ea vere *essent* [1] Scriptura Sacra? *Quomodo concrete distinguerentur ea quae inspirata ab his quae non inspirata sunt.*[2] Haberemus ...[3] permixta inspirata cum non inspiratis, quod absonum est admittere.

Certe hagiographus quoque est auctor instrumentalis et secundarius totius Sacrae Scripturae qui per inspirationem a Deo causa principali illustratus, motus et ductus opus conficit. Nunc vero, auctor instrumentalis sacrorum librorum non est instrumentum quodcumque, inanimatum scil. et irrationale, sed licet deficiens propter suam limitationem, est instrumentum rationale et liberum, quod agit secundum suam pro-

priam naturam, intelligendo quae scriptis exprimit et libere operando. Unde nec admittitur hagiographum non intelligere sensum a Deo intentum aut cum suo non coincidere, licet forte quandoque non in tota sua plenitudine eum exhauriat.

Perspicue S. Thomas docet ...[4]: causa principalis operatur per virtutem suae formae cui assimilatur effectus...; instrumentalis autem... agit per motum quo movetur a principali agente. At instrumentum, praesertim liberum, duas veluti activitates exercet: aliam instrumentalem qua operatur virtute principalis agentis, aliam propriam, quae competit ei secundum propriam formam vel virtutem. Ergo actio instrumenti formaliter procedit a virtute causae principalis... materialiter vero est actio ipsius secundum propriam suam formam adhibiti et in effectum prout est influentis. Sic totus effectus, utpote superior causae instrumentali, procedit a causa principali, et totus etiam a causa instrumentali mota a principali, sed secundum propriam formam operante.

Hinc duo consectaria aperte deducuntur: *primum* absoluta inerrantia Sacrae Scripturae in suo textu originali quoad omnia quae in ea continentur. *Et bene notemus quod si terminus « inerrantia » videatur negativus, realitatem maximam positivam contineri.*[5] Unde optime legitur in n. 11 lin. 16 « cum ergo omne id quod auctor inspiratus seu hagiographus asserit, retineri debeat assertum a Spiritu Sancto, inde Scripturae libri integri cum omnibus suis partibus sine ullo errore docere profitendi sunt ». Huiusmodi consectarium a Patribus unanimiter, a theologis, a Commissione Biblica, a Romanis Pontificibus, praesertim Leone XIII (Enc. *Providentissimus*), Benedicto XV (Enc. *Spiritus Paraclitus*), a Pio XII (Enc. *Divino afflante Spiritu*) ut aliquid inconcussum edocetur quasi cum S. Hippolyto repetere videantur: « Nihil omnino mentitur Scriptura » aut cum S. Augustino: « Nullus error in Scripturis invenitur ». Secus enim refunderetur in Deum ipsum qui nec falli nec fallere potest.

Nonnulla quidem inveniuntur in Scripturis Sacris, praesertim historica geographica aut chronologica, quae obiectivae veritati videntur non conformari. Iam S. Augustinus ipse in epistola ad Hieronymum ...[6], has apparentes offensiones Sacrorum Librorum sibi proposuit. At qualis est eius responsio? Resolutissime negat, aliquid contrarium veritati posse sub apparentiis subesse. Sed insuper principia quaedam indicat *generalia*[7] quibus possit inveniri vera solutio. Nempe *quod ea*[8] accurate perpendenda sunt *a*) num textus certus sit an in aliis codicibus lectiones variantes reperiantur veritati conformes; *b*) num ratio aliqua historica explicet apparentem discrepantiam ut cum legimus apud S. Lucam ...[9] « sub principibus sacerdotum Anna et Caiphas »; *c*) num conclusiones

quae ex monumentis profanis videntur educi adeo certae sint ut proponuntur. Saepius enim theoriae et theoriae facile apparuerunt easque vidimus deinde *non multo post* [10] derelictas. *Notemus enim quod etiam media moderna quae adhibentur ad aetatem monumentorum inspiciendam non infallibilia esse sed quandoque tempus indicare cum differentia longi temporis.*[11] Ad exegetas pertinebit *deinde* [12] determinare quid in unoquoque casu applicari possit, iuxta sensum *semper* [13] quem vere principalis et instrumentalis auctor voluerunt exprimere, deductum ad normas sanae et completae hermeneuticae.

Secundum consectarium: Hagiographi vere etiam auctores Sacrorum Librorum dicendi sunt. Etenim non modo mechanico nec ut simplices amanuenses conscripserunt, sed intelligentiam et liberam voluntatem exercentes « omnibus facultatibus » ut ait schema in n. 11 ...[14], ac viribus suis utentes », Deo cooperati sunt. Immo ut supra didicimus ex S. Thoma, licet formaliter instrumenta fuerint in manu Dei causae principalis at materialiter secundum propriam suam formam conscripserunt.

Quapropter unusquisque eorum ...[15].

Moderator: Exc.me Domine, velis concludere sermonem tuum, quia tempus exhaustum est.

Orator: *Bene. Iuxta haec condescensio cum Deo debet reponi in his rebus,*[16] *primo* in eo ...[17] quod homines hagiographos hoc modo supernaturali inspirare Deus dignatus sit. *Deinde* quod humanis instrumentis usus fuerit locutionem divinam humanae locutioni adaptando. *Tandem* quod his instrumentis cum suis limitationibus et imperfectionibus naturalibus usus sit. Semper tamen et in omnibus sine ullo detrimento sapientiae et sanctitatis suae. Sicut enim Dei verbum fieri voluit nobis per omnia simile, sed « absque peccato » sic et Deus voluit condescendere humaniter per inspirationem sine ulla suae scientiae et veracitatis labe. Alioquin eius condescensio indigna Dei esset nec hominibus profutura ...[18]. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] fuissent. [2] deest. [3] ergo. [4] (*Summ. Theol. III,* q. 72, a. 1). [5] deest. [6] (*ML* 33, 277). [7] deest. [8] deest. [9] (3, 2). [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] lin. 13. [15] proprium loquendi modum, proprium lexicon, proprium stylum, propriam aptitudinem litterariam, proprias facultates adhibuit, ita ut inter eos magna varietas inveniatur. Sicut musicus, et est SS. PP. comparatio frequens, suam melodiam comparat sive per tibiam (Athenagoras) sive per plectrum (S. Hippolytus) sive per citharam et liram (S. Io. Chrys.) sive per alia organa musicalia, ita tamen ut unumquodque horum instrumentorum proprium sonum (hispanice

timbre) emittat. [16] Vera demum condescensio, de qua in n. 13. [17] stat. [18] Ita in veritate doctrinae perfecte cohaerent et inter se connectuntur inspiratio, inerrantia et condescensio.

[*Subscripserunt etiam*] Emmanuel, ep. Dertosensis; Raphael, ep. Guadicensis; Sanctus, ep. Abulensis; Innocentius, ep. Conchensis; Iosephus, ep. Palentinus; Aurelius, ep. Illerdensis; Casimirus Morcillo, arch. Matritensis-Complutensis; Alfonso, ep. Almeriensis; Daniel, ep. Segobiensis; Raimundus, ep. Urgellensis; Petrus, arch. Caesaraugustanus; Antonius Pildain, ep. Canariensis; Ferdinandus card. Quiroga; Secundus, arch. Burgensis; Ioannes Petrus, ep. Placentinus; Paulus Brezanoczy, ep. tit. Rotaria; Iacobus Flores, ep. Barbastrensis; Ioseph Lecuona, ep. tit. Vagadensis; Anastasius Granados, ep. aux. Toletanus; Javier Ariz, ep. tit. Baparensis; Michael, ep. aux. Compostellanus; Antonius ep. Gadic. et Septen.; José, ob.; Franciscus, ep. Afagodensis de Ingázeira; Caetano, ep. Ilheosensis; José Costa Campos, ep. Valença; Fernando, arch. Goiania; Raimundo, ep. tit. Uzali, aux. Fortaleza; Hugo, ep. Marilia; Walmor Battù Wichrowski, ep. tit. Felbes; Ernesto de Paula; Mario, arch. Paraiba; José Varani, ep. Jaboticabal; Jackson Berenguer Prado, ep. Feira de Santana; M. L. Schmidt, ep. Chapecó; Climerio Almeida de Andrade, ep. Victoriensis de Conquista; Josephus, ep. tit. Capitoliensis; Hyacinthus, ep. Mindonensis-Ferrolensis; Ignatius Prieto, ep. Vankiensis; Gregorius, arch. Barcinonensis; Saturninus, ep. Oxomensis-Sorianus; Demetrius, ep. Civitatensis; Abilius, ep. Calaguritanus-Calceatensis-Logrognensis; Iosephus, ep. Segobricensis-Castellionensis; Franciscus Peralta, ep. Victoriensis; José Dalvit, ep. S. Matthaei; Vincentius, arch. Ovetensis; Felix, ep. Giennensis; Mariano Gaviola; Jean Sauvage, év. Annecy; Alberto Etges, ep. S. Crucis in Brasilia; Jorge Mayer, ep. S. Rosae in Argent.; José Alí Lebrúm, ob. Valencia in Venezuela; Mariano Jacinto Valdivia, ob. Huancayo; Feliciano Gonzales A., ob. Maracay; J. Bernal, arch. Venezuela; Angel Perez C.; Luis Manresa Formosa; Ioseph, aux. Matrit.

Textus additus:

Cap. II, n. 8, linn. 17 ss. In textu schematis legimus: « Ecclesia scilicet, volventibus saeculis, mulierem evangelicam imitatur, quae abscondit fermentum in farinae satis tribus, donec fermentatum est totum » (cf. *Mt.* 13, 33; *Lc.* 13, 21).

In toto hoc contextu parabola evangelica de fermento ita accommodatur, ut Ecclesia ipsa mulieri parabolae assimiletur; fermentum esset traditio viva in Ecclesia; massa farinae, homines universi. Porro talis accommodatio praedicatoribus forte permitti posset. Sed non videtur recte et licite fieri posse in textu conciliari. Habet enim sensus accommodatus Sacrae Scripturae suas leges, quas praeterire non licet, maxime cum Concilium loquitur.

En rationes impugnationis meae: Mulier in textu sacro parabolae, nihil de se significat; sed est simpliciter de se elementum quoddam litterarium seu descriptivum, sine determinata significatione quoad sensum parabolae, in qua globalis tantum sensus spiritualis quaerendus est. Si in textu sacro legitur *mulier,* non vero *homo quidam,* sicut in aliis parabolis, ideo est quia officium erat mulierum panem pro tota familia praeparare.

Praeterea, Ecclesia minime mulieri evangelicae comparanda est. Hoc vetat ipse parabolae textus, qui loquitur de *regno caelorum.* Regnum caelorum praesertim in evangelio S. Matthaei, est *regnum Dei,* non tantum eschatologicum, sed etiam et praecipue, regnum Dei his in terris praesens, scil. Ecclesia in mundo peregrinans.

Iam vero, in textu evangelico regnum caelorum seu Ecclesia in sensu litterali expresse comparatur *fermento,* cuius virtute tota massa farinae, universi nempe homines, in optimum panem transformanda est. Vis ergo interna fermenti, dynamismus scil. supernaturalis Ecclesiae, transformationem farinae producere debet. Transformatio vero ab intrinseca fermenti seu Ecclesiae virtute venit, non ab extrinseca mulieris actione. Ergo si Ecclesia comparatur mulieri parabolae, textui evangelico contradicitur, qui Ecclesiam comparat ipsi fermento.

Expungatur, igitur, de schemate Constitutionis haec paragraphus, seu accommodatio parabolae de fermento.

Cap. V, n. 20, pag. 39, linn. 8-9: In praedicto loco schematis citatur *Io.* 16, 13 iuxta textum graecum, quod et antea in cap. II, n. 8, lin. 25 etiam inducitur. Et quidem in hoc capite explicite adnotatur; in cap. II implicite. In utroque autem vertitur verbum graecum *odegesei* verbo latino *inducere.*

Insuper utrobique retinetur versio Vulgatae latinae « in omnem veritatem », ubi textus graecus dicit: « eis aletheian pasan ». Rectissime quidem his in locis schema inducit textum graecum evangelii S. Ioannis, relicta versione latina, quae habet: *docebit vos omnem veritatem.* Graeca siquidem profundiorem habet significationem et vim.

Dubito tamen quin sensus et vis textus graeci sufficienter, clare et complete reddatur verbis in schemate acceptis, nempe: « Et iis (Apostolis) Paraclitum misit, qui eos in « omnem veritatem » in aevum servandam *induceret* ad aeternam humani generis salutem ». Verbum latinum *inducere* intelligitur vel intelligi posset de mera indigitatione et collocatione initiali in itinere, quin, qui in itinere collocat, totum quoque iter cum comite percurrat.

Verbum autem *odegesei* plus dicere videtur quam latinum inducere. Dicit enim etiam *ducem* et *comitem* esse alius per totam viam, eam simul cum comite percurrendo. Sic expresse apparet in *Mt.* 15, 14 ubi dicitur *odegos* ille qui tamquam dux totum iter cum comite agit, dum scribit: « Caecus si caecum ducatum praestet, i. e. si tamquam dux totum iter cum eo agit, ambo in foveam cadunt ». Non agitur ergo de via simpliciter alii indigitanda et in ea collocando, sed de tota via, utrobique vicissim comite percurrenda. Quod quam apprime nostro contextui conveniat, nemo non videt. Spiritus enim Sanctus, qui est Spiritus veritatis, a Christo promissus, non tantum Apostolos inducet in omnem veritatem, sed eos continuo comitabitur ut omnem veritatem constanter retineant nec ab ea possint averti.

Idem eruitur etiam ex *Act. Apost.* 8, 31 ubi agitur de instructione complete impertienda eunucho reginae Candacis circa doctrinam messianicam seu de plena intellectione cuiusdam textus prophetici, ita ut magister totam cum discipulo metaphorice viam decurrat, usque dum in totam veritatis assecutionem illum imbuat. Et eodem verbo utitur hagiographus.

Proinde sensus textus S. Ioannis est: Spiritus Sanctus *vos* (Apostolos nempe) (et ex rei natura eorum quoque successores, immo et omnes in Christum credentes) per totam viam ducet, usque dum Eo duce et comitante ad veritatem integre et plene perveniatis.

Oporteret ergo versionem latinam invenire quae sensui et vi textus graeci conformior esset.

12

EXC.MUS P. D. HANNIBAL MUÑOZ DUQUE
Archiepiscopus Neopampilonensis

Venerabiles Patres,

Schema constitutionis *de divina revelatione* placet in suis lineamentis fundamentalibus; indiget tamen adhuc ulteriore examine, ad hoc ut quaedam formulae maiorem exactitudinem doctrinalem assequantur. In particulari vellem proponere quamdam emendationem seu clarificationem, *de qua, ut mihi videtur, nullus alius Pater locutus est.*[1]

In cap. II, n. 9 schematis, legitur: « Etenim Sacra Scriptura est locutio Dei quatenus divino afflatu Spiritu scripto consignata, sacra traditio autem mens, doctrina, exempla et mandata Christi per apostolorum eorumque successores praeconium, assistente Spiritu Sancto fideliter transmissa ».

Patet quod in hac propositione schematis *sola* Sacra Scriptura vocatur « locutio Dei », seu verbum Dei. Hunc esse sensum huius propositionis apparet evidenter in ipsis relationibus schematis, pag. 21, in qua legitur: « ... ad affirmandam praecellentiam ipsius (Sacrae Scripturae), utpote non tantum verbum Dei contineat, sed sit verbum Dei, dicitur simpliciter quod praedicatio apostolica in libris inspiratis speciali modo exprimitur. Qui specialis modus ex titulo inspirationis provenit ». His verbis clare attribuitur soli Sacrae Scripturae expressio « verbum Dei »; immo haec exclusiva attributio fundatur in titulo inspirationis quasi inspiratio divina soli verbo Dei scripto conveniat.

Contra talem doctrinam schematis dici debet: 1. Duplex in oeconomia salutis habita est inspiratio divina, nempe, inspiratio divina ad loquendum (sic dicta « inspiratio prophetica ») et inspiratio divina ad scribendum (sic dicta « Inspiratio biblica »).

2. Praedicatio Prophetarum, et maxime praedicatio Christi, revelatoris per excellentiam, necnon praedicatio apostolorum provenit ab inspiratione prophetica. Haec praedicatio vocari debet *verbum Dei* sensu omnino proprio. Nam in V. T. expressio *verbum Dei* designat praeferenter, si non exclusive, verbum Dei *praedicatum.* « Verbum Dei » per excellentiam, fuit praedicatio Christi, Filii Dei loquentis signis humanis ad homines verba Dei. Hucusque vix notatum est quod revelator summus, nempe, verbum personale Dei personaliter assumens verbum humanum, nullum verbum Dei scriptum nobis dedit, sed solum verbum praedicatum. Apostoli habuerunt charisma inspirationis propheticae, prout apparet ex adventu Spiritus Sancti in Pentecoste, et ex epistolis

S. Pauli; eorum praedicatio, teste ipso Paulo in epistola prima ad Thessalonicenses, non est « *verbum hominum* » sed « *vere ... verbum Dei* » ...[2].

Proinde non sola S. Scriptura provenit a divina inspiratione, neque sola S. Scriptura potest dici « verbum Dei », sed tum inspiratio divina ad loquendum (quam habuerunt prophetae, Christus et apostoli), tum inspiratio divina ad scribendum (quam habuerunt auctores scriptorum Veteris et Novi Testamenti), terminatur ad « verbum Dei »; locutio Dei per prophetas et apostolos, maxime autem per Christum Dominum, non est minus locutio Dei quam illa quae fit per inspirationem biblicam.

3. Verbum Dei, a Christo et apostolis praedicatum, susceptum est fide Ecclesiae et via viventi testificationis, praedicationis et liturgiae ecclesiasticae, sub ductu hierarchiae, transmissum est. Haec transmissio fit sub *assistentia* Spiritus Sancti, non autem sub *inspiratione* ipsius (haec distinctio quam ipsum schema proponit, dum loquitur de « Spiritu Sancto suggerente » et de « Spiritu Sancto assistente » [cap. II, nn. 7 et 9] debet admitti) quia revelatio divina quoad eius « fieri » habuit terminum. Igitur transmissio ipsa verbi Dei, praedicati a Christo et apostolis, non est inspiratio et ideo non facit « verbum Dei »; sed illud, quod tradit, est kerygma christianum, nempe, verbum Dei praedicatum a Christo et apostolis: talis traditio in eius contento, est revera verbum Dei.

Sic explicatur sermonem fieri in Ecclesia catholica iam a saeculis de « verbo Dei », tam scripto, quam tradito; nempe tum de verbo Dei proveniente ab inspiratione biblica, tum de verbo Dei proveniente ab inspiratione prophetica Christi et apostolorum, et usque ad nos, via viventis traditionis, transmissum: talis traditio dat nobis revera kerygma christianum apostolicum, nempe, verbum Dei a Christo et apostolis annuntiatum. Hoc sensu loquitur Concilium Tridentinum de « sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt » (DENZ. *733* [3]); et Concilium Vaticanum I expresse affirmat: « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quae *in verbo Dei scripto vel tradito* continentur ». His terminis expresse asseritur a Concilio dari *verbum Dei traditum,* et non solum « verbum Dei scriptum ».

His positis, concludere licet. Non est dubium schema admittere praedicationem Christi et apostolorum fuisse sub inspiratione Spiritus Sancti et ideo fuisse verbum Dei; sed non videtur approbari posse quod terminus « *locutio Dei* » attribuatur exclusive ad Sacram Scripturam in contrapositione ad traditionem christianam apostolicam. Talis exclusiva

designatio S. Scripturae ut « *locutionis Dei* » determinaret aequivocationem summe periculosam in Ecclesia catholica, et ideo debet vitari.

Neque ad iustificandum illam exclusivam appellationem S. Scripturae, ut « verbum Dei », valeret dicere quod praedicatio Christi et apostolorum *fuit* « verbum Dei », dum S. Scriptura *est* « verbum Dei ». Nam si actio praedicativa Christi et apostolorum, utpote in determinato tempore facta, transivit, etiam transivit actio scribendi auctorum librorum N. Testamenti; manet *solus*[4] terminus talis actionis, contentum nempe divinae relationis scripto consignatum, sicut manet terminus actionis praedicativae Christi et apostolorum, nempe, contentum kerygmatis christiani via viventis traditionis transmissum.

Debet proinde dici: « S. Scriptura est verbum Dei, Divino afflante Spiritu consignatum; s. traditio (illa christiano-apostolica, de qua agitur in schemate) est quoque verbum Dei, a Christo Domino et apostolis suggerente Spiritu Sancto praedicatum atque per apostolorum successores sub assistentia Spiritus Sancti, fideliter transmissum ». Gratias, dixi.

In textu scripto tradito: [1] cuius momentum considerationi Concilii propono. [2] (*1 Thess.* 2, 13). [3] 783. [4] solum.

[*Subscripserunt etiam*] Arthur Duque Villegas, arz. Manizales; Alberto Zambrano Palacios, praef. ap. Canelos; Miguel Aurrecoechea, vic. ap. Machiques; Antonio Corso, adm. ap. Montevideo; Raul Zambrano C., ep. Facatativá; Alfonso Uribe, ob. aux. Cartagena; Raul Silva Silva, aux. Rancagua; Alfredo Rubio Diaz, ob. Sonsón; Bernardo Arango H., ob. Barranca Bermeja; Jorge A. Giraldo, ob. Pasto; José Joaquin Florez, ob. Ibagué; Pedro José Rivera Mejía, ob. Socorro y San Gil; Angel M. Ocampo Berrio, arz. Tinja; F. X. Gillmore Stock, vic. castr. Chile; Constantino Gómez Villa, vic. ap. Caroni; Luis A. Crespo, ob. Loja; Benigno Chiriboga, ob. Lataconga; Eusebio Septimio Mari, vic. ap. Riohacha; Emilio Tagle, arch. ep. Valparaiso; Jesús Martinez Vargas, ep. Armenia; José de Jesús Pimiento R., ob. Garzón-Neiva; Hector Rueda H., ob. Bucaramanga; Heribert Correa Yepes, praef. ap. Mitú; Vicente Roig y Villalba, vic. ap. Valledupar; Camillus Crous Salichs, vic. ap. Sibundoy; Julius Franco Arango, ep. Duitama; Enrique L. Cabrera Urdangarin, ep. Mercedes Uruguay; Alfredo Viola, ob. Salto in Uruguay; José Luis Castro, ob. San Felipe; Baltasar Alvarez, ob. Pereira.

Animadversiones additae:

Nomine conferentiae episcopalis Colombianae liceat mihi proponere quasdam emendationes ad schema *de divina revelatione,* scil.

Cap. II. Nn. 8-9 retractentur, habita ratione eorum quae dicta sunt in aula de Spiritu Sancto, semper in Ecclesia praesente et aperiente mysterium Christi quod in Sacra Scriptura continetur.

Cap. III, n. 11, linn. 2-5: « Divinitus revelata quae afflante Spiritu Sancto litteris consignata sunt, in Sacra Scriptura continentur et prostant » substituatur: « Deus sese hominibus revelare voluit per verbum suum, quod afflante Spiritu Sancto prolatum et conscriptum fuit, et in Sacra Scriptura continetur et prostat ».

Ratio: debet cohaerere cum cap. I n. 2: « seipsum revelare » « prolatum » ne actio Spiritus Sancti ad meram consignationem restringatur.

Cap. III, linn. 11-21 eiusdem numeri « In sacris vero... profitendi sunt » substituatur: « Ideo Sacra Scriptura *revelationem sine errore continet.* In Sacris vero libris conficiendis Deus homines elegit, quos omnibus facultatibus ac viribus utentes adhibuit ». *Ratio*: ex una parte principium generale inerrantiae asserendum est; ex alia parte eius elaboratio theologica aperta debet manere, ut ex studio positivo Sacrae Scripturae perficiatur; valde enim periculosum est hoc principium theologice evolvere methodo pure deductiva, ignorata prorsus realitate biblica. Ideo proponitur formula certissima et indiscussa et quidem ex Concilio Vaticano I desumpta. Insuper, ex evolutione semantica, terminus « error » hodie late patet, et si non accurate definiatur, eius indiscriminatus usus grave scandalum generare potest.

Cap. III, n. 12, linn. 25-26: « Quamnam veritatem » substituatur « quid ». *Ratio*: latissime patet « quid », ideoque includit exhortationes, imperativa, effusiones animi, interiectiones, etc. quae proprie veritates non vocantur.

Cap. III, pag. 28, lin. 4: « ... exprimitur » addatur: « Deus enim multifarie multisque modis locutus est ». *Ratio*: textus epistulae ad Hebraeos bene effert varietatem revelationis divinae, quam varietatem bene evolverunt scholastici mediaevales in doctrina « De modis Sacrae Scripturae ».

Lin. 8: « Varietates enim seu id quod » substituatur « id quod ». *Ratio*: eadem ac supra.

Lin. 12: « cogitandi, dicendi, narrandive modos » substituatur « cogitandi, dicendi, scribendi, narrandive modos et artes ». *Ratio*: accuratius res exprimitur, explicite referendo artes scribendi et dicendi illorum auctorum.

Linn. 14-20: « Cum haec omnia... minime afficiunt », omittantur. *Ratio*: *a*) Semel pronuntiato principio inerrantiae in prima paragrapho, repetitio potius nocet quam iuvat; *b*) haec insistentia impressionem generat cuiusdam obsessionis, quae obsessio gravia damna exegesi catholicae attulit; *c*) impressionem dat hermeneuticam penitus subordinari inerrantiae tanquam fini, quod est falsum; cum finis hermeneuticae sit intelligentia textus; *d*) iuxta statum actualem investigationis biblicae, non oportet efferre « sermonem quotidianum » Scripturae, nam maxime V. T. sermonem cultum et politum plerumque adhibet.

Linn. 22-23: « contentum » substituatur « Unitatem ».

Linn. 33-34: « salva semper Dei veritate et sanctitate » omittantur. *Ratio*: sensum grammaticalem turbant; male sonant, quasi homo non possit acceptare simpliciter et humiliter donum Dei.

Cap. IV, n. 14 initio: « Amantissimus Deus humani generis salutem sollicite intendens », substituatur: « Amantissimus Deus humani generis salutem iam ab initio sollicite intendens (cf. *Sap.* 10, 1, 2), tempore stabilito ». *Ratio*: patet; implendum est vacuum saeculorum.

Cap. IV, pag. 34, lin. 9: post « clementissimi » addatur « amorem et fiduciam erga Ipsum » (cf. *Deut.* 6, 4). *Ratio*: conveniens est haec mentio explicita, quia falso et iniuste describitur V. T. quasi « religio timoris ».

Lin. 20: addatur « ..., et vicissim Novum Testamentum illuminant et explicant» . *Ratio*: haec est doctrina et praxis Ecclesiae inde a die Resurrectionis, cum ipse Christus mysterium paschale exponit « interpretabatur illis in omnibus scripturis quae de ipso erant » (*Lc.* 24, 27. 45); haec Patres, haec theologi veteres, liturgia praestant. Ideo nequit in textu conciliari omitti.

Cap. V, n. 19, linn. 20-22: « Quaedam... selegendo, quaedam in synthesim redigendo, quaedam ad statum ecclesiarum attendendo », substituatur: « Quaedam... seligentes, quaedam in synthesim redigentes, quaedam ad statum ecclesiarum suarum attendendo explanantes ». *Ratio*: ita est in textu C. B. citato, et ita grammaticaliter correctum sensum habet.

Cap. VI: deest explicita mentio de oratione christiana, quae verbis Sacrae Scripturae fit, maxime Pater, Magnificat, Benedictus, et Psalmi. Posset ad finem n. 21 haec mentio inseri linn. 24-26: « In sacris libris Pater... confert; et verbis Sacrae Scripturae, maxime Pater noster et Psalmis, populus Dei Patri respondet ».

Moderator: Loquatur exc.mus D. Ioannes Maria Gonzalez, cum quo explicit discussio schema *de divina revelatione*.

13

Exc.mus P. D. IOANNES EMMANUEL GONZALEZ ARBELÁEZ
Episcopus tit. Oxyrynchitanus

Venerabiles Patres, carissimi Auditores,

Aliis praetermissis, quae uno alterove modo iam a Patribus ad trutinam criticae subiecta fuere, haec de cap. III breviter vestra venia observare censeo.

1. Ad n. 11. Prima phrasis pag. 27 a linn. 1-5, non videtur accurate exarata *haec phrasis*.[1] Difficultatem etenim affert consistentem in relativo « quae » eiusque relationem ad antecedens.

Relativum etenim « quae » potest bifarie sumi: *a*) sensu pure relativo seu copulativo, videre licet: « illa divinitus revelata, quae litteris consignata sunt », etc. Hic sensus copulativus non excluderet per se alia revelata non consignata litteris. Hoc tamen excludendum est, quoniam Concilium declarat se nullo modo velle quaestionem ingredi de habitudine inter Scripturam Sacram et traditionem, quae de facto dirimeretur asserendo res alias posse dari divinitus revelatae quae non sunt in Scriptura.

b) Si adiectivum relativum sumitur sensu restrictivo seu absoluto, id sibi vellet nihil esse revelatum quin sit in Scripturis consignatum. Quo casu ex *parte contraria*[2] Concilium dirimeret quaestionem.

Opinor ergo phrasim alio modo exarari debere. Tunc, posito antecedente, sic schema corrigi *praestaret*,[3] ni fallor, dicendo: « Illa (*antecedens*[4]) divinitus revelata quae (*relativum*[5]) afflante Spiritu Sancto litteris consignata sunt, in Scriptura Sancta continentur et prostant ».

2. Etiam ultima phrasis eiusdem pag. 27, linn. 18-21, *ait*[6] « Inde Scripturae libri integri cum omnibus suis partibus veritatem sine ullo

errore docere profitendi sunt ». Non bene exprimitur, *id quod desideratur,*[7] quod peius est, erroneae interpretationi subest.

Nam dicere « libri integri cum omnibus suis partibus veritatem docere » idem est ac *asserere*[8] « omnes phrases Scripturae Sanctae esse affirmationes veritatum, quod neutiquam verum est. Sacra siquidem Scriptura est immunis ab errore, sed non semper et in omnibus sacer auctor intendit formalem exprimere veritatem, nam alia multa sunt extra dominium veritatis inspiratae in quibus error minime serpit quoniam materia excedit ambitum veritatis seu iudicii formalis *auctoris.*[9]

Addendum est aliunde in hac parte schema nostrum cum dicit « libri integri cum omnibus suis partibus » desumptum esse id ex Concilio Tridentino ...[10], in quo eadem pericopa ad *canonicitatem* referebatur, non vero ad *inerrantiam.* Nitide apparet hic usurpari hoc modo illegitimo et extra contextum Tridentini. Melius ut videtur esset retinere pristinum schematis textum, scil., « cum ergo totius Scripturae Deus principalis auctor affirmetur et sit, inde totam Scripturam divinitus inspiratam ab omni prorsus errore immunem esse consequitur ».

3. Ad pag. 28, lin. 8, *dicitur*[11] « Veritas enim seu id quod sacer auctor scripto significare voluit, non recte intelligitur nisi rite attendatur ad illos nativos cogitandi, dicendi, narrandive modos », etc. Hic textus deberet expurgari pariter uti supra dictum est; nam auctor non semper intendit veritatem formalem seu *iudicium obiectivum* exhibere.

Melius esset uti videtur supprimere « veritas enim » et simpliciter scribere sic: « Id enim quod sacer auctor scripto significare voluit, non recte intelligitur nisi rite attendatur ad suetos illos... modos », etc.

4. et ultimo. In pag. 28, linn. 17-18, *dicitur*[12] « Cum haec omnia in divino eloquio, quod pro hominibus modis verbisque humanis exprimitur, inveniantur, non magis erroris eadem argui debent quam paria aut similia in quotidiano *usu habita sunt, immo habeantur,* proindeque auctoritati et sanctitati Scripturae minime officiunt ». Haec phrasis omnino infelix apparet. Nam « non magis erroris quam » implicat adesse de facto aliquid erroris in Sacra Scriptura, eodem modo ac aliquid erroris datur « cum paria aut similia in quotidiano usu habita sunt », id quod schema miro modo expresse affirmat cum addat « immo habeantur », quae assertio adhuc infelicior evidenter patet. Proinde haec pars est opposita doctrinae inerrantiae expositae in n. 11.

Affirmatio haec desumpta videtur ex theoria a P. Benoit nuper primo proposita « De erroribus hagiographi ut persona privata ». In hoc casu errores quamvis cadant sub influxu subiecti inspirationis non tamen pertinent ad hagiographum ut *persona publica,* seu ut *scriptor,* ideoque non sunt *errores Scripturae seu errores Dei.*

Quae quidem theoria, si recte intelligatur, optima videtur; in schemate attamen inadaequate exprimitur. Iuxta illam theoriam etenim in synthesi spectatam illi « errores » « non sunt revera errores proprie dicti, quandoquidem non pertinent ad obiectum formale auctoris, intra cuius ambitum unice auctor emittit *iudicium formale* et in quo ambitu unice loqui potest de veritate et respective, de errore.

Ex alia autem parte phrasis supra dicta infelix est. Etenim « cum paria et similia in quotidiano usu habita sunt », *dicit* [13] dari potest non solum hic « *errores* » [14] materialis (quod nullum valorem habet, ut diximus), sed etiam *verus error formalis,* cum agatur de sermone pure humano. Ab hoc autem errore Scriptura Sacra omnino immunis est.

Conclusio alia ergo haec est quam demisse propono: aut paragraphus tota a lin. 14 ad 20 expungatur aut ita vel alio modo exaretur: « Quae omnia, cum in divino eloquio, pro hominibus modis verbisque humanis expressa inveniantur, auctoritati et sanctitati Scripturae minime officiunt ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] alia parte. [3] debet. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] et. [8] dicere. [9] deest. [10] (*EB* 45). [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] « error ».

Moderator: Loquatur nunc exc.mus secretarius generalis.

Secretarius generalis: Audiatis Patres venerabiles, qui in sedibus estis et qui extra eas, certa de causa, vagamini.

Postquam ego dedi nuntium laetissimum de invitandis parochis iam pluvia facta est petitionum episcoporum ad eosdem parochos invitandos. Hoc certe est indicium maximi amoris pastorum erga parochos. Attamen haec Basilica, licet amplissima, non potest inundari. Hi paucissimi parochi, perpaucissimi, si liceat dicere, iam sunt designati, et repraesentabunt omnes parochos Ecclesiae licet sint perpaucissimi. Ergo ne mittatis petitiones, Patres venerabiles.

Nunc communico exitus suffragationum, quas mane peregimus.

Exitus suffragationis de capite integro primo schematis *de Oecumenismo*: hic est:

Suffragium dederunt Patres		2.166
Dixerunt	*placet*	1.926
	non placet	30
	placet iuxta modum	209
Suffragium nullum		1

Ergo caput est in congregatione generali probatum.

Et ecce exitum I suffragationis circa cap. II, nempe suffragationis VI, ut ordinem servemus:

Inter Patres	2.166
Dixerunt *placet*	2.120
non placet	46
placet iuxta modum	
Nullum votum	

Nullum, nullum; hoc est vere mirandum.

Suffragatio VII:

Votantes praesentes	2.168
Dixerunt *placet*	2.076
non placet	92

et satis.

Suffragatio VIII:

Praesentes votantes	2.166
Dixerunt *placet*	1.872
non placet	292
Suffragia nulla	2

Quoad suffragationem IX:

Inter Patres	2.161
Dixerunt *placet*	2.099
non placet vero	62

et satis.

Ergo omnes textus perlecti de cap. II in congregatione generali probati sunt. Et crastina habebitur initio congregationis suffragatio super integro capite.

Nunc incipit disceptatio schematis *de apostolatu laicorum*. Introductionem dicet em.mus ac rev.mus D. card. Fernandus Cento, et relationem habebit exc.mus D. Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis: verba petierunt circa hoc schema: (lego prima nomina) em.mi DD. card. Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici in Stat. Foeder. Americae Septemtrion., card. Michael Browne; exc.mi DD. Remigius De Roo, ep. Victorien. in Canada; Paulus Charbonneau, ep. Hullen. in Canada; Paulus Sani, ep. Denpasaren. in Indonesia; Laurentius Picachy, ep. Jamshedpuren. in India; Leo Duval, arch. Algerien. in Algeria; Maurus Rubio, ep. Salmantin. in Hispania.

DISCEPTATIO

1 – SCHEMA DECRETI

DE APOSTOLATU LAICORUM *

[5] [a] [*Prooemium*]. Sacrosanctum Concilium Vaticanum II, cum praecipuum sibi finem proposuerit altiorem omnium membrorum Ecclesiae vitam spiritualem et intensiorem actuositatem apostolicam assequendam,[1] postquam egit de laicis in Constitutione « de Ecclesia », hic iterum animum convertit ad eosdem christifideles laicos ut speciali modo in mentem revocetur dignitas et necessitas apostolicae operositatis eorum, principia enuntientur directionesque pastorales dentur ad efficacius huius apostolatus exercitium.

[b] Licet nulla aetate defuerit in Ecclesia apostolatus laicorum, cum ad ipsam naturam Ecclesiae pertineat, nostra tamen haec tempora omnino latiorem expostulant. Progressus enim scientificus et technicus, hominum in dies augescens numerus, peramplum rerum profanarum dominium, faciliora subsidia communicationis ac multiplices relationes inter homines, non solum in immensum dilatarunt campum apostolatus

---

* *In initio fasciculi legitur*: Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in Audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo discutiendum, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXVII mensis Aprilis, anno MCMLXIV.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Verba, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur.

[a] Ex n. 1. (Numeri referuntur ad schema quod anno 1963 typis editum est [92 numeri, 48 paginae], atque Patribus traditum ante secundam periodum Concilii in qua quaestiones in schemate propositae fusius et plenius pertractantur).
[b] Ex n. 3.

laicorum verum etiam problemata nova excitarunt quae eorum sollicitam [5] curam exspectant. Hic apostolatus suapte natura necessarius, hodiernis in adiunctis urgentior adhuc efficitur, non solum ob insufficientem numerum cleri, sed praesertim ob alienationem quarundam provinciarum vitae humanae ab omni ordine religioso vel ethico. Huius necessitatis signum simul et felix responsum est evidens illa operatio Spiritus Sancti, ubique hodie generosos laicos in servitium Christi et Ecclesiae suscitantis.[2]

I – De laicorum vocatione apostolica

1.[c] [*De participatione laicorum in missione Ecclesiae*]. Ecclesiae missio est opus Christi in terris continuare usque ad finem saeculorum, Deum glorificando, animas salvando, instaurando omnia in Christo. Quam missionem ipsa adimplet, diversis quidem modis, per omnia sua membra. Corpus enim Mysticum non sinit ullum membrum esse mere passivum; vocatio christiana natura sua vocatio quoque est ad aposto- [6] latum.

« Apostolatus », qui nomen trahit a munere docendi, regendi et sanctificandi Apostolis concredito eorumque successoribus, omnem etiam Corporis Mystici actuositatem designat, qua Evangelium Christi annuntiatur et vita hominum Eius Spiritu imbuitur. Quo sensu omnia membra Ecclesiae apostolatum exercere debent; est enim innata necessitas vitae christianae et obligatio quae oritur ex praecepto caritatis.

Hoc ius et officium ad apostolatum oritur ex ipsa christifidelium cum Christo capite unione in charactere sacramentali Baptismatis et Confirmationis fundata et SS. Eucharistia nutrita. Membra enim Eius participant, variis quidem modis et mensuris, Eius Regale Sacerdotium et divinam missionem.

Hic apostolatus laicorum tantum se extendit, etiam ad res temporales, quantum ipsa missio Ecclesiae, iis solum muneribus exceptis quae potestatem ordinis vel iurisdictionis exigunt.

2.[d] [*De apostolatu ab omnibus et singulis exercendo*]. Omnium et singulorum laicorum cuiusvis aetatis, sexus et condicionis, honor est et officium ut cum Christo adlaborent sua quisque mensura et modo ad salutem omnium hominum; quae cooperatio eo fructuosior erit quo intimior eorum unio cum Christo et promptius responsum gratiae Spiritus Sancti.

Imprimis spiritus apostolicus manifestatur, et etiam alitur, oratione,

[c] Ex n. 3.
[d] Ex. nn. 6, 7.

[6] praesertim participatione Sacrae Liturgiae, pro Ecclesiae aedificatione ac mundi salute et humili tolerantia laborum aerumnarumque vitae, necnon mortificationibus quibus christifideles sese Christo patienti conformantes pro fratribus satisfaciunt et intercedunt.

Sed spiritus apostolicus, totam activitatem humanam pervadens, elucescere etiam debet coram hominibus testimonio vitae omnino sibi cohaerentis in fide, spe et caritate, probitate morali in omnibus negotiis et pauperum sollicitudine, quod est signum, etiam nostris temporibus accommodatissimum, Christum in fidelibus suis viventem manifestans.

Ex hac praesentia et apostolica operositate laici creare possunt et debent in variis societatis campis condiciones quae vitam vere humanam et christianam possibilem et facilem reddant.

Verus denique zelus apostolicus, hac actione sola non contentus, opportunas quaerit occasiones etiam verbis Christum annuntiandi; eo [7] magis quia multi homines, longe a Christo et Ecclesia versantes, non possunt nisi per vicinos laicos Evangelium audire et Christum agnoscere. Laicorum etiam est enucleare et diffundere doctrinam Ecclesiae, scientia et experientia propria oblatis.

Uno verbo, apostolatus laicorum ad essentiam pertinet testimonii Ecclesiae.

3.[e] [*De formatione apostolica*]. Cum vocatio ad apostolatum ad essentiam ipsam pertineat vocationis christianae, omnis educatio christiana includat necesse est formationem quoque ad apostolatum, ita ut unusquisque plene conscius reddatur suae partis in missione Ecclesiae et, caritate Christi compulsus (cf. *2 Cor.* 12, 15), aptus evadat ad suam missionem implendam.

Haec autem formatio, ex variis elementis spiritualibus doctrinalibusque constans, complecti debet etiam cognitionem condicionis cuiusque congruam, scientiarum socialium et artium; quae formatio, in methodis probatis tam traditionalibus quam modernis fundata, non sola instructione recepta, sed praxi quoque apostolatus perficienda est. Peculiari modo haec formatio eo contendat ut idonei fiant ad relationes humanas condendas atque fovendas. Instituendi sunt ut christiane iudicent de adiunctis rerum, utque suam actionem apostolicam spiritu evangelico eis adaptent.[3]

Formatio apostolica igitur omnibus omnino impertienda est; in ipsa pueritia incipienda, in adulescentia urgenda, et per totam vitam iuxta diversas exigentias novarum responsabilitatum perficienda.

---

[e] Ex nn. 42, 43, 45, 46, 47, 48.

Iis ad quos spectat educatio christiana, ex ipsa natura rerum officium quoque institutionis ad apostolatum incumbit; inter quos praecipuum locum obtinent parentes vel tutores, sacerdotes, catechistae, magistri, et, pro suis membris, ipsae associationes. Quae de formatione ad apostolatum in communi indicata sunt, etiam in scholis, collegiis et aliis institutis educationis observanda sunt. [7]

Sacerdotes autem prae oculis habeant in catechesi et ministerio verbi, in moderatione animarum et administratione sacramenti Paenitentiae, necessitatem educationis laicorum ad apostolatum, ii praesertim quibus demandata est cura animarum vel associationum laicorum.

Opus denique educationis potissimum pertinet ad ipsum qui educatur, cuius erit detegere et fovere dotes quas Deus ipsi dedit, propriam christianam personam perficere, ut promptus sit Christo Domino Eiusque Ecclesiae ministrare.

Ad laicos penitius in apostolatu efformandos apta centra habeantur praesertim pro iis qui speciali titulo servitio Ecclesiae addicuntur. [8]

II – De communitatibus et vitae ambitibus

4. [*De campis apostolatus*]. Inter adiuncta concreta, in quibus laicorum apostolatus exercetur, quasdam convenit considerare communitates vel ambitus vitae, quae campi apostolatus haberi possunt eiusque modos definire valent.

5.[a] [*In familia*]. Societatis familiaris apostolica actio, quae ab exordio Ecclesiae initium sumit, peculiare hodie momentum obtinet cum familiae christianae, inter difficultates nostrae aetatis, tota vita sua Evangelio cohaerentes ac matrimonii Novae Legis excellentiam ostendentes, maximi momenti testimonium coram mundo Christo afferunt. Re vera Regni Christi propagatio postulat ut ipsae familiae non solum apostolicae actionis Ecclesiae bona recipiant, sed etiam, ratione sua propria, eiusdem apostolatus adiutrices et redemptionis instrumenta fiant.

Vi ipsius Matrimonii sacramenti uterque coniux munus et officium habet ut quoad alterum gratiae sit cooperator, necnon caritatis Christi et Ecclesiae testis; et parentes officium habent christiane educandi filios, eos adiuvandi in vocatione Dei circa ipsos dignoscenda ac genere vitae libere eligendo, et in eis spiritum apostolatus fovendi.

Peculiari modo apta est societas coniugalis et familiaris ad quaedam apostolica exercenda opera e quorum genere sunt, ut imprimis sponsos

---

[a] Ex n. 30.

[8] ad matrimonium praeparent, coniugibus et famulis in angustiis moralibus vel materialibus versantibus, vel iis qui familia eiusque bonis carent, auxilium ferant.

Ad sustentationem spiritualem ac materialem, ad defensionem quoque iurium familiae, et ad auxilium in ipsa activitate apostolica mutuo praestandum, opportunum esse potest ut familiae in quosdam coetus congregentur.

6. [b] [*In Ecclesiae communitatibus*]. Per apostolatum laicorum paroecia vere se manifestat ut communitatem fidei, spei et caritatis. Laici se alant vita liturgica in paroecia eamque actuose participent; sollicite partes agant etiam in operibus apostolicis.

[9] Tum in paroeciis tum in dioecesibus, laici operentur intime cum suis pastoribus coniuncti, et mundi gaudia et inquietudinem suasque quaestiones et problemata communitati Ecclesiae afferant. Adlaborent viribus unitis ut paroecia spiritu missionali informetur, et, obsequentes Episcopo cuius est totius dioeceseos, quae est Ecclesia localis, apostolatum moderari, iuxta illud S. Ignatii Antiocheni, « nihil sine episcopo » agant.[4]

Quoniam autem laici ob rationes vitae professionalis nequeunt apostolatum intra fines unius paroeciae plene exercere, necessarie requiruntur relationes interparoeciales ut respondeant necessitatibus pastoralibus hodiernarum urbium et regionum ruralium.

Tum laici tum clerus vocationem suam his temporibus adimpleant oculos et corda ad totum populum Dei in toto orbe terrarum dispersum convertentes. Itaque omnes, quantum possunt, etiam ultra fines paroeciae vel dioeceseos vel nationis, de necessitatibus universalis Ecclesiae usque mundi curam habeant. Faveant laici inceptis quae unitati generis humani in iustitia et caritate conducunt, et quae ad unionem christianorum, omniumque in Deum credentium necnon omnium hominum bonae voluntatis conferunt. Qui in alienis nationibus laborant vel eis auxilium praestant, memorent relationes mutuas inter homines verum commercium fraternum debere esse in quo dat unusquisque et simul accipit.

7. [c] [*In proprio ambitu*]. Attamen laicorum missio ad omnes alios ambitus vitae extenditur in quibus divina Providentia eos collocavit. In locum laicorum, qui in his ambitibus proprium apostolatum exercent, nullus alius substitui potest.

Apostolatus similis erga similem, eodem tempore, homines ad Evan-

---

[b] Ex nn. 50, 51, 52 et 53.

[c] Ex nn. 8, 9.

gelium et ad veram vitam civilem perducit, et laici vitae testimonium per verbi testimonium complent quod Christi testes sunt.[5] [9]

Missionis suae apostolicae in his diversis ambitibus conscii, laici curae habeant homines et res aspicere, iudicare et agere lumine fidei.[6] Laici spirituale fermentum sunt eorum inter quos vivunt prout per sua facta et dicta amorem divini Salvatoris demonstrant (cf. *1 Pt.* 3, 15) et in civitate hominum iustitiam et caritatem exercent. Investigationem quoque scientificam ipsorum ambituum promoventes, studeant quomodo caritatem erga personas praebeant, immo etiam structuras sociales secundum Evangelii doctrinam transforment.

8. [*In coetibus omnibus patentibus*]. Christianorum est promovere [10]
quaecumque sunt vera, quaecumque iusta, quaecumque sancta (cf. *Phil.* 4, 9). Dum igitur in ambitu vel laboris, vel professionis, vel studii, vel incolatus, vel otii, coetus omnibus patentes participant, sese strenuos sollicitosque inter socios ostendentes, laici studeant vita sua et operositate commendare fidem quam profitentur.

Unde valde optandum est ut fideles laici se consocient ad hunc apostolatum in huiusmodi coetibus et ambitibus exercendum ut mutua formatione et consilio fruantur.

III – De finibus assequendis

9. [*Apostolatus obiecta et distinctio*]. Cum pressius obiecta apostolatus laicorum considerantur, distingui possunt quae ad finem evangelizationis hominumque sanctificationem immediate pertinent ab iis quae ad finem animationis christianae ordinis rerum temporalium immediate attinent; idem autem laicus, qui est simul fidelis et civis, in utroque ordine una conscientia christiana continuo duci debet.

Clariori luce ita ponuntur non solum diversorum apostolatus inceptorum species, sed etiam munera, propriae agendi rationes, immo et differentes habitudines ad societatem sive ecclesiasticam sive civilem.

10. [*De hominum conversione et progressu ad Deum*]. « Caritas Christi urget nos » (*2 Cor.* 5, 14) ut omnibus hominibus imprimis bonum fidei gratiaeque donum provideatur, iuxta illud Christi: « Quaerite ergo primum regnum Dei et iustitiam eius » (*Mt.* 6, 33).

Apostolatui autem Ecclesiae, quo suam primariam explevit et explet missionem verbum Dei nuntiandi hominesque sanctificandi, numquam defuit sollicita et efficax collaboratio laicorum, qui, modo proprio agentes et in suo statu manentes, filiali animo cum sacra Hierarchia con-

[10] iuncti, « Dei adiutores » (*1 Cor.* 3, 9) in salute hominum procuranda re vera facti sunt.

Nostris quidem temporibus laici Ecclesiam multimode adiuvant, ut ipsa vita sua actioneque supernaturali quamplures etiam qui longe sunt attingat; immo laici, sua experientia et studio auxilium praebent Ecclesiae ut in hodiernis sat perplexis vitae humanae condicionibus suam missionem efficacius explere valeat.

Hanc maiorem possibilitatem apostolatum religiosum, spiritualem, exercendi laici attente perpendant; sollicite ac generose Summorum Pontificum et Episcoporum votis respondeant; coram Deo et ipsi de Ecclesiae missione rationes reddituros se esse numquam obliviscantur.

[11] Curent vero in apostolatu pro animarum salute ac profectu exercendo, ut ex plenitudine vitae interioris loquantur, sensu Ecclesiae moveantur, humilitate et caritate animos alliciant atque ab omni humano dominatu alienos sese praebeant, iuxta illud Christi: « Non veni ministrari, sed ministrare » (*Mt.* 20, 28).

11.[a] [*De ordine temporali christiane instaurando*]. Cum Deus omnipotens universum mundum disposuerit ad gloriam suam in plenitudine Christi Filii sui consummandam, meminerint christifideles se vocatos quoque esse ad universum temporalem ordinem in Christo perficiendum, secundum illud Apostoli « Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei » (*1 Cor.* 3, 23).

Quapropter apostolatus fidelium etiam ipsum rerum temporalium ordinem attingit, pervadit atque informat, ita quidem ut, integer manens in sua natura, lege morali, quam caritas perficiat, exstruatur et ad Deum, per Christum, ordinetur.

Urget ergo ut laici, praeter sua officia et munera quibus funguntur, operam etiam conferant ad exsequendum consilium Dei tam naturalia quam supernaturalia in se complectens, ita ut ordinem temporalem restaurent ac perficiant eumque spiritu christiano imbuant.

Hodiernae aetatis proprium est ut homo, doctrinarum et artium ingenti progressu in temporalibus ditatus, necnon maiori bonorum copia, aptior in dies evadat ad suam circa mundum vocationem implendam. Altera tamen ex parte, his ipsis particularibus bonis seductus, haud parum periclitatur ne, universalis et integrae suae naturae sensum amittens, servus operum quae ipse confecit magis inveniatur, quam regali illa filiorum Dei libertate erga res creatas excellens, ad quam mirabiliter conditus est et mirabilius reformatus (cf. *Missale Romanum* ad Offertorium).

---

[a] Ex nn. 75, 76, 77, 78, 79, 40-b.

Ad christianam ordinis temporalis instaurationem exiguntur proinde [11]
veritas revelationis, ut securius et clarius valores humani percipiantur eorumque connexio cum supernaturali ordine, atque gratia Dei, ut diu homo possit perseverare in integro ordine perficiendo.

Christianae ordinis temporalis instaurationi ac perfectioni totius Ecclesiae est operam dare. Laici vero in temporali ordine, quem actio hierarchica qua talis directe non attingit, ad Christi gloriam instaurando peculiares partes habent; et ideo responsabilitate propria agant oportet.

Formae et methodus actuositatis commendentur quae leges proprias diversorum ambituum ordinis temporalis integras servent, quaeque me-
lius variis in decursu historiae, condicionibus populorum, communita- [12]
tum, institutionum, coetuum aptentur et quibus universalia vitae christianae principia, rerum natura atque concretis temporum et locorum adiunctis spectatis, efficacius applicari possunt.

Opera temporalia exercentes, secundum leges ipsis inditas et ad fines eorum proprios consequendos, lumine fidei et virtute vitae supernaturalis ducantur, memores se ita non solum suae sanctificationi consulere, sed etiam activitates efficaciores reddere ad finem suum assequendum.

Amor christianus et efficacitas apostolatus postulant ut colantur etiam qualitates humanae quae a natura requiruntur, et a non credentibus maximi habentur, ut sunt probitas, sinceritas, fortitudo, prudentia, humanitas, rerum peritia ac sensus civicus, sine quibus nec vita christiana, nec efficax testimonium caritatis consistere potest.

12.[b] [*De actione caritativa erga proximum*]. Ab actione apostolica quae immediate in praedicationem Evangelii salutemque animarum intendit et illa quae ordinis temporalis in Christo instaurationem prosequitur, distingui possunt, propter suam peculiaritatem, opera misericordiae et caritatis erga homines in quacumque necessitate versantes, illo spiritu adimplenda qui verbis Christi exprimitur: « quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » (*Mt.* 25, 40).

Haec enim opera amorem erga Deum et hominem clarius manifestant, evangelici apostolatus propositum fovent, fidei semitam expediunt, miro modo amicitiae necessitudines et societatem vitae promovent, instaurationem christianam ordinis rerum temporalium fovent ac complent; quae opera Ecclesia, iuxta exemplum et mandatum Domini, semper munus proprium reputavit.

Proinde laici magni quoque faciant ea opera caritativa, quibus effi-

---

[b] Ex nn. 58, 59, 60, 62, 63, 65.

[12] cax auxilium hominibus in necessitate constitutis praestetur; item actus et incepta quae dicuntur assistentiae socialis pro viribus foveant atque evangelico afflatu perfundere satagant.[7]

Ut opera caritatis germanam vim apostolicam accipiant, laici dignitatem personae, libertatem conscientiae, imaginem Dei et Christum in proximo praesentem verbis ac factis agnoscant; liberaliter semper agant, ne opera quibus adiuvant quasi adminicula dominandi appareant; quidquid iustitiae est, urgeant, indesinenter integritatem eiusdem promoventes; ubicumque fieri potest homines adiuvent, ita ut hi paulatim condi-
[13] ciones suas meliores reddere valeant; omnes homines amplectantur, cum ad omnes misericordia Christi se extendat magisque in dies orbis incolae reapse membra fiant unius familiae.

IV – De formis associativis

13.[a] [*De momento formae associativae*]. Singulorum apostolatus, semper quidem frugifer, et quibusdam in adiunctis unice aptus, saepe tamen plenam suam efficaciam non consequitur nisi christifideles in unum conspirent et in coetus se congregent. Consociatio enim prae se fert signum unitatis Ecclesiae, sua membra sustinet et ad apostolatum format, eorumque activitatem apostolicam recte disponit et moderatur, ut multo uberiores exinde sperari liceat fructus quam si singuli seiunctim agant. In praesentibus vero adiunctis, pernecesse est ut in omni ambitu activitatis laicorum consociata et organizata forma apostolatus roboretur, etenim arcta virium unio sola valet ad omnes apostolatus hodierni fines plene assequendos eiusque bona valide defendenda.

14.[b] [*De multiplicitate formarum apostolatus consociati*]. Magna invenitur varietas in apostolatus consociati formas: aliae fines evangelizationis et sanctificationis modo particulari sibi proponunt, velut alicuius doctrinae spiritualis incrementum, catechistarum formationem, infidelium conversionem, cultus liturgici profectum, opera christianae educationis, hisque similia; aliae fines animationis christianae ordinis rerum temporalium persequuntur; aliae item speciali modo ad opera misericordiae et caritatis exercenda pertinent; aliae, demum, finem generalem apostolicum ipsius Ecclesiae sibi proponunt.[8]

[c] Salva debita cum auctoritatibus ecclesiasticis relatione, libertas lai-

---

[a] Ex n. 10.
[b] Ex nn. 11, 54.
[c] Ex n. 13.

corum in associationibus organizandis et praesertim in adhaesione eis [13]
danda, agnoscatur.[9] Vitanda tamen est virium dispersio, quae fit praesertim promovendo sine ratione sufficienti associationes novas et opera, vel retinendo ultra vitam utilem associationes sive methodos olim idoneas.

[d] Universale munus autem missionis Ecclesiae, spectato simul progressu structurarum et impellenti cursu societatis hodiernae, requirit ut incepta apostolatus catholici magis magisque perficiant formas associatas in campo internationali.

[e] Non videtur tamen semper opportunum formas quae in alia na- [14]
tione instituuntur, ad alias sine discrimine transferre.[10]

15. [f] [*Associationes fidelium in iure condito et condendo*]. Quoad associationes de quibus agit Codex Iuris Canonici in canonibus 700-725, etsi non omnes immediate finem habent apostolicum, curent Ordinarii et respective moderatores ut spiritum vere apostolicum in earum membris excitent et forment. Curent etiam ut huiusmodi associationes sint adiutorio sibi invicem atque variis apostolatus inceptis.

Sodales autem apostolatui individuali et, pro viribus, etiam consociato exercendo libenter se devoveant.

Insuper Sacrosancta Synodus mandat ut Commissio ad Codicem Iuris Canonici recognoscendum ea, quae de consociativis apostolatus laicorum formis in hoc Decreto dicuntur, in ius condendum recipiat, et ea, quae de associationibus fidelium in iure iam statuuntur, apostolatus Ecclesiae hodiernis necessitatibus accommodet.[11]

16. [g] [*De Actione Catholica*]. Abhinc non pauca decennia, pluribus in nationibus, laici, magis in dies apostolatui sese devoventes, variis formis actionum et consociationum sese congregarunt, quae, arctiorem cum Hierarchia coniunctionem servantes, fines immediate et proprie apostolicos persecutae sunt.

Inter has vel etiam similes antiquiores institutiones, eae praesertim commemorandae sunt quae, etsi diversam rationem operandi sequebantur, uberrimos tamen fructus Regno Christi attulerunt, quaeque a Summis Pontificibus et a multis Episcopis merito commendatae atque promotae, ab eis nomen Actionis Catholicae acceperunt, harum notarum concursu et cumulata acceptione [12] constituuntur:

a) Finis immediatus huiusmodi organizationum generalis finis apo-

---

[d] Ex n. 38.
[e] Ex n. 56 fin.
[f] Ex n. 14.
[g] Ex n. 56.

[14] stolicus ipsius Ecclesiae est, scilicet quod ad homines evangelizandos et sanctificandos attinet eorumque conscientias rite efformandas ita ut varios ambitus vitae spiritu Evangelii imbuere valeant;

b) Laici, cooperantes iuxta modum proprium cum Hierarchia, suam experientiam afferunt et responsabilitatem assumunt in earum organizationum moderamine, in condicionibus perpendendis, in quibus actiò pastoralis Ecclesiae exercenda sit, atque in elaboranda et exsequenda ratione rerum agendarum;

[15] *c*) Laici agunt uniti ad instar organici corporis, ita ut aptius Ecclesiae communitas significetur et efficacior evadat apostolatus;

d) Laici, sive sponte sese offerentes, sive vocati ad actionem et directam cooperationem cum apostolatu hierarchico, agunt sub superiore moderamine ipsius Hierarchiae.

Hierarchia potest hanc cooperationem etiam per explicitum mandatum sancire.

Organizationes in quibus hae notae simul sumptae iudicio Hierarchiae re vera inveniuntur, sive nomen Actionis Catholicae habeant, sive aliud, secundum locorum ac populorum necessitates, varias structuras assumere possunt.[13]

17. [h] [*Associationes ab omnibus aestimentur*]. Omnes associationes apostolatus recte aestimandae sunt; eae vero quas Hierarchia, secundum temporum necnon et locorum necessitates, laudaverit vel commendaverit vel ut urgentiores in dioecesi aut paroecia instituendas decreverit, a sacerdotibus, religiosis et a laicis plurimi faciendae atque secundum modum uniuscuiusque promovendae sunt.

V – De ordine servando

18. [a] [*De relatione ad Hierarchiam*]. Sacrae Hierarchiae est laicorum apostolatum fovere, principia, spiritualia subsidia, et pro rei opportunitate etiam praecepta afferre, atque, ut ordo servetur, invigilare.

[b] Cum autem agitur de operibus et institutionibus ordinis temporalis, munus est ecclesiasticae Hierarchiae pro catholicis authentice interpretari et enucleare ordinis moralis principia; Ipsi etiam fas est iudicare, omnibus rite perpensis et auxilio adhibito peritorum, de conformitate talium operum et institutionum cum principiis moralibus et decernere

---

[h] Ex n. 12.
[a] Ex n. 15-b.
[b] Ex n. 83.

de eis quae ad ordinis supernaturalis bona custodienda et promovenda [15] requiruntur.

[c] Apostolatus laicorum ideo, sive ipsi singuli, sive consociati agunt, quoad Hierarchiam varios relationis modos admittit, ratione obiecti, vel variarum eiusdem apostolatus formarum.

[d] Plurima inveniuntur in Ecclesia incepta apostolica, quae laicorum *libera electione constituuntur* et eorum prudenti iudicio exercentur. [16] Huiusmodi incepta aliquando Hierarchia laudat et commendat, quia quibusdam in adiunctis missio Ecclesiae per ea melius adimpleri potest.[14] [e] Nullum autem inceptum nomen catholicum sibi vindicet, nisi implicite vel explicite consensus accesserit legitimae auctoritatis ecclesiasticae.

[f] Aliquando ab Hierarchia quaedam laicorum apostolatus formae *a iure Ecclesiae recognoscuntur.*

[g] Insuper ecclesiastica auctoritas propter necessitates boni communis Ecclesiae, specialem responsabilitatem assumit alicuius incepti apostolici laicorum, sive a singulis sive a coetibus exequendi, quod in finem immediate spiritualem intendit. Ita Hierarchia apostolatum laicorum, iuxta adiuncta diversimode ordinando, suo proprio muneri apostolico arctius coniungit, servata tamen propria natura et distinctione utriusque, neque laicorum ablata necessaria facultate sua sponte agendi. Huiusmodi actus *mandatum* appellatur.[15]

[h] Denique sacra Hierarchia laicis munia quaedam committere consuevit, quae propius cum officiis Hierarchiae cohaerent, ut in actibus liturgicis, in verbi Dei praedicatione, in cura animarum.[16] Vi huius *missionis,* quae *canonica* appellatur, laici ipsius Hierarchiae apostolatum suo modo participant, et, quoad muneris collati exercitium, plene subduntur superioris ecclesiasticae moderationi.

19. [i] [*Pastores et apostolatus laicorum*]. Meminerint Episcopi, parochi, ceterique sacerdotes utriusque cleri, officium exercendi apostolatum esse proprium omnibus fidelibus sive clericis sive laicis, et in aedificatione Ecclesiae laicos speciales partes habere. Quapropter una cum laicis operandum esse in Ecclesia et pro Ecclesia semper in mente habeant; ideo magnam curam adhibeant laicis in apostolatu militantibus.[17]

---

[c] Ex n. 15-a.
[d] Ex n. 16.
[e] Ex n. 17.
[f] Ex n. 18.
[g] Ex n. 19.
[h] Ex n. 20.
[i] Ex n. 21.

[16] [j] Episcopi diligenter seligant *sacerdotes apostolatui laicorum* iuvando idoneos et apte formatos. Qui vero huic *ministerio vacant,* vi missionis ab Hierarchia acceptae, hanc repraesentant in sua actione pastorali, aptas laicorum relationes cum ipsa foveant, quam maxime cordi habeant ut fideles sint spiritui et doctrinae Ecclesiae; seipsos in edu-
[17] canda vita spirituali et sensu apostolico christifidelium sibi commissorum impendant; eorum apostolicae operositati sapienti suo consilio adsint atque incepta foveant; una cum laicis ipsis attente inquirant quae sint formae ad efficaciorem reddendam apostolicam actionem; unitatem spiritus in consociationibus et earum cum aliis promoveant.

Religiosi demum, sive fratres sive sorores, operibus apostolatus laicorum libenter se devoveant, et in his munera sacerdotis sustinere, adiuvare, complere studeant.

[k] Speciali honore et commendatione in Ecclesia digni sunt *laici,* sive caelibes sive matrimonio iuncti, qui perpetuo aut ad tempus *in servitium institutionum et operum* eius seipsos, sua peritia professionali, exhibent. Eidem magni gaudii est quod in dies numerus laicorum augetur, qui proprium ministerium praebent associationibus et operibus apostolatus, sive intra fines suae nationis sive in ambitu internationali sive praesertim in catholicis communitatibus missionum.

Pastores Ecclesiae hos laicos grato et paterno animo recipiant, curent ne eorum condicio iuridica indefinita relinquatur neve ipsi careant necessaria institutione, spirituali solamine et incitamento atque subsidiis ad honestam sui et familiae sustentationem, iuxta postulata iustitiae, aequitatis et caritatis.

20. [l] [*De mutua cooperatione*]. Ad « unitatem spiritus in vinculo pacis » (*Eph.* 4, 3) promovendam inter multiplices et varias organizationes, ut fines communes maxima efficacia obtineantur ac perniciosae aemulationes vitentur caritasque splendeat fraternitatis, apta exigitur mutua aestimatio earumque coordinatio quoad fines communes, servatis uniuscuiusque organizationis indole et cuique propria ad Hierarchiam ecclesiasticam relatione.

Quod maxime convenit, cum peculiaris actio pastoralis requirit coordinationem et harmoniam apostolicae operositatis cleri, sive saecularis sive regularis, religiosorum omnium et fidelium.

[m] Curent Episcopi ut *in dioecesibus habeantur consilia* quae operam

---

[j] Ex n. 22.
[k] Ex n. 31.
[l] Ex n. 23.
[m] Ex nn. 24, 25, 70, 84-a.

apostolicam Ecclesiae, sive in campo evangelizationis et sanctificationis [17]
sive in campo caritativo necnon sociali, adiuvent, cooperantibus convenienter clericis, religiosis et laicis. In his consiliis variae associationes et incepta apostolica convenire inter se et communicare poterint, et,
salva uniuscuiusque indole et autonomia, operam suam mutuo coor- [18]
dinare.[18]

Quantum fieri potest, eodem modo instituantur consilia in ambitu paroeciali vel interparoeciali, interdioecesano, necnon nationali vel internationali.

[n] Constituatur insuper *apud Sanctam Sedem quidam particularis secretariatus* in servitium et impulsum apostolatus laicorum, tamquam centrum, quod aptis instrumentis informationes de variis inceptis apostolicis laicorum suppeditet, investigationibus de hodiernis quaestionibus in his provinciis exsurgentibus studeat et suis consiliis Hierarchiae et laicis in activitatibus apostolicis adsistat. In hoc secretariatu cooperentur clerici, religiosi et laici, viri et mulieres, hac in re versati.[19]

21. [o] [*De cooperatione cum aliis christianis et non-christianis*]. Cum adsit commune patrimonium evangelicum vel saltem valorum humanorum et necesse sit hoc protegere et promovere, saepe suadetur vel requiritur ut catholici cooperentur cum aliis, christianis et non-christianis, in vitae quotidianae actionibus et in organizationibus sive nationalibus sive internationalibus. Hac cooperatione dynamica et prudenti testimonium praebent Christo, Salvatori mundi, et unitati familiae humanae.[20]

Exhortatio finalis

Sacrosanctum igitur Concilium omnes laicos enixe in Domino obtestatur ut Christo, hac hora instantius vocanti, et Spiritui Sancto magna cum alacritate docibiles se praebeant. Ipse enim Dominus per hanc SS. Synodum eos iterato invitat ut intimius in dies sibi iungantur et quae ipsius sunt, tamquam propria sentientes (cf. *Phil.* 2, 5), in eiusdem salvifica missione consocientur; eosque denuo mittit in omnem civitatem et locum quo ipse venturus est (cf. *Lc.* 10, 1), ut variis formis et modis unius apostolatus Ecclesiae, novis necessitatibus temporum continuo adaptandi, viam ei sternant qui ignem venit mittere in terram et vult ut accendatur (cf. *Lc.* 12, 49).

---

[n] Ex nn. 26, 71, 84-b.
[o] Ex nn. 74, 82 et 89.

[18] NOTAE

[1] Cf. IOANNES XXIII, Const. Ap. *Humanae Salutis*, 25 dec. 1961: *A.A.S.*, 54 (1962), p. 6.

[2] Cf. PIUS XII, *All. ad Cardinales*, 18 febr. 1946: *A.A.S.*, 38 (1946), pp. 101-103; *Sermo ad Iuvenes Operarios Catholicos*, 25 aug. 1957: *A.A.S.*, 49 (1957), p. 843.

[19] [3] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*, 15 maii 1961: *A.A.S.*, 53 (1961), p. 455.

[4] Cf. S. IGNATIUS ANTIOCHENUS, *Epistula ad Trallianos*, 2, 1: *MG* 5, 676.

[5] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno*, 15 maii 1931: *A.A.S.*, 23 (1931), pp. 225-226.

[6] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*, 15 maii 1961: *A.A.S.*, 53 (1961), pp. 456.

[7] Cf. plures allocutiones PII PP. XII, praesertim vero illam ad « Pax Romana MIIC », die 25 aprilis 1957, habitam: *A.A.S.*, 49 (1957), pp. 298-299. IOANNES XXIII, ad Conventum Consilii *Food and Agriculture Organisation* (FAO), 10 nov. 1959: *A.A.S.*, 51 (1959), pp. 856, 866.

[8] Finis generalis apostolicus ipsius Ecclesiae hic intelligitur quod ad homines evangelizandos et sanctificandos attinet eorumque conscientias rite efformandos ita ut diversos ambitus vitae spiritu Evangelii imbuere valeant (cf. n. 16, p. 14, linn. 27-30).

[9] PIUS XI, *Quamvis Nostra*: *A.A.S.*, 28, 30-4-1936, pp. 160-161; Ad Em.mum Sebastianum Leme de Silveira Cintra, Archiepiscopum S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, atque ad ceteros RR. PP. DD. Archiepiscopos et Episcopos Brasiliae De Actione Catholica aptius provehenda.

[10] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Princeps Pastorum*, 10 dec. 1959: *A.A.S.*, 51 (1959), p. 856.

[11] Hic numerus est summula alicuius studii facti de Associationibus fidelium, a Commissione quadam mixta, composita ex Commissione de Disciplina cleri et populi christiani et ex Commissione de Apostolatu laicorum.

[12] Dependentia strictior ab Hierarchia dat characterem specialem, praeter alias notas, associationibus Actionis Catholicae. In consiliis et votis, magna copia Episcoporum quaesivit praecisationes de ipsa Actione Catholica (cf. *Acta et Documenta*, etc. Series I, Appendix Vol. II, pp. 774-784; 790-792). Enumerantur ergo quattuor notae characteristicae, secundum doctrinam actualem Hierarchiae. Una vel alia nota invenitur in aliis associationibus, sed in Actione Catholica cumulatim acceptae habentur.

[13] In aliquibus regionibus « Actio Catholica » modo *unitario* in quattuor partibus (viri, mulieres, iuventus masculina, iuventus feminina) organizatur; in aliis nationibus habetur Actio Catholica *generalis*, in variis communitatibus Ecclesiae secundum aetatem et sexum distincta, et *specializata* iuxta diversos sive vitae sive operum campos. Item in aliis nationibus Actio Catholica *foederativa* instauratur, in qua singulae associationes, sua nomina propria servantes, ita congregantur, ut ipsa foederatio nomen Actionis Catholicae accipiat. Denique in multis nationibus *nomen* Actionis Catholicae non invenitur, immo in aliquibus nequidem placet; tamen habentur associationes in quibus quattuor notae inveniuntur, et aliquando

institutionibus antiquioribus vel novis erectis « mandatum » quoque a Hierarchia nationali datur. In his nationibus potius nomen « Apostolatus laicorum » adhibetur. Insuper in ambitu internationali etiam magis vocabulum « Apostolatus laicorum » viget, quia in organizationibus internationalibus catholicis praeter associationes Actionis Catholicae, vel una cum iis, multae aliae coniunguntur. [19]

[14] Cf. S. C. CONCILII *Rescript. circa Societatem S. Vincentii a Paulo,* 13 nov. 1920: *A.A.S.,* 13 (1921), pp. 137-140.

[15] Ad distinguendas notiones mandati et missionis canonicae sequentia notanda sunt: [20]

Mandatum de quo hic iuxta nominis acceptionem a Summis Pontificibus ac plurimis Episcopis nostris hisce temporibus adhibitam agitur, est actus auctoritatis ecclesiasticae quo ipsa, assumens specialem responsabilitatem alicuius formae organizatae apostolatus laicorum in finem spiritualem intentae, suam quoque missionem ei impertit, sic integrans apostolatum laicorum apostolatui Hierarchiae velut unum continuum cum eo, servata tamen propria natura et mutua distinctione earum.

Missio canonica in nostro contextu est actus auctoritatis ecclesiasticae quo laicis committuntur aliqua munera quae propius cum officiis Hierarchiae cohaerent. Non agitur de delegatione potestatis sive ordinis sive iurisdictionis, sed solum de usu laicorum ad aliqua munia clericalia sive ob defectum copiae clericorum, sive ob maiorem peritiam laicorum in aliquo definito campo actionis. Hisce in casibus laicus vere participat apostolatum hierarchicum, sed, cum agatur de activitate ad laicum non pertinente, plene dependet ab auctoritate delegante in exercitio sui muneris. Haec activitas dicitur apostolatus laicorum non ratione obiecti, sed solum ratione subiecti, sc. quia laicus exercet.

In hoc ergo *differt mandatum a missione canonica,* quod, cum per missionem canonicam laicis committantur actus clericales circa quos ipsi nullam habent competentiam propriam, per mandatum Hierarchia sibi unit activitates apostolicas proprie laicorum quas ipsi possunt sponte sua exercere. Mandatum ergo datur non ut ipsi possint agere simpliciter et proprio nomine — quae facultas eis semper est — sed ut possint agere etiam nomine auctoritatis ecclesiasticae et coniunctim cum ea.

[16] Munia quae Sacra Hierarchia laicis committere consuevit versantur circa:

a) *Actus liturgicos*: Plures functiones liturgiae quae Ordines Minores spectant actu delegantur laicis sacristis vel acolytis. In terris missionum vel ubi persecutio grassatur amplius dantur concessiones hac in materia.

b) *Verbi Dei praedicationem*: De obligatione Parochi ad aggregandos sibi etiam laicos si opus fuerit ad catechizandos pueros, vide CIC can. 1333 § 1. In missionibus vero verbi Dei praedicatio maxima ex parte catechistis committitur.

c) *Curam animarum*: De necessitate curae animarum partes laicis selectis committendi in ipsis nationibus catholicis, vide PII XII nuntium radiophonicum ad Congr. Cath. Magontinum: *A.A.S.,* 40 (1948), pp. 419, 420. In terris missionum vero laici catechistae canonica missione muniti, sunt velut pastores animarum, qui omnia munia pastoralia exercent solis exceptis iis quae ordines sacros exigunt.

[17] Quattuor sententiae n. 21 prioris schematis in schemate « De Ecclesia » (caput IV *De laicis,* n. 37) assumptae sunt, nempe: « Pastores laicorum dignitatem et responsabilitatem in Ecclesia agnoscant et promoveant; libenter eorum prudenti consilio utantur; cum confidentia eis in servitium Ecclesiae officia committant et eis agendi libertatem et spatium relinquant, immo animum eis addant, ut etiam sua sponte opera aggrediantur ».

[20] [18] Cf. BENEDICTUS XIV, *De Synodo Dioecesana,* L. III, cap. IX, n. VII. - *Acta et Documenta,* etc. Series I, Appendix Vol. II, p. 760, n. 38.

[19] Cf. *Acta et Documenta,* etc. Series I, Appendix Vol. II, p. 381 sqq., nn. 9. 22.

[20] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.*, 53 (1961), pp. 456-457.

[23]

APPENDIX

RELATIO

CIRCA RATIONEM QUA SCHEMA ELABORATUM EST

Novum hoc schema Decreti « De apostolatu laicorum » elaboratum est normis prae oculis habitis, quae a Commissione de laboribus Concilii coordinandis praefinitae sunt. In litteris enim d. 23 ianuarii 1964 Commissionem « De apostolatu laicorum » ita hortabatur: « Lo schema *De Apostolatu laicorum* sia ridotto ai soli punti essenziali. ... Cotesta Commissione avrà cura di redigere anche una relazione esauriente — da stampare in appendice al nuovo testo — che spieghi il lavoro compiuto, la procedura svolta, l'esame e la scelta delle proposte suggerite dai Padri Conciliari ».

Relatio ergo haec ita dividitur:

In Prima Parte brevis datur conspectus historiae huius Schematis, ex qua cognita multae eius notae facilius intelliguntur;

In Secunda vero Parte totius materiae ordo exponitur, rationes afferendo quas Commissio in praesenti textu exarando perpendit, necnon memorando nonnullas maioris momenti difficultates, ad quas enodandas eadem Commissio adlaboravit;

In Tertia denique Parte datur examen et selectio propositionum a Patribus Conciliaribus missarum. Etenim 7 Conferentiae Episcopales, 85 Patres Conciliares coniunctim et 74 Patres individualiter miserunt animadversiones sive generales, sive quoad particularia.

PARS PRIMA

DE HISTORIA SCHEMATIS

Praesens Schema tres gradus percurrit, unum in Praeparatoria, duos alios in Commissione Conciliari.

a) *Praeparatoriae Commissionis Opus*:

1. Commissio Praeparatoria constabat 39 membris (quorum 11 erant Episcopi), et 29 Consultoribus (quorum 14 Episcopi), ex 26 totius orbis nationibus selectis; inter quos multi numerabantur Assistentes Ecclesiastici

magnarum associationum apostolatus laicorum, nationalium et internationalium. [23]

2. *Quaestiones Commissionis* studio propositae continebantur in opusculo, cui titulus « Quaestiones Commissionibus Praeparatoriis Concilii Oecumenici Vaticani II positae ».

3. *Fontes vero inquisitionum* fuerunt Vota Episcoporum, necnon Facultatum catholicarum et Dicasteriorum Romanorum; pars quaedam materiae iam collecta erat a S. Congregatione Concilii; investigationibus aliquibus a Commissione Permanente Conventuum Internationalium Apostolatui Laicorum provehendo (*Copecial*) factis libenter usi sumus, quae de condicionibus maxime variis apostolatus laicorum agebant, et quarum exemplaria Patribus mense octobri 1963 distributa sunt; necnon Actis ipsorum duorum talium conventuum iam habitorum; normas vero nobis praebuerunt praesertim documenta Pontificia. [24]

4. *Aliqua difficultate* initio laboravimus: non enim exstabat operi nostro adiutorium illud, quod aliis Commissionibus Congregationum Romanarum instituta praestare potuerunt, cum peculiare ad hoc dicasterium apud Sanctam Sedem non adsit.

5. Ad munus Commissioni concreditum melius expediendum *tres subcommissiones* institutae fuerunt; prima quidem, de principiis generalibus apostolatus laicorum necnon de eiusdem formis ad directe promovendum regnum Dei; secunda vero, de apostolatu laicorum in actione caritativa exercendo; denique tertia de apostolatu laicorum in actione sociali.

6. *Methodus procedendi* haec erat: Studuit Commissio primo conspectum sibi exhibere omnium condicionum, quae in praecipuis campis et rationibus hodierni apostolatus laicorum habentur; dein, spectatis iis normis quae ex natura condicionis laicorum in Ecclesia eorumque apostolatus sequuntur, normas quasdam statuere, quae a Concilio, eiusdem finium universalium ratione habita, statui posse videbantur. Hac in re non paucae obstabant difficultates: diversitas scilicet condicionum in variis regionibus ex historicis, geographicis, culturalibus, socialibus, politicisque rationibus nexarum; insuper diversitas formarum et ordinis in apostolatu, immo etiam in vocabulorum significatione; controversiae denique haud paucae inter auctores etiam in quaestionibus fundamentalibus doctrinae; novitas denique tractandi has res ratione conciliari.

7. Inter Commissionis membra et consultores nullus laicus numerabatur. Laicorum tamen peritia et consilio, in aliquibus quaestionibus uti potuimus.

8. *Fructus operis,* quod post septem conventus plenarios et multo plures subcommissionum intra unum annum et dimidium absolutum est, exstiterunt quattuor fasciculi unum Schema « De apostolatu laicorum » continentes; quorum capita et numeri suffragio Commissionis subiecta fuerunt et ab eadem approbata. Votum Commissionis Centralis, cui dein omnia proposita sunt, quoad substantiam positivum erat. Emendationes, ab eadem Commissione

[24] suggestae, examinatae sunt; et, ratione habita earum, Schema revisum est, secundum principia quae in Congregatione Generali, die 5 novembris 1962, de modo procedendi Subcommissionis de Emendationibus declaravit Em.mus Cardinalis Confalonieri.

[25] a) *Opus Commissionis Conciliaris*:

aa) *Primus textus Schematis.*

1. A Commissione nostra Conciliari — cuius novem extabant membra vel consultores Commissionis Praeparatoriae de apostolatu laicorum —, initio anni 1963 praeparata est nova confectio totius Schematis, secundum normas in fine primae periodi Concilii statutas.

2. *Praecipuae eius differentiae,* si cum priore comparatur, hae erant:

a) *notabilis contractio* (unus tantum fasciculus loco quattuor);

b) *Introductio doctrinalis* remissa est ad Schema « de Ecclesia », caput de laicis; in quo praeparando nostrae Commissionis membra cum Theologica Mixtam Commissionem constituerunt;

c) in alia subcommissione Mixta cum Commissione de disciplina cleri et populi praeparatus est peculiaris numerus de *recognoscendo Codice Iuris Canonici* ad associationes fidelium quod attinet; praeparatur etiam ex voto Commissionis de coordinandis laboribus, appendix de recognitione Codicis Iuris quoad ius laicorum in specie.

d) Aliqua pars prioris Schematis, quae agit de apostolatu laicorum in actione sociali Ecclesiae, approbante Commissione de coordinandis laboribus, transmissa est Commissioni alicui Mixtae, quae ex Theologica et nostra constat; quae, ratione habita huius materiae, una cum ea quam praeparaverat Praeparatoria Subcommissio Theologica in Schematibus « de ordine sociali » et « de communitate gentium », unum novum schema conficere debuit, cuius titulus propositus erat « de praesentia activa Ecclesiae in mundo aedificando ». Quaestiones ad hoc Schema a nobis remissae inter alia respiciunt opera apostolica ad vindicanda iura personae humanae in societate, ad matrimonium et familiam, ad educationem, ad culturam ingenii, ordinem socialem et publicum necnon inter gentes promovendum.

3. Mense martio 1963 *complures laici,* viri et mulieres, praesertim ex duabus organisationibus internationalibus, Commissione scilicet Permanente Conventuum Internationalium Apostolatui Laicorum provehendo (COPECIAL) et Concilio Organizationum Internationalium Catholicarum (OIC) ad opus Commissionis quaedam contribuere potuerunt.

4. *Textus* ita confectus mense aprilis 1963 *examini Commissionis de coordinandis laboribus* subiectus est; quae eum dein, paululum immutatum, Patribus Conciliaribus tradendum curavit.

bb) *Forma praeiacens textus.*

1. Post periodum alteram Commissio nostra, ratione habita animadversionum quae a Patribus Conciliaribus usque ad mensem ianuarii 1964 per-

venerant, Schema revisit et substantialiter iterum contraxit. Textum novum [25] initio mensis martii in quinque Subcommissionibus quae quinque capitibus novae divisionis materiae responderunt, examinavit, in pluribus sessionibus discussit eumque in forma praeiacente approbavit.

2. Si praeiacens forma textus cum priore comparatur, haec puncta principaliora distinctionis apparent: [26]

a) Propositiones novi textus ad quartam partem textus antecedentis reductae sunt.

b) Nova plane habetur divisio materiae. Derelicta est vetus divisio in Partem Generalem ac Specialem, et huius subdivisio in apostolatum ad directe promovendum regnum Dei, in actionem caritativam et actionem socialem.

Hac divisione nova superata sunt quaedam inconvenientia quae in vetere textu, ut plures Patres animadverterunt, ex rationibus in genesi textus fundatis, ordinem dicendi nimis complicaverunt; eliminari potuerunt plures repetitiones. Quaedam nimis particularia ad tractationem postconciliarem remitti potuerunt.

PARS SECUNDA

De his quae in Schemate continentur

a) *Prooemium.*

Nexus statuitur ad Constitutionem dogmaticam « de Ecclesia ». Rationes quaedam enumerantur specialis momenti quod apostolatus laicorum nostris temporibus habet. Indicatur finis practicus et pastoralis decreti.

b) I: *De laicorum vocatione apostolica.*

1. Hoc caput tres numeros continet: 1. de participatione laicorum in missione Ecclesiae (n. 1), 2. de apostolatu ab omnibus et singulis exercendo (n. 2), 3. de formatione apostolica (n. 3).

2. Textus resumit, ratione habita specialis finis Schematis, ea quae magis systematice relate ad apostolicam laicorum vocationem proponuntur in capite IV Constitutionis « De Ecclesia ». Describit naturam apostolatus Ecclesiae et insistit in vocatione omnium fidelium ad participationem in eo, explicat eius fundamentum sacramentale, eius ambitum, temporalia quoque attingentem. — Commemorat eas formas quae ab omnibus praestari possunt, orationis scilicet, conformationis cum Christo patiente, testimonii vitae, evangelisationis et irradiationis in variis societatis campis. — In numero de formatione insistitur in eius connexu cum omni educatione christiana, in eius compositione ex elementis et doctrinalibus et empiricis, theoreticis et practicis; in eius adaptatione ad varias condiciones formandi; enumerantur quibus incumbat, et statuitur ut apta habeantur centra ad eam praestandam.

3. De consulto evitatur terminologia alicuius apostolatus in sensu stricto et in sensu minus stricto ad indicandam distinctionem inter munus apostolicum hierarchicum et laicorum, ne controversias doctrinales dirimere videatur.

[26] 4. Evitantur etiam terminologiae quae ab aliis aliter intelliguntur, quamvis in multis regionibus adhiberi solent, si de apostolatu laicorum sermo fit, v. gr. distinctionis inter apostolatum directum et indirectum, distinctionis inter apostolatum « evangelisationis » et « consecrationis mundi ».

[27] 5. Contra nonnullorum Patrum placita, Commissio proponit ut retineatur etiam ut pars apostolatus fidelium activitas eorum ad res temporales spiritu christiano imbuendas; pariter ut etiam orationis et mortificationis opera, spiritu apostolico praestita, exercitio apostolatus proprio adnumerentur.

c) II: *De communitatibus et vitae ambitibus.*

1. Hoc caput post introductionem aliquam quae declarat agi hic de variis campis apostolatus (n. 4) quattuor imprimis considerat: familiam (n. 5), Ecclesiae communitates, i. e. paroeciam, dioecesim necnon universalem Ecclesiam (n. 6), proprios laicorum ambitus (n. 7) et coetus omnibus patentes (n. 8).

2. Familia non tantum ut campus sed etiam ut subiectum apostolatus consideratur. Ponitur in primo numero, quia primum campum apostolatus pro fidelibus constituere solet in ordine temporis et ambitus naturalis. Quaedam formae apostolatus eius nimis particulares, v. gr. erga adiutrices et adiutores domesticos, affines et vicinos, omissae sunt ratione abbreviationis.

3. In numero de Ecclesiae communitatibus, ex voto Patrum, quaedam formulae veteris textus quae clericalismum sapere videbantur, emendatae sunt. Retinendus videbatur ordo procedendi a paroecia ad dioecesim, spectato fine huius capitis. Magis tamen insistitur in colendis relationibus interparoecialibus propter necessitates pastorales modernarum urbium et regionum ruralium, et ultra fines dioeceseos et nationis pertingentibus, v. gr. in eis qui in alienis nationibus laborant vel auxilium praestant.

4. Pro apostolatu in proprio ambitu exercendo commendantur in novo textu investigationes scientificae horum ambituum et studia respectiva etiam ad structuras sociales transformandas secundum Evangelii doctrinam.

5. Ultimus numerus respicit illos coetus qui omnibus, i. e. fidelibus et non fidelibus, patent. Vitatur omnis modus dicendi qui offendere possit. Insistitur in necessitate specialis formationis ad hunc apostolatum exercendum, sed modus determinatus quo consociationes ad eundem fiant, relinquitur variis regionibus particularibus, cum propter diversitatem adiunctorum hac in re normae generales vix statui possint.

d) III: *De finibus assequendis.*

1. Iuxta obiecta distinctio habetur variarum specierum apostolatus, quibus respondent propriae agendi rationes; quae tamen distinctio non tollit concretam unitatem apostolicae operositatis laicorum, qui simul fideles et cives sunt; ita post positum principium huius distinctionis et unitatis in primo aliquo numero (n. 9), caput agit de duobus obiectis distinctis apostolatus, scilicet de hominum conversatione et progressu ad Deum (n. 10) et de ordine temporali christiano instaurando (n. 11). Actioni caritativae, quae ad utrumque pertinet, propter

eius speciale momentum datur numerus proprius (n. 12). Uniuscuiusque spe- [27]
ciei apostolatus indicantur natura, condicio historica, qualitates dotes.

2. Substituta est locutio « de regno Dei directe promovendo » per meliorem descriptionem obiecti immediati prioris speciei, i. e. hominum « conversionis et progressus ad Deum »; in textu adhibentur etiam voces « verbum Dei nun- [28]
tiandi hominesque sanctificandi », quibus in multis regionibus haec pars apostolatus designatur. Amplior ei — post vota quaedam Patrum, etiam in secunda sessione Concilii ad Schema Constitutionis « De Ecclesia », prolata — locus datus est in novo textu. Praecavendum erat ne apostolatus laicorum nimis restringeretur ad ordinem temporalem christiane instaurandum. Ut in tota doctrina Concilii, etiam in hoc Schemate, insistitur in omni humano dominatu vitando.

e) IV: *De formis associativis.*

1. Caput IV continet 5 numeros, quorum primus est de momento formae consociativae (n. 13), secundus de earum multiplicitate (n. 14) tertius de associationibus fidelium in iure conditis et condendis (n. 15) quartus de Actione Catholica (n. 16), et quintus de harum formarum aestimatione (n. 17).

2. Quae in priore Schematis textu de momento formae associativae et de multiplicitate necnon de reformatione spiritus et legislationis in associationibus fidelium dicta sunt, integre retinenda visa sunt.

3. Materia n. 16, quae, ut permulti Patres desideraverunt, distincte tractanda erat, maximas praebuit difficultates. Ratio in eo erat, quod maxima datur regionum diversitas, rationibus historicis, geographicis, culturalibus, socialibus; diversitas etiam in vocabulorum significatione; opportunitates variae, interdum in variis regionibus contrariae, ad res et appellationes ulterius evolvendas. Unitas optabatur in necessariis, servata tamen libertate in non necessariis. Vitanda erat uniformitas per speciem unitatis.

Multi Patres normas particulares desideraverunt; nonnullis tamen iam ea quae dicuntur, nimis claudere videbantur aditus in futuro, vel stabilire ea quae adhuc in motu sunt. Post multas discussiones hic numerus peculiaris de Actione Catholica, sive ita nominetur sive non, maiori parti Commissionis bono communi Ecclesiae magis convenire visus est. Conceptus genericus est « apostolatus consociatus laicorum »; « actio catholica » est pars eiusdem. Quattuor notae concurrere debent ut de actione catholica sermo esse possit.

Textus praeiacens solum in paucis modificatum textum priorem retinet.

f) V: *De ordine servando.*

1. Hoc ultimum caput primo de relatione apostolatus laicorum ad Hierarchiam agit, quae varios modos admittit qui distincte enumerantur: incepta a laicis libera electione constituta et solum communi Hierarchiae vigilantiae subiecta; formae a iure Ecclesiastico qua tales recognitae; formae in quibus habetur mandatum Hierarchiae; formae quarum exercitium praerequirit missionem canonicam (n. 18); additur aliquis numerus de pastorum et laicorum in

[28] apostolatu laicorum cooperatione et de laicis qui perpetuo vel ad tempus in servitium institutionum et operum Ecclesiae seipsos exhibent (n. 19), de mutua cooperatione inter varias organizationes, institutis ad hoc etiam consiliis in variis ambitibus et etiam particulari apud Sanctam Sedem secretariatu (n. 20);
[29] concluditur caput cum commendatione cooperationis cum aliis christianis et non-christianis (n. 21).

2. Quod varios modos relationum ad Hierarchiam attinet in variis inceptis apostolicis laicorum, non eadem observatur ubique terminologia; ut ea quae hic proponuntur recte intelligantur, attendatur praesertim nota 15, Schemati adiecta.

3. Aliquis textus prioris redactionis qui respicit relationem inter pastores et laicos in apostolatu, assumptus est in Schema Constitutionis dogmaticae « de Ecclesia », cap. IV: De laicis.

4. Finis secretariatus constituendi apud Sanctam Sedem est informativus, investigativus et consultativus, non vero directivus relate ad illas activitates, sive nationales sive internationales quibus assistit. Quidam Patres putaverunt hoc explicite dicendum esse; sed hoc Commissioni nec necessarium, nec opportunum visum est.

5. In textu de cooperatione cum aliis, christianis et non-christianis, exclusa sunt quae, quoad modum dicendum, spiritui positivo et oecumenico Concilii minus respondere videbantur. Ea quae dicuntur, ita exhibentur ut etiam modus dicendi ipsam hanc cooperationem promoveat.

Exhortatio finalis:

Exhortatio haec continet novam laicorum per ipsam Hierarchiam sollemnem invitationem ad participandam unam missionem Christi suaeque Ecclesiae, et ad eam semper etiam in futuro necessitatibus temporum adaptandam.

PARS TERTIA

EXAMEN ET SELECTIO PROPOSITIONUM A PATRIBUS CONCILIARIBUS MISSARUM

Animadversiones quae a Patribus Conciliaribus Commissioni missae sunt, ad numeros redactionis mense maio anni 1963 typis editae (92 numeri, 48 paginae) sese referunt.

Has animadversiones Commissio examinavit, et, collatis cum novae redactionis numeris, secundum has reordinavit.

A) OBSERVATIONES GENERALES

Multi Patres scripserunt in schemate adesse quandam dicendi prolixitatem, quae contractiones requirit.

In hac redactione multa brevius dicuntur; repetitiones, quae ex divisione schematis in Partem Generalem et Specialem ortae sunt, nunc non

habentur, quia schema non amplius in duas partes dividitur. Nimiam tamen [29] brevitatem et natura materiae et fines practici et pastorales decreti vetare [30] videbantur.

Multi Patres item desideraverunt ut saltem brevis daretur synthesis de fundamento dogmatico necnon de natura et fine apostolatus laicorum (quae in redactione anni 1963 deerat).

Nunc ergo, quamvis ea quae ad doctrinam eiusque probationem biblicam pertinent, ad schema De Ecclesia (cap. De laicis) adhuc remittantur, datur brevissima synthesis in Prooemio et in numero 1° redactionis praesentis.

B) Observationes particulares

Quoad titulum:

Plures Patres proponunt ut ipse titulus schematis modificetur, quia vocabulum « apostolatus » non deberet adhiberi ad actionem socialem significandam; deberet enim relinqui relatio ad vocabulum « apostolos » quod exprimit officium Evangelium annuntiandi et ei testimonium afferendi.

Certe respondere licet, titulum schematis provenire ex ipso nomine Commissionis Praeparatoriae, a Papa Ioanne XXIII institutae. Insuper usus pluries decennalis in Ecclesia permittit ut vocabulum « apostolatus » etiam sensu largiori adhiberi possit, pro actione nempe apostolica in ambitu sociali.

Quoad textum:

a) *Ad Prooemium*

Nonnulli Patres vellent ut divisio: status clericalis, status perfectionis et status communis christifidelium cum terminologia aliorum schematum componatur.

Hoc desiderium nobis aequum visum est, sed quia de hac divisione clare et sufficienter agitur in Schemate De Ecclesia (cap. De laicis) in hac redactione eam omisimus.

Unus Pater optat ut explicitius dicatur laicorum apostolatum non esse aliquid omnino novum; aderat enim inde ab initio Ecclesiae.

Nunc in paragrapho secunda Prooemii hoc magis explicite dicitur.

Duo Patres scribunt urgentiam apostolatus laicorum hodie profluí: 1° ex paucitate cleri in pluribus regionibus mundi, et 2° ex condicionibus hodiernae societatis.

Commissio, omnibus perpensis, sic redegit textum in Prooemio: « Hic apostolatus (laicorum) suapte natura necessarius, hodiernis in adiunctis urgentior adhuc efficitur, non solum ob insufficientem numerum cleri, sed praesertim ob alienationem quarundam provinciarum vitae humanae ab omni ordine religioso vel ethico ».

[31] b) *Ad I. De laicorum vocatione apostolica*

1. *De participatione laicorum in missione Ecclesiae.*

Optime notat Pater quidam ut in textu sermo fiat non tantum de « iure, honore et officio laicorum » ad apostolatum, sed de eorum vocatione. Nunc totum caput I agit de *laicorum vocatione apostolica,* et etiam clare dicitur in textu: « Vocatio christiana natura sua *vocatio* quoque est ad apostolatum ».

Unus Pater iure meritoque petit ut ius et officium ad apostolatum dicatur profluі ex Confirmatione (in textu anni 1963 hac de re sermo erat solummodo in nota).

Alii quattuor Patres petunt ut dicatur: ex Sacramentis Baptismi, Confirmationis et Eucharistiae.

Commissio, ut satisfiat his observationibus, sic redegit textum: « Hoc ius et officium ad apostolatum oritur ex ipsa christifidelium cum Christo capite unione in charactere sacramentali Baptismatis et Confirmationis fundata et SS. Eucharistia nutrita ».

Unus Pater optat ut veritas centralis seu cardo totius materiae schematis « Sacerdotium Regale Populi Christiani » magis appareat.

E converso alii Patri non placet « categorica affirmatio participationis Sacerdotii Christi, sine addito ».

Fatemur re vera clarius loquendum esse, ideoque proposuimus sic emendandam sententiam: « Membra enim Eius participant, *variis quidem modis et mensuris,* Eius Regale Sacerdotium et divinam missionem ».

Uni Patri displicet omissio praecepti Domini « Euntes docete omnes gentes », quod esset fundamentum omnis apostolatus.

Commissioni tamen hoc non videtur necessarium, quia in textu dicitur aequivalenter et magis dogmatice.

Improbat unus Pater modum loquendi de apostolatu laicorum. Apostolatus enim non est laicorum proprius, sed totius Ecclesiae; ergo magis loqui oportet *de apostolatu in genere* in constitutione dogmatica, et deinde aliud decretum explicare curabit munus laicorum.

Fatemur hanc divisionem quidem optimam fore, tamen Commissio de laboribus Concilii coordinandis non ita ordinavit sequentiam schematum. Alia ex parte, ea quae desiderantur quoad apostolatum in genere sat clare exponuntur in textu.

2. *De apostolatu ab omnibus et singulis exercendo.*

Unus Pater reprobat nomen « oratio apostolica ». Neologismus iste est inutilis. Non est enim timendum, ne fideles, in oratione Deum sedulo quaerentes, a necessitatibus apostolatus avertantur. Ideo simpliciter hortentur ut « orationem » colant.

[32] Ut satisfiat isti rectae observationi, dicimus: « Imprimis spiritus apostolicus manifestatur, et etiam alitur, oratione... ».

Alius Pater vellet ut clare dicatur: « orationem ..., cuius fons praecipuus est participatio ad Sacram Liturgiam ». [32]

Hoc desiderium nobis tam aequum visum est ut proponimus: « oratione, praesertim participatione Sacrae Liturgiae ».

Duo Patres petunt ut primo nominentur tolerantia aerumnarum vitae, infirmitatum et laborum, et tantum postea voluntariae paenitentiae.

Post maturam disceptationem, in Subcommissione et deinde in Commissione, omittitur vocabulum « voluntariis », ne nimis extollatur voluntarietas, neque excludantur paenitentiae ab Ecclesia impositae, v. g. ieiunium; insuper vocabulum « paenitentia » mutavimus in « mortificationibus ». Textus ergo nunc sic legitur: « ... humili tolerantia laborum aerumnarumque vitae, necnon mortificationibus ... ».

Duobus Patribus videtur melius omittere verba de pecunia, quia hoc officium etiam clericis incumbit.

In textu praesenti omittuntur ergo verba quae ad hanc rem referuntur.

Uno Patri displicent verba de « rectitudine morali » et eorum loco vellet ut ponatur « secundum vocationem suam vivant ».

In redactione praesenti hoc esset repetitio eorum quae antea dicuntur, saltem aliis verbis. Et hic Commissio re vera agere intendit de « probitate morali ».

Alius Pater petit ut dicatur: « ut sacramento Eucharistiae et Paenitentiae frequenter refecti ».

At in textu redactionis novissimae non amplius agitur de nutritione vitae cohaerentis: de qua aliqua dicuntur tamen in numero sequenti (n. 3).

Unus Pater vellet ut explicitius exprimatur idea, nempe: « ... in omnibus activitatis aspectibus, etiam in negotiis mere profanis ... ».

Post maturam disceptationem, proponitur: « ... probitate morali in omnibus negotiis ... ».

Unus Pater optat ut extollatur idea testimonii « vitae cohaerentis cum fide ».

Ut satisfiat aliquomodo isti rectae observationi, dicitur nunc in textu: « Spiritus apostolicus, ... elucescere etiam debet coram hominibus testimonio vitae omnino sibi cohaerentis in fide, spe et caritate ... ».

Duobus Patribus non videtur sufficiens formula negativa: « numquam negligant apostolatum verbi ».

Tertius autem petit ut positive exprimatur hisce verbis: « ... et, si hoc iudicant possibile, cum fiducia verbum Dei communicent ».

Omnibus perpensis, Commissio hanc formulam proponit: « Verus zelus apostolicus opportunas quaerit occasiones etiam verbis Christum annun- [33]
tiandi ... ».

Vigintisex Patres insuper petunt ut dicatur: « Christianus rationem suae spei reddere debet, et numquam de ea erubescere », vel aliis verbis: « accusationibus contra Religionem et vitam christianam respondeant ».

Commissio iudicavit hanc ideam non esse repetendam, quia iam ha-

[33] betur aliqualiter in nn. 6 et 7 (« per sua facta et dicta amorem divini Salvatoris demonstrant ... »).

Unus Pater vellet ut etiam alia idea addatur, nempe: « Operibus ad apostolatus efficacitatem necessariis — etiamsi sub ductu Hierarchiae — proprio marte manus apponant, et sua responsabilitate servent, amplificent, dirigant, sacerdotes ab eorumdem pondere sublevantes ».

Quia de relatione ad Hierarchiam, necnon de laicorum responsabilitate iam alibi (nn. 18 et 19) agitur, Commissio iudicavit hanc ideam hic non esse repetendam.

3. *De formatione apostolica.*

Duo Patres petunt ut potius quam « formatio » dicatur in titulo: « De educatione apostolica ».

Collatis inter se rationibus, Commissio in titulo reliquit vocabulum « De formatione »; in textu tamen promiscue dicitur quandoque formatio, quandoque educatio.

Unus Pater exprimi cupit ideam, nempe: formationem apostolicam non debere disiungi a laicorum institutione simpliciter christiana.

Mens quidem Commissionis semper haec erat; nunc autem clarius exprimitur idea: « ... omnis educatio christiana includat necesse est formationem quoque ad apostolatum ».

Alius Pater omissionem maioris momenti censet non determinari in textu Liturgiam esse medium efficax et continuum formationis spiritualis laicorum.

Commissionem non fugit momentum Liturgiae in formatione, sed quia in numero praecedenti (n. 2) iam dicitur: « Imprimis spiritus apostolicus... alitur oratione, praesertim participatione Sacrae Liturgiae... » non videtur hanc ideam repetendam esse.

Pater quidam vellet ut agatur de spiritualitate laicorum qua tali, in qua pauca dicenda essent de spiritualitate familiae et matrimonii.

Commissio iudicavit sufficientia ea quae in numero *De familia* dicuntur, quamvis modo generali, de spiritualitate et formatione in familia.

Alius Pater autem petit ut religiosae instructionis normae clare determinentur.

[34] At hoc est impossibile in schemate tam brevi, et re vera pertinet ad Directorium statuere normas particulares.

Improbat unus Pater sententiam: « Praeter propriam artem eas quoque noscant quae sociae sint ».

Unde expungenda libenter censuimus illa verba.

Aliqua Conferentia Episcopalis et unus Pater petunt, ut exercitia spiritualia ponantur inter media formationis, et quidem primo loco.

In textu sic abbreviato non potuimus enumerare amplius media formationis, sed solummodo generalis affirmatio habetur: « ... formatio, ex variis

elementis spiritualibus constans ... » in quibus includuntur etiam exercitia spiritualia. [34]

Unus Pater timet ne in textu exhibeatur formatio ad apostolatum tamquam aliquibus laicis tantum proposita et aliis denegata.

Fatemur huic timori textum aliquomodo ansam praebuisse; nunc autem ita mutavimus illum ut non amplius sic sonare videtur.

Improbat unus Pater illam sententiam: « imprimis observetur necessitas laicos instituendi in doctrina sociali », quia Evangelium re vera « imprimis » tradendum est.

In redactione praesenti illa verba non amplius dicuntur.

Alius Pater vellet quoad formationem ac actionem, ut dicatur explicite de peritia tam innata quam acquisita, et quidem theoretica simul ac practica.

De hac idea nunc sat clare quaedam dicuntur in secunda paragrapho numeri.

Displicet uni Patri quod descriptio formationis fiat triplici illa expressione (« slogan ») « circumspicere... iudicare... agire ».

Commissio, omnibus perpensis, hoc in loco expungenda censuit illa verba, sed de illis sermo fiet in n. 7.

Idem Pater improbat verba quae exprimunt formationem per actionem quasi modo pragmatico et activistico.

Quamvis nobis principium generale exprimendum videtur, nunc aliis verbis hoc fecimus, quae pragmatismum seu activismum minime redolent, dicitur nempe: formatio « ... non sola instructione recepta, sed praxi quoque apostolatus perficienda est ».

Unus Pater petit ut loco verborum: « ... ut ad apostolatum praeparentur adulescentes et iuvenes... » dicatur potius « ... ut catholici vere " apostolici " fiant adulescentes et iuvenes... ».

Nunc autem brevius dicitur de illa formationis continuitate.

Alius Pater vellet ut dicatur « ... laici integra catholica formatione professionali vel technica, doctrinali et morali indigent ».

Idem conceptus nunc aliis verbis exprimitur: « Formatio ex variis elementis spiritualibus doctrinalibusque constans, complecti debet etiam cognitionem condicioni cuiusque congruam, scientiarum socialium et artium ». [35]

Quoad formationis centra:

Aliquis Pater timet ne vocabulum « penitius » significare intendat aliquos laicos excludi e formatione, petit ergo ut dicatur: ad laicos efformandos « pro peculiari aliqua in apostolatu responsabilitate gerenda ».

Commissio, omnibus perpensis, reliquit vocabulum « penitius », sed addidit « praesertim pro iis qui speciali titulo servitio Ecclesiae addicuntur », ut aliquomodo observationi satisfaciat.

Unus Pater haec scripsit: « Habeantur vel in sede dioecesana, si id res

[35] ferat, vel nationali, aliqua *quasi-seminaria* laicis formandis, ita ut per congrua temporis spatia doctrinis theologicis et praxi pastorali in ambitu apostolatus imbuantur ».

Certe respondere licet de his re vera agere intendit Commissio cum in textu dicit « apta centra habeantur ». Attamen vocabulum « quasi-seminaria » nimis clericale sonat, et ideo expressio magis generalis a Commissione relicta est.

Alius Pater vellet ut praeter illa centra « erigantur, vel facultates in existentibus universitatibus creentur ».

Quod quidem ex textu non excluditur, sed Commissioni sufficiens videtur ut principium modo generali exprimatur: « apta centra habeantur », ubicumque hoc possibile et conveniens evadit.

Duo Patres optant ut efformentur novae institutiones seu Instituta Culturae Superioris Religionis, et determinentur res in illis tractandae.

Re vera de his agitur modo generali, non tamen est munus Concilii normas peculiares de rebus in centris formationis tractandis afferre. Concilium affirmat illa centra instituenda esse.

Unus Pater denique vellet ut habeantur etiam formationis centra pro ecclesiasticis (quoad apostolatum laicorum).

Hoc autem pertinet ad schema « De Sacrorum Alumnis formandis ». Commissio haec certiorem fecit illam Commissionem competentem; immo textum nobis deinde missum, emendatum iterum restituimus illi Commissioni.

c) *Ad II. De communitatibus et vitae ambitibus*

4. *De campis apostolatus.*

Quoad campos apostolatus nova distributio materiae habetur in redactione praesenti schematis. In redactione anni 1963 campi apostolatus ita enumerantur: in campo operis faciendi; in campo ingenii culturae, in ambitibus
[36] materialismo infectis; de sensu morali et de publicis moribus; in vita publica; in ambitu internationali et supranationali. Isti campi in hac redactione omissi sunt brevitatis causa, et ideo etiam observationes, quandoque egregiae, in hac examine et selectione animadversionum omittuntur.

In hac autem redactione campi intelliguntur communitates et vitae ambitus, nempe: in familia, in Ecclesiae communitatibus, in proprio ambitu, in coetibus omnibus patentibus.

5. *In familia.*

Queritur aliquis Pater quod textus exhibet sensum valde infirmum spiritualitatis dynamicae sacramenti et vitae matrimonii.

Ad quam obiectionem respondere licet hoc esse impossibile in brevi textu. De familia autem ampliori sermone tractat schema « De Ecclesia in mundo huius temporis ».

Unus Pater petit ut loco: « ... ipsae familiae non solum apostolicae actionis

Ecclesiae bona recipiant... » dicatur: « ipsae familiae non solum de apostolica actione Ecclesiae beneficia participant ... ». [36]

Commissioni sat clarus videtur textus, et ideo non iudicavit illum immutandum esse.

Unus Pater vellet ut post « uterque coniux » ne dicatur « et ambo » sed « parentes ».

Isti rectae observationi satisfit nunc in textu.

Idem Pater scribit ut addantur verba: « Quod momentum ut plenius agnoscatur, Ecclesia parentibus dat ius benedicendi filios proprios et quidem tamquam sacramentale quod efficax est vi operantis Ecclesiae ».

Alius Pater autem haec addere cupit: « Quapropter Sancta Synodus valde exoptat quod paterfamilias, ne cultus in spiritu et veritate umquam domi desit, alicui domestico cultui lectione divina, orationibus et liturgicis libris sumptis necnon et congruis paraliturgicis constituto, praesidere non omittat ».

Commissio respondet illa desideria competentiam propriam superare. Agitur de sacramentalibus « saltem in specialibus rerum adiunctis et de iudicio Ordinarii, a laicis congruis qualitatibus praeditis » administrandis, de quibus in n. 79 Constitutionis De Sacra Liturgia, Consilium ad Exsequendam Constitutionem de Sacra Liturgia necessaria praevisarum.

Aliquis Pater vellet ut enumerentur opera aliqua in apostolatu familiae valde necessaria, nempe pro « iis qui familia eiusque bonis carent », et ideo addatur: « sicut infantibus derelictis, illegitimis vel quoad fidem periclitantibus, sive per adoptionem legalem sive aliter auxilium ferant ».

Quaestiones sunt sat particulares, et ideo Commissio censuit enumerationem non esse faciendam; etiam brevitatis causa hoc fieri non potuit.

Unus Pater optat ut « incepta ex familiis consistentia » magis commendanda sint.

Commissio iudicavit commendationi satisfieri verbis: « opportunum esse potest ut familiae in quosdam coetus congregentur ». [37]

6. *In Ecclesiae communitatibus.*

Unus Pater dicit paroeciam esse *fundamentalem* communitatem Ecclesiae.

E converso aliqua conferentia Episcopalis et alius Pater petunt ut extollatur apostolatus in dioecesi, quia sunt activitates quae ex natura sua exercentur in ambitu totius dioecesis, et quia in dioecesi, cuius paroecia tantum cellula est, mysterium Ecclesiae elucet.

Alii duo Patres aestimant false praesentari relationem paroeciam inter et dioecesim, quia non paroecia, sed dioecesis est re vera communitas *primaria.*

Unus Pater vellet ut omittantur verba « communitas Ecclesiae » et « cellula », quia non omnes canonistae haec de paroecia admittunt. Item ne dicatur de parocho ut « ordinario magistro », quae expressio pro Episcopo adhibetur.

Queritur unus Pater quod insistitur in notione « paroecialis communitatis », quia in maioribus civitatibus, in quibus magna pars christianorum

[37] convenit, sensus « communitatis paroecialis » saepe utopicus est. Magis foveatur ergo sensus communitatis « christianae » seu « catholicae », etiamsi sensus « paroeciae » satis desideratur.

Alius Pater vellet ut supprimatur vocabulum « suam » vitam sacramentalem vivunt, nam laici non vivunt *suam* tantum parvulam vitam sacramentalem, sed participant vitam magnam sacramentalem Ecclesiae.

Alius Pater haec scribit: « ... ad quem finem curent religiosi omnes ut devotiones et opera ab ipsis pendentia sincere cum inceptis paroecialibus componantur, tamquam complementaria, numquam vero in oppositione ».

Collatis inter se rationibus et emendationibus ab istis Patribus propositis, et post longam et maturam disceptationem, Commissio novum textum proponit, qui satisfacit animadversionibus: de paroecia et dioecesi simul tractatur; evitantur expressiones quae male interpretari possent; agitur etiam de « necessitatibus pastoralibus hodiernarum urbium »; de operibus e religiosis communitatibus pendentibus non amplius agitur, positive tamen extollitur munus Episcopi « cuius est totius dioeceseos ... apostolatum moderari ».

Alicui Conferentiae Episcopali videtur periculosum aequali modo de paroecia territoriali et personali loqui.

Vigintiquinque Patres e contra vellent ut dicatur « in paroeciam, territorialem vel personalem, quae per Eucharistiam est manifestatio Ecclesiae universalis ».

Commissio diu anceps remansit inter has sententias. Post maturam valutationem propositionum, quaedam solutio proponitur quae utrique parti, ut optamus, satisfaciat; omittuntur verba « territorialis et personalis », quia magis in genere loquimur; non additur quidem « quae per Eucharistiam... », sed aequivalenter; « paroecia vere se manifestat ut communitatem fidei, spei et caritatis ».

[38] Vigintiquinque Patres vellent ut addatur « ... cultum liturgicum *actuose* participant », et « ... verbum Dei audiunt diffunduntque, et caritatem universalem exercent ».

Libenter assentimus primae propositioni, et textus ita sonat: « Laici se alant vita liturgica in paroecia eamque *actuose* participent »; et modo generali additur: « sollicite partes agant etiam in operibus apostolicis ».

Unus Pater scribit ut addantur verba: « ... sub ductu parochi, numquam tamen eo inscio vel nolente », ne varia opera apostolica mutuo damna sibi invicem inferant.

Hoc quidem verum est, sed de relatione ad Hierarchiam et Pastores alibi sermo fiet, nempe in nn. 18 et 19, ubi illa clare indicentur.

Iuxta unum Patrem monitum S. Ignatii Antiocheni haud feliciter hic appellatur. Tempore enim S. Ignatii, prorsus diversus erat rerum status, cum tota vita esset exclusive « *localis* ». Multi fideles nunc magis afficiuntur erga « Ecclesiam » quam erga « dioecesim ». Est aliquid anachronisticum in nimio cultu paroeciae vel dioeceseos.

Commissioni videtur illam expressionem classicam paucis verbis exprimere

essentialem relationem inter Episcopum et apostolatum totius Ecclesiae *localis,* i. e. dioeceseos. Reliquit ergo illud monitum. [38]

Alius Pater autem amplius addere vellet post verba « nihil sine episcopo agant »: « immo quod episcopi voluntate iudicatur, satagere curent filiali cum fiducia, humilique oboedientiae sensu ».

Commissio aestimat omnem additionem superfluam esse post illa verba classica, nam potius minuerent quam augerent, illorum vim.

Unus Pater denique petit ut verba « populus Dei » absque signis citativis ponantur, quia est descriptio Ecclesiae usitata.

In textu ergo omisimus signa citativa et legitur simpliciter: populus Dei.

7. *In proprio ambitu.*

Alicui Patri non videtur apostolatum ambitus definiendum esse « a simili ad similem », quia ex historia Ecclesiae constat conversiones ad fidem a « non-simili » factas, v. g. dominorum per servorum actionem; et hodie constat v. g. prelum multum posse pro lectoribus « similibus vel non-similibus ». Formula Pii XI fundatur in applicatione ad hodiernas condiciones principii profundius, quod est *proximitas* vel *propinquitas.* Apostolatus ambitus eos omnes complectitur qui aliquo modo in relationibus humanis directe vel indirecte (v. g. prelum) attinguntur. Unde optaret ille Pater ut hoc principium generale, quod conforme videtur ordini divinae Providentiae, initio numeri enuntietur.

Commissio isti rectae observationi satisfacere cupiens nunc modo generali incipit numerum, quod aliqualiter exprimit principium generale desideratum: « laicorum missio ad omnes alios ambitus vitae extenditur in quibus [39]
divina Providentia eos collocavit ».

Improbat unus Pater verba (« slogan ») « aspicere, iudicare, agire » quia limitat apostolatum ad sic dictam formam particularem Actionis Catholicae specializatae.

Commissioni videtur per ista verba esprimi methodum generalem omnis apostolatus et activitatis humanae.

Sex Patres petunt ut quoad apostolatum ambitus expresse mentio fiat de officio res mundanas ad hunc ambitum pertinentes ita efformandi ut hic ambitus fiat mundus christianus et expressio iustitiae et caritatis. Sub hoc respectu textus schematis saepe et merito officium in ordine ad maiora spatia societatis indicat; sed minus, qua par est, animum advertit ad idem officium in illo spatio modesto in quo unusquisque vivit.

Re vera haec idea iam in numero 2° continetur (De apostolatu ab omnibus et singulis exercendo) et ibi etiam ad spatium modestum ambitus uniuscuiusque applicari debet. Brevitatis causa non possumus hanc ideam hic repetere.

Unus Pater vellet ut veri christiani seu fideles semper et ubique accusationibus contra Religionem et vitam christianam respondeant, et hoc ponatur in textu.

[39] In textu praesenti hoc quidem explicite non dicitur, tamen implicite continetur in verbis: « ... per sua facta et *dicta* amorem divini Salvatoris demonstrant et in civitate hominum iustitiam et caritatem exercent ». Insuper citatur epistula S. Petri (*1 Pt.* 3, 15).

8. *In coetibus omnibus patentibus.*

Hic numerus est novus in redactione praesenti. Non aderat in schemate praecedenti typis edito. Aliqua animadversio tamen ad istum numerum pertinet.

Sex Patres vellent ut inter spatia quae laicorum apostolatum praesertim exspectant, enumerentur proprius ambitus in quo laicus vivit, laborat, vel animi laxandi causa versatur, nempe familia, officina, vicina et *totus campus vitae cotidianae.*

Commissio libenter accepit hoc consilium et ideo inseruit in hac nova redactione numerum de coetibus omnibus patentibus.

d) *Ad III. De finibus assequendis*

9. *Apostolatus obiecta et distinctio.*

Iste numerus introductorius capitis de finibus assequendis, non habebatur in schemate praecedenti, dicit tamen aliqua quae desiderabantur.

Unus Pater enim insistebat ut dicatur aliquid in schemate de « impossibi-
[40] litate admittendi *duplicem conscientiam* in uno eodemque homine, ita ut alia sit christiani et alia mercatoris ».

Quod nunc dicitur in isto numero, nempe: « idem autem laicus, qui est simul fidelis et civis, in utroque ordine *una conscientia* christiana continuo duci debet ».

10. *De hominum conversione et progressu ad Deum.*

Hic numerus etiam est aliqualiter novus in schemate praesenti. In praecedenti redactione quidem habebatur res immo et titulus, nempe: « *De Apostolatu laicorum ad regnum Christi directe provehendum* »; hic tamen alio modo pertractatur materia illa quae laicorum « apostolatum religiosum, spiritualem » exprimit.

11. *De ordine temporali christiane instaurando.*

De apostolatu laicorum in actione temporali, in redactione anteriore habebantur quattuor capita; in ista unico numero compendiantur essentialia. Animadversiones autem se referebant ad illa quattuor capita, tamen in compendio huius numeri rationem habuimus animadversionum.

Multi Patres petierunt ut de hac actione laicorum brevius et magis concinne locutio fiat. Quod quidem factum est in compendio numeri huius.

Alii e converso etiam normas particulares huius actionis desiderant.

Unus Pater enim optat ut « normae etiam de re politica accurate condantur, ut in actione temporali exercenda, laici melius ad bonum commune publicae rei et Ecclesiae conferant ». [40]

Alii Patri displicet in schemate abesse normas quae referentur ad sic dictas « partes politicas inspirationis christianae » vel immo « catholicae ».

Unus Pater iudicat utile exponere principia quoad habitudinem laicorum catholicorum relate ad auctoritates civiles et quoad usum iurium politicorum, e. g. collaboratio cum auctoritatibus legitimis quoad bonum commune; numquam identificare cum Ecclesia partem (partito) politicam catholicam, et tolerare cum caritate partes quae non sunt aperte anti-catholicae; in nationibus ubi plures adsunt religiones, petatur libertas, sed absque privilegiis quae essent contra alias religiones.

E converso aliqua Conferentia Episcopalis queritur quod textus uti sonat pro religionibus catholicis tantum valeret, dum pro omnibus christifidelibus Concilium loqui oporteret.

Quoad sententias ita discrepantes Commissioni visum est tutiori modo procedere; ideo iste numerus nunc ita redactum est ut valere possit pro omnibus nationibus, etiam non catholicis immo non christianis, in quibus laici etiam munus habent ordinem temporalem christiane instaurandi. Non ergo amplius insistimus et nobis assentiendum non videtur illis desideriis, quae normas politicas vel normas quoad partes (partiti) inspirationis christianae petunt; illae enim non possint applicari in omnibus nationibus.

Quoad ipsum textum aliquis Pater vellet ut loco vocabuli « christiane » [41]
dicatur: « secundum principia christiana ».

Nobis vero assentiendum non videtur, quia titulus iam sat longus est, et res intelligitur etiam relicto vocabulo « christiane ».

Aliqua Conferentia Episcopalis optat ut munus proprium laicorum sub diversis aspectibus melius describatur. Eadem Conferentia Episcopalis vellet etiam ut enumerentur: in rebus temporalibus, nempe « familiaribus, oeconomicis, politicis, ad culturam et otium pertinentibus ».

Ex una parte hoc per se patet; quoad explicationem particularem tamen in schemate tam brevi non adest amplius locus. Aliqua tamen hac de re dicuntur in schemate « De Ecclesia in mundo huius temporis ».

Aliquis Pater optat ut explicite dicatur istam phrasim applicari etiam religiosis laicis, nempe: « laici ... rebus temporalibus ut proprio ordinario muneri incumbunt ».

Quod tamen non est ad rem. De religiosis laicis tractat nempe schema « De religiosis ».

Aliquis Pater queritur quod in textu omnes fideles dicuntur vocari ad promovendum progressum scientiarum et artium. Uti patet hoc non est verum.

In praesenti textu, magis generali modo loquenti, hoc non amplius ita sonat.

Improbat aliquis Pater agi hic de « actione sociali », quin conceptus ipsius

[41] explicetur, optat ergo ut definiatur « natura actionis socialis » necnon conceptus « de securitate sociali ».

Item alius Pater optat ut sermo fiat de « inceptis cooperativis », quia illa « continet et sustinet virtutes (valeurs) humanas eximias et progressum civilizationis promovent. Insuper, cooperativae possibilem reddunt directam applicationem principiorum socialium institutionibus socialibus et oeconomicis coetaneis ».

Alius autem Pater vellet ut « commendentur motus opificum et patronum ». Spes enim affulget et mutuo eorum contactu solutiones sociales gigni posse, quae fini encyclicae « Mater et Magistra » plene congruunt.

Quia illae quaestiones de natura actionis socialis, de securitate sociali, de inceptis cooperativis et de motu opificum et patronum sunt valde particulares, hoc in schemate non possunt pertractari. Aliqua tamen dicuntur in schemate « De Ecclesia in mundo huius temporis ».

Unus Pater vellet ut hoc in loco aliqua dicantur de turismo et de sport, quae sunt argumenta non exigui momenti pro apostolatu laicorum.

Etiam haec est quaestio nimis particularis.

Quando agitur de ordine temporali ad Christi gloriam instaurando, unus Pater optat ut loco « maiores partes » dicatur « speciales » vel « peculiares », quia verba « maiores partes » non bene concordant cum sequentibus.

[42] Commissio libenter assentit huic rectae observationi et textus nunc ita sonat: « Laici vero in temporali ordine ... ad Christi gloriam instaurando peculiares partes habent ».

Unus Pater vellet ut deleto verbo « propria », ponatur « et ideo *unusquisque* sua responsabilitate agat oportet (pag. 11, lin. 35).

Nobis vero assentiendum non videtur, quia textus bene exprimit ideam: « responsabilitate propria agant oportet ».

Alius Pater vellet ut ultro addatur « atque in re temporali vel civili seligendo tum fines attingendos tum media ad istos fines obtinendos plena libertate gaudent ». Et addit rationem: si nempe laici in re temporali et civili propria industria et responsabilitate agere debent, tunc eorum libertas actionis sive in campo operis sive vita publica, nationali vel internationali, sive in aliis campis ad Evangelio viam sternendam clare et explicite exprimi debet.

Commissio, omnibus perpensis, iudicavit hic satis esse quod de illa libertate implicite agatur, dum in capite V explicite sermo fiet de libertate laicorum.

Duo Patres optant ut exponatur aspectus apostolicus « actionis catholicorum » in actione temporali, seu brevissime distinctio explicetur inter Actionem Catholicam et actionem catholicorum in campo temporali.

Distinctio illa solummodo in aliquibus regionibus adhibita erat; alibi non amplius adhibetur, vel numquam adhibita fuit.

12. *De actione caritativa erga proximum.* [42]

Numerus est compendium duorum capitum redactionis praecedentis, quae hic synthetice exhibentur.

Alicui Patri videntur omnia quae de actione caritativa dicuntur male poni hoc in schemate, quia illa actio respicit totam Ecclesiam, nempe communitatem clericorum et laicorum, et maxima ex parte, se refert ad ipsum ministerium sacerdotum. Ergo tractatio de caritate deberet habere locum magis fundamentalem in parte ecclesiologica Concilii.

Commissio libenter assentiret huic observationi, sed in schemate de illa actione caritativa magis modo generali agitur, hic vero ad laicos dirigitur.

Alii Patri « recte assignata est sectio schematis huic generi actionis ex eo quod problemata de quibus agitur sub hoc titulo iam ingressa sunt in conscientiam ecclesialem ». Magis tamen placeret iidem Patri si « explicite loqueretur de necessitate suscipiendi hanc actionem nonnisi propter rationes ordinis supernaturalis ».

Nova redactio satisfacere intendit huic observationi.

Aliquis Pater timet « ne exercitium caritatis ad sola opera misericordiae reducatur »; affirmare deberet quod opera misericordiae per se valent et instrumentum apostolatus magni momenti constituunt, dummodo ad Regnum Dei provehendum directe ordinantur, ne cum activitate mere philantropica con- [43]
fundantur.

Duo Patres petunt ut omittatur phrasis « praeclarum locum obtinent opera misericordiae », nam inveniuntur formae altiores caritatis.

In nova redactione non amplius extolluntur opera misericordiae, et etiam alii desiderio satisfacere intendit Commissio, in quantum caritas modo magis supernaturali elucet.

Alicui Patri non placet ut enumerentur varia opera misericordiae, quia hoc potius ad tractatum de re morali pertinet, quam ad Decretum de apostolatu.

In textu praesenti haec enumeratio non amplius invenitur.

Aliquis Pater videt in textu « primatum caritatis ac praesertim caritatis materialis ».

E converso alius Pater magis insistere vellet in actionem illam per quam sors maximae partis generis humani in melius mutatur, quam in opera illa sanctissima in gratiam senium, debilium, derelictorum. Opera « socialia », nempe, quae causas paupertatis tollunt, maioris caritatis sunt quam opera « caritativa » quae paucorum miseriae laudabiliter opitulantur. Minus proinde insistatur in opere caritativa erga singulos, multo magis in opus caritatis erga plurimos, immo erga massam generis humani, de quo brevissime, per transennam et quasi aliud agendo sermo fit.

Commissio huic observationi satisfacere intendit, quamvis nunc magis modo generali loquitur, in textu (pag. 12, lin. 35 - pag. 13, lin. 3).

Aliquis Pater emendare vellet sententiam: « Ecclesia a Conditore suo ius

[43] inalienabile et munus praeclarum accepit », dicendo « Ecclesia a Conditore suo ius inalienabile et quidem officium ineluctabile habet ».

Nobis vero satis esse videtur, si paululum corrigatur textus, ergo proponimus: « Ecclesia, iuxta exemplum et mandatum Domini, semper munus proprium reputavit ».

Improbat aliqua Conferentia Episcopalis quod inter opera caritativa ponatur « operam ad constituendam legislationem socialem conferre », quia ad actionem temporalem illa opera proprie pertinent.

Commissio ita redegit textum ut hoc non amplius dicitur.

Aliquis Pater petit ut addatur monitum ad sacerdotes ne clerus se abstineat ab operibus caritatis, sed e contra libenter eas adiuvet.

Ad quam obiectionem Commissio respondit, brevitatis causa in schemate praesenti non loqui posse etiam ad sacerdotes.

Sex Patribus videtur aestimationem pro sic dicta « assistentia sociali naturalis ordinis » nimis negative rem considerare, quando fideles hortantur « ne actus et incepta assistentiae socialis ... a priori contemnant nec impugnent ».

Alius Pater vellet ut specialis mentio fiat de assistentia sociali eiusque momento: hodie nempe magis magisque viget assistentia socialis, quae pro-
[44] ximo indigenti gratuita praestat officia ad assequenda iura, legibus vel institutionibus publicis comprobata, in bonum quorundam peculiarium hominum coetuum.

Commissio, argumentis mature perpensis, non amplius negative se exprimit sed in textu dicit: « laici magni quoque faciant illa opera caritativa...; item actus et incepta quae dicuntur assistentiae socialis pro viribus foveant atque evangelico afflatu perfundere satagant ».

Aliquis Pater desiderat loco « laici dignitatem personae, libertatem conscientiae, imaginem Dei et Christum in proximo praesentem verbis ac factis agnoscant », dicatur: « laici dignitatem personae, imaginem Dei et Christi in proximo praesentem, et etiam quae videntur iussa conscientiae christifideles observent ».

Commissio, omnibus perpensis, iudicavit textum relinquendum esse.

Alius Pater vellet ut loco « mera instrumenta fidei propagandae » dicatur: « vel mera instrumenta proselytos indigno modo faciendi ».

Commissio tamen magis expungenda censuit illa verba ita ut habeatur solummodo haec phrasis: « ne opera quibus adiuvant quasi adminicula dominandi appareant ».

Unus Pater improbat modum loquendi: « mundi universi incolae membra unius familiae *se habeant* »; quia de facto mundi incolae unica familia *sunt*; dicatur potius: « mundi universi incolae membra familiae *se esse respiciant* ».

Omnibus mature perpensis, Commissio ita rem solvit: « ... in dies orbis incolae reapse membra fiunt unius familiae ».

Alicui Patri placeret si adderetur: « Praesertim autem commendatur actio caritativa pro nationibus evolvendis. Singulae Ecclesiae enixe invitantur ut

sese huic operi omnibus quas habent viribus dedicent (cf. Encyclica « Mater et Magistra »). [44]

Quia de hoc problemate particulari agitur in schemate « De Ecclesia in mundo huius temporis », Commissioni assentiendum huic additioni non videtur.

e) *Ad IV. De formis associativis*

13. *De momento formae associativae.*

Duo Patres contrahunt numerum et alio modo se exprimunt: « Ut Ecclesia non desit multiplicibus necessitatibus nostri temporis, formae apostolatus exercendi magnam admittunt varietatem. Praeter singulorum apostolatum, maxime interest nostris temporibus pervenire, cum auxilio Spiritus Sancti et sub auctoritate Hierarchiae, ad coordinationem actionum singulorum per debitam organizationem actuosarum consociationum (« mouvements ») ad finem specificum tendentium ».

Textus noster aliquantulum correctus his conceptibus satisfacere intendit.

Vigintiquinque Patribus textus videtur insufficienter fundatus in motivis [45]
fidei. Proponunt ergo aliam redactionem: « Singulorum apostolorum zelus, semper quidem frugifer, et quibusdam in adiunctis unice aptus, saepe tamen suum effectum non consequitur nisi christifideles in coetibus coadunati in unum conspirent. Consociatio enim (omittitur: non solum) praesefert signum unitatis Ecclesiae; consilio Dei respondet, qui salutem humani generis non singulis hominibus sed cuidam populo electo commisit, et voluntati Christi qui Ecclesiam instituit cum missione omnes homines in unum congregandi. — Propterea solet Spiritus Sanctus conatus favere christifidelium qui in unum conveniunt, et Regno Dei operam impendunt secundum normas habituales navitatis humanae, scilicet cum intelligentia, perseverantia et modo aptiori ad effectum producendum, sic agentes velut si omnia a propriis conatibus penderent, etsi certissimi sunt quod hac in re efficacia a solo Deo proveniat. — Nunc autem, actio coordinata alicuius coetus tamquam medium efficacissimum considerari debet. Etenim consociatio sic praeparat, concinnat et dirigit actionem apostolicam propriorum membrorum, ut fructus uberiores sperari liceat ».

Commissio hanc propositionem attente examinavit, tamen in schemate sic abbreviato non potuimus assentire singulis partibus. Expungenda autem libenter censuimus verba « non solum » in secunda periodo, quae nunc sic sonat: « Consociatio enim praesefert signum unitatis Ecclesiae... ».

Alicui Patri divisio damnum infert et actioni necessariam roborem tollit, ideo optat ut pro quaque natione Conferentia episcopalis nationalis eligat formam organizationis apostolatus laicorum ipsi nationi magis idoneam, quam solam omnes adoptent.

Commissioni videtur uniformitatem sub specie unitatis et roboris magis damnosam esse quam legitimam varietatem.

Alius Pater petit ut Hierarchia definiat obiecta apostolatus ut arceatur maior quam par est dispersio: obstaculum omnino vitandum.

[45] In casibus urgentioribus quidem Hierarchia potest ita agere, sed hoc non est dicendum a Concilio, quod legem fert pro omnibus.

Unus Pater in lucem ponere vellet « elementum cohaesionis » actionis consociatae, nempe auctoritatem Ecclesiae quae approbat et gubernat.

De parte auctoritatis Ecclesiae in apostolatu laicorum tractatur in capite V. Quae hic dicuntur de omnibus formis associativis valent, etiam de illis quae a laicis constituuntur, et etiam si non laudantur ab Ecclesia nec commendantur.

14. *De multiplicitate formarum apostolatus consociati.*

Unus Pater dicit « diversae formae apostolatus semper religari debeant Hierarchiae loci in quo laborant, tamen gubernantur ab ea diversis modis... ». Sic declaretur principium fundamentale secundum quod apostolatus ab episcopo committitur religiosis, sed ab ipsis non assumitur ex iure nec exercetur modo independenti.

[46] Ad istam observationem Commissio respondet de relatione ad Hierarchiam agi in capite V, nn. 18-20.

Unus Pater timet ne redactio nimiam libertatem praebeat laicis. Necesse est ut semper tum fundatio, tum organizatio novae associationis submittantur auctoritati dioecesanae.

Duobus Patribus item non placet generalis assertio « libertas laicorum in condendis associationibus apostolatus ». Rationes sunt: *a*) laici nequeunt a priori et doctrinaliter affirmari « liberi » a regimine Sacrae Hierarchiae in materia quae est de se propria eiusdem; *b*) laici possunt esse ob statutum ecclesiasticum liberi aliquid faciendi in apostolatu si et quando et quantum hoc placuerit auctoritati competenti sed servari debet facultas eiusdem auctoritatis competentis concedendi et non concedendi. Quod revera negatur si principium generale statuitur sensu expresso in textu schematis. Libertas de qua sermo est in textu debet clare restringi ad obiecta pro quibus adesse potest doctrinaliter loquendo libertas in laicis, non vero ad elementa quae sunt iure divino ipsius Ecclesiae.

Aliquis Pater dicit nunc requiritur « recollectio in Ecclesia, virium dispersarum, maximeque rerum diversarum reductio ad unitatem, ita ut verae necessitatis iudicium sit apud auctoritatem ecclesiasticam ». Proponit ergo ut dicatur: « Salva debita auctoritatis *Hierarchiae licentia et cum subordinatione,* libertas laicorum ... agnoscatur ».

E converso aliquis Pater optima iudicat ea quae dicuntur de libertate et unitate quoad associationes. Non debent omnia uniformiter fieri sub nomine unitatis.

Item alii Patri placet affirmatio libertatis laicorum et optat ut laici cognoscant illam libertatem.

Nostra Commissio diu anceps remansit inter tam discrepantes sententias. Post longam et maturam disceptationem, considerando quod quamvis in iure Codicis Iuris Canonici ius nativum fidelium constituendi associationes in fines supernaturales implicite tantummodo agnoscatur (can. 684), in Decreto tamen

S. C. Concilii 13 nov. 1920 (Corrienten. 13 nov. 1920, *A.A.S.*, 13 [1920], p. 139) diserte affirmatur; Commissio retinere iudicavit textum: « Salva debita cum auctoritatibus ecclesiasticis relatione, libertas laicorum in associationibus organizandis, et praesertim in adhaesione eis danda, agnoscatur ». [46]

Ad phrasim sequentem unus Pater inseri cupit vocabulum « novas » nempe associationes et opera.

Alius Pater autem addere velit: « ... vel retinendo ultra vitam utilem associationes sive methodos olim forsan idoneos ».

Commissio libenter assentit his duobus observationibus et ea includit in textu, qui ita sonat: « Vitanda tamen est virium dispersio, quae fit praesertim promovendo sine ratione sufficienti associationes *novas* et opera, *vel retinendo ultra vitam utilem associationes sive methodos olim idoneas* ».

15. *Associationes fidelium in iure condito et condendo.* [47]

Unus Pater optat ut hac de re in Codice Iuris Canonici tractetur ampliori modo; iam Pius XI, in primo tempore Actionis Catholicae, dolebat nihil in Codice quoad tales associationes laicorum inveniri.

Alii Patri e converso videtur legislationem canonicam de hac materia prorsus generalem esse debere, quia adest periculum decernendi de rebus adhuc in evolutione continua igiturque transitoriis. Ergo pertinet ad legislatorem localem statuere quoad singulas res attinentes ad apostolatum laicorum.

Aliqua Conferentia Episcopalis autem vellet quod Codex novus non contineat enumerationem exhaustivam associationum.

Notare liceat sequentia. Hic numerus est summula alicuius studii facti de Associationibus fidelium, a Commissione quadam mixta, ex Commissione de Disciplina cleri et populi christiani et ex Commissione de Apostolatu laicorum composita. Insuper mandatur ut in Codice aliqua tractatio fiat modo quidem generali sed iuridico, dum hic potius principia statuuntur. In textu non datur enumeratio exhaustiva associationum: quae enumerantur enim dicuntur exempli gratia; neque in Codice fiet, nec fieri potest enumeratio exhaustiva, quia existunt centena et amplius diversae associationes apostolatus et aliae.

Aliquis Pater denique, loco « Sacrosancta Synodus mandat ... », diceret libentius « Sacrosancta Synodus commendat... ».

At hic agitur re vera de *mandato Concilii* ad illam Commissionem ad Codicem Iuris Canonici recognoscendum.

16. *De Actione Catholica.*

Aliquibus Patribus videtur pressius loquendum de Actione Catholica, quia perpauca hic et sat vaga dicuntur, et quasi cum timore aliquo.

Aliis Patribus e contrario, hoc loquendi modo, discrete sed satis clare enodatur argumentum.

Aliquis Pater vellet ut clare dicatur: « Sacrosanctum Concilium commendat ut Actio Catholica in omnibus nationibus et dioecesibus instituatur atque

[47] ut in Conferentiis Nationalibus Episcoporum statuta generalia Actionis Catholicae, iuxta locorum condiciones, condantur ».

Alicui Patri displicent ea quae in nota dicuntur, nempe « in aliquibus nationibus neque ipsa expressio (Actionis Catholicae) placet ».

Alius Pater autem nollet « canonizare » expressionem (Actionis Catholicae), quae neque est felix, neque in omnibus nationibus admittitur. Expressio Actio Catholica nimis videtur urgere « actionem » et intimare in praxi quandam speciem « activismi ». « Apostolatus laicorum » melius exprimeret realitatem laicorum in Ecclesia, colligaret eorum munus cum illo Episcopi, missioni divinae, vocationi ad sanctitatem.

Unus Pater notat nomen Actionis Catholicae in regionibus saltem linguae Anglicae quiddam politicum redolere et sonare. Cum illis qui Catholicae Ecclesiae addicti non sunt, male nomen illud sonet et notatio politica fere
[48] semper comitetur, in insulis Britannicis in usum non est neque esse potest. Fere omnes enim in Anglia censent Actionem Catholicam secum ferre approbationem cuiusdam partis politicae catholicae. Insuper si finis oecumenicus Concilii prae oculis habetur, nomen illud non facile adhibetur ad apostolatum laicorum indicandum. Non praetenditur quidem ut in regionibus ubi in usu est, non sit acceptandum, sed non est apostolatus forma iure pollens in Ecclesia universali.

Aliquis Pater notat denique quattuor notas esse necessarias ut Actio Catholica habeatur; denominatio non est necessaria, et etiam structurae possunt esse diversae.

Omnes hae sententiae et observationes ostendunt variam mentalitatem Patrum, necnon varia adiuncta nationum e quibus proveniunt. Commissio omnes difficultates has iam antea consideravit (iam Commissio praeparatoria) et ideo textus est aliquod compromissum. Omnibus perpensis ergo substantialiter relictus est textus uti iacebat iam in schemate praeparatoria et in redactione anni 1963, solummodo leviter corriguntur textus hic et illic.

Quoad textum:

Unus Pater vellet ut dicatur Actionem Catholicam ab Episcopis esse conditam, et ut explicitum mandatum a Hierarchia accipiat; hoc modo: « In his ultimis decenniis, hortantibus Summis Pontificibus, ab Episcopis condita est « Actio Catholica » quae proinde dependentiam strictiorem habet cum Hierarchia, quae, non ablata laicorum initiativa, tamen cum ipsis explicitum mandatum de apostolica opera a Hierarchia accipiat, sub ipsius superiore moderamine actionem apostolicam exercere debet ».

Re vera hoc non respondet realitati rerum in omnibus nationibus ubi adest Actio Catholica, ideo Commissioni huic observationi assentiendum non videtur. Insuper quattuor notae possunt verificari etiam sine explicito mandato Hierarchiae, et tunc quidem habetur Actio Catholica. In textu ergo dicitur nunc explicite « Hierarchia *potest* hanc cooperationem etiam per explicitum man-

datum sancire »; aliis verbis Actio Catholica potest haberi etiam sine explicito mandato. [48]

Alius Pater petit ut supprimatur vocabulum « saepe » quando dicitur « ... a Summis Pontificibus et a multis Episcopis ... saepe ab eis nomen Actionis Catholicae acceperunt ».

Commissio libenter assentit huic iustae observationi et expungendum censuit vocabulum « saepe ».

Unus Pater improbat modum loquendi discrepantem, dicitur nempe « laici collaborantes *cum Hierarchia* » et postea « laici ... collaborationem *in* apostolatu hierarchico ».

Textus sic emendatus est: « Laici, cooperantes *cum Hierarchia* » et « Laici, cooperantes *cum* apostolatu hierarchico ».

Sex Patres improbant distinctionem « tum quod ad singulorum hominum evangelizationem et sanctificationem, tum quod ad Corporis Mystici [49] aedificationem attinet » nam primum etiam ad Corporis Mystici aedificationem pertinet.

Haec obiectio tam aequa visa est ut mutavimus textum: « quod ad homines evangelizandos et sanctificandos attinet eorumque conscientias rite efformandas ita ut varios ambitus vitae spiritu Evangelii imbuere valeant ».

Aliquis Pater vellet ut loco « Episcoporum » dicatur « Hierarchiae », nam contingit ut ipse Summus Pontifex de tali re iudicium protulerit.

Huic obiectioni Commissio etiam libenter assentit, ita ut sic sonet nunc paragraphus ultima numeri: « Organizationes in quibus hae notae simul sumptae iudicio Hierarchiae re vera inveniuntur... ».

Unus Pater optat ut phrasis « ut ad ultimum apostolatus finem scilicet gloriam Dei et mundi salutem, indesinenter conspirent », quae in nota habetur, in corpus seu in textu decreti assumatur in aliquo loco.

Commissioni videtur hanc expressionem iam aliqualiter contineri in numero 1° schematis praesentis cum dicitur: « Ecclesiae missio est ... Deum glorificando, animas salvando ... », et quia laicorum apostolatus ad essentiam pertineat testimonii Ecclesiae, hanc ideam hic non esse repetendam.

Unus Pater notat quod in schemate locutio facta est de methodis apostolatus. Nunc autem mille et amplius Episcopi, Archiepiscopi et Cardinales approbationem et commendationem dederunt « Legioni Mariae » in earum dioecesibus. Loquendum esset ergo etiam de hac apostolatus forma et methodo.

Post longam disceptationem maiori parti Commissionis non videbatur necessarium, pertractato tali modo de Actione Catholica, amplius loqui debere de aliis formis apostolatus laicorum, etiam quia aliquae eorum reapse habent quattuor notas.

Duo Patres optant ut Actio Catholica apertius et instantius commendetur.

Vigintiquinque Patres autem dicunt ut relinquatur textus uti iacet, quia dicit essentialia.

[49] Tres Patres e contrario optant ut omnes associationes apostolatus laicorum commendentur.

Post longam et maturam disceptationem Commissio decrevit ut omnes associationes commendentur, de quo in numero 17°.

17. *Associationes ab omnibus aestimentur.*

Unus Pater improbat quod in hoc numero dicitur « Ecclesia »; quia Ecclesia est populus Dei, et non convenit adhibere hoc vocabulum quando designare intenditur Hierarchia. Proponit ergo ut dicatur clare: « Hierarchia ».

Libenter assentimus huic rectae observationi et textus ita sonat nunc: « Omnes associationes apostolatus recte aestimandae sunt; eae vero quas *Hierarchia...* ».

[50] Alius Pater vellet ut addatur: « ... secundum temporum necnon et locorum necessitates... ».

Commissio libenter accipit hanc emendationem, et legitur nunc in textu huius redactionis.

Aliqua Conferentia Episcopalis, loco « tamquam obligatorias » (quod est ambiguum) mallet dicere « tamquam urgentiores » vel « tamquam valde necessarias ».

Haec iusta observatio etiam acceptatur et in textu habetur nunc: « ... vel ut urgentiores ».

Vigintiquinque Patribus excessivum videtur mentio associationum quae essent obligatoriae; et insuper proponunt aliam emendationem: « Associationes apostolicae magni habendae sunt, praesertim eae quas ecclesiastica auctoritas (speciali modo) laudaverit vel commendaverit. Inter quas eminent associationes quae tamquam urgentiores praescriptae sunt ».

Nobis vero satis esse videtur (quamvis mutavimus vocabulum « obligatoriae » in « urgentiores ») si paululum corrigatur tantum textus.

Unus Pater vellet ut loco « auctoritatis ecclesiasticae » (quae locutio est ambigua) dicatur « auctoritas episcopalis ».

Commissio correxit textum et nunc legitur solummodo « Hierarchia ».

f) *Ad V. De ordine servando*

18. *De relatione ad Hierarchiam.*

Aliqua Conferentia Episcopalis vellet ut omittatur phrasis: « Sacrae Hierarchiae est laicorum apostolatum fovere ... », quia hoc postea (in N. 19) invenitur quoad particulares aspectus.

Commissioni tamen assentiendum non videtur, quia volumus exponere principium generale, antequam de modis particularibus sermo fiat in N. 19.

Duo Patres vellent ut maiore in luce ponatur relatio ad Hierarchiam. Clare affirmentur momentum et utilitas interventus Hierarchiae, ad procurandam coordinationem virium christianarum, ad protegendos fideles ab

errore. Hic interventus, nedum laedat libertatem laicorum, eam e contra tuetur et extollit. [50]

In textu tam brevi non possumus omnia dicere, attamen, ut satisfiat aliquomodo isti observationi, addidimus ad textum: « ... atque, ut ordo servetur, invigilare ».

Aliquis Pater notat munus Sacrae Hierarchiae relate ad laicorum apostolatum non esse tantummodo fovere et principia, subsidia, praeceptaque afferre, sed etiam vigilare et dirigere iuxta diversas eiusdem apostolatus formas.

Commissio libenter assentit huic emendationis et inserit in textu: « ... atque, ut ordo servetur, invigilare ».

Alius Pater addere vellet: « Consequenter in apostolatu laicorum nihil faciendum est sine Episcopo cui competit auctoritas et iudicium finale in his rebus ». [51]

Hoc revera est consequentia quae ex textu provenit, sed in textu tam brevi non possumus omnia repetere; dictum est enim iam in n. 6 « sine episcopo nihil » faciendum esse in apostolatu.

Alicui Patri etiam videtur adesse praetermissionem gravem. Vellet ut declaretur apertis verbis ad Episcopum pertinere in dioecesi auctoritatem et munus pastorale relate ad apostolatum. Hoc principium imponit rationem agendi concretam ex parte Ordinum religiosorum, quorum ministerium nequit esse extra ambitum ordinationum pastoralium ab Episcopo prolatarum.

De relatione inter Episcopum et religiosos pertinet ad schema « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia ».

Unus Pater magis in lucem proferre vellet partes pertinentes ad Hierarchiam relate ad actionem laicorum in re temporali, nam experientia docet existere complexus difficultatum qui necessarios reddunt nexus cum Hierarchia.

In hac redactione et quidem in secunda paragrapho numeri explicite agitur de munere Hierarchiae in casibus quando agitur de operibus et institutionibus ordinis temporalis.

Vigintiquinque Patres vellent ut post phrasim: « Plurima inveniuntur in Ecclesia incepta apostolica, quae laicorum libera electione constituuntur et eorum prudenti iudicio exercentur » supprimatur clausula: « praesertim cum agatur de ordine temporali christiane animando », ut melius respectetur libertas laicorum in constituendis aliis inceptis.

Commissio libenter expungenda censuit illa verba.

Aliqua Conferentia Episcopalis et unus Pater petunt ut tollatur vocabulum « implicite », quia videtur periculosum admittere principium de « implicito consensu auctoritatis ecclesiasticae »; ergo quocumque incepto quod nomen catholicum habere vult, debet accedere *explicite* consensus auctoritatis ecclesiasticae.

Commissio, post longam et maturam disceptationem, iudicavit consensum implicitum seu tacitum sufficientem esse; et de facto multis in locis ita evenit.

[51] *De mandato*

Aliquis Pater optaret ut *non* fiat locutio de « mandato », quia *a*) documenta Magisterii illud adhibent sensu diverso; *b*) theologi nondum sufficienter conceptus elaboraverunt; *c*) praeter missionem canonicam est inutilis adhibere novum hoc elementum ut apostolatus laicorum authentificetur, quia ille fluit ex sacramentis Baptismatis et Confirmationis, quae illum etiam authentificant. Omnis baptizatus ipso facto habet mandatum ad apostolatum, in dependentia a suo Episcopo.

[52] Alius Pater e converso dicit bene distingui inter « mandatum » et « missionem canonicam ». De mandato autem optanda esset quaenam alia distinctio in ipso textu, dicendo mandatum posse conferri a Hierarchia pro una associatione in genere in tali territorio sive nationali, sive dioecesano, et etiam nominatim pro quibusdam laicis inter duces et dirigentes talis associationis.

Unus Pater assentit mandatum bene clareque a missione canonica distingui; sed in utroque casu optatur ut quaedam iuridica existentia apostolatus laicorum definienda esset; publica promissio Ecclesiam serviendi ab istis laicis petenda esset ita ut quemdam iuridicum statum in corpore habeant Ecclesiae.

Alius Pater admittit differentiam inter mandatum et missionem canonicam esse claram, non tamen exempla, quae in notis habentur, quia administratio bonorum temporalium Ecclesiae et praedicatio verbi Divini, sunt activitates propriae cleri.

Unus Pater scribit notam et exempla feliciter declaravisse distinctiones lucidas in rebus in quibus confusio maxime est nociva.

Denique vigintiquinque Patres novam redactionem proponunt: « Ut munus apostolicum secundum necessitates (boni communis Ecclesiae) recte ordinetur, potest auctoritas legitima aliquos laicorum coetus, propria natura servata, vel et singulos christifideles, per actum qui mandatum dicitur, vocare ad intimiorem (vel officialem) participationem apostolatus hierarchici Ecclesiae, in campum vel modum determinatum ».

Commissio, omnibus perpensis et levi correctione, tenuit textum uti iacebat et etiam notam explicativam.

Septem Patribus insufficiens videtur determinatio « in finem spiritualem intenti », quia valet de omni incepto apostolico qua tali. Dicatur ergo « *immediate* in finem spiritualem intenti ».

Commissio libenter assentit isti rectae observationi et inseruit ergo vocabulum « immediate ».

De missione canonica

Aliqua Conferentia Episcopalis vellet ut singillatim addantur munia quae laicis committuntur, nempe « in actibus liturgicis, in verbi Dei praedicatione, in cura animarum, in administratione bonorum temporalium Ecclesiae », quae antea in nota habebantur.

Commissio assentit huic observationi et addidit tria munia; quia autem agitur de exemplis, Commissioni non videbatur opportunum adiungere illum « in administratione bonorum temporalium Ecclesiae ». [52]

Unus Pater petit ut loco verborum « quae proprie ad ipsam Hierarchiam pertinent » ponantur « quae membris Ecclesiae ex se non competunt ».

Post aliquam disceptationem, Commissio potius hanc formulam adhibere censuit: « quae propius cum officiis Hierarchiae cohaerent ».

Aliqua Conferentia Episcopalis optat ut vitetur expressio « participatio laicorum apostolatus hierarchiae »; et loco eius dicatur: « cooperatio specialis et officialis » vel aliquid simile. [53]

Respondet Commissio, hic in casu missionis canonicae re vera agi de « participatione ».

Sex Patres vellent ne dicatur per missionem canonicam laicorum apostolatum fieri *officialem* in Ecclesia; vel sensus huius vocis « officialis » accuratius determinandus esset, omnis apostolatus enim quodam sensu « officialis » dici potest propter mandatum in sacramento Confirmationis contentum.

Unde libenter expungenda censuimus: « eorum apostolatus officialis in Ecclesia fit ».

Aliquis Pater optat ut quoad missionem canonicam, scilicet quoad munera quae ad clerum ex natura sua pertinent, sed laicis permittuntur, maiores possibilitates in praxi concedantur.

Re vera exempla non sunt exhaustiva; pendet ab auctoritatibus localibus, e. g. in missionibus, ampliores facultates concedere.

19. *Pastores et apostolatus laicorum.*

A) *Pastores*

Alicui Patri non placet ut modo ita generali dicatur « officium exercendi apostolatum esse proprium omnibus fidelibus sive laicis... ».

E converso alicui Conferentiae Episcopali et quinque Patribus accurate proponitur res et maximi momenti iudicant laicos opus Ecclesiae facere.

Commissio ergo reliquit textum uti iacebat in redactione anni 1963.

Aliqua Conferentia Episcopalis autem vellet ut insistatur in verbis « laicorum dignitatem et responsabilitatem *eorumque ius* in Ecclesia agnoscant ».

Haec sententia in schemate de Ecclesia assumpta est (cap. De laicis); cf. nota 17 nostri schematis.

Unus Pater optat ut dicatur in textu clericos omnes (sive seminaristas, sive religiosos) institui debere theoretice et practice in apostolatu laicorum.

In paragrapho sequenti addidit Commissio « et apte formatos », de qua phrasi desumi potest eos institui debere.

B) *Sacerdotes apostolatui laicorum iuvando idonei*

Unus Pater recte observat dicendum esse « Episcopi magna cura seligant sacerdotes apostolatui laicorum *adiuvando* idoneos... », quia munus

[53] sacerdotis non est apostolatum laicorum exercere, est solummodo munus supplementare.

Commissio assentiens huic observationi addidit vocabulum « *iuvando* ».

[54] Alius Pater vellet ut addatur « ... idoneos *ac formatos* ».

Commissio item assentit isti rectae observationi et addit: « ... idoneos et apte formatos ».

Improbat unus Pater quod hic agitur solummodo de assistentibus ecclesiasticis Actionis Catholicae, dum de omnibus agendum est qui « huic ministerio » vacant.

Re vera mens Commissionis erat agere de omnibus sacerdotibus apostolatum laicorum quocumque modo iuvantibus: ea quae dicuntur sunt tam generalia ut pro omnibus valent, etiam, sed non exclusive, pro assistentibus ecclesiasticis Actionis Catholicae.

Aliquis Pater optat ut dicatur aliquibus verbis: « sacerdotes et laici qui organizationi dioecesanae vel nationali apostolatus laicorum incumbunt, non graventur aliis officiis pastoralibus, sed toti huic apostolatui devoveant ».

Quia hoc decretum pro tota Ecclesia valere debet, Commissio non potest inserere talem restrictionem, quae esset impossibilis e. g. in parvis dioecesibus, vel ubi generatim pauciores sacerdotes adsunt.

C) *Religiosi*

Unus Pater vellet ut amplior locutio fiat de auxilio a religiosis praestando in apostolatu laicorum (cf. Synodus Romanus, 1960, art. 642).

In schemate ita abbreviato, uti est praesens, hoc impossibile videtur.

Alius Pater optat ut alia expressio adhibeatur, ne videatur religiosos generatim ad clerum adnumerandos esse.

Quod quidem ex textu non sequitur.

Unus Pater opportunum censet addere religiosos, fratres et sorores, hac in re pendere ab Episcopo.

Ex contextu hoc evidens est.

Sex Patribus non est sufficiens dicere religiosos ... munera sacerdotis sustinere, adiuvare, complere debere, sed mentio fiat etiam de eorum cooperatione cum laicis.

Commissio accepit istam observationem et leviter immutavit textum.

Unus Pater haec scribit: « Religiosi ... munera sacerdotis sustinere, adiuvare, et, *in casu necessitatis, quantum fieri potest, supplere curabunt* ».

Commissioni non videtur necessarium haec addere, quia per se patent.

D) *Laici qui servitio Ecclesiae titulo speciali addicuntur*

Aliquis Pater petit ut loco: « Materna prorsus cura, Ecclesia amplectitur laicos... », dicatur: « *Speciali honore et commendatione in Ecclesia digni sunt laici* ... ».

Commissio libenter assentit huic emendationi et eam accipit in textu. [55]

Alius Pater vellet ut existentia huius servitii a Codice Iuris Canonici agnoscatur.

Votum istud transmissum est Commissioni ad Codicem Iuris Canonici recognoscendum.

Unus Pater petit ut vocabulum « Ordinarii » mutetur pro « Locorum ordinarii ».

Commissio curam pastoralem insinuare vult, et ideo, omnibus perpensis, proponimus potius: « Pastores Ecclesiae ... ».

20. *De mutua cooperatione.*

A) *In genere*

Unus Pater dicit necessitatem coordinationis originem sumere ex finibus communibus.

Aliqua Conferentia Episcopalis e contra optat ut affirmetur necessariam coordinationem ex fine sumi, nempe ex aedificatione unius Ecclesiae.

Commissio iudicavit in textu implicite contineri finem illum, nempe aedificationis Ecclesiae, et reliquit « fines communes ».

Unus Pater autem dicit post vocabulum « coordinatio » repetendum esse: « quoad fines communes ».

Commissio libenter inseruit iterum illa verba.

Alius Pater petit ut post verba « servatis uniuscuiusque organizationis indole » addatur « et rationabili autonomiae gradu », quia associationes non sunt absolute autonomae.

Unus Pater autem novam redactionem proponit: « Ad unitatem ... mutua aestimatio, eorum Hierarchiae subordinatio, qua prout uniuscuiusque loci necessitas vel opportunitas postulaverit, servata tamen uniuscuiusque organizationis indole ».

De rationabili autonomia et de subordinatione iam in numero praecedenti actum est, quando de relatione ad Hierarchiam sermo fuit.

B) *De consiliis in dioecesibus*

Multis Patribus omnino necessarium videtur constitutio consiliorum in dioecesibus.

Unus Pater tamen dubitat num exacto Concilio liceat quaerere quot sint Consilia quae in dioecesi vel in patria Episcopi constituere debent.

Textus rem sat generali modo declarat; ideo secundum exigentias locorum seu dioecesium possunt esse plures commissiones vel etiam una tantum.

Aliqua Conferentia Episcopalis optat ut dicatur « ... vel pro regione aut [56]
natione », quia saepe hoc non erit possibile pro una dioecesi.

Unus Pater etiam haec scribit: « pro dioecesibus, regionibus et ditionibus ».

[56] Commissio libenter assentit, et ideo in textu nunc modo magis amplo declaratur illarum commissionum constitutio.

Aliqua Conferentia Episcopalis vellet ut explicite omnia dicantur, nempe: « ... in ambitu paroeciali vel interparoeciali, dioecesano vel interdioecesano, nationali vel internationali », ne ulla pastoralis exigentia omittatur.

Haec enumeratio nunc habetur in textu, quia Commissioni haec aequa videbatur.

Unus Pater haec scribit: « Episcopi invigilent ne vires per vanam multiplicitatem disperdantur, sed ut associationes non amplius idoneae aut ad actuales necessitates quamprimum adaptentur aut tandem supprimantur, et insuper omnes apostolatus laicorum opera mutuo coordinentur »...

De illa vigilantia necessaria quidem Episcoporum, ne vires disperdantur, iam actum est in n. 14.

Alius autem Pater novum textum proponit: « Hierarchiae sollicitudini ... operam suam mutuo coordinare sub auctoritate vel parochi vel episcopi, vel alicuius potestatis in ambitu nationali constitutae ».

De hac relatione autem ad Hierarchiam in n. 18 iam sat ample actum est.

Aliqua Conferentia Episcopalis vellet ut mutua relatio inter commissiones nationales et Conferentias Episcopales melius determinetur; ergo dicatur aliquid de earum competentia.

De hac re sermo fiet in schemate « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia », et ceteroquin in nostro schemate ita abbreviato non possumus loqui de quaestionibus particularibus similibus.

C) *De secretariatu apud Sanctam Sedem*

Aliquis Pater dicit ideam huius secretariatus esse bonam, sed necessitas in Ecclesia nunc est decentralizationis; ergo sufficerent secretariatus pro unaquaque natione.

E converso multi Patres approbant constitutionem apud Sanctam Sedem alicuius officii seu secretariatus.

Commissio ergo iudicavit illam propositionem tenendam esse.

Alicui Patri non est sufficiens officium seu secretariatus, sed aliqua specialis sacra Congregatio desideratur in qua moderatores ecclesiastici et laici sub Romani Pontificis auctoritate studia peragant et regulas aptas decernant.

Alius autem Pater optat ut secretariatus seu officium non sit plene sui iuris.

[57] Item alius Pater optat ut secretariatus sit vere repraesentativus diversarum nationum neque se substituat Hierarchiis localibus et relinquat laicis initiativam quae ad eos pertinet in his rebus.

Commissio haec omnia attente consideravit. Non iudicat necessariam aliquam sacram Congregationem constituendam, nec amplius affirmat hunc officium esse plene « sui iuris », et textus ita formulatur ut re vera supponit repraesentationem diversarum nationum.

Alicui Patri videtur omnino evitari debere falsum centralismum, ita ut [57] centrum condendum re vera quasi novum Dicasterium Curiae Romanae fieret. Praeterea clare indicetur, quinam in hoc Centrum supremum sodales vocentur et quis eos vocet vel mittat.

In textu Commissio clare excludit illum falsum centralismum. Quoad Sodales autem huius centri seu secretariatus determinetur post concilium, quia sunt res particulares de quibus non deberet tractare Concilium.

Duo Patres nolunt formulationem optativam: Valde opportuna iudicatur, vel: si Summi Pontifici visum fuerit; quia non exhibet stylum conciliarem; Summus Pontifex enim signat et proclamat acta Concilii.

Commissio libenter assentit isti rectae observationi et in praesenti redactione non exhibet amplius formulam optativam, sed simpliciter dicitur: « Constituatur insuper apud Sanctam Sedem quidam particularis secretariatus... ».

Alius Pater scribit: « eligantur inter laicos catholicos rei oeconomicae periti, assessores qui episcopis et Ipsi Sanctae Sedi in rebus temporalibus assistant, sive in ordine ad administrationem patrimonii Ecclesiae, sive in ordine ad iudicium emittendum securius in quaestionibus oeconomicis cum morali connexis ».

Quamvis agatur de rebus particularibus, haec idea non excluditur in textu.

Unus Pater vellet ut melius definiatur competentia secretariatus et eius relatio ad Organizationes Internationales Catholicas.

Respondet Commissio illam esse quaestionem nimis particularem quae non debet dirimi in decreto conciliari. De competentia autem secretariatus sat clare dicitur.

Unus Pater proponit ut instituatur apud Sanctam Sedem consilium centrale Actionis Socialis Christianae Universalis, quod per consilia regionalia spargat et in praxim adducat doctrinam socialem Ecclesiae secundum normas deductas ex encyclicis Summorum Pontificum.

De huius futuri Secretariatus structura et activitate fusius hic agere non oportet.

Aliquis Pater tandem optat ut instituatur cursus specialis, cura Sanctae Sedis, ad docenda quae ad apostolatum laicorum pertinere possunt.

Ad hanc quaestionem particularem etiam non debet respondere textus conciliaris; si res ita ferant, secretariatus ille posset constituere cursus spe- [58] ciales.

21. *De cooperatione cum aliis christianis et non-christianis.*

Alicui Conferentiae Episcopali participatio et cooperatio catholicorum cum aliis in actionibus vel etiam in organizationibus ad fines temporales honestos assequendos, uti principium generale a Concilio expositum videtur valde periculosum.

Unus Pater petit ut haec idea clarius explicetur.

Alius Pater scribit ad Episcopum pertinere debere iudicium de conve-

[58] nientia huius cooperationis; et munus Episcopi clare apparere deberet in textu.

Aliqua Conferentia Episcopalis e converso expostulat ut collaboratio cum acatholicis tamquam aliquid non mere permissum, sed *etiam requisitum,* terminis *magis positivis* exprimatur.

Commissio inter tam discrepantes sententias, omnibus animadversionibus perpensis, novam redactionem proponit, quae, quamvis modo generali, sat clare proponit principia generalia cooperationis catholicorum cum aliis christianis et non christianis.

Alicui Patri non placet expressio « non-catholici », quia simul designat christianos separatos et « omnes homines ».

Commissio de hoc in praesenti redactione consuluit, et proponit nunc distinctionem inter christianos et « omnes homines », textus enim ita sonat: « christianis et non-christianis ».

Unus Pater optat ut loco « cum domesticis fidei » dicatur « cum catholicis », quia fratres separati etiam sunt « domestici fidei ».

Commissio hoc non amplius dicit in textu.

Idem Pater optat ut loco « cum fratribus separatis » dicatur « cum fratribus *a nobis* separatis ».

In textu praesenti non amplius dicitur « cum fratribus separatis », sed eius loco dicitur « cum aliis christianis ».

Moderator, em.mus P. D. LEO SUENENS: Audiatur nunc relatio super schema decreti *de apostolatu laicorum* ab em.mo D. card. Fernando Cento, praeside commissionis praeparatoriae et conciliaris.

2 – EM.MUS P. D. FERDINANDUS CARD. CENTO

Praeses commissionis de apostolatu laicorum

INTRODUCTIO

Relator praesentis schematis, a Commissione ipsa ad hoc munus rite electus, erit Excellentissimus D.nus Hengsbach, Episcopus Essendiensis in Germania, qui sapienter semper et impigre ad illud parandum suam generose contulit operam.

Priusquam tamen ipse loqui incipiat, quaedam mihi, qui eiusdem Commissionis, sive praeparatoriae sive conciliaris, Praeses fui et sum, praemittere liceat.

Gratias in primis iis omnibus referre debeo, Episcopis ceterisque Membris et Consultoribus praedictae Commissionis praeparatoriae, ac dein Patribus et Peritis conciliaribus, qui una mecum, sollerte et concordi animo, adlaboraverunt, quasi unam spiritualem familiam efformantes: schematis huius meritum, qualecumque sit, ipsis pertinet.

Opportunitas insuper mihi offertur declarandi nos valde latis criteriis laborem nostrum coepisse ac perfecisse. Libenter enim non solum propositiones, desideria, suggestionesque utriusque sexus laicorum accepimus, immo quandoque excitavimus.

Gaudio magno proinde hanc nostram agendi rationem augusta Regnantis Pontificis dispositione coronatam et confirmatam vidimus: Ipse enim huius venerandae aulae ianuas quibusdam ex eis selectis et optime meritis pandere voluit, sive viris, sive mulieribus.

Superfluum est hic in lucem ponere quanta laetitia laicos catholicos universos affectos fuisse ex hoc quod Summus Pontifex Ioannes XXIII, sanctae memoriae, specialem Commissionem constituere decreverit de ipsorum apostolatu: perspicuum enim signum erat altissimae aestimationis quam habet Sacra Hierarchia circa collaborationem laicorum in prosequendo opus suum, quod nihil aliud est quam continuatio missionis salvificae Iesu Christi. Nunc primo, in historia Ecclesiae, eventus hic contingebat, augendo in laicis suae responsabilitatis sensum quoad vitam et aedificationem Mystici Christi Corporis: quae quidem res eo gratior fuit ipsis quo magis optata.

* * *

Notare adhuc mihi fas esto argumentum hoc de apostolatu laicorum undequaque peculiaribus finibus respondere quos sive Ioannes XXIII sive Paulus VI huic Sacrae Synodo proposuerunt.

Congruit in primis cum eius indole eminenter pastorali: ad hoc enim tendit schema nostrum ut in membris Dominici gregis bene idea haec imprimatur, nempe quod ipsa christiana professio exigit a renatis in aqua baptismatis eorum activam participationem cum clero, licet non eodem gradu, ad fovendum adventum Regni Dei.

Congruit praeterea cum afflatu oecumenico Concilii: christifidelium enim vita, quando doctrinae evangelicae penitus conformetur, apostolico insuper impulsu et caritate Christi animata ac perfusa sit, beneficum influxum in fratres separatos, immo et in ipsos non christianos, exercere valet ad efficiendum unum ovile sub uno Pastore.

Addatur etiam quod si hic laicorum apostolatus a Sacra Hierarchia aperte requiratur et debite exaltetur, probe dissipabuntur praeiudicia illorum qui Ecclesiam Catholicam accusant quasi eos in perenni et omnimoda passivitate destinatos esse Ipsa autumet.

Prudens tandem Ecclesiae intentio, praesentibus mundi necessitatibus et optatis sese aptandi, nullimode certe spiritui mundano indulgens quatenus spiritui Christi oppositus sit, eo melius perfici poterit quo magis de auxilio laicorum disponere sibi fas erit: ipsi enim, mundi ipsius

quasi voces auscultantes, circa illas Pastores edocere valebunt ac in illis diiudicandis eis praesto erunt.

Quamvis autem apostolatus laicorum, qui unum quid cum apostolatu hierarchico constituit, eodem spiritu eademque caritate ubique terrarum animetur, attamen, diversis in regionibus ac nationibus varios aspectus induit; inopportunitas inde, immo impossibilitas, sequebatur pro eiusdem apostolatus exercitio unicam statuendi formam: quod ceterum Sponsae Christi, circumdatae varietate, profecto convenit, diversorum nempe operum unitatem in multiplicitate praebere.

Aliquid manet nunc addendum, quasi de medulla totius schematis. Summa votorum nostrorum ad hoc ultimatim spectat ut, per quae in eo dicuntur et suggeruntur, in conscientia omnium baptizatorum intimus hic sensus formetur et firmetur, nempe non posse haberi vere christianum quin aliquatenus apostolum se sentiat: si futuris porro generationibus sensus hic universaliter surget ac practice manifestabitur, ope praesertim huius Concilii Oecumenici Vaticani II, non parvus, immo maximus, eius triumphus erit.

* * *

Sed ad conclusionem mihi iam properandum est.

De re agitur, ne dicam maioris aut summi tantum, sed supremi momenti pro Ecclesiae vita. Etenim ipsius sortes, magna ex parte, in venientibus saeculis, ab arctiore collaboratione laicorum cum clero in munere apostolatus pendebit. Nulla rethorica exaggeratio, nulla oratoria amplificatio adest in hac affirmatione: hoc quidem et senserunt et affirmarunt recentiores Vicarii Christi, memorabilibus documentis.

Idem prorsus, cum ipsis, Eminentissimi et Excellentissimi Patres, et nos sentiamus ac profiteamur.

Fiduciam habeant Pastores in laicis, praesertim in iuvenibus quorum iam multi saepe saepius sitim monstrant sese totaliter devovendi pro causa Christi. Laici, vicissim, fiduciam habeant in suis Pastoribus, debitamque eis exhibeant reverentiam, Christi personam in ipsis respicientes. Illorum auctoritas numquam sapiet duritiam, neque servile sed filiale a laicis expectabunt obsequium. Verum est, ex ipsius Divini Fundatoris voluntate, inter Sacram Hierarchiam et laicatum distinctio est: distinctio quidem, sed non distantia. Puteus (vulgo: *balaustra*) qui separat navem templi a presbyterio non est considerandus quasi murus aut antemurale. Indubitanter, itidem, sacerdotium commune fidelium non est, prout nostrum, vere sacramentale ac ministeriale: ambo tamen ex eodem aeterno sacerdotio Christi ortum habent.

Laici, denique, non solum *in Ecclesia,* sed nobiscum *Ecclesia sunt,* membra eius viva et operantia. Ergo cor unum simus cum illis et una anima: novissimum sic votum Redemptoris nostri ad effectum feliciter perducemus.

Et nunc, Venerabiles Patres, vobis pertinet iudicium ferre Schematis nostri, quod nos expectabimus humiliter sed et fiducialiter.

Moderator: Gratias agimus em.mo relatori pro sua relatione et sic finis imponitur congregationi hodiernae. Proxima congregatio erit cras, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA CONSTITUTIONIS DE DIVINA REVELATIONE

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA CONSTITUTIONIS DE DIVINA REVELATIONE *

1

EM.MUS P. D. ARCADIUS M. CARD. LARRAONA

Circa notionem revelationis in schemate constitutionis de divina revelatione adhibitam.

Postulantibus quibusdam Patribus (Schema, Relatio de n. 2, olim n. 1, § 2, littera D, pag. 10 s.; cf. etiam pag. 55 s.), doctrina de revelatione in operibus ac verbis in schema (n. 2) introducta est.

Idea fundamentalis huius doctrinae vera est. Gesta seu facta historiae salutis multa de Deo et de eius voluntate salvifica revelant seu ostendunt. Sed si haec doctrina exponitur expressionibus schematis, incompleta remanet et confusionem generare potest.

Fides sensu stricto, secundum Concilium Vaticanum I (DENZ. 1789), est virtus supernaturalis, « qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest ». Manifestatio veritatum, quae motivum nostrae fidei constituit, a Concilio Vaticano I describitur ut locutio Dei ad homines (cf. DENZ. 1785); ita Concilium notionem plane biblicam adhibet, in epistola ad Hebraeos expressam: « Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio » (*Hebr.* 1, 1 s.).

Fides stricte dicta habet, ut obiectum, verbum Dei, locutiones Dei. Gesta seu facta solum possunt esse obiectum fidei, quatenus et ipsa sint etiam verbum Dei, i. e., quatenus Deus ipsa testetur: sic facta in Sacra Scriptura narrata obiectum fidei sunt, non quatenus gesta sunt, sed quatenus a Deo auctore Sacrae Scripturae enuntiantur.

Sed restat gravior quaestio. Sensus factorum, si ab hominibus detegitur, est fructus humanae interpretationis factorum, quae quatenus de rebus sacris et labore humano peragatur, vocari potest interpretatio theologica. Iterum talis interpretatio eatenus potest fide credi, quatenus et ipsa interpretatio sit dicta a Deo, i. e., quatenus Deus ipsam testetur. Sic, e. g., clarum est

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt.

theologiam S. Pauli offerre interpretationem sensus vitae, mortis et resurrectionis Iesu. Sed illa interpretatio fide credenda est, non quia constructio est humana, sed quatenus a Deo in scriptis, quae vere biblica sunt, affirmatur.

Hoc sensu, timor exaggerati intellectualismi vel conceptualismi, qui aliquos Patres movit, ut peterent doctrinam de revelatione in operibus ac verbis in schema introduci, fundamento caret. In ultimo stadio gesta debent esse dicta seu verba Dei, ut possint esse obiectum fidei nostrae.

His suppositis, petimus:

1. Doctrinam de revelatione « gestis verbisque » sic compleri ut ultimatim (pag. 6, lin. 9) dicatur: « gesta eatenus possunt esse obiectum fidei, quatenus per verbum seu locutionem Dei, in quibus tota fides nostra fundatur, transmittuntur ».

2. In n. 4 clare exprimatur differentia exsistens inter periodum constitutionalem Ecclesiae, in qua apostoli per revelationem Spiritus Sancti facta Iesu interpretari possunt et de facto interpretantur, et periodum posteriorem, in qua « kerygma » illud apostolicum, ut depositum sancte custodiendum est. Ita Paulus affirmat Evangelium suum (quod est interpretatio de sensu ac valore vitae, mortis et resurrectionis Christi) non esse « secundum hominem. Neque enim ego ab hominibus accepi illud, neque didici, sed per revelationem (apocalypsis) Iesu Christi » (*Gal.* 1, 11 s.). E contra Ecclesia fatetur se doctrinam fidei, quam Deus revelavit, recepisse « tamquam divinum depositum »; utique ipsa debet non solum depositum custodire, sed etiam illud infallibiliter declarare, et in illo declarando fit decursu saeculorum progressus (D. 1800); sed talis progressus dogmaticus perficitur depositum seu doctrinam fidei ulterius intelligendo, non tamen convertendo facta in doctrina per interpretationem factorum.

3. Propter easdem rationes corrigendus est accuratissime n. 8 (cap. II).

a) Non tam accurate dicitur: « Traditio ... proficit » (pag. 16, linn. 13 s.). Traditio apostolica pertinet ad depositum, quod post Apostolos clausum est (cf. D. 2021). Non ergo ipsa traditio crescit, sed intelligentia traditionis primitivae, sicut etiam crescit intelligentia Scripturae et non Scriptura ipsa.

b) Multo minus dici potest progressus dogmaticus posse fieri « tam rerum quam verborum traditorum intelligentia » (pag. 16, linn. 14 s.). Intelligentia rerum seu interpretatio factorum utique ab Apostolis per revelationem facta est. Sed intelligentia seu interpretatio factorum, quae a nobis fieret (i. e., post finitam revelationem publicam), non potest esse obiectum fidei neque obiectum Traditionis divinae; esset nempe mera humana interpretatio.

c) Ut ambiguitates vitentur debet clare dici in lin. 12 pag. 16 traditionem divinam (de ea in schemate agitur et non de traditionibus ecclesiasticis) solum locutiones Dei seu kerygma apostolicum transmittere posse.

[*Subsignavit etiam*] Arturus Tabera Araoz, ep. Albasitenus.

2

EM.MUS P. D. IACOBUS FRANCISCUS CARD. McINTYRE

Archiepiscopus Angelorum in California

In prooemio constitutionis *de divina revelatione,* mihi videtur, sequentia adnotari debent et ea humiliter ad considerationem commissionis submitto.

Videtur quod hoc in schemate mentio non facta est de variis gentibus ad quos Revelatio praedicata est.

Nonne Dominus Noster imprimis ad Iudaeos simul ac ad Iudaeos dissidentes et non-Iudaeos locutus est?

Nonne illo tempore adstantes multi qui apud Iudaeos non adnumerabantur, scil. die Pentecostes Christo audierunt?

Nonne possibile erat quod aliqui illorum adstantium et inter illos sic dictos « deicidas », scil. Samaritani, Essenes, etc. erant?

Nonne adfuerunt apud eos qui a Christo conversi erunt, scil. S. Paulus Apostolus?

Nonne doctrina Ecclesiae hodiernae ad Iudaeos etiam ac ad non-christianos dirigatur?

Nonne Christus et pro Iudaeis mortuus est?

3

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ

Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Schema in genere valde placet. Placet imprimis quod notiones revelationis et traditionis ample enucleentur iuxta placita melioris progressus theologiae biblicae necnon theologiae pastoralis de hac materia.

Placet omnino quod textus prudenter agit de relatione inter S. Scripturam et traditionem, intacta relicta quaestione obscura et disputata de relatione inter Scripturam et traditionem.

Valde placet cap. V, « De Novo Testamento », et specialiter formula quae adhibetur ad describendam historicitatem Evangeliorum.

Ad emendationes particulares quod attinet, sequentes videntur nobis esse exponendas:

Ad n. 3. Pag. 6, lin. 22: data hodierna cognitione de longa aetate humanitatis hic in terris tempore praehistorico, videtur opportunum ut aliquid dicatur de oeconomia salutis Dei erga homines illa aetate viventes, quaeque in foedere inito inter Deum et Noe figuratur. Quapropter libenter adhaeremus additioni ad textum propositae ab em.mo card. Döpfner, parva tantum additione nostra facta. Addatur ergo in lin. 22 haec paragraphus:

« Genus humanum a protoparentibus descendens, immenso historiae eius

decursu, Deus intuens Christum redemptorem, sua providentia salutari suaque illuminante gratia nunquam plene dereliquit, sed semper praebuit media ut fide in Deum possit salvari, quem praedestinatione sua elegerat salvandum » (hucusque card. Döpfner). Nos vero, posita virgula post ultimum verbum, addere suggerimus: « ... salvandum, *veluti a Sacra Scriptura in foedere inito inter Deum et Noe figuratur* ».

Ad n. 8. Pag. 16, linn. 19 ss.: novus numerus placet. Suadetur tantum ut aliquid circa finem dicatur de distinctione inter traditionem divinam et traditiones ecclesiasticas. Haec distinctio nobis videtur magni momenti tum ob rationes oecumenicas cum ad vitandos nonnullos conflictos domesticos.

Ad n. 11. Pag. 27, linn. 11-16: textus videtur insinuare quod totus et unicus effectus inspirationis est inerrantia. Desideratur ut aliqua emendatio fiat qua in lucem ponantur alii aspectus magis positivi charismatis inspirationis.

Ad n. 14. Pag. 33, linn. 1-5: forsan etiam hic posset aliquid innuere circa foedera ante Abraham, prout ad humanitatem tempore praehistoriae referuntur.

Ad n. 19. Pag. 38, linn. 13-30: textus valde placet. Modo etenim prudenti aggreditur quaestionem de indole historica Evangeliorum, quin eisdem genus hodiernum historicum tribuatur. Exaggerationes scholae sic dictae « Formengeschichte » sedulo vitantur.

Ad n. 25. Pag. 45, lin. 38: proponitur ut pro verbo « Ecclesia » dicatur « *ecclesiastica auctoritas* ». Ratio est ut vitetur in textu conciliari identificatio Ecclesiae cum hierarchiae regimine.

Pag. 46, linn. 9 s.: pro verbo « debitis » adhibeatur « *aptis* ». Ratio est ut vitetur sensus polemicus prioris vocis.

Hae emendationes proponuntur a Patribus quorum nomina in annexo elencho recensentur et probatae fuerunt ad minus a 23 Patribus, quandoque vero a 28.

[*Adhaeserunt etiam*] *ex Bolivia*: Armandus Gutiérrez G., ep. aux. Pacen., Georgius Manrique, ep. Oruren.; *ex Argentina*: Hieronymus Podestá, ep. Avellanedien.; *ex Chilia*: Emmanuel Sanchez, arch. Ss.mae Conceptionis, Alafridus Cifuentes, arch. Serenen., Alafridus Silva S., arch. tit. Petrae in Palest., Augustus Salinas, ep. Linaren., Franciscus Fresno, ep. Copiapen., Franciscus Gillmore, ep. tit. Auzien., vic. Castrensis, Franciscus Valenzuela, ep. Antofagasten., Helladius Vicuña A., ep. Chillanen., Gulielmus Hartl, ep. tit. Estratonicen., vic. ap. de Araucania, Alexander Menchaca, ep. tit. Pinaren., Ioseph Aloysius Castro, ep. S. Philippi de Aconcagua, Franciscus Valdés, ep. Osornen., Ioseph Valle, ep. aux. Iquiquen., Emmanuel Santos, ep. Valdivien., Radulfus Silva, ep. aux. Rancaguen., Raimundus Salas, prael. null. Aricen.; *ex Colombia*: Angelus M. Ocampo, arch. Tunien., Raphael Sarmiento, ep. Ocanen., Alphonsus Uribe, ep. aux. Carthaginen., Michael A. Medina, ep. Monterien.; *ex Mexico*: Sergius Méndez A., ep. Cuernavacen.; *ex Uruguay*: Alafridus Viola, ep. Salten., Robertus Cáceres, ep. Melen., Orestes Nuti, ep. Canelonen., Marcellus Mendiharat, ep. coad. Salten., Henricus Cabrera, ep. Merceden.

4

EM.MUS P. D. FRANCISCUS SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Nova forma schematis, omnibus perpensis, valde placet. Disceptatio circa Sacrae Scripturae et Sacrae Traditionis mutuam relationem iam sat superque protracta est. In praesenti redactione nihil nimis urgetur. In specie, dicta de utriusque relatione ad Magisterium multum iuvant, quasi « mediatorem » ponendo inter Sacram Scripturam et Sacram Traditionem. Alia omnia tum de facto inspirationis et inerrantiae necnon de modo interpretationis tum de duobus testamentis temperate et sapientissime conficiuntur. Tractatio de Evangeliorum indole historica omnimodo sana et aequalis apparet.

Difficultates oriuntur solummodo de duobus punctis. In pag. 28, sub n. 12, ut distinctio inter varia genera dicendi clarior evadat, emendationem propono. Textus propositus: Aliter enim veritas in textibus vario modo historicis, aliter in textibus didacticis vel propheticis proponitur et exprimitur. Oportet porro ut interpres sensum inquirat, quem in determinatis adiunctis hagiographus, pro sui temporis conditione, ope generum literariorum illo tempore adhibitorum, exprimere intenderit et expresserit.

Iterum, in pag. 38, sub n. 19, cum omissio vocis « explanantes » in sectione fere ad verba ex Instructione *Sancta Mater Ecclesia* aprilis 1964 hausta, totam sententiam aliquo modo ambiguam reddat, tum claritatis tum elaborationis gratia emendationem propono. Textus propositus: Auctores autem sacri quatuor evangelia conscripserunt, quaedam e multis vel ore vel iam scripto traditis selegentes, quaedam in synthesim redigentes, quaedam ad statum ecclesiarum attendendo explanantes. Non tamen excluditur quin evangelistae verba et facta Christi Domini aliquatenus elaboraverint et modificaverint. Ipsi enim evangelia litteris mandaverunt, inspirante illo Spiritu veritatis, qui promittebatur discipulis a Christo Domino, ut eos in viam omnis veritatis introduceret. Non enim aliter egerunt ac primaevae ecclesiae magisterium, cuius munus est illustrare et enucleare quae in deposito implicite continentur.

5

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS BIANCHI
Episcopus Sciiamchiamensis

In genere dixerim textum emendatum praestare textu priori.

Cap. I. De ipsa revelatione.

Revelatio Dei viventis i. e. Sanctissimae Trinitatis oblique indicatur; mihi placeret quod Concilium directe affirmaret hoc mysterium esse obiectum

praecipuum revelationis: « Gloria nostra, o Beata Trinitas! ». Esto quod Patres velint loqui per eloquium biblicum, sed non video cur uti non possint eloquio ecclesiastico praesertim, ut in casu, consecratum est usu aliorum Conciliorum.

Cap. V, n. 17, lin. 2: « quod in Evangelio operatur ». Haec phrasis ambigua forsan sapit sane Evangelium, sumitur hic velut oeconomia N. T. et bene distinguitur ab Evangeliis de quibus in n. 18, sed desiderarem textum magis perspicuum.

Hoc caput agit de N. T.; liceat mihi haec compendiose addere: data situatione hodierna exegeseos, Sacrae Scripturae studiosi non modo laudandi sunt, sed ad prudentiam hortandi, nam saepe sinunt se decipi novissimarum opinionum lenocinii. Multi errores serpunt in exegesi catholica ut v. g. de theologia oeconomica (quoad S. Ioannem, de historicitate kerygmatica Evangeliorum, de ipsa formatione canonis, exaggeratur methodus historiae formarum etc.); insuper conditio nostrae exegeseos quae passiva et demissa videtur posset fieri dynamica et actuosissima, si Concilium Vat. II clarius expenderet notionem inspirationis et principia sanae hermeneuticae, sua auctoritate fortius fulciret. Maior enim audacia et fortitudo quandoque requiritur in defendendis positionibus traditionalibus quam in persequendis theoriis quae singulis generationibus nascuntur et moriuntur.

Sunt qui praedicant quod vox « alma » in Isaia, c. 7, non significat « virgo » sed « puella »; ibi non agitur de Messia, sed de rege Ezechia etc. Puto, aliqui studiosi timent se non esse vere exegeseos, nisi accipiant omnia quae studiosi acatholici proferunt.

6

Exc.mus P. D. MICHAEL BLECHARCZYK

Episcopus tit. Jotanus, aux. Tarnoviensis

Ad n. 9, pag. 16. 1. In quaestione de numero fontium revelationis, magni — immo summi ac fundamentalis — momenti est divisio fontis in: activum vel passivum seu receptivum. Et quidem fons activus ille dicitur, qui revelationis divinae existentiam tradit, quo clauso revelatio esse desinit, et quo se aperiente revelatio incipitur, augetur et evolvitur. Fons passivus seu receptivus est ille, qui revelationem — iam existentem — recipit, eamque puram ac integram conservat.

2. Hac divisione facta quaestio de numero fontium sequenti modo solvi potest: Fons activus revelationis est nonnisi unus, scil. Deus, qui utique in tradenda revelatione diversis usus est instrumentis, angelis nempe et hominibus. Fons autem passivus seu receptivus est duplex: traditio et scriptura.

3. Revelatio vero mutua inter scripturam et traditionem intercedens

haec est: traditio tempore prior est quam scriptura; initio enim nullum aliud medium communicationis socialis hominibus exstabat nisi traditio; qua veritates revelatae hominibus communicabantur. Cum vero postea praeter traditionem alterum medium communicationis i. e. scriptura apparuisset, tunc divino afflante Spiritu integra revelatio conscripta est, ita ut nulla adsit veritas revelata, quae — saltem virtualiter implicite — non contineretur in sacra scriptura.

4. Solutio quaestionis modo proposita minime adversatur decretis Conciliorum, in specie ss. Concilii Tridentini, ubi saepe mentio fit de duplici fonte revelationis; tunc temporis enim discrimen inter fontem activum et passivum seu receptivum nondum in usu erat et terminus « fons » univoce praedicabatur.

7

REV.MUS P. D. CHRISTOPHORUS BUTLER

Praeses Congregationis Angliae O.S.B.

Ad n. 11, pag. 27. Suadeo ut titulus huius numeri ita mutetur ut pro « inerrantiae » substituatur verbum et conceptus minus negativus. Sic: « Statuitur factum inspirationis et veritatis S. Scripturae ». *Ratio*: quia, ut animadvertit em. card. Meyer, in interventione die 5 oct. habita, terminus « inerrantia » negativus est, et nimis limitatus quam ut omnes consequentias inspirationis exprimat.

Ad linn. 20-21. 1. Verbum « *docere* » (lin. 20) retinendum est. Loco huius verbi verbum « exhibere » substitui non potest: de facto enim, libri Scripturae errores « materiales » exhibent, sed eas formaliter non docent.

2. Ex voce « *veritatem* » (lin. 20) inspiratio videtur unice et exclusive dirigi ad veritatis propositionem; ex contextu autem, haec « veritas » intelligitur modo mere logico. Sed finis revelationis et inspirationis ad talem « veritatem sine ullo errore » reduci non potest. Loco huius vocis, ab Encyclicis Leonis XIII desumpta, melius forsitan adhiberetur vox « *revelationem* », quae a Concilio Vaticano I adhibetur (DENZ. 1787; *EB* 77), i. e. a Magisterio extraordinario (non tantum ordinario), et quae sensum latiorem et profundiorem ex dictis in cap. I accipit et naturaliter possidet.

N. B.: Ut allusio ad Concilium Vaticanum I accurata sit, ponendum est « revelationem sine errore » (omisso verbo « ullo », quod aequivocationem nimis favet).

3. Ut clarior appareat significatio accurata et completa notionis « inspirationis », voto em.mi card. Meyer (loc. 5 oct.) satisfiat, qui postulavit ut addatur citatio *2 Tim.* 3, 16-17. Haec additio fieri potest lin. 21 (in fine art. 11), hoc modo: itaque « omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus » (*2 Tim.* 3, 16-17).

8

EXC.MUS P. D. THOMAS B. COORAY
Archiepiscopus Columbensis in Ceylon

Ad cap. I, n. 6 (pag. 7). Clarius est statuendum quod divina revelatione manifestantur de Deo non tantum ea quae vires rationis humanae omnino superant, sed etiam ea quae rationis lumine cognosci possunt.

Unde propono in textu sequentes mutationes:

Pag. 7, lin. 33, post « Manifestantur » addatur « perprimo ».

Pag. 7, lin. 38, post « confitetur » scribatur « etiam » loco « quidem ».

Pag. 8, lin. 2, ante « eius » scribatur « et »; post « eius » omittatur « autem ».

Ad cap. II. In textu prout habetur est quaedam confusio de sensu seu significatione « traditionis » et « Scripturae », ex qua confusione oriuntur non paucae difficultates. Unde humiliter propono sequentia:

1. Divina revelatio seu Verbum Dei nobis transmittitur sequenti modo.

2. Perprimo adsunt *fontes revelationis*:

Relate ad revelationem utriusque Testamenti, fontes sunt:

a) Scripturae sacrae utriusque Testamenti in versione originali seu prout a scriptoribus inspiratis scriptae sunt.

b) Traditio apostolica, quae morte ultimi apostoli clausa est (cf. pag. 15 linn. 14-23). Ista traditio vere constitutiva dici potest, nam erat fons etiam Scripturae Sacrae saltem relate ad illos auctores, qui non erant apostoli (cf. *Lc.* 1, 2).

3. Media transmissionis:

a) Sacra Scriptura prout nunc habetur in variis versionibus.

b) Traditio ecclesialis seu traditio viva in Ecclesia permanens (cf. pag. 16 linn. 13 ss.).

4. Tam traditio « apostolica » quam « ecclesialis » potest vocari « divina » sed diversimode.

Traditio apostolica est ipsum verbum divinum revelatum. Traditio autem ecclesialis est ea qua doctrina revelationis manifestatur in evolutione Ecclesiae seu incremento revelationis, non autem per additionem, sed per crescentiam vitalem sub influxu Spiritus Divini — sicut parva planta in arborem magnam crescit per vitalitatem interiorem.

5. Scriptura originalis et traditio apostolica in se nullo modo cadit sub magisterio Ecclesiae. Est enim fundamentum apostolorum et prophetarum super quod aedificatur Ecclesia. Scripturae autem versiones recentiores (prout nunc habemus) tam quantum ad numerum librorum quam quantum ad textum cadunt sub magisterio Ecclesiae relate ad eorum authenticitatem et interpretationem.

Similiter traditio ecclesialis cadit sub magisterio Ecclesiae, quae veram traditionem decernere debet.

Alia emendatio: pag. 17, lin. 15. Post « traditum » addatur « intactum conservandi et ».

9

EXC.MUS P. D. IOSEPH FLORIBERTUS CORNELIS
Archiepiscopus Elisabethapolitanus

In prooemium sententia pag. 5, linn. 8-13 (« Propterea... sperando amet ») aliquas difficultates movet:

1. Sententia male exstrui videtur. Ipsa enim, prout iacet, intentum Concilii esse declarat proponere universo mundo, ut credat et salvetur, non ipsam Revelationem, i. e. non ipsum Evangelium (de quo sermo erat in linn. 1-8), sed suam de divina Revelatione genuinam doctrinam. Ita doctrina circa Revelationem locum ipsius Revelationis occuparet. Tali interpretationi ansam praebere non oportet.

2. Adiectivum « genuinam » (lin. 9) adiectivo « catholicam » (T. P.) substituitur; huius substitutionis nulla ratio datur. Si nunc tandem doctrina « genuina » proponitur, numquid concludendum est doctrinam Concilii Vaticani I iam non fuisse « genuinam »?

3. Ad Concilium Vaticanum I remittitur. Sed, de facto, in decursu huius schematis, Concilium Tridentinum magnas partes habet; et ipsum ergo invocari potest.

Redactio emendata proponitur, quae duas partes sententiae ordine inverso ponit, ut prima et praecipua difficultas vitetur: « Ut autem mundus universus hoc laetum nuntium audiendo credat, credendo speret, sperando amet (1), eadem Synodus, Conciliorum Tridentini et Vaticani I inhaerens vestigiis, catholicam de divina revelatione ac de eius transmissione doctrinam proponere intendit ».

In cap. I.

I. In n. 2: pag. 5, lin. 19. Causa salutis nostrae, qua accessum ad Patrem habemus et divinae naturae consortes efficimur, reponi videtur in solo Incarnationis mysterio. In hoc contextu aliquid exspectatur de mysterio paschali redemptionis nostrae, per passionem, resurrectionem et glorificationem caelestem Domini nostri. *Proponimus* ut, post « carnem factum », addatur: « , Redemptorem in caelis exaltatum, ».

II. In n. 2: pag. 5 lin. 21 ad pag. 6 lin. 3: « *Hac itaque revelatione... invitet et admittat* ».

1. Haec propositio fere idem dicit ac propositio praecedens (linn. 9-13).

2. Haec propositio est inaccurata: *Deus invisibilis* homines admittit

in societate *cum Patre* et Filio et Spiritu Sancto. Deus invisibilis et Ss.ma Trinitas contradistingui non possunt.

3. Ex testibus biblicis qui allegantur, *nullus* est ad rem. *Proponimus* hanc sententiam omittere.

III. In n. 2: pag. 6, lin. 9. Vocabulum « *ergo* » deleatur, quia nexus consequentiae inter sententias non adest.

IV. In n. 3: pag. 6, lin. 16. Vocabulum « *in* » deleatur, et latine dicatur: « Deus qui Verbo suo omnia creavit ».

V. In n. 3: pag. 6, lin. 22. Affirmatio linn. 20-22 ex textu *Gen.* 3, 15, qui allegatur, difficile confirmari potest. Indicatio huius textus biblici melius deleretur.

VI. In n. 3: pag. 6, lin. 22. Lacuna gravis invenitur inter Adam et Abraham; nihil dicitur de generis humani historia religiosa sub hac aetate, quae momentum maximum servat pro omnibus hominibus qui nexum aliquem cum Abrahamo non habent. Tale silentium a multis difficile admittetur. *Proponimus a*) vel aliquid addere pro oeconomia salutis sub hac aetate, *b*) vel duas partes sententiae praecedentis (linn. 16-22) invertere, ita ut primum de manifestatione Dei protoparentibus facta sermo fiat, et deinde agatur de testimonio quod de seipso Deus omnibus hominibus dedit in ipsa creatione et gubernatione mundi. Haec ordinatio, de cetero, melius responderet sensui textuum Scripturae qui allegantur.

VII. In n. 4: pag. 6, lin. 37. Cum de Incarnatione nihil proprie dicitur, sententia facile saperet docetismum, ut notavit exc.mus Romero (loc. 1 oct.). Proponimus additionem: « omnes homines illuminat, homo factus, ut inter homines habitaret ».

VIII. In n. 4: pag. 7, linn. 11 s. « *numquam praeteribit* ». Ut omnis aequivocatio tollatur propositioni em.mi Landázuri cum ep. Peruv. (loc. 1 oct.) adhaeremus. Dicatur: « usque ad consummationem saeculi permanebit ».

IX. In n. 5: pag. 7, linn. 22 s. « *seu voluntarius veritati ab eo revelatae assensus* ». Hic modus actum fidei describendi nimis angustus nobis videtur; formula adhibita cum his quae in contextu dicuntur non bene consonat. *Proponimus* hunc incisum omittere.

X. In n. 6: pag. 7, lin. 33 ad pag. 8, lin. 7. Textus hoc modo exstruitur ut revelatio de veritatibus quae humanae rationi per se imperviae non sunt, i. e. revelatio suppletiva, appareat tamquam culmen totius expositionis ac totius capitis de revelatione. Talis « *anticlimax* » vix approbari potest. *Proponimus* ut eadem ordine inverso dicantur, ita ut primum sermo fiat de revelatione suppletiva, et deinde de supernaturali mysteriorum divinorum revelatione, fere hoc modo: « Confitetur quidem sacra Synodus, " Deum... cognosci posse " (cf. *Rom.* 1, 20), et eius revelationi tribuendum esse, " ut ea, quae... cognosci possint ". Divina autem revelatione per se manifestantur, ea, quae... omnino superant ».

In cap. II.

I. In n. 7: pag. 15, linn. 27-32. Id quod dicitur, alludendo ad *1 Cor.* 13, 12, de Ecclesia Deum « contemplante in speculo » aliquas difficultates movere potest. Nam *a*) in contextu *1 Cor.* 13 agitur de aliqua visione charismatica, quae in « gnosi » recipitur, et quae cum fide nullatenus confundi debet; *b*) comparatio « speculi » ex hoc contextu notam minoris aestimationis accipit, quae in schemate non convenit. *Proponimus* redactionem emendari fere hoc modo: « Sacra igitur Traditio et sacra Scriptura *Christum demonstrant,* in quo Ecclesia in terris peregrinans *videt Patrem* (*Io.* 14, 9), a quo omnia... ». (Notam magis christologicam Concilio gratam fore putamus).

II. In n. 8: pag. 16, lin. 2 « *speciali modo* » vix sufficere potest de Sacris Libris, cum idem dicere liceat etiam v. g. de definitionibus conciliaribus. *Proponimus*: praevalenter (vel eximio modo, vel praestanti modo).

III. In n. 8: pag. 16, linn. 2 s. « *continua successione* ». Haec locutio de praedicatione vix adhiberi potest: praedicatio enim praedicationi « succedere » non dicitur; sed praedicator praedicatori succedit. *Proponimus*: continua transmissione, vel: continua ministerii successione.

IV. In n. 8: pag. 16, lin. 3 « *usque ad consummationem temporum conservari* ». Hac determinatione unus tantum aspectus consideratur; alium aspectum etiam considerare oportet, scil. universitatem spatialem et expansionem missionalem. *Proponimus* ut addatur: « ... conservari et usque ad ultimum terrae ampliari debebat ».

V. In n. 8: pag. 16, lin. 5. Post *1 Cor.* 11, 23 necessaria videtur additio: « ; 15, 3 ».

VI. In n. 8: pag. 16, lin. 5. Vox « *simul* » ex menda typographica adhiberi videtur; eam emendari oportet, et ponere, sicut in textu allato: semel.

VII. In n. 8: pag. 16, lin. 7 « *sive per epistulam* ». Haec locutio hoc loco vix servari potest. In *2 Thess.* 2, 15, Paulus dicit « per epistulam », alludendo ad primam ad Thess. In schemate vero sermo fieri debet de tota Scriptura. *Proponimus*: sive per scriptum.

VIII. In n. 8: pag. 16, lin. 9 « *fidemque augendam* ». Haec locutio vix sufficere potest, cum praedicatio apostolica non tantum fidem augeat, sed eam primum suscitet. *Proponimus*: « Fidemque suscitandam et augendam ».

IX. In n. 8: pag. 16, linn. 14-19. Textus plures difficultates movet:

1. Affirmatio traditionem crescere traditorum « *intelligentia* » insufficiens videtur. Nam progressus ille non tantum in intelligentia traditorum efficitur, sed etiam, et forte primum, in tota praxi vitaque Ecclesiae: v. g. in liturgicis sacramentorum formis, in motu missionario, etc.

2. Quando de traditorum intelligentia agitur, vix sufficere potest memorandi « contemplationem credentium... » et « intimam spiritualium rerum experientiam » (linn. 15-16), nihil dicendo (ut observavit em.mus Browne, loc. 1 oct.) de theologorum laboribus, investigationibus, meditationibus. Certe, vox « contemplatio » in terminologia scholastica etiam illum laborem

significare potest; sed, dato vocabulario communi, dato etiam immediato schematis contextu, haec vox eundem doctorum laborem nullo modo de facto evocabit. Theologi quidem non sunt omnia in Ecclesia; sed non sunt nihil.

3. Quae de « intima rerum spiritualium experientia » dicuntur saltem ambigua videntur. Res iam clarior evaderet, si sermo fieret de *sanctorum* spirituali experientia.

4. In linn. 17-19, applicatio accommodatitia parabolae de fermento nimis artificiosa videtur; ibi etiam de Ecclesia dicitur hoc quod Evangelium de Deo (vel de Christo) affirmat, et ad traditionem applicatur hoc quod regnum Dei respicit.

Servari tamen debet, et forte melius in lucem poni, ordinatio *eschatologica* quae progressum traditionis imperat: progressus enim ille efficitur in exspectatione plenae et definitivae revelationis, in die quo Christus gloriam suam manifestabit cum venerit in nubibus caeli. *Proponimus* has lineas fere hoc modo retractari: « Crescit enim ex operatione Spiritus Sancti in praxi vitaque credentis et orantis Ecclesiae magis magisque manifestata; crescit etiam tam rerum quam verborum traditorum intelligentia, tum ex doctorum investigationibus et meditationibus, tum ex contemplatione credentium, qui ea conferunt in corde suo (cf. *Lc.* 2, 19 et 51), tum ex sanctorum intima spiritualium rerum experientia. Sic volventibus saeculis crescit, donec divina revelatio plene consummetur, cum Christus apparuerit in gloria ».

X. In n. 8: pag. 16, linn. 19-28. Textus etiam emendandus videtur:

1. Verba lin. 21 proposuimus ponere lin. 14: si propositio acceptatur, haec verba hoc loco repetere non oportet.

2. Linn. 22 s. locutio « *absoluta certitudine* » ab aliis aliter interpretatur, et affirmatio de facto raro verificatur. Locutionem adhiberi deberet, quae applicationem generaliorem haberet.

3. Linn. 24-25 « *Deus... cum dilecti Filii sui Sponsa colloquitur* ». Imago male sonat et aliquam admirationem movet: talia colloquia soceri cum nuro in exemplum proponere non oportet.

4. Linn. 26 et 28 « *resonare facit... inhabitari facit* ». Repetitio vitanda eiusdem verbi.

5. Lin. 27: modus quo textus *Io.* 16, 13 ad omnes credentes applicatur aliquas difficultates movere potest, et non concordat cum modo quo idem textus interpretatur in n. 20 (pag. 39, linn. 7-9: de apostolis tantum). Cf. animadversionem exc.mi Morcillo (loc. 1 oct.). *Proponimus* has lineas retractari fere hoc modo: « Per eandem traditionem, cuius Sanctorum Patrum dicta vivificam testificantur praesentiam, et ipsae Sacrae Litterae *clarius* innotescunt, in eaque indesinenter actuosae redduntur. Sic Deus, qui olim locutus est, sine intermissione cum *populo suo* colloquitur, et Spiritus Sanctus, qui vivam vocem Evangelii in Ecclesia, et per ipsam in mundo resonare tribuit, *eandem Ecclesiam* in omnem veritatem inducit (cf. *Io.* 16, 13),

atque verbum Christi *in credentibus* abundanter inhabitare facit (cf. *Col.* 3, 16) ».

XI. In n. 9: pag. 16, linn. 34-40 « *Etenim S. Scriptura... transmissa* ». Ex hac propositione difficultates multae et magnae exsurgunt:

1. In hac sententia, quae nova est, ad argumentum reditur quod iam in n. 7 propositum est, et modo quidem valde meliori. Necessitas huius additionis non apparet.

2. S. Scriptura definitur « *locutio Dei quatenus divino afflante Spiritu scripto consignata* ». Haec definitio nimis angusta videtur, et vix cohaeret cum his quae de revelatione in n. 2 proponuntur. Modus nimis scholasticus revelationem scripturisticam concipiendi et declarandi hic manifestatur.

3. S. Traditio, quatenus contradistincta a S. Scriptura, definitur « *mens, doctrina, exempla et mandata Christi... fideliter transmissa* ». Ex modo dicendi facile concluderetur S. Scripturam « mentem, doctrinam, exempla et mandata Christi » non transmittere. Adest saltem quaedam ambiguitas in modo loquendi.

4. In hac comparatione S. Scripturae cum S. Traditione, S. Scriptura refertur *ad Deum,* traditio vero *ad Christum.* Et ita dirimitur modo negativo quaestio *de radice* traditionis christianae in traditione populi israelitici. Solutio non tantum negativa, sed falsa: nam ipse Dominus et ipsi apostoli legunt libros sacros Veteris Testamenti intra vivam populi israelitici traditionem.

5. Difficultas maioris momenti venit *ex oppositione,* quae necessario involvitur in comparatione in his lineis instituta. Talis oppositio prudenter in n. 7 vitabatur, ubi unitas fundamentalis traditionis et Scripturae extollebatur. Locus vero de quo agitur loquitur practice de Scriptura et traditione sicut *de duobus fontibus realiter distinctis,* quorum concordia ut mere extrinseca apparet. Hic apparet theoria « duorum fontium », quam Concilium consecrare noluit.

Proponimus ergo ut sententia linn. 34-40, utut inutilis et multas difficultates inducens (quas indicavimus, quasque alii Patres in aula indicaverunt), simpliciter omittatur.

XII. In n. 10: pag. 17, lin. 16. Verba « *et infallibili* » difficultatem hoc loco inducunt, ubi de authentico Ecclesiae magisterio sermo est: videretur enim quod omnis authentica magisterii interpretatio esset infallibilis, aut quod magisterium quandam authenticam interpretationem traderet tantummodo in casibus, rarissime evenientibus, ubi infallibiliter de aliquo Scripturae textu pronuntiat. Utraque conclusio esset evidenter falsa, una per excessum, altera per defectum. *Proponimus* ut illa verba deleantur.

XIII. In n. 10: pag. 17, linn. 17-19 « *per quod suprema auctoritas... est constituta* ». Dicere non licet per magisterium supremam auctoritatem in Ecclesia constitui, ac si magisterium esset causa supremae auctoritatis, non ipsa suprema auctoritas. *Proponimus* ut dicatur: « Quod ut suprema auctoritas... est constitutum ».

XIV. In n. 10: pag. 17, linn. 24-26 « *ac ea omnia ex hoc uno fidei deposito haurit quae tamquam divinitus revelata credenda proponit* ».

1. Haec incisa nihil, quoad rem, iis quae lineis praecedentibus iam dicta sunt addit: sub hoc respectu « reali » necessaria non videtur.

2. Sub respectu « formali », modus rem proponendi difficultatem movet: depositum enim fidei hic describitur ut quidam thesaurus, soli Magisterio reservatus, quod in illo, sicut in aliqua propositionum collectione, ea haurit quae credenda proponit (i. e., de facto, veritates credendae). In hac incisa (ex textu anteriori deprompta) sese manifestat modus fontes revelationes concipiendi tamquam collectiones propositionum verarum, quae de caelo hominibus advenerunt. In nova autem redactione, talis modus concipiendi generatim vitatur, et vitandus videtur.

3. Alia difficultas exsurgit ex eo quod munus Magisterii ad propositionem earum quae credenda sunt limitatur. In hoc contextu, ubi de illo munere in genere sermo fit, vix omitti posset additio: « ... credenda *et ad vitam applicanda* ». Fides a moribus separari nequit. *Proponimus* ut incisa linn. 24-26 omittatur.

Si quid addendum videatur, recogitari posset formula quae in actis commissionis mixtae invenitur. Diceretur (inde a lin. 22): « ... et Spiritu Sancto assistente, pie audit, pure custodit, fideliter exponit omnibusque credendum annuntiat ».

In cap. III.

I. In n. 11: pag. 27, lin. 13. Propositioni em.mi card. König (loc. 1 oct.) adhaeremus, scil. ut post « utentes » addatur: « ... utentes, eorum limitibus non obstantibus, adhibuit... ». Ut limites auctorum sacrorum expresse agnoscantur.

II. In n. 11: pag. 27, lin. 20. Duo sunt animadvertenda:

1. In locum verbi « *docere* » relatio (pag. 30, sub H) substituere vult verbum *exhibere*. Talis substitutio nullo modo placeret. Nam ex hac substitutione aliquid *falsum* affirmaretur. In sua enim ad Patres oratione diei 1 oct., em.mus card. König iure ostendit et contendit S. Scripturam errores de facto *exhibere*. Verum quidem est, quod Scriptura illos errores *non docet*. Aliis verbis: si textus sacer materialiter consideratur, adsunt errores; si vero intentio, qua libri sacri conscripti sunt, conspicitur, errores non docentur.

2. Expressio « *sine ullo errore* » non est tantum mere negativa, sed etiam ambigua, ut idem em.mus orator ostendit. Multum iuvaret rem proponi modo claro et positivo.

Adhaeremus ergo emendationi em.mi card. König: « ... veritatem integre, inconcusse et fideliter docere profitendi sunt ».

In cap. IV.

I In n. 16: pag. 34, lin. 20. Loco *Rom.* 8, 2. 3 ponatur: *Rom.* 8, 2-4; *2 Cor.* 3, 14.

II. In n. 16: pag. 34, linn. 16-20, iure declaratur Vetus Testamentum ex Novo significationem suam completam acquirere; et ideo Novum Testamentum necessarium esse, ut verus sensus Veteris Testamenti intelligatur. Sed nefas videtur veritatem complementariam sub silentio praeteriri, et unum aspectum realitatis tantum considerari; nam verum etiam est Vetus Testamentum necessarium remanere ut revelatio Novi Testamenti plene intelligatur, ex eo quod una pars Revelationis sine altera ut membrum amputatum appareret.

Oporteret ergo ut aliquid lin. 20 adderetur, hoc vel simili modo: « ... et ostendunt; libri autem Novi Testamenti revelationem Veteris Testamenti semper supponunt ab eaque collustrantur ».

In cap. V.

I. In n. 17: pag. 37, linn. 1-15. Hic articulus momentum *christologicum* revelationis evangelicae extollit: Christus « Seipsum manifestavit » (linn. 6-7), « omnia ad Seipsum traxit » (linn. 8-9), quippe qui « solus verba vitae aeternae habet » (lin. 9); fides nostra ergo definitur « in Iesum Christum ac Dominum » (linn. 12-13). *Spiritus Sanctus* commemoratur linn. 8 et 11. Difficultas ex eo surgere potest quod *de Deo,* scil. *de Patre,* nihil in textu invenitur, nisi locutio « Regnum Dei » (lin. 6). Difficultas urgetur ex comparatione cum capite praecedenti: videretur enim quod Deus vivus et verus in Vetere Testamento revelatus est, ad quam revelationem Novum Testamentum nihil addit de ipso Deo, sed tantum de Christo. Conclusio certe falsa, cui ansam praebere non oportet. In Evangelio enim, Iesus semper fere de Deo loquitur, multo fusius et saepius quam de seipso: loquitur de misericordia Dei, de eiusdem consiliis salutiferis, de eiusdem voluntate, etc. Revelatio ipsius Filii a revelatione Patris disiungi non potest (cf. *Mt.* 11, 27). Ipse Dominus declarat: « (Pater,) manifestavi nomen *tuum* hominibus, quos dedisti mihi de mundo » (*Io.* 17, 6).

Proponimus duas parvas mutationes, ut « Deus » ex hoc textu non excludatur:

1. Linn. 6-7: factis et verbis seipsum *simul ac Deum Patrem suum* manifestavit.

2. Linn. 10-11: loco « revelatum est » (ubi vox passiva verbi modo iudaico adhibetur, ubi de Deo agitur) dicatur ad sensum: *Deus revelavit.*

II. In n. 19: pag. 38, linn. 20-22. Verba et sensus Instructionis *Sancta Mater Ecclesia* accuratius serventur oportet, quia de re maximi momenti agitur: ... vel iam scripto traditis selegen*tes,* quaedam in synthesim redigen*tes,* quaedam, ad statum Ecclesiarum attendendo, *explanantes,* formam *denique* praeconii retinen*tes*, ita... *N.B.* Omissio verbi « explanantes » facile consideretur ut correctio (et quidem valde inopportuna) declarationis Commissionis Biblicae.

III. In n. 19: pag. 38, linn. 23-24: « ita semper ut non ficta, ex creatrici potentia primaevae communitatis promanantia, sed vera... ».

1. Circa formulam *negativam* (« non ficta... ») videatur nota (A) huius articuli (pag. 41), ubi intentio commissionis optime declaratur: « Selecta est autem forma dicendi *positiva* potius quam adversativa ». Optare liceat hanc intentionem in praxim deduci.

2. Haec formula negativa sonat ut condemnatio. Et quaestio immediate oritur: Quis, vel quid praecise, condemnatur? Necessario recordabitur exegeta protestans R. Bultmann. Adestne vera utilitas et opportunitas hunc exegetam protestantem condemnandi? Si vero de aliquo vel de aliquibus exegetis catholicis agitur, res modo clariori exponatur, ne suspicio super omnes cadat.

3. De cetero, videtur quod condemnationes et anathemata pronuntiare non est in intentione Concilii.

Proponitur ergo ut determinationes negativae omittantur (« non ficta, ex creatrici potentia primaevae communitatis promanantia, sed »), et simpliciter formulae positivae retineantur: ... ita semper ut vera et sincera de Iesu...

IV. In n. 20: pag. 39, lin. 2 « Ecclesiae institutio ». Verbum « institutio » in hoc contextu aliquam mirationem movet. De cetero « institutio » Ecclesiae iam in Evangelio invenitur. Proponimus: « Ecclesiae initia ».

[*Subsignavit etiam*] Godefridus Dayez, abb. praes. Congr. Belg. O.S.B.

10

EXC.MUS P. D. VICTORIUS M. COSTANTINI

Episcopus Suessanus

Cap. III placet: subsidia interpretationis ceteraque sufficienter exponit.

In n. 11, de facto inspirationis agente, doctrina bene exponitur.

Ad difficultates vero praecavendas quaedam verba addenda esse censemus, in pag. 27, ultimis lineis, inde a 18, ubi dicitur: « inde Scripturae libri integri cum omnibus suis partibus veritatem sine ullo errore docere profitendi sunt »; opportune in paenultima linea dici posset: « veritatem *ad fidem et mores spectantem,* sine ullo errore docere profitendi sunt ». Nam, e. g. systema cosmographicum quod innuitur in S. Scriptura (e. g. in psalmis), item et animalium aliquorum habitudines quae minime realitati respondent, non sunt a Deo revelata per se, quia Dominus non geographiam vel zoologiam voluit docere, sed tantum religiosas veritates. Ceterum aliis verbis id innuitur etiam in n. 12, pag. 28, linn. 15-20.

Quoad S. Scripturae *interpretationem,* validae sunt normae quae recentem exegesim respiciunt et declarationes de modis loquendi librorum Sacrorum, captui hominum accommodatis.

Proinde etiam quae in n. 12, pagg. 27 et 28 (quamvis saepius lingua latina involuta exponantur), recipi possunt et probari.

Animadversiones quasdam relate ad exegesim apponere vel saltem fusiori modo innuere non inutile putamus.

Etenim neminem latet interdum divulgari (utique a minus peritis exegetis vel etiam a nescientibus) quasdam adfirmationes quae anxietates non paucas et in fidelibus et in ipsis sacerdotibus causant.

Nec ista pastoralis sollicitudo phantastica vel exaggerata reputetur. Nam ipsa Instructio Pontificii Consilii studiis biblicis provehendis, data die 21 aprilis 1964 (vide *A.A.S.,* in n. 11, die 31 augusti 1964, pp. 712 ss. Vide etiam pulcherrima commentaria quae isti documento facta sunt ab em.mo card. Bea in ephemeride *Civiltà Cattolica,* 1964, II, pp. 417-436 et pp. 526-545, Quaderni 2735 et 2736 relate ad historicitatem Evangeliorum), sub n. 1, pericula denunciat claris hisce verbis: « Quidam huius methodi fautores praeiudicatis opinionibus rationalismi abducti, supernaturalis ordinis existentiam et Dei personalis in mundo interventum, ope revelationis proprie dictae factum, miraculorum et prophetiarum possibilitatem et existentiam agnoscere renuunt. Alii e falsa notione fidei procedunt ac si ipsa veritatem historicam non curet, immo cum eadem componi non posset. Alii historicam vim et indolem documentorum revelationis quasi a priori negant, etc. ».

Ideo et Summus Pontifex Paulus VI, in allocutione habita die 25 septembris, huius anni, ad rerum biblicarum cultores, qui interfuerant XVIII hebdomadae Biblicae, in mentem audientium revocavit documenta Leonis XIII et Pii XII (scil. *Providentissimus Deus* et *Divino Afflante Spiritu*) nec non praefatam recentem Instructionem Pontificii Consilii studiis Bibliorum provehendis (cf. *L'Osservatore Romano,* domenica 27 settembre n. 224, p. 2).

In nuper dicta allocutione Summus Pontifex, merito laudans operositatem cultorum S. Scripturae, hisce verbis eosdem alloquitur: « Ci fa felici lo spirito, con cui attendete all'operosità di tanto merito e di tanta difficoltà, desiderosi come siete di perfezionare la scienza dei Libri Sacri, *non già per demolirne l'autorità,* ma per ricercarvi la verità della parola di Dio » etc.

Non inopportune ergo praefatae S. Ecclesiae hortationes ad studia facienda, cum libertate et fiducia, simul ac debitis cautelis breviter revocari possunt etiam in hoc capite, cum de modo quo S. Scripturae interpretandae sunt hic agatur.

Haec praesertim ad mentem revocari necessario reputamus:

1. Investigationes quae hodie laudabiliter fiunt, praesertim quando de Novo Testamento agitur, non sint alienae et eo minus *contrariae veritatibus* quae iam per saecula certe et pacifice in Ecclesia tamquam divinitus revelata recipiebantur et docebantur.

Nam studia biblica non tantum novas veritates revelatas invenire debent quantum novis et clarioribus argumentis Sacram Scripturam explanare, ut cognitio hominum in veritatibus revelatis iugem progressum habeat. Id praefata Instructio sat claris verbis docet: « Exegeta catholicus, ductu Ecclesiae, utilitates capiat ex omnibus quae priores interpretes, praesertim SS. Patres Doctoresque Ecclesiae, ad intelligendum sacrum textum contule-

runt, eorumque labores ulterius persequatur » (Instruct. citata, *A.A.S.*, p. 713, n. 1). Propterea iuxta eamdem Instructionem: « ... a novitatibus futilibus vel non satis probatis, proponendis, prorsus abstineant. Opiniones novas, iam solide probatas, si necesse est, caute, ratione habita auditorum, exponant » (*ibid.*). Quapropter reprobandum est supercilium aliquorum tyronorum exegetarum, qui taliter loquuntur, nimis in hodiernis subsidiis biblicis confisi, vel docere autumant, veluti si per XX ferme saecula nemo S. Scripturas recte intellexerit, et Spiritus Sanctus oblitus esset Christi Ecclesiam adsistere eamque docere de recta S. Scripturae interpretatione; quod nimis videtur.

2. Semper sarta et tecta sit et doceatur aperte historicitas Evangeliorum non tantum summario modo intellecta, verum — ut ita dicam — specifico modo et in individuo, praesertim quando agitur de narrationibus infantiam D. N. Iesu Christi attingentibus.

Citata allocutio S. Pontificis, diei 25 septembris, id pariter clare revocat: « Mentre si onorano gli sforzi dell'esegesi moderna per una sempre migliore intelligenza e valutazione dei Sacri Testi, se ne indicano insieme i pericoli ed i limiti, e si difende in modo speciale con calma e vigorosa chiarezza la verità storica dei SS. Vangeli » (*L'Osservatore Romano,* l. c.).

3. Magni fiant ab omnibus quae dicuntur in hoc capite, pag. 28, linn. 21 ss., ut omnes attendat ad contextum ipsius S. Scripturae. Ceterum neminem latet S. Scripturae Librum divinum esse, ergo semper cum reverentia et devotione accedendum est ad verbum Domini... veluti Moyses qui, tantum detractis calceis, ad rubum ardentem accessit.

4. Suprema demum Ecclesiae auctoritatis semper attendatur, quae Spiritus Sancti influxu, in omnibus quae ad fidem et salvationem hominum dirigitur.

Non videtur ergo nimis extollendam esse transcendentiam S. Scripturae relate ad Ecclesiae magisterium. Nam in ordine ontologico, seu essendi, certissime S. Scriptura transcendit magisterium, quia verbum Domini est, immo in quo et ipsum magisterium Ecclesiae fundatur. At in ordine logico, seu cognitionis, magisterium transcendit ipsam S. Scripturam quia (nova non revelans, magisterium) ad sancte et recte intelligenda illa quae a Domino revelata sunt — et in deposito revelationis contenta sunt — omnes adducit.

Haec putamus momentum pastorale multum habere ut exegetae animentur ad prosequenda studia pretiosa stimulentur, simulque avertantur, quae confusionem ingerere possent in Ecclesia.

In cap. IV.

Pauca et non magni momenti animadvertere putamus:

In pag. 34, linn. 6 ss. Quae de lectione V. T. dicuntur vera sunt et commendanda, at videtur saepe saepius ex V. T. magis iustitiam divinam elucescere quam misericordiam.

In eadem pag. linn. 18 ss. Non videtur quod revelata in V. T. in Novo acquirant « completam significationem »; nam facta iam patrata sunt; attamen meliorem certissime acquirunt intelligentiam, scil. melius cognoscuntur, praesertim prophetica, quae ex adimpletione clariore luce induunt.

In cap. V.

Pag. 37, lin. 9. Non adhuc Christus omnia traxit ad semetipsum, sed in via est ut trahat quia adhuc efformanda est mensura aetatis plenitudinis Christi.

Eadem pag. n. 17, linn. 13-15. Non opportunum est, nec certum id quod dicitur scil.: « Quarum *omnium* rerum scripta N. T. extant testimonium perenne atque divinum. Sunt autem testimonium perenne et divinum, sed non *omnium,* ipso S. Ioanne hoc fatente.

Eadem pag. in lin. 26, auferantur verba « et apostolici viri », vel adnotatio in ipso textu ponatur revelationem non protrahi post mortem apostolorum. Progressus vero cognitionis, praesertim ope Spiritus Sancti, semper erit.

In pag. 38, n. 19, linn. 18 ss. Sensus clarus sufficienter invenitur, sed cur numquam verbum « historice » adhibetur? An et Evangelia et Act. Ap. libri historici non sunt?

Ibidem, linn. 28-30, dicitur ut cognoscamus eorum verborum de quibus eruditi sumus veritatem; forsan conceptus clariores essent si diceretur quod illis verbis Christi Domini cognoscimus veritatem.

In cap. VI.

In pag. 43, in lin. 6, post verba: « ... postea vero per Dei voluntatem in Scripturis... » adiungatur « *etiam* nobis tradiderunt, etc. ».

Item, eadem pag. 43, linn. 20 ss. ubi dicitur: « Omnis ergo praedicatio ecclesiastica atque ipsa religio christiana ad Scripturam semper respicere debent tamquam ad normam et auctoritatem, quibus reguntur et iudicantur » cum propositio sit adfirmativa et universalis, est repleta sapore protestantico; quia praedicatio (et non omnis!) et religio christiana, etc. ... non tantum ad Scripturam sed ad totam revelationem, cuius *cognitio* in vita Ecclesiae quotidie crescit per Spiritus Sancti adsistentiam, praesertim per magisterium ordinarium et extraordinarium ipsius Ecclesiae. Ergo saltem post verbum « Christiana » in lin. 21 ponatur verbum « praesertim ».

In fol. 45, lin. 28: auferantur verba « praesertim sodales religiosos » talia enim verba canuntur extra chorum; quia religiosi, cuiuscumque Ordinis vel Congregationis sint, ex regulis habent saltem in mensa iugem lectionem S. Scripturae; forsan quibusdam aliis verba S. Hieronymi tribuenda sunt... Proinde vel ad omnes christianos applicantur... et parum laudabile videtur, vel consulto auferantur quod laudabilius certe erit.

11

EXC.MUS P. D. IOANNES B. DA MOTA E ALBUQUERQUE

Archiepiscopus Victoriensis Spiritus S.

Patres Conciliares Brasilienses nonnulli iudicium scripto rogaverunt a Pontificio Instituto Biblico, Romae, circa schema *de divina revelatione.*

Iudicium hoc, quod in adnexis paginis legitur, nostrum quoque et proprium facimus, atque petimus ut in emendatione textus praefati schematis in omni consideratione habeatur.

Observationes aliquae in schema constitutionis de divina revelatione ab aliquibus Professoribus Pontificii Instituti Biblici factae ad usum exc.morum et rev.morum DD. episcoporum Brasiliae.

Invitationi honorificae rev.morum et exc.morum DD. respondentes, sequens nostrum modestum iudicium circa schema *de divina revelatione* proponere audemus.

1. Schema refectum valde placet, et haud dubium quin mentem et placita maioris partis Patrum conciliarium nunc exprimat. Doctrinam firmam, profundam, bene perpensam proponit, tractat quaestiones et problemata hodie maxime agitata, utitur lingua scripturistica non nimis scholastica, modo pacato et spiritu oecumenico doctrinam Ecclesiae aperit et pandit.

Nihil substantiale nobis apparet esse sive demendum sive addendum. Aliquae tamen mutationes, sive ad doctrinam magis clarificandam sive ad quosdam parvos defectus tollendos, nobis opportunae videntur, quas hic placet proponere.

2. Ad pag. 6, linn. 20 ss.: « quos post lapsum in spem salutis erexit, redemptione promissa (cf. *Gen.* 3, 15) ». In contextu ubi percontatur *historia* divinae actionis in genus humanum, propositiones supra citatae videntur omnino nimis affirmare. Alia res est intelligentia quam nunc, post Christi adventum et eius opus salutiferum, nos christiani possumus habere antiquarum prophetiarum et praefigurationum obscurarum; alia autem, sensus quem iam intelligebant auctores inspirati suo tempore; alia denique comprehensio quam in historica realitate protoparentes ipsi potuerunt habere divinae voluntatis. Textus *Gen.* 3, 15 *in se sumptus*, originali suo contextu, vix potest intelligi ut dans « spem salutis » seu promissionem redemptionis. Ut stat, annuntiat tantum inimicitias inter diabolum et genus humanum, et forte futuram praevalentiam hominum subobscure indicat, scil. ex contrastu inter caput et calcaneum. Per totum reliquum Vetus Testamentum valor propheticus huius textus ignorabatur. Evolutio virtualitatum in eo utique contentarum nonnisi per revelationem christianam facta est. Inde eius interpretatio seu intelligentia christiana, utique rectissima et pretiosissima, non est ascribenda auctori inspirato, et multo minus ipsis protoparentibus. Melius inde omitteretur tota phrasis citata.

3. Ad pag. 7, lin. 22: « seu voluntarius veritati ab eo revelatae as-

sensus ». Haec definitio fidei nimis sapit ipsum conceptualismum propter quem (secundum notam 2 pag. 9) prius schema reprobatum est. Secundum formulam immediate praecedentem (Concilii Vaticani I), fides est « *Deo...* obsequium ». « *Veritati...* assensus » est formula scholastica quae nimis coarctat conceptum fidei. Melius omitteretur.

4. Ad pag. 16, linn. 22 s.: « Sacrae Litterae... innotescunt ». Si, ut videtur, agitur hic de quaestione *quinam sint* libri inspirati qui verbum Dei et continent et sunt, omnino adhibenda est, claritatis causa, vox « canon ». Dicendum esset: « Per eandem traditionem et ipse canon Sacrarum Litterarum Ecclesiae innotuit, in eaque indesinenter... ». Omittendum esset « absoluta certitudine », tum quia nimis rethoricam sapit, tum quia per plura saecula aliqua incertitudo regnabat in Ecclesia circa limites canonis. Absoluta certitudo attenta est solummodo decreto Concilii Tridentini.

Si econtra, ad mentem notae M b, pag. 22, « innotescunt » se refert (inepte quidem) ad intelligentiam textus, talis affirmatio debet restringi ad sensum *generalem* Sacrae Scripturae, vel etiam ad res fidei et morum; perplura enim sunt (*dettagli*) quorum sensus *non* determinatus est a traditione. Utique semper adsunt Ecclesiae ius et potestas quaelibet etiam minutissima determinandi, quando placeat; sed hucusque in paucissimis tantum locis talis determinatio facta est. Secus omne studium scientificum exegetarum circa res discussas vanum esset et inutile.

5. Ad pag. 17 linn. 15 s.: « authentice... infallibili ». Non est clarum quomodo intelligendum sit « authentice ». Si idem vult ac « cum auctoritate cui submissio debetur », tunc melius non ad magisterium *ut infallibile* provocetur, siquidem Ecclesia bene potest edere (et aliquando edidit) decisiones prudentes et constringentes quae tamen non sint irreformabiles, inde non infallibiles. Si econtra « authentice » idem sonat ac « cum infallibili veritate », hoc tam raro evenit ut clausula videatur indebite minuere munus interpretativum Ecclesiae.

6. Ad pag. 27 lin. 20: « docere [exhibere] » cf. pag. 30 notam H. Omnino retinendum vel restituendum videtur verbum « docere », loco « exhibere ». Non pauca *exhibentur* sive exprimuntur ab hagiographis, praesertim in Vetere Testamento, quae utique censenda sunt errores. Sufficiat in memoriam revocare antiquam cosmologiam, motum solis circa terram, massam aquarum super caelos stantem, et alia multa eiusmodi. Neque hic appellandum est ad quoddam genus litterarium quasi ageretur de speciali modo loquendi; revera antiqui illi homines firmiter *credebant* in talem cosmologiam. Haec et similia in libris inspiratis utique exprimunt et exhibent; attamen non *docent*.

7. Ad pag. 38 linn. 20 ss.: « selegendo, ... attendendo ». Infelici modo ista citatio ex Instructione *Sancta Mater Ecclesia,* data a Pontificia Commissione Biblica, modificata est et obtruncata. Ultimum « quaedam » relictum est sine regente. Exactius reproducenda est phrasis, et vox « explanantes » omnino est conservanda. Melius dicendum esset: « Auctores autem

sacri quattuor Evangelia conscripserunt, quaedam e multis vel ore vel iam scripto traditis selegentes, quaedam in synthesim redigentes, quaedam, ad statum ecclesiarum attendendo, explanantes, formam denique praeconii retinentes, ita semper ut... ».

8. Ad pag. 44 linn. 33 ss.: « Sacra Synodus... pergant ». Ex duplici aspectu haec periodus minus felix apparet. Primo, secundum notam A pag. 48, in laudem muneris exegetarum dirigenda erat, sed duplex restrictio apposita, praesertim illa « eiusque doctrinae et normis fideliter obsequuntur », suspicionem potius quam laudem exegetis importare videtur. Ex alia parte, phrasis praecedens « quotquot devoti sunt Ecclesiae filii », qua laus implicite denegatur exegetis non-catholicis, offensioni esse possit aliquibus sinceris doctoribus christianis, quorum labores de facto proficui exstiterunt etiam catholicis.

* * *

Speciatim quoad cap. III, nn. 11 et 12, proponuntur tres correctiones sequentes:

1. N. 11, in titulo inter uncos, linn. 1-2, loco « Statuitur factum inspirationis et *inerrantiae* S. Scripturae », petitur ut ponatur formula positiva « Statuitur factum inspirationis et *veritatis* S. Scripturae ».

2. *Ibid.*, linn. 11-21: petitur ut linn. 11-21, a verbis « In sacris vero... » usque ad finem « ... profitendi sunt », simpliciter substituantur per pauca verba (post voces « ... traditi sunt », lin. 11, adiungenda): « Ideo Sacra Scriptura veritatem seu revelationem sine errore continet », quae formula fere ad litteram desumitur ex Concilio Vaticano I.

Si vero nimia videtur illa suppressio linearum 11-21 per concisa verba substituta, petitur ut saltem immutetur finis paragraphi (linn. 20-21) in hunc sensum: « ... veritatem seu revelationem sine errore continere profitendi sunt ».

3. N. 12, pag. 28, lin. 8, proponitur ut supprimatur « Veritas enim seu » et simpliciter incipiatur per verba « id quod sacer auctor... ».

Rationes petitionis emendationum.

Ad 1. Ut plures Patres in hoc Concilio iam proposuerunt (inter quos em.mus card. König), melius esset non usurpare vocem « inerrantia », quae sub formula negativa proponit aliquid quod revera constituit privilegium *positivum* Sacrae Scripturae, et quae nimis redolet polemicam contra rationalistas, qui contendebant inveniri errores in libris sacris. Melius adhiberetur vox « veritas », quae saepe occurrit tum in ipsa Sacra Scriptura tum in traditione.

De hoc puncto consuli potest articulus Dom. P. Grelot, *La vérité de l'Ecriture,* in « Nouv. rev. théol. », 85 (1963), pp. 802 ss.

Ad 2. Haec mutatio proponitur ut clarius ostendatur id quod sancitur charismate inspirationis reapse esse verbum Dei, *quod et in quantum homi-*

nibus communicat divinam revelationem. Ceteroquin, sic resumeretur doctrina Concilii Vaticani I, qui dixit libros sacros continere « *revelationem* sine errore » (DENZ. 1789): in hac formula, vox « error » clare contraponitur « revelationi », et non qualicumque veritati exactae qualis indagatur a peritis historiae profanae vel ab iis qui scientiis positivis incumbunt.

Praeterea, in ipso hoc Concilio Vaticano II, exc. D. Simons (die 5 oct. 1964, in III sessione) recte omnino notavit parallelismum inter casum inerrantiae et casum generaliorem infallibilitatis Ecclesiae, et in memoriam revocavit propositionem in hoc Concilio iam approbatam (suffragatione 26, cap. III *de Ecclesia*): « Infallibilitas qua Divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide et moribus instructam esse voluit, *tantum patet quantum divinae revelationis depositum,* sancte custodiendum et fideliter exponendum ». Similiter dicendum est: « *veritas* » (*seu inerrantia*) *Sacrae Scripturae tantum patet quantum ipsa revelatio quae in ipsa continetur.*

Ulterius explicantur rationes emendationum propositarum. Correctiones supra indicatae propositae sunt, quia textus schematis non sufficienter dicit quid sit obiectum formale ac scopus proprius inspirationis, ac proinde non bene ostendit quisnam sit sensus genuinus doctrinae traditionis de « veritate » Sacrae Scripturae.

Ex Concilio Vaticano I (DENZ. 1787, 1792) clare eruitur libros Sacrae Scripturae a Spiritu Sancto ad hoc inspiratos esse ut, simul cum traditione, « supernaturalem revelationem » communicent. Iamvero, revelatio semper aliquo modo connectitur cum consilio Dei salvifico; omnia quae Deus revelavit necessario respectum aliquem habent ad salutem; nam recte iam dicebat S. Augustinus (relate ad explorationem naturae) « Spiritum Dei qui per ipsos (scil. scriptores sacros) loquebatur, noluisse ista docere hominibus, *nulli saluti profutura* » (*De Gen. ad litt.,* 2, 9, 20: *PL* 34, 270; *Ench. bibl.,* 121).

Talis revelatio consilii Dei salvifici, in Christo adimpleta et per Spiritum Sanctum in Ecclesia actuata et explicitata, praecise illud est quod in libris sacris, praesertim Novi Testamenti, vocatur *veritas.* Id quod apostoli veritatem vocant est verbum Dei (cf. *1 Io.,* 1, 8 et 10) seu « evangelium salutis vestrae » (*Eph.,* 1, 13; cf. etiam *2 Cor.,* 4, 2). « Veritas » illud est quod credi debet ad salutem consequendam (*2 Thess.,* 2, 10. 12). Talis notio *theologica* veritatis accurate distinguenda est a notione veritatis quae in usu est apud historiographos *profanos.*

Ex his melius perspicitur quo sensu intelligendum sit Sacram Scripturam continere « veritatem sine errore ». Tale effatum, quod cum tota traditione ut rectum tenendum est, non directe significat narrationes librorum sacrorum semper *exacte* illud narrare quod in factis historicis accidit, et quomodo ibi acciderit (tali modo, proh dolor, saepe intelligitur inerrantia, sed perperam); sed significat Sacrae Scripturae libros integros « cum omnibus suis partibus » nobis communicare *veritatem revelatam,* singulos pro parte sua (non tantum « doctrinam », sed revelationem in actibus et in verbis); aliis

verbis, ubique in Sacra Scriptura nobis aliquo modo revelatur et innotescit Deus salutaris. Si hoc sensu intelligitur, nulla omnino restrictio facienda est in doctrina de « inerrantia ».

Accurate ergo vitanda est confusio inter « veritatem » librorum sacrorum et « historicitatem » eventuum quos narrant. Sane, historicitas eventuum, multis in casibus, potest constituere et revera constituit ipsum obiectum « veritatis » Sacrae Scripturae (quae continet revelationem *historicam*), quando scil. eventus illi directe connectuntur cum revelatione et opere salutis. Sed aliis in casibus plura inveniri possunt in libris sacris et revera inveniuntur, quae sub aspectu strictae historicitatis neque vera neque exacta sunt, uti omnes nunc bene scimus! At, etiam in illis casibus, non ruit illarum narrationum « veritas », sensu supra exposito. Etenim, narrationes illae integrum suum momentum doctrinale et theologicum servant, in quantum nobis patefaciunt aliquem aspectum consilii salvifici Dei. Illud praecise est quod auctores sacri nobis communicare voluerunt, et quod proinde formaliter constituit « veritatem » eventuum quos narrant.

Uti dictum est supra (pag. 1, ad 2), casus inerrantiae parallelus est cum casu infallibilitatis Ecclesiae, ac proin ratio formalis propter quam Sacra Scriptura continet « veritatem sine errore » est quod continet divinam revelationem. Si ergo in libris sacris assertiones inveniuntur quae sub aspectu strictae historicitatis verae non sunt, illae non sanciuntur charismate inspirationis relate ad hunc aspectum historicitatis exactae. Attamen, etiam in illis casibus, assertiones illae « veritatem » suam habent, in quantum exponunt divinam revelationem vel cum ea connectuntur. Exemplo sit genealogia Christi in S. Matthaeo (*Mt.* 1, 1-17), ubi clare asseritur inter Abraham et Iesum habitas esse tres series quattuordecim generationum: *sub aspectu historico,* hoc certe verum non est (et non requiritur auctorem sacrum de hoc conscium fuisse); at omnino « verum » manet relate ad intentionem auctoris, qui tali modo nobis patefacere voluit messianitatem davidicam Iesu (cf. de hoc J. Dupont, *La genealogia di Gesù secondo Matteo 1, 1-17,* in « Bibbia e Oriente », 1962, 1-6).

Conclusio. Criterium veritatis Sacrae Scripturae non est illa accurata adaequatio cum factis praeteritis, quam periti scientiae historicae profanae obtinere conantur, sed est *intentio auctoris inspirati,* quae semper aliquo modo se refert ad *revelationem salutis.*

4. N. 12, pag. 28, lin. 14: post praecedentem sollemnem attestationem inerrantiae, inutile et nocivum videtur insistere in n. 12, linn. 14-20. Ideo praefatae linn. 14-20 simpliciter supprimantur a verbis « Cum haec omnia... » usque ad finem « ... minime officiunt ».

Quoad cap. IV, *de Vetere Testamento.* Proponitur ut in cap. IV, *de Vetere Testamento,* ad finem, n. 16, pag. 34, lin. 20, omnino addatur « ... et vicissim Novum Testamentum illuminant et explicant ». *Ratio*: haec est enim doctrina et praxis Ecclesiae, inde a die Resurrectionis, cum ipse Chri-

stus mysterium paschale exponebat interpretando « in omnibus Scripturis quae de ipso erant » (*Lc.* 24, 27; cf. 45). Haec Patres, haec theologi, haec liturgia praestarunt. Ideo nequit in textu conciliari omitti.

12

EXC.MUS P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER

Episcopus Camposinus

Ad n. 2, pag. 6, lin. 9. Post terminum « elucident » addatur: « Gesta autem eatenus obiectum fidei esse possunt, quatenus per verbum seu locutiones Dei, in quibus tota fulcitur fides nostra, transmittuntur ». *Ratio*: revelatio est « locutio » Dei ad homines (cf. Conc. Vat. I, DENZ. 1785; *Hebr.* 1, 1 ss.). Idcirco fides stricte dicta, ut obiectum, nonnisi habet verbum seu locutiones Dei. Quapropter, revelationis gesta, aut facta, obiectum constituunt fidei dummodo Deus eadem per verbum suum, vel locutiones, testetur. Sensus enim factorum revelationis, ubi ab hominibus tantum detegatur, est simpliciter humana interpretatio, tandem aliquando theologica. Ita, v. g. interpretatio quae a S. Paulo de sensu vitae, mortis et resurrectionis Iesu profertur, est fide divina credenda eo quod humanam transcendit interpretationem, veluti ab ipso Iesu revelata: « neque enim ego ab hominibus accepi illud (Evangelium) neque didici, sed per revelationem Iesu Christi (*Gal.* 1, 1 ss.).

Ad n. 4, pag. 6-7. Clare enuntietur in hoc numero differentia existens inter periodum constitutionalem Ecclesiae, in qua apostoli per Spiritus Sancti revelationem facta Iesu interpretari possunt et revera interpretantur, et periodum posteriorem, in qua « kerygma » illud apostolicum, ut depositum sancte custodiendum ac infallibiliter ab Ecclesia declarandum est. Ita fit, saeculorum decursu, progressus dogmaticus (DENZ. 1800). Huiusmodi autem perficitur progressus depositum seu fidei doctrinam ulterius intelligendo, non tamen facta in doctrinam convertendo per interpretationem factorum.

Ad n. 8, pag. 16, linn. 13-16. Omnino reformanda sunt quae ibi asseruntur, i. e.: « Viva haec traditio in Ecclesia sub assistentia Spiritus Sancti proficit. Crescit enim tam rerum quam verborum traditorum intelligentia, tum ex contemplatione credentium, qui ea conferunt in corde suo, tum ex intima spiritualium rerum experientia ». *Dicatur* eorum loco: « Haec divina traditio, quae nonnisi Dei locutiones seu kerygma apostolicum transmittit, viva exstat in Ecclesia sub assistentia Spiritus Sancti. Crescit enim, docente ac vigilante infallibili Ecclesiae magisterio, huiusmodi traditionis intelligentia, eodem sensu eademque sententia, tum ex contemplatione credentium, qui eam conferunt in corde suo (cf. *Lc.* 2, 19. 51) tum ex intima spiritualium rerum experientia in ipso fidei deposito fundata, necnon supernaturalibus habitibus donisque Spiritus Sancti nutrita ».

Rationes adnotationis: 1. Traditio apostolica ad divinum pertinens depositum post apostolorum mortem clausa est. Proinde, non ipsa Traditio « proficit », sed eiusdem tantum intelligentia. 2. Neque progressus dogmaticus fit « rerum quam verborum traditorum intelligentia ». Etenim intelligentia rerum, seu factorum interpretatio nonnisi ab apostolis per revelationem expleta est. E contra intelligentia seu factorum interpretatio, quae a nobis fieret, clausa nempe revelatione publica, mere esset humana interpretatio, non autem obiectum fidei vel divinae traditionis. 3. Agitur in schemate de traditione divina, quae solummodo locutiones Dei seu kerygma apostolicum transmittit, non vero de traditionibus ecclesiasticis. 4. Illud « ex intima spiritualium rerum experientia » videtur aequivocationem parere, quasi divinae traditionis cognitio magis manifestetur ex subiectivis criteriis. Textus praeterea, silet de Ecclesiae magisterio. 5. Hac de re integre memorandum est Concilii Tridentini testimonium: « ... Sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiae specie et nomine recedendum. Crescat igitur... et multum vehementer proficiat, tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scil. dogmate, eodem sensu eademque sententia (DENZ. 1800) ».

Ad n. 11, pag. 27, linn. 2-5. Loco: « Divinitus revelata, quae afflante Spiritu Sancto litteris consignata sunt, in Sacra Scriptura continentur et prostant » *dicatur*: « Divinitus revelata, quae afflante Spiritu Sancto utpote litteris... ». *Ratio*: divinitus revelata in traditione quoque continentur, et quidem, saltem in parte, constitutiva.

Ad n. 12, pag. 28, lin. 24. Post verba: « sub analogia fidei », *addatur*: « Prout a Deo inspiratus, enim, et qua talis ipsi Ecclesiae concreditus, Liber Sacer proprias possidet exclusivasque interpretationis regulas. Idcirco heurystica authentica, seu catholica, quae Librum Sacrum uti a Deo inspiratum respicit, animum potissime in doctrinalia intendens elementa, nedum textuum philologica, critica atque historica exploratio, est in primis ac summopere Theologia, quippe quae Ecclesiae fulcitur infallibili magisterio, cuius doctrina est « norma proxima fidei », ita ut omnes transcendat scientificas regulas eisque praesit necnon condiciones ac limites imponat, postremo tutetur ». *Addatur dein*: « Ideoque in rebus fidei ac morum is pro genuino sensu S. Scripturae omnino retinendus est, quem semper tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, quae verbi Dei servandi et interpretandi divino fungitur mandato et ministerio. Nemini igitur unquam licet adversus huiusmodi sensum, praeterque unanimem Patrum consensum, ipsam interpretari Scripturam, altioris intelligentiae specie et nomine ». *Ratio* evidens est.

13

Exc.mus P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES
Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Hoc schema laudo ac adprobo. Tamen nonnullas emendationes proponere intendo.

Pag. 15, n. 7, linn. 14-22, corrigantur sic: lin. 15, legere: Apostolis, qui *a Spiritu Sancto illustrati* in praedicatione orali...; lin. 18, sive *directe ab eodem* Spiritu... *Ratio*: propositio disiunctiva, linn. 17-18 (sive... sive) confusionem afferre posset. Nam secundum *Io.*, 14, 26, Spiritus Sanctus duo facit: *et* nova apostolis revelat *et* etiam sensum eorum quae « ex ore, conversatione et operibus Christi acceperant » plene aperit. Littera sic sonat ac si essent duae separatae revelationes, una a Christo, altera a Spiritu Sancto, inter se non connexae. Patet revelationem non dari quae non etiam *sensum* revelatorum pandat, quod opus est charismatis Spiritus Sancti.

Linn. 27-28, textus sic mutetur: « *Sacra igitur traditione et Sacra Scriptura edocta Ecclesia credens* in terris peregrinans... ». *Ratio*: haec phrasis, uti sonat, re vera minuit momentum et traditionis et Scripturae et etiam fidei. Nam in speculo directe videtur imago, res tamen ab imagine repraesentata tantum indirecte. At virtus theologalis fidei, quamquam obscure, ipsum Deum attingit. Cf. S. Thomas, *Summ. Theol.,* II-II, q. 1, a. 2, ad 2: actus credentis non terminatur ad enuntiabile sed ad rem: non enim enuntiabilia formamus, nisi per ea de rebus cognitionem habeamus.

Pag. 16, n. 9, linn. 38-40 sic legantur: « per Apostolorum praeconium sub ductu Spiritus Sancti, eorum successoribus, eodem Spiritu assistente, fideliter custodienda, transmissa... ». *Ratio*: linn. 36-40 claritate carent, cum relate ad traditionem apostoli non eodem modo se habeant ac eorum successores. Nam hi tantum custodiunt quod priores Ecclesiae tradiderunt, ut optime pag. 17, n. 10, praesertim linn. 19-26 dicitur. Neque idem charisma datur apostolis ac eorum successoribus.

Pag. 28, n. 12, lin. 1, legere: li*t*teraria?

Pag. 43, n. 21, lin. 9, legere pro: velut, *simili modo ac*. *Ratio*: alia est praesentia realis Domini in Eucharistia, alia verba quae ad nos Dominus dirigit. Intentio textus est pulchra sed periculum datur ne ex hoc textu interpretatio non tam recta, in detrimentum devotionis erga Eucharistiam, desumatur. Specialiter cum de his rebus doctrinae erroneae apud Fratres separatos quandoque dentur.

14

EXC.MUS P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO
Episcopus Lucknovensis

De ipsa revelatione: cap. I, pag. 5. Si titulus huius capitis et titulus totius schematis relinquuntur uti nunc inscribuntur, quamvis non directe ac expressis verbis, indirecte tamen *videtur negari revelationem contineri quoque in traditione divina.* Ideoque tum titulus huius capitis tum titulus totius schematis melius inscriberentur « De verbo Dei scripto ».

Si vero titulus, uti nunc prostat, servari vult, tunc tam in schemate quam in cap. I agi debet tam de revelatione scripta quam de revelatione orali in traditione divina contenta.

In cap. I, n. 2, pag. 6, lin. 3: *De ipsa revelatione.* In hac paragrapho sicut et aliis in locis affirmatur revelationem non tantum verbis sed et *gestis ac operibus* fieri.

Usque adhuc sive magisterium ordinarium sive et extraordinarium, immo et ipsa Concilia oecumenica docuerunt revelationem nihil aliud esse nisi « divinam *locutionem* scripto traditam afflante Spiritu Sancto ».

Utique, divina locutio actiones quoque exprimit: Christi nativitatem, eius crucifixionem, etc.; tamen gesta et opera Dei Creatoris, Christi Redemptoris, etc. in tantum sunt revelata in quantum locutione Dei scripto sunt tradita.

Ideo prudentius esse videtur doctrinam certam exponere et novas doctrinas seu theorias, theologorum inquisitioni ac studio relinquere, ne videamur illorum doctrinam adprobare qui docent Deum operibus suis in mundo universo factis seipsum *revelare.*

In cap. II, nn. 7-8: *De divinae revelationis transmissione.* Necessarium videtur *de traditione* clare et secundum Tridentini doctrinam agere et clare statuere veritates revelatas tum in S. Scriptura tum in *divina traditione non scripta* contineri.

Ecclesiae quoque magisterium in sua cum Revelationis expositione ac definitione relatione clare est asserendum.

Ea quae ponuntur in n. 8, pag. 16, linn. 13-16 relate ad incrementum seu augmentum intelligentiae traditionis ac revelationis nullo modo claritate pollent, immo facile in errorem inducere possunt. Melius esset clare affirmare revelationem in libris scriptis ac in traditione non scripta contineri, et ipsam terminasse cum morte ultimi apostoli; nostram tamen *revelationis cognitionem,* sub ductu magisterii Ecclesiae, decursu temporum augeri posse.

Quae vero *de intima spiritualium rerum experientia* dicuntur omnino expungenda videntur, quia, uti supra dictum est, nostra cognitio revelationis, quae completa fuit cum morte ultimi apostoli, augeri quidem potest, sed tantum sub Ecclesiae magisterio, nullo modo vero e nostra individua experientia spirituali. Haec nova doctrina omnino periculosa videtur ac multas mentes decipere posset. Praeterea nihil prodest fratribus separatis ad rectam de revelatione doctrinae intelligentiam.

De S. Scripturae divina inspiratione et interpretatione: cap. III.

Pag. 27, n. 11. Si haec paragraphus, uti iacet, retinetur, aperte excluditur traditio divina. Ideoque textus emendandus est uti proponitur:

Lin. 3. « ... litteris *vel sine scripto divina traditione consignata* sunt... ».

Lin. 4. « ... in Sacra Scriptura *vel divina traditione* continentur... ».

Lin. 5. « *Relate ad revelationem scripto datam,* libros enim tam Veteris quam Novi Testamenti... ».

Lin. 19. « ... libri *tam Veteris quam Novi Testamenti* integri... ».

Lin. 21 addatur: « Eodem modo Sancta Mater Ecclesia divinam recipit traditionem, illas nempe veritates revelatas, quae etsi non sint scripto datae, Christus Dominus apostolis oraliter tradidit et S. Mater Ecclesia custodit ac docet eodem quippe infallibili magisterio quo veritates scripto datas custodit ac docet ».

Pag. 27, n. 12. Si uti est haec paragraphus relinquitur, exegetae videntur habere ius Scripturas interpretandi independenter ab Ecclesiae magisterio. Hic dantur correctiones introducendae in textu: lin. 25, « ... interpres S. Scripturae, *sub ductu Ecclesiae magisterii,* ut perspiciat... ».

Pag. 28, linn. 9-20. Hic videtur hagiographum et non Deum esse auctorem libri sacri, dum revera hagiographus ea tantum scripsit quae Deus nobis dicere voluit. Ideoque tota paragraphus revisione indiget, secus quis concludet hagiographum modo suo locutum esse, exegetam tantum posse interpretare id quod hagiographus dicere voluit, Ecclesiam debere tantum acceptare id quod exegeta intelligit in S. Scripturae lectione.

Verba « *praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur* » quae in pag. 28, lin. 27 habentur, confirmare videntur ea quae supra diximus.

Si Deus per revelationem seipsum et suam voluntatem nobis patefecit, verbum eius non ita difficile esse debet uti in linn. 10 ss., pag. 28 dicitur esse.

Lin. 17. Id quod de erroribus dicitur, facile multos in errorem inducere potest. Ideo textus aliis verbis exprimi debet, v. g.: « Ut quis recte quosdam S. Scripturae difficiliores locos intelligere possit, attendere debet ad linguae adhibitae caracterem, ad populorum modum loquendi ac ad circumstantias historicas. Quae omnia ab exegetis, Ecclesia duce, perpendenda sunt ».

Cap. IV: *De Vetere Testamento.* Pag. 33, linn. 15 ss. Videtur auctoribus humanis, i. e. hagiographis tribui quae in Vetere Testamento continentur. Dum e contra ipsi, Divino afflante Spiritu, ea tantum scripserunt quae Deus voluit *praenuntiare, enarrare et explicare.* Ad hoc faciendum Deus ipsorum opera usus est.

Pag. 34, linn. 14 ss. Citatio ex Litteris Encyclicis Summi Pontificis Pii XI desumpta, sed e suo contextu avulsa, in errorem inducere potest illos qui S. Scripturae studere non valent. Ideoque haec nova lectio proponitur: « Qui libri, etiamsi quandoque aliqua imperfecta et provvisoria videantur continere, etiam his in locis manifestant divinam doctrinam, quam Deus hominibus, modo quo ipsi intelligere possunt, sapienter manifestat ». In nota e contra citatio Pii XI dari potest.

Pag. 34, n. 16, *in fine addendum est*: « Eodem modo Deus, qui inspirator est quoque Divinae Traditionis, istam suam revelationem scripto datam tam in Vetere quam in Novo Testamento ita complevit ut inter verbum scriptum et verbum oraliter datum perfecta unitas adesset ».

Cap. V: *De Novo Testamento*. Pag. 37, lin. 26. Caveatur ne expressio « *apostolici viri* » ab aliquibus male intelligatur quasi S. Marcum et S. Lucam fuissent apostoli vel nos eorum Evangelia S. Petro vel S. Paulo uti hagiographos tribuere.

Pag. 38, n. 19. Si nihil huic paragrapho additur quis putare posset hic agi tantum de libris historicis, humano modo sumptis. Videtur ergo necessarium aliquid de inspiratione addere: « *Firma fide in divina inspiratione omnium librorum Novi Testamenti,* Sancta Mater Ecclesia firmiter et constantissime tenuit ac tenet... ».

Et in fine paragraphus haec addantur: « Illi vero scripserunt id quod Deus voluit ipsos scribere, immo ipsos inspiravit ut scriberent vel ea de quibus testes fuerunt vel de quibus recordabantur ex testimonio apostolorum ».

Pag. 38, n. 20, lin. 36. Hic valde opportunum erit specialem mentionem facere de Actibus Apostolorum, Epistolis et Apocalypsi, ita ut textus ita sit: « ... etiam alia scripta apostolica, i. e. Actus Apostolorum, Epistulae et Apocalypsis, Spiritu Sancto inspirante... ».

Pag. 39, lin. 8. In textu introducatur: « ... omnem veritatem, *tum scriptam tum oraliter traditam,* in aevum servandam induceret »... Nisi haec verba adduntur, explanatores huius Constitutionis dicent Concilium docuisse revelationem et inspirationem esse tantum scriptam de qua in schemate est sermo.

Cap. VI: *De Sacra Scriptura in vita Ecclesiae*. Pag. 43, lin. 21, n. 11. Ita dicatur: « ... ipsa religio christiana *ad verbum Dei scriptum et oraliter traditum* semper... ». Si vero dicitur « ... ad Scripturam... » tantum, videretur excludere traditionem de qua, magno cum gaudio, sermo est in lin. 13. Idem dicatur de verbis in lin. 24: « In sacris libris... ». Textus uti iacet videtur excludere traditionem.

Pag. 44, n. 22. *De versionibus*. Quomodo versiones Sacrae Scripturae una simul cum fratribus separatis facere possumus si ipsi totum Canonem non acceptant? Ideoque hic textus proponitur in lin. 17: « ... etiam cum fratribus separatis nisu, totum Canonem nobiscum recipientibus, ... ».

Pag. 45, n. 25, lin. 27. Curnam hic dicitur « ... praesertim sodales religiosos »? Cogitantne Patres sodales religiosos hodie minus quam temporibus anteactis Sacrae Scripturae studio incumbere? Vel hic sermo est tantum de religiosis laicis? Si ita esset, textus clarior esse debet, i. e. « ... *praesertim sodales fratres ac sorores religiosos...* ».

Pag. 46, n. 26, lin. 18. Textus ita conficiatur: « ... thesaurusque revelationis, *tum scripto datae tum oraliter traditae,* Ecclesiae... ».

15

EXC.MUS P. D. ALBERTUS DEVOTO

Episcopus Goyanensis

In cap. III, n. 11, a lin. 11 usque ad 21, ubi dicit: « In sacris vero libris conficiendis... sine ullo errore docere (exhibere) profitendi sunt », verba relata nova formula substituantur, ita ut legatur: « Ideo Sacra Scriptura revelationem sine errore continet ». *Rationes* huiusmodi mutationis:

a) Ex una parte principium generale inerrantiae, ex inspiratione procedentis affirmandum sine dubio est, et ex alia parte, eius theologica elaboratio aperta manere debet, ita ut ex positivo studio S. Scripturae perfici possit. Etenim hoc principium theologice evolvere methodo pure deductiva periculosum est.

b) Quod ab omnibus indubitanter admittitur pronuntiandum est; quod vero adhuc sub Patrum discussione est, apertum manere debet.

c) Formula proposita ex Concilio Vaticano I desumpta est. Ibi dicitur, inerrantiam non constituere inspirationem; factum inerrantiae implicite asseritur. Concilium nostrum secure progredi potest, explicite evolvendo doctrinam, et quidem servata formula felici ex Vaticano I.

Verba: « In sacris vero libris conficiendis Deus homines legit, quos omnibus facultatibus ac viribus utentes adhibuit », adhibere possunt post formulam propositam.

In cap. III, n. 13, linn. 13-14, verba « ... salva semper Dei veritate et sanctitate... », simpliciter auferantur.

Ratio huius omissionis. Quamvis, prima facie, haec verba reverentiam erga Deum exhibere videantur, revera tamen prorsus in hoc loco inutilia et innecessaria sunt. Tota enim integra Sacra Scriptura magnum et praeclarum donum Dei est, et humanae imperfectiones auctoris sacri contra Domini veritatem et sanctitatem nullo modo attentant, siquidem ipse Deus suum Verbum transmitti ita voluit.

16

EXC.MUS P. D. LEO STEPHANUS DUVAL

Archiepiscopus Algeriensis

Cap. I, n. 2 dicitur: (Christus) « plenitudo totius revelationis existit ».

Haec locutio, etsi aliquo sensu bene intelligatur, tamen reiicienda videtur. Nam: *a*) aliquatenus impropria est. Revelatio enim, ex ipsa sua notione, est actus manifestandi aliquam veritatem. Hic actus potest esse locutio vel gestum ut bene indicat schema, sed non persona, nisi metonymice loquendo; *b*) inusitata est in Scripturis. *Hebr.* I, 1: (Deus) ... « locutus est nobis *in* Filio ». Alii textus citati in schemate non aliud significant. Melius diceretur: « *in quo plenitudo totius revelationis existit* ».

A fortiori non dicendum est in textu conciliari — quamvis hoc plures Patres petierint —: « Christus est revelatio ».

Cap. I, n. 4, loco « Quapropter verbis et operibus, signis et miraculis » sufficeret dicere: « Quapropter verbis et operibus »; cetera verba constituunt pleonasmum. In Evangelio opera significant saepe miracula.

In eodem numero, post verbum « resurrectione », addendum est « et ascensione ».

[*Adhaeserunt etiam*] Mauritius Perrin, arch. Tunisiensis; Vedastus Jacquier, ep. aux. Algeriensis.

Cap. I, n. 6. Hic numerus mala constructione laborat; nam postquam dictum fuit Deum nobis revelasse « quae humanae mentis intelligentiam omnino superant », statim et sine vinculo affirmatur revelatio veritatum ordinis naturalis. Proponitur: Post verba « communicare voluit » (lin. 36), h. e. post sententiam in qua totius revelationis obiectum synthetice exprimitur, distincte exprimi deberet duplex genus obiecti revelationis. Sic, v. g.: « Ex hoc divino fonte imprimis exstant veritates " quae humanae mentis intelligentiam omnino superant ", cum solo Dei testimonio cognosci possint. Sed in eadem divina revelatione aliae veritates continentur, ad Deum et ad mores humanos pertinentes, sed per se non excedentes lumen rationis humanae. Confitetur quidem... ».

[*Adhaeserunt etiam*] Mauritius Perrin, arch. Tunisiensis; Bertrandus Lacaste, ep. Auranensis; Paulus Pinier, ep. Constantinianus; Georgius Mercier, ep. Laghuatensis; Vedastus Jacquier, ep. aux. Algeriensis.

Cap. II, n. 9. 1. Improprie dicitur quod « traditio est mens, doctrina... » etc. Est potius « *expressio* mentis, doctrinae... ». Sic quae dicuntur de traditione magis cohaererent cum iis quae, paulo ante, dicta sunt de Scriptura.

2. Traditio non exercetur tantummodo per praeconium Apostolorum eorumque successorum, sed etiam per totam vitam Ecclesiae.

Ideoque proponitur, post verbum « consignata »: « S. Traditio autem expressio mentis, doctrinae, exemplorum et mandatorum Christi per apostolorum eorumque successorum praeconium et per visibilem totius Ecclesiae vitam, assistente et dirigente Spiritu Sancto, fideliter transmissa ».

[*Adhaeserunt etiam*] Mauritius Perrin, arch. Tunisiensis; Bertrandus Lacaste, ep. Auranensis; Paulus Pinier, ep. Constantinianus; Vedastus Jacquier, ep. aux. Algeriensis; Georgius Mercier, ep. Laghuatensis.

Cap. VI, n. 22, linn. 15-18, loco: « Quae si conficerentur... possent », dicatur: « Quae si *conficiantur* communi cum fratribus separatis *cooperatione* et nisu, ab omnibus christianis adhiberi possint ». *Rationes* sunt sequentes: *a*) « conficerentur » est modus irrealis, *b*) additio vocis « cooperatione » aliud elementum realitatis confert.

[*Adhaeserunt etiam*] Mauritius Perrin, arch. Tunisiensis; Bertrandus Lacaste, ep. Auranensis; Paulus Pinier, ep. Constantinianus; Vedastus Jacquier, ep. aux. Algeriensis; Georgius Mercier, ep. Laghuatensis.

17

REV.MUS P. D. ANICETUS FERNANDEZ
Magister generalis O.P.

Libenter adhaereo plausibus, quibus plures Patres in hac aula cumulaverunt strenuum ac diligentem laborem commissionum et subcommissionum in apparando textu novissimo huiusce schematis.

Nondum tamen, ut videtur, omnes defectus vitati sunt. Et ideo ad illos utcumque superandos, liceat mihi nonnullos adnotare.

1. Textus, ut iacet, *est obscurus, simulque redundans et sat ieiunus.*

a) *Obscuritate* laborat: tum ratione *styli* minus latini et elegantis, tum prurigine multa paucis dicendi, tum praesertim ratione oscitantiae inter diversas vel oppositas sententias quas simul respicere et declinare contendit.

Quod quidem maxime obtinet in cap. II, 8-10, ubi de divinae traditionis indole deque eius habitudine ad Scripturam et Ecclesiae Magisterium fit sermo.

Equidem haec tria non sunt separanda, sed neque confundenda; sunt tamen accurate distinguenda. Textus autem schematis separationem quidem aperte fortiterque respuit; at non ita clare confusionem vitat, magisterii praesertim et traditionis.

Oporteret ergo clarius dicere et apertius docere haec tria ita esse intime unita, ut simul sint reapse distincta. Quam ad rem, satius esset simpliciter redire ad formulam Concilii Tridentini et Concilii Vaticani I, easque retinere (DENZ.-SCHÖN., nn. 1501, 1504-1505, 3006-3007), ne ansa praeberetur suspicandi de insinceritate huiusce declarationis, et fortasse de quadam specie machiavellismi.

b) *Redundat etiam*; quia eadem, absque ulla necessitate, repetit diversis in locis. Verbi gratia, de indesinente collocutione Dei cum hominibus per Sacram Scripturam in Ecclesia resonantem (cap. II, n. 8; cap. VI, n. 21).

c) *Ieiuna expositio,* ut in cap. I, n. 5, ubi doctrina Concilii Vaticani I de veritatibus cum revelatione connexis (DENZ.-SCHÖN., nn. 3004-3005, 3015) confuse ac incomplete reassumitur et contrahitur.

2. *Verba adhibet ambigua et imprecisa.* Ita, de Iesu Christo dicitur quod « verbis et operibus », signis et miraculis, praesertim autem morte sua et gloriosa ex mortuis resurrectione, *totaque sua persona* revelationem complendo perficit et testimonio divino confirmat (cap. I, n. 4).

Ubi verba illa, « *totaque persona sua* » impraecisa sunt, et aequivocationibus ansam praebet. *Persona* enim Christi, iuxta fidem catholicam in Concilio Chalcedonensi definitam (DENZ.-SCHÖN., n. 302), una tantum est, eaque divina, nempe *persona Verbi Dei,* quae, ut talis invisibilis est et increata, ideoque connumerari non potest inter signa et opera.

Hic autem nomen *personae* sumitur alio in sensu, nempe in sensu con-

creto et vulgari apud modernos, et non in sensu methaphysico neque dogmatico, ut ait adnotator quidam semiofficiosus (cf. Congar, *Observationes circa hunc textum,* pag. 2; et circa textum constitutionis *de Ecclesia,* cap. I, n. 5, pag. 2). Non licet autem in constitutione *dogmatica* conciliari recedere a sensu *dogmatico* verborum, quae adhibentur. Secus, praetextu sensus magis intelligibilis et pastoralis, revera oppositum accidit, nempe obnubilatio et aequivocatio.

Quia ergo phrasis illa « totaque sua persona » adnotante eius relatore, ita est intelligenda, « quatenus suprema manifestatio et argumentum habetur *in integro complexu* verborum, gestorum, passionis et glorificationis » (ad hunc locum littera E), rectius diceretur: totaque *vita sua.* Hoc enim modo idem exprimeretur, absque abusu et aequivocatione verbi *persona,* et quidem modo magis pastorali et intelligibili.

3. Quae *de causis progressus sive evolutionis* intelligentiae rerum et verborum divinitus traditorum dicuntur in cap. II, n. 8, videlicet: « *crescit* tam rerum quam verborum intelligentia tum *ex contemplatione* credentium qui ea conferunt in corde suo (cf. *Lc.* 2, 19 et 51), tum *ex intima* spiritualium rerum *experientia* », non sunt sat accurate expressa, neque sufficienter enumerata.

a) *Non sat accurate expressa*: quia duo illi modi, qui proponuntur non videntur revera distincti; sed in unum incidere eumdemque. Contemplatio namque illarum rerum et verborum, qua conferuntur in corde ad instar contemplationis et collationis B. Mariae Virginis, ad quam provocatur per allusionem ad *Lc.* 2, 19 et 51, est contemplatio viva et quasi experimentalis ex fide formata caritate et illustrata donis sapientiae et intellectus. Quae quidem manifeste includit et secumfert intimam rerum spiritualium experientiam. Unde et S. Thomas eam appellat *cognitionem quasi experimentalem* (*In I Sent.,* Dist. 14, q. 2, art. 2 ad 2), et *experimentalem quamdam notitiam* (*Summa Theol.,* I, q. 43, a. 5, ad 2).

b) *Neque sufficienter enumerata,* quia omittuntur duo alii modi vel causae illius progressus, nempe labor sive studium theologorum et magisterium Ecclesiae.

1) *Studium quidem theologorum,* quia, ut docet Concilium Vaticanum I, « ratio, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, *aliquam* Deo dante *mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur,* tum ex eorum quae naturaliter cognoscit analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo » (DENZ.-SCHÖN., n. 3016).

2) *Magisterium quoque Ecclesiae,* cuius est authentice et infallibiliter non solum conservare atque defendere depositum revelatum, verum etiam exponere, explicare et enucleare.

Iste tamen defectus corrigitur postea, cap. VI, n. 23, relate ad Scripturam Sacram, ubi, haec habentur: « Verbi Incarnati Sponsa, Ecclesia nempe, a Sancto Dei et Christi Spiritu edocta ad *profundiorem in diem Scripturarum Sacrarum intelligentiam assequendam procedit,* ut filios suos divinis elo-

quiis indesinenter pascat. *Exegetae* autem catholici, aliique *Sacrae Theologiae cultores,* collatis sedulo viribus, operam dent oportet ut, Patrum vestigia sequentes, *sub ductu magisterii,* altius Divinas Litteras investigent ».

Oporteret ergo coordinare et ad invicem complere ea quae ibi et hic de traditione et Scriptura dicuntur.

4. *Quaedam formulae nimis absolutae, temperamento indigent.* E. g., haec: « *Omnis* praedicatio ecclesiastica atque ipsa religio christiana ad Scripturam *semper* se referre debent tamquam ad normam et auctoritatem quibus reguntur et iudicantur » (cap. VI, n. 21).

Melius diceretur: *ad verbum Dei,* vel *ad depositum revelationis,* prout hoc includit tam Scripturam quam divinam traditionem una cum expositione et explicatione magisterii Ecclesiae, quia in his tribus simul sumptis invenitur integrum depositum praedicandi. Nec enim *semper omnis* praedicatio efferre et exponere potest verba Scripturae Sacrae, nisi forte secundum sensum *mere accommodatitium,* qui, ut experientia docet, plurimis abusibus occasionem praebet. Adest insuper divina traditio, atque expositio Patrum et theologorum ac praesertim magisterii Ecclesiastici, tum ipsius traditionis tum Scripturae Sacrae, e quibus omnibus ministerium verbi auriri debet.

18

EXC.MUS P. D. BRUNO FRATTEGIANI

Archiepiscopus Camerinensis

Cap. V (olim IV) n. 19 (olim 17). Praeter quam quod sermo totus satis ineleganter sonet (videas — et audias! — illa quatuor *gerundia ablativa,* quae sunt valde inepta) non sustinetur neque intelligitur illud « attendendo » (lin. 22). Cetera enim gerundia sunt transitiva et sustinent suum quodque obiectum (« quaedam »); « attendendo » autem est intransitivum, unde eius obiectum (« quaedam » tertio) nullibi fulcitur ex parte grammaticae. Valde exoptandum est ut sermo latinus quorundam schematum (e. g. 13, olim 17) funditus innovetur, ne « Veterum sapientia » in cassum sonuisse videatur.

19

EXC.MUS P. D. PATERNUS NICOLAUS GEISE

Episcopus Bogorensis

Cap. III, n. 11, lin. 20 ad verbum « docere ». Confer in Relatione ad hunc numerum, in qua dicitur (pag. 30, sub H): loco autem *docere* ponitur: « exhibere ». *Quod reapse non fit in textu.*

Quia verbum « exhibere », in connexione cum dictis in cap. I de revelatione, rogatur ut in textu verbum *docere* deleatur et verbum « exhibere » ponatur.

20

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Unum tantum, in hac re tanti momenti, scire vellem, scil.: « ad quid reducitur activitas Spiritus Sancti in Ecclesia? »...

Video enim, et non sine admiratione, tendentiam, ut itali dicunt, « a fossilizzare il Verbum Dei » negando traditioni sensum et valorem. Audivi etiam, hodie, in aula, em.mum card. Bea plus minusve dicentem: schema placet quia in ipso invenimus tantummodo quae nos et separati fratres in commune habemus! At, separati fratres sunt, si multa et gratis concedere volumus, fructus speculationis, illustrante Spiritu (?), saec. XVI; post hanc aetatem non amplius progressus est Spiritus?... Si ad fontes primaevas debemus attingere, attingamus ad priora saecula; si vero datur actio Spiritus per saecula, uti reapse datur, qua de ratione sistere debemus in saec. XVI et fere haurire doctrinam a reformatoribus?...

Et quod mirum est:

1. Pluribus in schematibus laudatur actio Spiritus Sancti in Ecclesia, semper praesens et efficax; sed ad quid reducitur haec actio?... Nam, amplius non videtur docere ex schemate nostro, et ex schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* nec agere, efficaciter saltem, amplius videtur! (cf. prooemium, ad n. 2).

2. In schema *de Ecclesia* laudatur et extollitur, iure meritoque, sensus fidelium; at, a fortiori, non esset laudanda et extollenda traditio et praesertim magisterium quod est veluti medulla ipsius traditionis?...

3. Ius iniuriatur (« reazione contro il diritto ») quia vitam interimit (« fossilizzazione della vita nella fissazione delle strutture »); et qua ratione, huc, et Verbum Dei interimitur (« fossilizzazione del Magistero »)?... Fortasse et Spiritus Sanctus, uti multi hodierni debiles spiritu, morbo terribili afficitur cui nomen defatigatio (« esaurimento »)?...

4. Ad quid reducitur actio Magistrorum et Pontificum in Ecclesia?... Ad repetitionem illorum quae continentur in Scriptura?... Et tirones ad hoc inserviunt, non indigemus ad hoc magistris et prophetis! (cf. schema *de Ecclesia,* cap. de Hierarchia et de laicis nam et de ipsis dictum est quod participant in sacerdotio... prophetico Christi!).

5. In Concilio Hierosolymitano, certe invenimus relationem ad S. Scripturam, tamen conclusio oboedit novae lineae non scriptae (« nuova impostazione, nuovo schema »): « visum est Spiritui Sancto et nobis »; est actio in praesenti, non in praeterito. Decisiones sumuntur non simpliciter ex iis quae scripto inveniuntur, sed ex iis quae videntur (actio praesens) Spiritui et Hierarchiae legitimae constitutae et operanti.

6. Iesus tandem, cum dicit « euntes in mundum universum, praedicate Evangelium » non ad evangelium scriptum sed orale se refert!

Conclusio. Meliori in luce ponatur traditio et clare dicatur quid de ea sentiat Ecclesia catholica; quid vero sentiant separati fratres addi potest, per modum appendicis, sub fine, non ut regula a catholicis sequenda, sed ut subsidium certum ad incertum oecumenismum!

Ad cap. I: De ipsa revelatione.

N. 2, pag. 5, lin. 16. Bona latinitas postulatne ut ponatur « in »? Nonne bonum esset scribere: « Placuit Dei sapientiae et bonitati... » vel quid simile?

Item, pag. 5, lin. 24. Inter « tamquam » et « amicos » poni posset « filios » ac legi: « Tamquam filios et amicos ».

Item, pag. 6, lin. 2. Fortasse dictio esset emendanda, nam ita legitur: « ... Deus invisibilis (= Pater) ... ad societatem cum Patre et Filio et Spiritu Sancto invitet... ». Non enim bene scribitur Patrem invitare ad societatem cum Patre. Dicatur « secum », vel alio meliori modo.

Item, pag. 6, lin. 4. Loco « gestis » nonne melius diceretur « factis »?

Item, pag. 6, linn. 16-18. Fortasse clarius exprimi posset idea exhibita per verba « in ipsa rerum natura perenne sui testimonium... ostendit ».

N. 4, pag. 6, lin. 36. « Per quem omnia facta sunt ». Similia dicta sunt supra, in n. 3, eadem pagina, linn. 16-17.

Item, pag. 6, lin. 39. Licet in contextu expresse dicatur Filium Dei esse Deum per quem facta sunt omnia, tamen non admodum bene sonat illa dictio: « Homo ad homines ». At transeat.

Animadversio generalis ad universum cap. I:

a) Nimis parum de Vetere Testamento sermo est et nimis cito de Domino nostro Iesu Christo disseritur, ideoque in perspicuo non ponitur revelationis progressus.

b) In universo capite plures numerantur repetitiones quae textum aggravant et claritati obsunt.

c) Praesens caput, sicut et ceteroquin totum schema, deberet iterum accurate perpolitioni subici sub bonae latinitatis respectu.

Ad cap. II: De divinae revelationis transmissione.

N. 7, pag. 15, linn. 1-32. In hoc capite et numero initiali, scil. 7, de divinae revelationis transmissione *in genere* sermo est. Cur ergo non etiam de transmissione in Veteri Testamento, sed tantum in novo et quidem de solo Evangelio disseritur?

Verum est Evangelii nomine venire posse totum « bonum nuntium »; at non hoc solo sensu vox « evangelium » in schemate sumitur (cf. cap. V).

N. 8, pag. 16, linn. 1-28. Per totum numerum iterum nullimode de Veteri Testamento, at de Novo et quidem de solo Evangelio sermo est, cum de sacra traditione disseritur. Hoc iterum factum est ex industria vel oblivione?

Item, pag. 16, linn. 17-19. Illa ad parabolam de fermento appellatio non videtur certe ad rem, et ansam praebet, aut praebere potest, falsis quibusdam de dogmatum progressu interpretationibus.

N. 9, pag. 16-17. Sicut nn. 7 et 8, nihil de Veteri Testamento dicitur, et solum de Novi Testamenti traditione et Scriptura sermo est.

Item, pag. 16, linn. 33-34. Adhuc legitur: « in unum *quodammodo* coalescunt ». Cur illud « quodammodo », cum postea (n. 10, pag. 17, linn. 5-6) sine restrictione dicatur: « Unum verbi Dei sacrum depositum constituunt »?

Item, pag. 16, lin. 40 - pag. 17, lin. 2. Verba illa tridentina, sicut fuerunt vaga tunc in suo contextu, ita et satis vaga manent nunc in praesenti contextu. At transeat!

N. 10, pag. 17, linn. 14-26. Ita aptandus esset, ut in perspicuo ponantur ea quae sequuntur: Christus depositum revelatum tradidit *Ecclesiae* sponsae (ideoque matri et *magistrae*) fideliter (sancte) custodiendum et fideliter (infallibiliter) interpretandum.

Si cum Pio IX (Denz. novus, 3020, 3070) et Pio XII (*Munificentissimus*) tenemus Christum tradidisse revelationem seu depositum « Ecclesiae », non potest ad solos Romanos Pontifices vel ad Concilium Oecumenicum restringi munus custodiendi et interpretandi.

Tota (capita scil. simul et membra) ergo Ecclesia ob Christum caput et unionem ad ipsum, et ob eius Spiritum qui ipsam infallibiliter illustrat et dirigit sive ad revelationis depositum custodiendum, sive « ad revelatarum perficiendam veritatum cognitionem », utrumque hoc munus praestat.

E. g.: quando tota Ecclesia (antistites, senes cum iunioribus, iuvenes et virgines) canit antiphonam « Salve Regina » vel aliud correspondens orientale canticum, ostendit se credere excellentiam (regalitatem) illius cui Deus fecit « magna », et custodit illam veritatem, et *interpretatur* Mariae magnitudinem.

Tota Ecclesia, sponsa ideoque mater et *magistra,* hoc praestat. Sed praeter et *supra* hoc magisterium Ecclesiae *universim* sumptae, est magisterium *Capitis Supremi, solius vel cum Collegio capitum,* quod magisterium, peculiari, scil. personali (Papae) vel collegiali, potiorique Spiritus Sancti lumine, adspiratione et adsistentia, per specialia documenta, maiori vel maxima auctoritate, ac pressius uberiusve doctrinam revelatam sancte custodiendam mandat, infallibiliterque interpretatur, tamquam *os* Dei simul et Ecclesiae universalis, universim sumptae, quae est sponsa, mater ac magistra, cum at sub Deo.

Haec vel his similia aut meliora, essent innuenda in n. 10, ne confusio hanc circa rem perduret et crescat.

Item, pag. 17, linn. 19-26. Quis posset animadvertere quod non omnia quae Magisterium proponit sunt « tradita divinitus » ac proposita « tamquam divinitus revelata credenda ». Quid dicendum... de decreto florentino pro Armenis, ubi de ordinis materia et forma, etc.?

Ad cap. III: De Sacrae Scripturae divina inspiratione et interpretatione.

N. 11, pag. 27, lin. 3. Repetitur Sacram Scripturam fuisse conscriptam « divino afflante Spiritu », sicut pag. 16, lin. 36. Et hoc quoque in loco,

scil. pag. 27, lin. 3, supponitur distinctio illuc adducta, quod scil. sacra traditio fuerit Spiritu Sancto assistente transmissa.

At quaero: sacra traditio, Spiritu Sancto assistente « transmissa », fuitne " *primitus collata* " Spiritu Sancto afflante? Illa ergo distinctio inter afflatum pro Biblia et assistentiam pro traditione estne certa? Etiam Biblia servatur Spiritu Sancto « assistente »!

Item, pag. 27, linn. 18 et 21. « Retineri debeat » et « confitendi sunt ». Ita ergo res se habent, vel solummodo ita retinendum est et confitendum quod se habeant? Nonne loquendum est sine ambiguitatis fuco?

Item, pag. 28, linn. 21-22. « Significationem ». Huius vocis loco ponatur, ut terminus technicus et e compluribus documentis biblicis et conciliaribus depromptus, « sensum ».

N. 12, pag. 28, linn. 21-32. Multa essent animadvertenda, sed ad ea remitto quae praecedentibus Concilii sessionibus exhibuit episcopus Vielmo et egomet praelatus Grotti. Nam quae hic dicuntur nec perspicua sunt, nec completa, nec bono ordine digesta.

Etenim fortasse, ut in praedictis animadversionibus dicitur, in exegesi praestanda, quidam circularis motus servandus est:

a) Quis debet revera et profunde vivere in Ecclesia *catholica* (quae non est una ex Ecclesiis, sed omnium apex et culmen et plenitudo!) et vivere de spiritu Christi totiusque Ecclesiae, qui est Spiritus Sanctus, Auctor Bibliae, Theologus Theologorum, eoque illustrari ac moveri.

b) Insuper exegeta debet ad magisterii Ecclesiae documenta attendere, fidei aut filiali obsequio, *iuxta cuiusque documenti pondus*: et quidem ad magisterii documenta quae Bibliam universim respiciunt, et, in particulari, ad documenta quae peculiarem Sacrae Scripturae librum aut locum attinent.

c) Debet insuper semper ad vivam Ecclesiae traditionem attendere: nam si praedicta documenta sunt magisterium « Capitis » Ecclesiae, scil. Romani Pontificis solius vel cum episcoporum collegio, haec viva Ecclesiae traditio est magisterium Ecclesiae *universim* sumptae, scil. prout *indiscriminatim* antistites fidelesque, simul credentes, *conspirantes,* custodientes, profitentes exhibet; sicut ad bene interpretanda Ordinis Carthusiani regulas, necesse est: 1. vivere in Cartusia et de Cartusiae spiritu, 2. subesse Regulae, 3. attendere ad traditionem in ea viventem, et tandem 4. ipsum Cartusianae Regulae textum scientifice seu critice spectare, attendendo ad textus locosque parallelos vel similes, et ad peculiare genus litterarium quo conscripta est. Hic ergo:

d) Exegeta debebit post haec omnia, ad ipsum accedere textum, considerans illum, scil. Bibliam, universim; attendens ad libros locosque similes; ac tandem etiam ad litterarium genus: ne fiat quod, genere litterario a priori vel e sententia praeiudicata statuto, omnia vel multa sub eius intelligantur luce, forsan errata.

e) Et, post tot labores, circularem motum veluti complens, exegeta

debebit omnes elucubrationes interpretationesque suas Ecclesiae magisterio, scil. Capitis Supremi solius vel cum collegio sententiae, iterum submittere, vel actu vel saltem animi praeparatione, eique fidei vel filiali obsequio parere, prout res exegerit.

Non bene ergo, ne sufficienter dicitur: « ultime subsunt » (cf. pag. 44, lin. 28, bene: « sub Ecclesiae ductu »).

N. 13, pag. 28, linn. 40-41. Numquid Verbum nobis factum est simile « quoad omnia »? Numquid blasphemabat atque inhonesta peragebat? Bene reintroduceretur « absque peccato », nam ea quae lin. 34 dicuntur, non evidenter referri debent etiam ad allatum exemplum.

Ad cap. IV: De Vetere Testamento.

N. 14, pag. 33, linn. 4-5. Cur, post « elegit », dicitur « concreditae sunt » (a quo?) et non « concredidit »?

Item, pag. 33, linn. 18-19. « Divino afflante Spiritu ». Haec formula decies forsan in schemate legitur. Numquid non adest alia similis, quae identidem adhiberi possit?!

N. 15, pag. 34, lin. 4. « Provisorius » estne bonae latinitatis vox?

Ad cap. V: De Novo Testamento.

N. 18, pag. 37, lin. 22. Cum etiam Evangelia Deum habeant auctorem et Spiritu Sancto inspirante fuerint conscripta, cur non dicitur: « Quatuor Evangelia originem *divinam* et apostolicam habere etc.?! Modus dicendi schematis, econtra, ansam praebet interpretationi quod Evangelia non ascendant, quoad facta et doctrinam, ad Christum, sed ad apostolos vel apostolorum aevum.

Numquid hoc Ecclesia semper tenuit et tenet?!

Ad cap. VI: De Sacra Scriptura in vita Ecclesiae.

N. 21, pag. 43. Iterum reapparet quaedam confusio inter Evangelium et totam Bibliam, quae advertebatur capp. I-II, non autem cap. V.

N. 22, pag. 44, lin. 15. Adderem: « Praelaudatis venerabilibus versionibus semper ante oculos habitis »; vel: « praelaudatarum venerabilium versionum semper quoque ratione habita ».

N. 24, pag. 44-45. In initio de verbo Dei « scripto et *tradito* » sermo est; statim vero (pag. 45, lin. 5 et deinceps) de verbo tradito non amplius disseritur, sed sola divina Scriptura. Cur hoc? (Adverte: vox « verbum » quater paucis lineis repetitur; et bis vox « autem »).

N. 25, pag. 45, linn. 29-30. Sermo est de ignorantia Scripturarum et Christi in contextu ubi de religiosis agitur. Advertendum tamen apud religiosos studium Verbi Dei semper satis floruisse et florere, licet et ipsi edere progressum debeant. Cum de clericis autem disseritur, de hac ignorantia non fit sermo.

21

EXC.MUS P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

Actuale schema *de revelatione* valde perfectius est quam praecedens. Ingreditur melius in spiritum Concilii. Aspectus eius spiritualis et biblicus plus patet. Est melius etiam propter eius orientationem pastoralem ad vitam Ecclesiae, ponens in medio Christum Revelatorem. Correctiones nostrae non tangebunt substantiam sed sunt tantum aclaratoriae.

Cap. I: *De ipsa revelatione*. Danda est clarior et explicitior idea « hominis historici » et historiae revelationis in A. T.

Verum est textum praecedens adolebat quodam anthropomorphismo, sed non debemus praetermittere hominem esse destinatarium revelationis et Deum se ipsum revelatum esse in dialogo cum homine.

N. 3. Limitantur et definiuntur excessive destinatarii et tempus revelationis. Melius est extendere ad Humanitatem appropriationem revelationis, prescindendo a tempore.

In lin. 19 n. 3 sic corrigimus: « ... hominibus ostendit et quibus sese manifestavit et quos post lapsum... ». Citatur promissa Abrahae facta sed praescinditur a « Pacto in Sinai », quod centrum capitale Antiqui Testamenti est.

Proinde lin. 25 sic corrigimus: « ... quem post patriarchas per Moysem secum coniunxerit et deinde per prophetas erudiret... ».

N. 4. Nihil dicitur de Messianismo quod constituit punctum finale spei populi electi et promissionum.

Cum loquitur de revelatione opportunum esset pro verbo « publica » uti aliquo alio, quia non clare patet non posse esse aliquam aliam revelationem publicam; non quidem ad complectionem revelationis Christi sed utique in sensu acclaratorio, v. g. Fatima, Lourdes... si Ecclesia ita determinaret. Proinde lin. 15, n. 4 sic: « ... nova revelatio quae hominibus necessaria ad salutem sit, ante finalem... ».

N. 5. Dividitur et denaturalisatur homo, limitatur ad intelligentiam et voluntatem, cum conceptus hominis in Biblia amplior sit. Totus homo, sensus, corpus et anima debet uniri Deo et membra Christi esse. Nobis videtur excessiva delimitatio hominis ad intellectum et voluntatem non esse biblica nec actualis. In Biblia consideratur homo ut quid totum ante Deum.

N. 6. Aliquid debet dici de « homine historico ». Deus recognoscit personam humanam, dialogat cum homine, ei manifestatur et petit assensum ab eo. Deus condescendit huic homini historico qui realiter, semper et in toto orbe ordinatus est ad ordinem supernaturalem, quem gratia praeparat et invitat ad unionem intimiorem cum eo.

Hoc explicaret angustiosam situationem hominis a Deo separati et eius conscientiam insatisfactionis.

Cap. II: *De divinae revelationis transmissione*. Necessarium est dare maiorem amplitudinem officio Ecclesiae. Ecclesia potius quam depositaria revelationis est mater quae alit eius filios. Proinde magis loquendum est de Ecclesia ut Matre.

N. 7. Missio seu officium Ecclesiae non est tantum « servare » sed etiam distribuere et adaptare revelationem diversis circumstantiis temporis et spatii et homini determinato, concreto. Proinde lin. 24 sic: « ... servaretur et pro diversis temporis et loci circumstantiis communicaretur, Apostoli... ».

Propter relationem cum schemate *de Ecclesia* adaptandae sunt ei linn. 23-26.

Linn. 23-32 non sunt bene in hoc numero sed potius in n. 10, lin. 16, quia missio praedicandi non directe refertur ad vigilantiam puritatis revelationis sed potius ad promulgationem textuum. In n. 10, lin. 16, cum loquitur de magisterio infallibili Ecclesiae, potest loqui de Papa, et de episcopis ut successoribus collegii apostolici tamquam depositariis et praedicatoribus revelationis.

N. 8. Hoc numerum novum in schemate est perfectum; patet aspectus vivus traditionis in Ecclesia.

Clare distinguuntur duo tempora traditionis vivae; apostolicum, constitutivum, et ecclesiasticum in quo vivit, evolvitur et acclaratur ipsa traditio in dialogo constanti cum Patre, Filio et Spiritu Sancto.

Cap. III: *De Sacrae Scripturae divina inspiratione et interpretatione*. Hoc caput corrigendum est completando eius doctrinam secundum schema.

a) Notio eius inspirationis biblicae plene praescindit a relatione cum opere salvifico per Ecclesiam. Tantum considerat unum ex aspectibus inspirationis, inerrantiam. Completanda est haec functio inspirationis biblicae ut hoc caput cohaerens esset cum cap. I et VI quae sunt bona quoad doctrinam et applicationes pastorales.

b) Normae interpretationis in n. 12 deberent esse principia logica ex quibus deducendum est opus exegetae in Ecclesia sicut describitur in cap. VI, n. 23. Dantur repetitiones innecessariae; confert n. 12 linn. 21-32 cum n. 23.

c) Melius esset pro profunditate et nervo theologico ponere n. 13 (Dei condescensio) in titulo capitis; sic apparuisset norma constans actuationis Dei cum hominibus, in Christo — Verbo Incarnato — et in Ecclesia — opere divino et humano —. Inspiratio biblica apparuisset ut nova forma huius constantis actuationis, strictae unitae Communitati Salvationis Antiqui et Novi Foederis.

Proinde sic mihi videtur: 1. Modificandum est titulum et materia n. 11 modo sequenti: *De facto inspirationis et de eius effectibus*.

2. Extollenda est vinculatio hagiographi cum communitatibus religiosis

Antiqui et Novi Foederis; participant nempe de earum historia, vivunt de earum revelatione et vita religiosa. Exinde deducitur etiam unio essentialis inter Sacram Scripturam et Ecclesiam.

3. Loquendum est inspirationem divinam promovere positive opus salvificum, ducere ad sanctitatem et veritatem. Ponimus hic iterum observationem quam fecimus schemati *de revelatione* in eius secunda forma: « Inerrantia non est nisi una, et quidem in forma negativa expressa, inter proprietates ex divinae inspirationis natura promanantes; finis vero primarius Spiritus Sancti inspirantis, nempe supernaturalis hominum salus, per veritatem et sanctitatem divinam Sacris Litteris communicatas directe intenditur ».

4. Hac eadem ratione modificandum est n. 12. Interpretatio Sacrae Scripturae quaerit non tantum veritatem sed etiam sensum a sacro auctore intentum; includit veritatem cum intendit eam docere, sed simili modo, vult movere exhortari, consolare (*Rom.* 15, 4; *2 Tim.* 3, 16).

5. Includenda est hic aliqua pars pulchrae doctrinae n. 23, et semel cum linn. 21-32 n. 12, facienda est paragraphus a se stans, v. g. *de munere exegeseos catholicae*.

6. Materia n. 13 ponenda est in initio capitis.

Cap. IV: *De Vetere Testamento*. Clarius patere debet « foedus Synaiticum » quod est medulla centralis Veteris Testamenti; distinguendum est a Promissione. Quamvis pateat idea christocentrismi in Antiquo Testamento extollendus est non tantum valor Antiqui Testamenti ut dux ad Christum populi determinati, sed etiam perennis eius valor ut portet ad Christum omnes populos omnium temporum et locorum. Vetus Testamentum est Verbum Dei et tale valor eius religiosus permanet semper.

N. 14. Nunc clare distinguitur promissio Foederis a facto. Abraham est homo promissionum quae factae fuerunt partim in foedere Synaiticum; quamvis semper permaneat in Antiquo Testamento tendentiam ad implectionem definitivam in Christo.

Proinde sic ponimus lin. 6: « ... foedere enim Abrahae promisso et cum plebe Israel per Moysem inito... ».

In lin. 9 mutandus est ordo verborum sic: « gestis ac verbis »; quia prima experientia Israel fuit actio Dei in Historia.

N. 15. Non sufficienter extollitur valor religiosus Antiqui Testamenti, etiam nostris diebus et labor eius sanctificatrix: confer: *Lc.* 24, 32.

Verbum praedicatum et scriptum vivit semper et Ecclesia alit semper divitiis Antiqui Testamenti fideles.

Addendum est in lin. 3, pag. 34, hoc: « ... manifestant ita ut perennem valorem religiosum habeant ».

Cap. V: *De Novo Testamento*. Totum caput valde melius est propter novam paragraphum introductoriam et ea quae addita sunt ad determinandam indolem historicam propriam evangeliorum ex recenti Instructione

P. C. Biblica « Sancta Mater Ecclesia » (*L'Osservatore Romano,* 14 maii 1964). Amplior usus huius Instructionis nobis videtur bona esse pro schemate, n. 19 et plus extollere valorem « historiae salutis » Evangeliorum et eorum vinculationem ad vitam Ecclesiae ab eius origine. Hoc modo appareret capacitas renovatrix vitae christianae vinculatio cum Liturgia, et unio cum Ecclesia docenti. Ponenda sunt in n. 19 verba sequentia ex n. 2 Instructionis: Lin. 15: « auditoribus tradiderunt »; addatur: « ... fideliter exponebant, adiunctorum in quibus auditores versabantur in modo praedicandi rationem habentes » (cf. *Act.* 13, 16-41 cum *Act.* 17, 22-31) vel « illi eius verba et gesta prout auditorum necessitates postulabant interpretati sunt ».

Lin. 17: Includendae sunt aliquae lineae de Evangelio in vita primitiva Ecclesiae: « doctrinam et vitam Iesu non simpliciter relatas fuisse, eo solo fine ut memoria tenerentur, sed praedicatas fuisse ut fundamentum fidei et morum praeberent ». In Ecclesia apostolica scripserunt auctores Evangelia « methodo peculiari fini quem quisque sibi proposuit congrua, ad utilitatem ecclesiarum ».

Lin. 30: In fine dicendum est finis Evangelistarum cum verbis *Io.* 20, 31: « Et ut credentes vitam habeamus in nomine Iesu Christi Filii Dei ».

Dicendum est hoc « genus litterarium » Evangeliorum vinculandum esse cum Ecclesia actuali quam illuminant et renovant « vi theologica perenni » et cuius interpretationem indigent ut appareat « quantae sit Ecclesiae interpretatio necessitatis quantique momenti ».

Cap. VI: *De Sacra Scriptura in vita Ecclesiae.* Optimum caput! Valde melius et conforme spiritui pastorali Concilii.

Unienda est doctrina n. 23 cum ea n. 12, lin. 21 ss. quae referuntur ad opus exegeseos catholicae.

22

Exc.mus P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET

Episcopus tit. Doritanus, prael. Cluniensis

Cap. I: *De ipsa revelatione.*

Ad pag. 5, lin. 17 (par. 2). *Votum*: pro verbo « *sacramentum* » sumatur verbum « *mysterium* ». *Ratio*: Cum citatio paulina (*Eph.* 1, 9) non ad litteram fiat, forsan, claritatis gratia, melius usurparetur verbum « mysterium », iuxta textum graecum, quam verbum « sacramentum », quod a Vulgata desumitur, sed quamdam ambiguitatem secum involvit.

Praeterea verbum « mysterium » videtur contextui melius aptari, ut respondeat dictis in pag. 6, lin. 8.

Ad pag. 6, lin. 16 (par. 3). *Votum*: magis placeret haec redactio: « Deus qui in Verbo suo omnia creavit (cf. *Rom.* 11, 36; *Col.* 1, 16) et in ipsa rerum natura... ». *Rationes*:

Textus schematis, qualiter se habet, insinuare videtur utramque phrasim, scil. « omnia creavit » atque « in ipsa rerum natura... ostendit », desumptam esse ex citationibus allatis: *Rom.* 1, 19-20 et *Act.* 14, 15-17, quod non exactum esse videtur.

Alii autem textus Sacrae Scripturae allegari possunt, in quibus aperte affirmatur, iuxta descripta in *Gen.* 1, Deum omnia creasse in Verbo suo.

Adduntur citationes Novi Testamenti inter uncos positae, quia in his asseritur omnia creata esse *in, per* et *propter* Iesum Christum, Verbum Incarnatum.

Conclusio. Haec redactio proposita doctrinam praeberet magis christologicam, magis christocentricam, sicuti a S. Paulo traditur et ob finem pastoralem totius schematis vel ipsius Concilii commendatur.

Cap. III: de Sacrae Scripturae divina inspiratione et interpretatione.

Ad pag. 27, lin. 13 (par. 11). *Votum*: omittendum videtur verbum « *omnibus* ». *Ratio*: hoc votum id intendit, ut vitetur *quaestio de facto*: utrum nempe hagiographi *omnes* facultates suas posuerint in redactione uniuscuiusque libri, partis vel phrasis, etc. Aliquando enim sufficere videtur ut tantum facultatibus superioribus uterentur. Certum quidem est oportere hagiographos *omnibus facultatibus praeditos* esse (cf. Enc. *Divino afflante Spiritu* ad rem); sed *ponere omnes* in quocumque casu, forsitan haud necessarium est.

Ad pag. 27, linn. 16-18: *Votum*: compleatur textus, in quo verba Commissionis Biblicae transcribitur, hoc modo: « Id quod auctor inspiratus seu hagiographus asserit, *enuntiat, insinuat,* retineri debeat assertum, *enuntiatum, insinuatum* a Spiritu Sancto, etc. ». *Rationes*:

1. Textus schematis transcriptionem imperfectam praebet verborum Commissionis Biblicae, et verba certe utilia omittit.

2. Etsi concedatur has omissiones brevitatis causa factas esse, in hoc casu admitti non possunt, quia secum ferunt limitationem inerrantiae plenae et universalis. Iuxta doctrinam traditionalem Ecclesiae, Spiritus Sanctus auctor est non tantum eorum quae asseruntur, sed etiam eorum *quae enuntiantur* vel *insinuantur.* Nisi transcriptio compleatur, Concilium videbitur ambitum inerrantiae limitare voluisse (cf. ad rem Enc. Leonis XIII *Providentissimus,* Ench. Bibl. 109-112; Benedictus XIV, *Spiritus Paraclytus,* Ench. Bibl. 466-474; Pius XII, *Divino Afflante Spiritu,* Ench. Bibl. 551).

Cap. IV: De Sacra Scriptura in vita Ecclesiae.

Ad pag. 43, lin. 24. *Votum*: verba « in *sacris libris* Pater... etc. » ita mutare oportet ut haec doctrina conciliaris non spectet dumtaxat *ad verbum Dei scriptum. Ratio*: prae oculis habendum est citationes, quae allegantur hoc loco, scil. *Hebr.* 4, 12; *Act.* 20, 32; *1 Thess.* 2, 13; haudquaquam spectare *ad unum Verbum Dei scriptum,* sed ad universum verbum Dei seu doctrinam evangelicam ab apostolis praedicatam.

Certe quidem « a fortiori » supradictae citationes referri possunt ad

verbum Dei scriptum. Sed verior evaderet redactio quae vitaret illam *exclusivitatem* quam determinat initium capitis quando dicit « In sacris *libris*... » et quae videtur niti textibus Novi Testamenti allegatis.

Ad pag. 44, linn. 15-18. *Votum*: paragraphus hoc modo compleatur: « Quae si conficerentur communi etiam cum fratribus separatis nisu, *et cum approbatione Sanctae Sedis,* ab omnibus adhiberi possent ». *Ratio*: quia etsi inceptum seu consilium optimum indicat sub respectu oecumenista, abusus tamen fovere potest in re magni momenti, unde opportunam cautionem adhibere oportet.

Ad pag. 45, linn. 17-19, lin. 27. *Votum*: expedit ut commissio conciliaris aliquantulum mutet textum huius paragraphi, ne affirmare videatur omnes *catechistas esse clericos,* quod non esset certum.

Forsan optima solutio esset in paragrapho allato omittere catechistas et eorum citationem infra ponere, post verba « christifideles omnes », *unde textus sic se haberet*: « Pariter Sancta Synodus christifideles omnes, praesertim catechistas, vehementer peculiariterque exhortatur... ». *Ratio*: si catechistae sunt etiam clerici, includuntur in priori parte exhortationis ad clericos; si clerici non sunt, aptius citantur inter christifideles omnes.

Ad pag. 45, lin. 20. *Votum*: addantur verba « et meditatione », ita ut textus sic se habeat: « Quapropter clericos omnes... assidua lectione et meditatione atque exquisito studio in Sacris Scripturis haerere necesse est ». *Ratio*: textus conciliaris ad lectionem et studium Sacrae Scripturae incitat. Sed verbum Dei est cibus pietatis, et non tantum intellectus. Pia lectio et meditatio Sacrae Scripturae est praxis universalis multoties ab Ecclesia commendata.

Ad rem Leo XIII: « Optamus nimirum et cupimus... ut illi potissime, quos divina gratia in sacrum ordinem vocavit, maiorem in dies diligentiam industriamque (Divinis Litteris) legendis, *meditandis,* explanandis, quod aequissimum est, impendant » (Enc. *Providentissimus,* Ench. Bibl. 68).

Benedictus XIV: « ... filios Ecclesiae universos, clericos potissimum, ad Scripturae Divinae reverentiam, cum pia lectione *assiduaque commentatione* coniunctam, hortemur » (Enc. *Spiritus Paraclytus,* Ench. Bibl. 457).

Et tandem Pius XII: « Nec silentio heic praetereundum esse videtur, quantopere iidem Decessores Nostri, datis occasionibus, Sacrarum Scripturarum sive studium, sive praedicationem, sive piam denique lectionem ac *meditationem* commendaverint » (Enc. *Divino afflante,* Ench. Bibl. 555).

Ad pag. 45, linn. 27-28, lin. 18. *Votum*: verba « praesertim sodales religiosos » vel omittantur, vel alio loco opportuniori transferantur, scil., lin. 18, post verba « imprimis Christi sacerdotes ». Addatur etiam « et seminarii alumnos », unde textus sic redigeretur: « Quapropter clericos omnes, imprimis Christi sacerdotes, sodales religiosos *et seminarii alumnos* ceterosque qui ut diaconi... » etc. *Rationes*:

1. In initio paragraphi lectio Sacrae Scripturae commendatur « imprimis » Christi sacerdotibus; postea in eodem paragrapho commendatur « prae-

sertim » sodalibus religiosis. Convenit has commendationes iungere ut hortamenta omnibus, servata proportione, applicentur. Secus ea quae religiosis commendantur, videntur aliis non convenire.

2. Adduntur verba « et seminarii alumnos », quia etiam eis lectio Sacrae Scripturae commendanda sit.

Ad pag. 45, lin. 33. *Votum*: paragraphus sensum incompletum et quasi negativum habet, qui hoc modo compleri potest:

Post verbum « ediscant », lin. 33, addatur: « salutis Auctorem Christum eo *plenius cognoscent* homines, eo *impensius adamabunt,* eo *fidelius imitabuntur,* quo studiosius ad Sacrarum Litterarum, Novi praesertim Testamenti, cognitionem meditationemque permoti erunt » (Pius XII, *Divino afflante Spiritu,* Ench. Bibl. 573). *Ratio*: textus Pii XII allatus omnia quae in paragrapho asserere volumus, mirabiliter dicit et complet.

23

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS JÄGER
Archiepiscopus Paderbornensis

Cap. VI. Praepono quaedam parva additamenta et insuper novum totius schematis epilogum, quo habitudo revelationis ad SS.mae Trinitatis Personas declaretur. Nam varii revelationis aspectus quandam complexitatem prae se ferre videntur.

Etenim verbi gratia ex una parte revelatio ipsius Dei inhabitanti lucem inaccessibilem transcendit omnem humanam historiam, ex alia parte intrat gestis et verbis in ipsam historiam, ut maxime patet in incarnatione Verbi divini.[1] Similiter revelatio insimul est actio salvifica et doctrina salutis, testimonium veritatis et manifestatio personalis,[2] factum praeteritum et praesentia efficax, progressus historicus et veritas definitiva. Omnes illi aspectus quoddam paradoxon includere videntur, quod tamen clarescit, si revelationis mysterium per theologiam divinarum Missionum et Appropriationum illustretur. Haec adumbratio etiam pietatem erga Sanctissimam Trinitatem augere valebit. *Textus proponendos adiungo.*

In cap. VI, n. 21, pag. 43, lin. 33 adiungi possit sequens textus: « Ita verbum Dei intrinsecam habet salvandi virtutem, si homo Spiritus Sancti gratia hoc verbum credendo libere accipit et viva fide Deo respondet ». *Ratio*: virtus salutaris verbi ita clarius exprimitur.

In cap. VI, ad n. 26, pag. 46, lin. 25 addatur novum incisum ex S. Ire-

---

[1] Cf. S. THOMAS AQU., *In Ioannem,* cap. 14, lect. 2: « Et sicut homo volens revelare se verbo cordis, quod profert ore, induit quodammodo ipsum verbum litteris vel voce, ita Deus, volens se manifestare hominibus, Verbum suum conceptum ab aeterno carne induit in tempore ».

[2] *S. Th. II-II,* qu. 1, a. 2. ad 2; qu. 11, ad 1, c. a; *De veritate,* qu. 14, a. 8.

naeo Lugdunensi desumptum: « Plantata est enim Ecclesia paradisus in hoc mundo. Ab omni ergo ligno paradisi escas manducabitis, ait Spiritus Dei; i. e. ab omni Scriptura dominica manducate ».[3]

In eodem n. 26 verbum « Epilogus » nunc ad modum tituli inter uncos positum mutetur in verba « Spes renovationis ».

Post pag. 46 toti schemati adiungatur novus epilogus notam trinitariam revelationis declarans:

Epilogus. S. Irenaeus revelationis mysterium adumbrans ait: « Ab initio enim assistens Filius suo plasmati revelat omnibus Patrem, quibus vult et quando vult et quemadmodum vult Pater; et propter hoc in omnibus et per omnia unus Deus Pater et unum Verbum, Filius, et unus Spiritus et una salus omnibus credentibus in eum ».[4] Pater et Filius et Spiritus Sanctus unum et idem sunt principium revelationis, quae tamen secundum missionum et appropriationum rationes singulis diversimode tribuitur Personis.

Pater misit Filium revelatorem in mundum (*Io.* 3, 16; *1 Io.* 4, 9-10) et testimonium exhibet Filio suo de eius missione salutis (*Io.* 10, 25; 5, 36-37; 15, 24) attrahens interiore gratia ad credendum Unigenito suo (*Io.* 6, 44).

Filius qui est Verbum Patris increatum, quo Pater adaequate semetipsum exprimit, fit Verbum incarnatum revelans Patrem eiusque dilectionis consilium (*Io.* 3, 16). « Et per ipsum Verbum visibilem et palpabilem factum Pater ostendebatur, etiamsi non omnes similiter credebant ei; sed omnes viderunt in Filio Patrem: invisibile etenim Filii Pater, visibile autem Patris Filius... Agnitio enim Patris Filius, agnitio autem Filii in Patre et per Filium revelata: et propter hoc Dominus dicebat: " Nemo cognoscit Filium nisi Pater: neque Patrem nisi Filius et quibuscumque Filius revelaverit " (cf. *Mt.* 11, 27) ».[5] Qui Filio unigenito Patris credendo adhaerent et ipsi ut filii Dei adoptantur (*Io.* 1, 12) accipientes Spiritum Filii, qui clamat in cordibus: « Abba Pater » (*Gal.* 4, 6).

Sicut Filius a Patre missus notificat Patrem, ita Spiritus Sanctus, qui est Spiritus veritatis, inspirat veritatem.[6] Spiritus virtutem et efficacitatem dat verbo Dei per interiorem unctionem, qua aperit cor ad oboediendum Filio Dei, Spiritus Sanctus enim introducit in profunda eorum quae Christus gestis et verbis revelavit. Apostolis vivam memoriam profundiorem intelligentiam inspirans mysteriorum Christi (*Io.* 14, 26; 16, 12-13) omnibus aetatibus verbum Dei praesentem reddit et cuicumque generationi salubriter operantem. Spiritus ita prosequitur missionem Filii, non loquens de seipso, sed clarificans et explicans gesta et verba Christi (*Io.* 16, 14). Ita Spiritus

---

[3] S. Irenaeus, *Adv. haer.* V 20, 2.

[4] S. Irenaeus, *Adv. haer.,* IV 6, 7.

[5] S. Irenaeus, *Adv. haer.,* IV, 6, 6-7.

[6] Ita S. Thomas Aqu., In *1 ad Cor.,* cap. 2, lect. 2: « Spiritus Sanctus est Spiritus veritatis... his quibus mittitur inspirat veritatem, sicut et Filius a Patre missus notificat Patrem ».

introducit Ecclesiam in profectum intelligentiae, scientiae ac sapientiae tam singulorum quam omnium,[7] ut Ecclesia cuiuscumque aetatis quaestionibus respondeat, ut maxime apparet in Conciliis Oecumenicis, de quibus recte dicitur: « Spiritus hic adest ».[8]

24

EXC.MUS P. D. IACOBUS KOMBA

Episcopus tit. Thignicensis, aux. Peramihoensis

Cap. VI, n. 21, pag. 43, lin. 27: loco « ut Ecclesiae sustentaculum ac vigor » scribatur: « *ut Ecclesiae in essendo sustentaculum, in operando vigor, in generando foecunditas* ». Additur foecunditas quia verbum Dei in se est foecundum generans Ecclesiae novos filios praebendo lumen fidei, praedicatione apostolorum eorumque successorum. Hoc in casu « Ecclesiae » est dativus commodi. Etsi hoc sit luminiculum, tamen dignum est considerationis commissionis in schemate reficiendo. Puto et me Spiritum Sanctum habere.

25

EXC.MUS P. D. CONSTANTINUS CHRISTIANUS LUNA

Episcopus Zacapensis

Cap. I, n. 3, linn. 16-18. Dicitur in textu schematis: « Deus qui in Verbo suo omnia creavit et in ipsa rerum natura perenne sui testimonium hominibus ostendit (cf. *Rom.* 1, 19-20; *Act.* 14, 15-17) ... ».

Textus, prout iacet, utramque affirmationem, scil., et quod Deus « in Verbo suo omnia creavit » et quod « in ipsa rerum natura perenne sui testimonium hominibus ostendit », in citationibus allatis fulciri, nempe ad *Rom.* 1, 19-20 et in *Act. Ap.* 14, 15-17, suggerere videtur.

Iamvero, hoc omnino rite dictum non est.

Allati enim sacri textus, etsi loquuntur quidem de naturali cognitione Dei ex rerum natura, nihil tamen dicunt de creatione a Deo peracta « in Verbo suo ».

Praeterea, vox « Verbum » littera magna scribitur, quod innuere videtur agi de Verbo Dei incarnato, i. e., de Iesu Christo, *in* quo, *in* quem et *propter* quem, iuxta S. Pauli doctrinam, omnia creata sunt.

Textus ergo schematis deficiens quodammodo est in citationibus biblicis et obscuritate quadam laborat.

Propono igitur alterutram huiusmodi emendationem:

1. Vox « verbum » scribatur littera parva. Et insuper, post primum

---

[7] Cf. Conc. Vat., sess. III, cap. 4; DENZ. 1800.

[8] Paulus Papa VI in inaugurali sermone tertiae sessionis Concilii Vaticani II.

incisum, afferendi sunt aliqui loci Sacrae Scripturae Veteris Testamenti, quibus expresse affirmetur Deum omnia creasse *verbo suo*. Paragraphus ergo sic se haberet: « Deus qui in verbo suo omnia creavit (cf. *Ps*. 33, 6; *Sap*. 9, 1; *Eccl*. 42, 15) et in ipsa rerum natura perenne sui testimonium hominibus ostendit (cf. *Rom*. 1, 19-20; *Act*. 14, 15-17)... ».

2. Retineri quidem potest vox « Verbum » littera magna scriptum. Sed interpretandum est de Verbo incarnato, de Iesu Christo. Et ad hunc primum incisum, sic intellectum, addendi sunt loci sacri ex Novo Testamento, in quibus affirmatur Deum omnia creasse *in* Christo, *in* Christum et *propter* Christum. Hi loci sunt, inter alios, *Rom*. 11, 36; *Col*. 1, 16; *Hebr*. 1, 2. Paragraphus ergo sic se haberet: « Deus qui in Verbo suo omnia creavit (cf. *Rom*. 11, 36; *Col*. 1, 16; *Hebr*. 1, 2) et in ipsa rerum natura perenne sui testimonium hominibus ostendit (cf. *Rom*. 1, 19-20; *Act*. 14, 15-17)... ».

Si haec paragraphus sic intelligatur, magis Christologica evadet. Finis enim in quem tota revelationis praeparatio intendit, iam ab initio paragraphi indicaretur.

26

REV.MUS P. D. PETRUS MALEDDU
Praefectus apostolicus Hinganfuensis

In cap. II. a) Quoad titulum: « De divinae revelationis transmissione » puto melius adiungere *sottotitolo*: i. e. « de S. Scriptura, de traditione et de Ecclesiae vivo et infallibili magisterio », nam ut optime dicitur pag. 17 (linn. 26 ss.) « patet S. Traditionem, S. Scripturam et Ecclesiae magisterium, ita inter se connecti et consociari, ut unum sine aliis non consistat etc. ».

b) In textu declarandum videtur quod sine infallibili et vivo Ecclesiae magisterio, fideles (catholici et etiam protestantes!) nescirent quanam Scriptura et traditio credenda et accipienda sit tanquam a Deo revelata.

c) In toto schemate bene loquitur de S. Scriptura. De traditione vero non satis loquitur. Credo sia pericoloso, in questioni di fede, indulgere a preoccupazioni ecumeniche.

27

EXC.MUS P. D. IOSEPH MARTENETZ
Episcopus tit. Soldaiensis

Cap. IV, n. 15, pag. 34, lin. 4 vox « imperfecta » immutetur per « *incompleta* », ne ansa praebeatur putandi libros V. T. quibusdam vitiis inquinatos esse.

Melius cohaeret cum eis quae sub n. 16, linn. 18 et 19 declarantur: « in Novo (T) significationem suam *completam* acquirunt ».

28

EXC.MUS P. D. GREGORIUS MODREGO Y CASÁUS
Archiepiscopus-episcopus Barcinonensis

Laus schematis, in genere. Schema constitutionis *de divina revelatione* mihi sincere placet.

Laudandum est in ipso sanum « aequilibrium », quo diversae legitimae « tendentiae », inter catholicos auctores hodie vigentes, servatis veritatis iuribus, in practicam concordiam reducuntur.

Meo positivo suffragio non obstat persuasio quod, aliis in adiunctis, schema diverso modo, imo meliori, fieri potuisset.

Laudandus quoque *sensus pastoralis* quo schema perfunditur.

Laudandus praesertim gressus qui positive factus est ad redintegrandam « identitatem scaturiginis » (cf. n. 9) ex qua et Sacra Traditio et Sacra Scriptura promanant, adeo ut ambae, inter se connexae et invicem communicantes, fiant pro populo Dei indivisibilis thesaurus verbi Dei, in quo « Cor Dei discat, ut ardentius ad aeterna suspiret ».

Observationes ad schema, in genere. In « redactione » litteraria apparent notabiles differentiae inter diversa capita, immo intra idem caput. Non parvum faveret « perfectioni » schematis si fieret aliqualis « revisio », ad saltem minuendam inaequalitatem « styli ».

Citationes et allusiones biblicae quandoque fiunt modo, ut ita dicam, aliquatenus « materiali »; scil. textus e suo contextu evelluntur et diverso contextui simul cum pluribus aliis affiguntur, ita ut « redactio » resultans fere adsimiletur systemati laboris illius qui « opus musivum » dicitur. Fortasse « mens biblica » melius adhuc effulgeret per « adsimilationem » doctrinae, spiritus, rationis cogitandi et sentiendi Librorum Sacrorum quam per congeriem « citationum » ad litteram.

« Proportio » inter diversas schematis partes fortasse non respondet « obiective » titulo ipsius prout iacet. Omnino praevalet (quod minime improbatur) attentio ad Sacram Scripturam (pmv. 60% linearum). Titulus « obiectivus » fere esset: « De divina revelatione, ac praesertim de Sacra Scriptura » (sed, ut patet, talis titulus vix opportunus esset, cum nimis locutionem scholarem redoleat).

Ut supradictus « defectus proportionis », saltem aliqualiter, minueretur, fortasse non esset absonum addere, in capite II, brevem et sobriam adhortationem in ordine ad « usum in Ecclesia » scriptorum illorum in quibus « Traditio-non-biblica » speciali modo continetur (praesertim operum SS. Patrum!). Prostant etiam in illis inexauribiles thesauri scientiae et sapientiae, allicientes ad lectionem, orationem, studium, imitationem, diffusionem. Talis adhortatio extendenda foret ad ferventiorem et penitiorem cognitionem, atque — ut ita dicam — « devotionem » erga documenta, etiam « non extraordinaria » magisterii ecclesiastici (et pontificii et episcopalis).

Haec prudens additio pleniorem redderet, meo iudicio, « sensum pastoralem » schematis.

Observationes ad schema, in specie.

Ad prooemium. N. 1. Cum textus S. Ioannis proponatur initio veluti « tessera » et fere « programma » totius schematis, opportuna esset mentio duarum « notarum », quae in conceptu pleno revelationis christianae essentiales videntur: « *Apostolatus* », scil., et « *Testimonii* ». Sufficeret ita simpliciter introducere citationem: « *Sacrosancta Synodus testimonio Ioannis apostoli obsequitur scribentis*: ... ».

Ad cap. I, n. 2, *litt. B.* Cum citetur pulcherrimus textus *Eph.* 1, 9, in quo praedicatur « *sacramentum* (nonne aptius: mysterium?) *voluntatis* » Dei Patris, fortasse « mens biblica » desiderat expressionem explicitam huius « Mysterii », scil., verbis apostoli, « *instaurare* (anakephalaiósasthai!) *omnia in Christo* ». In hac expressione effulget « ambitus cosmicus » revelationis — qui latius patet quam ipsa sanctificatio *hominum.* (Schema, in hoc capite, nondum liberatum est omnino ab aliquo, ut ita dicam, « anthropocentrismo »).

In ipso ordine sanctificationis hominum et eorundem elevationis ad consortium divinum, deesse videtur illud quod est maxime characteristicum *Novi Testamenti,* nempe, donum amoris Patris quo homines redempti Filii Dei nominantur, et *sunt!* Quotiescumque « dignitas christiana » extollitur in schemate, ni fallor, momentum huius filiationis non sufficienter aestimatur.

Itaque, n. 2-B ft. sic, pmv., redigi posset: « ... et notum facere mysterium voluntatis suae, instaurare scil. omnia in Christo (cf. *Eph.* 1, 9-10), per quem, Verbum caro factum, homines gratia salvati et in adoptionem filiorum Dei divinae naturae consortes effecti (cf. *Eph.* 2, 5-10; *2 Pt.* 1, 4), credentes, sperantes amantesque in Spiritu Sancto accessum habent ad Patrem (cf. *Eph.* 2, 18) ».

Litt. C. Ex una parte, gratum esset theologis et catechetis si facilis « definitio notionalis » revelationis in textu includeretur (liberata ab additamentis « litterariis » et « spiritualibus »). Ex altera parte, videtur aliqualis exaggeratio, includere « modum »: *tamquam amicos* in ipsa notione revelationis (etiam in ordine historico, nam, de facto, sicut ex ipsis textibus citatis apparet, talis « modus » adhibebatur pro solis « praedilectis » aut in culmine revelationis). Itaque, ft. ita redigi posset: « Hac itaque revelatione Deus homines alloquitur, imo, ex abundantia caritatis suae cum ipsis tamquam cum amicis et cum filiis agit (cf. ...) et ad intime conversandum invitat et admittit (cf. ...) in communione cum Patre et Filio et Spiritu Sancto ».

[Veluti « definitio notionalis » (in ordine dynamico), manet: Revelatione *Deus homines alloquitur.* Mentio « attributi » invisibilitatis omitti potest, cum facile supponatur ex contextu theologico christianismi].

Litt. E. Citatio « *Io.* » aptius sic redditur: « *Io.* 1, 14 et 16-18 ». Optima esset etiam citatio *Mt.* 11, 25-27.

[E contra, textus 2 *Cor.* et *Eph.* minus perspicui apparent ad confirmandam ideam in schemate expositam].

N. 3. Mentio Dei *Patris*, in textu documentali adeo « praeciso » ut debet esse schema, ft. deberet considerari ut exclusive characteristica Novi Testamenti. In V. T., Deus aliquando « dicitur » Pater; in N. T. revelatur — et saepissime in memoriam revocatur — quod *est* Pater.

N. 4. « Redactio » videtur nimis implicata. Bonum esset si in formam magis dilucidam redigeretur.

Etsi aequivalenter optime dicitur, ft. pro mentibus simplicioribus conveniens esset mentio explicita *divinitatis* Christi. (V. g. in litt. C-D, ft. sic exprimi posset: « Iesus Christus ergo, Deus et " homo ad homines " missus, hominibus verba Dei loquitur »...).

Nn. 5 et 6. Minus placet inversio ordinis. Bona methodus postularet ut primum omnia de *revelatione* (qua Deus homines alloquitur) concluderentur, et postea de *fide* (qua homo locutionem Dei « acceptant ») sermo institueretur.

Opportunum igitur esset redire ad ordinem priorem (6-5).

N. 5. Notiones praecisae, traditionales, fere « scholares », optimae de Fide traduntur. Sed desideratur *insuper* aliqua descriptio fere, ut ita dicam, « kerygmatica » — ne nimis abrupte diversus appareat « tonus » in comparatione cum iis quae prius dicta sunt, stylo adeo « vivido », de revelatione.

Ft. pulcherrimae suggestiones erui possent e tertia parte Litt. Enc. *Ecclesiam Suam,* ubi scil. S. Pont. de religione agit ad modum « dialogi » Dei cum hominibus. Per fidem homines « respondent verbo Dei » — mente, corde, voluntate, operibus, vita.

Ad cap. II, n. 7. *Litt. H.* Quae in toto n. 7 dicta sunt, optima et peropportuna sunt. Sed « logica » minus apparet cum concluditur: « Sacra *igitur* traditio et *Sacra Scriptura...* » — nam, quae dicta sunt per se afficiunt solum Novum Testamentum. Aliquo modo deberet saltem innui quo modo tota Sacra Scriptura (etiam V. T.) intrat in « flumen transmissionis verbi Dei in Ecclesia ».

N. 8. *Litt. K.* Ft. melius: « SS. Patrum *scripta* ». Reapse, in ordine ad « transmissionem », ea tantum manent quae « scripta sunt ». « *Dicta* » suggerere videtur potius « effata », quod minus patet quam thesaurus « scriptorum » Patrum.

(Si ft. vitatur vox « scripta » ne fiat confusio cum « Scriptura » (?), hoc procederet ex scrupulo inducto ab inexacta, etsi vulgata, expressione: « Traditio *oralis* »...).

Litt. I. Comparatio cum « muliere evangelica », ut candide fatear, neque « exegetice » neque « aesthetice » valde commendatur...

Litt. N. In exponenda ferventi et optima idea, ft. praecaveri deberet (in ordine ad totum contextu doctrinalem) ne quis intellegat « revelationem »

(= locutionem Dei ad populum suum), formaliter ut talem, adhuc perseverare et perennem fieri in Ecclesia (contra n. 4 F).

N. 9. *Litt. A.* Iterum videtur deficere « logica ». Nam, ex praedictis, nunc agendum esset « De Novo Testamento » — non « De Sacra Scriptura ». (Etenim, « praedicatio apostolica » — cf. n. 8 B — « speciali modo exprimitur in inspiratis libris » *Novi Testamenti*...).

[Ni fallor — modeste dico — « *sensus Veteris Testamenti* » non parum deficit in toto complexu schematis, etiamsi postea nonnulla de ipso dicantur. Insuper, ft. nimis absolute praetervolatur quaestio an etiam ante Christum vera exsisteret « traditio » in populo Dei].

Litt. B-C. Ft. opportunum esset explicite dicere quaenam sit « eadem divina scaturigo » et s. traditionis et S. Scripturae (scil. « Revelatio », seu « Verbum Dei ad homines »). « Definitio » (seu « descriptio » notionalis quae inseritur tum Scripturae tum traditionis minus dilucide effert hanc *identitatem* scaturiginis (nam, etiam in traditione, potuisset sublineari character essentiale, scil. quod et ipsa sit « fontaliter » Verbum Dei).

Ni fallor, in « definienda » traditione excluduntur veritates (mens, mandata, etc.) quas apostoli a Spiritu Sancto, post Ascensionem Christi, potuerunt accipere. [Nisi « Christus » intellegatur: « etiam glorificatus » — quod pro simplici lectore vix obvium est].

Ad cap. III. Cum fere omnia resumantur ex documentis recentibus magisterii ecclesiastici, vix aliud adnotari potest nisi dubium aliquale de necessitate, sive opportunitate, iterum repetendi et sublineandi ea quae ft. in « pacifica possessione » apud fere omnes sunt. Sufficere potuisset inculcatio reverentiae et oboedientiae erga illa Documenta.

Agendo de « criteriis interpretationis », ft. incipi potuisset a normis quae respiciunt adspectum « theologicum » Sacrae Scripturae. Cum, vero, fere semper Magisterium prae oculis habeat laborem « humanum » exegetarum catholicorum (imo, cum talis labor soleat fieri, de facto, sub beneplacito magisterii, fons intellegentiae Sacrae Scripturae in Ecclesia), opportune et generose adiungi potuisset, post « criteria theologica », etiam paragraphus pmv. prout exstat ad confirmandas regulas, hodie ab omnibus admissas, de « interpretatione litteraria ».

In n. 13, incisus: « *salva semper Dei veritate et sanctitate* » dilucidior evaderet si transponeretur ad finem. Scil.: « Quae omnia manifestam statuunt... etc. ... quoad omnia simile factum est, salva semper Dei veritate et sanctitate ».

Notio « condescendentia », cum non omnibus facilis evadat in suo pleno sensu (ad mentem, scil. S. Ioannis Chrysostomi), fulcienda esset citatione alicuius « fontis » (v. g., Litt. Enc. *Divino afflante Spiritu,* e quibus, sine dubio, deducta est).

Ad cap. IV. N. 15. Ni fallor, utilitas Veteris Testamenti (scil. Librorum Veteris Testamenti) pro christifidelibus uberius exponi posset.

V. g., magna pars « orationis liturgicae » in Ecclesia textus ex V. T. deprompsit, mente quidem et oculis « christianis » eos perlegendo.

« Theologia biblica » V. T. thesauros perennes doctrinae fundit, quibus magna pars theologiae christianae constat, etc.

Ideo, ft. numerus accuratius et « generosius » iterum redigi posset.

Ad cap. V. N. 17. Textus *Eph.* 3, 4-6 ft. non sufficienter « clarus » est, neque in seipso neque in contextu textus conciliaris. Dubitari quis potest de quibusnam « Prophetis » agatur. Imo, vox « apostoli » non necessario, in Epistula, ad Collegium Duodecim refertur.

N. 19. Dubitarem num exagitatae quaestiones, quarum « echus » in hoc numero resonat et quarum « conclusiones » optime, etsi arctissime, in eo condensantur, adeo « permanentes » sint ut, paucis elapsis annis, hic textus conciliaris in periculum non incidat exhibendi doctrinam et modum loquendi, si non « inexactum », certe « antiquatum ».

« Hodie », certe, pulcher et vere scientificum apparet. Aliqua, ft., aut impraecisa aut non omni ex parte « obiectiva » sunt (v. g. phrasis: « formam praeconii retinendo ». Nescio quid exacte sibi velit. Si est « versio mentalis » vocis « technicae » Novi Testamenti quae graece « kerygma » dicitur, aestimo quod non omnes boni exegetae affirmationem admittent *pro toto Evangelio*).

Etsi aequivalenter dicatur, magis placeret si, absque timore, sermo fieret intra textum « de valore historico Evangeliorum » (nunc dicitur pmv. in titulo, sed postea titulus omittitur).

N. 20. Cum adeo excellat persona et doctrina S. Pauli in Novo Testamento, optandum esset ut mentio explicita fieret de ipso.

Quae dicuntur in littera D, nescio an omnino opportuna sint in hoc contextu. Possunt esse Libri in Novo Testamento omnino a non-apostolo exarati, quorum « valor » omnino idem theologice esset, cum pendeat formaliter a charismate inspirationis, non a charismate apostolatus (cogita, v. g., de Libro Actuum, qui est adeo « personalis » Lucae...).

* * *

Sermonem instituo de cap. VI schematis constitutionis *de divina revelatione.*

Scripto tradidi commissioni fasciculum, in quo nonnulla (circiter triginta) observationes proponuntur eo consilio ut textus, quoad fieri possit, accuratior evadat. Etiam de ceteris capitibus confeceram elenchum « observationum ».

Hae tamen « observationes », generatim, minima tangunt, nam cap. VI — sicut integrum schema — mihi sincere et positive placet propter sanum aequilibrium in doctrina, et ratione habita « sensus pastoralis » quo perfunditur.

Stylus autem redactionis, citationes — praesertim biblicae —, nexus logicus et psychologicus inter diversas sententias, imo quandoque ipsa connexio syntactica non semel, sub aliquo saltem adspectu, paululum deficiunt. Nimis advertitur diversitas plurium redactorum in unum confluentium. Ab his omnibus (quae ceterum accidentalia videntur) nunc praescindo, cum de ipsis prolixe scripserim in fasciculo de quo supra.

Sunt alia minus accidentalia, sicut, v. g., imprecisiones conceptuales, terminologia parum fixa, defectus proportionis inter diversa themata, etc., de quibus iam alii sermonem fecerunt in aula, et quae etiam in praedictis scriptis animadvertuntur.

Nunc, igitur, omissis his omnibus, modeste proponam attentioni vestrae tres suggestiones, quae materiam cap. sexti respiciunt.

Ad modum parentheseos, exemplum aliquod « observationum »:

Agitur de prima paragrapho cap. VI, scil., de n. 21 (pag. 43):

In textu S. Irenaei, vox « Scripturae » refertur exclusive ad quattuor Evangelia, per quae apostoli tradiderunt posteris suum orale praeconium de Christo. Consequentia, igitur, quae in linn. 7-9 exprimitur, nimis patet. Logice, per particulam « ergo » hoc stricte deducitur: « praedicationis apostolicae testimonium eximium sunt sancta quattuor Evangelia ». Clarior evadit haec consequentia si legitur totus contextus, notissimus, textus Irenaei. Ex conceptu generico « Scripturae » (qui conceptus, ut dixi, sine « logica » introductus est), statim transitus fit ad notionem « regulae fidei », quatenus Scriptura simul cum traditione depositum revelationis constituit. Sed ex hac amplissima notione, statim applicatio practica deducitur quae ad solam Scripturam applicatur (et quidem, si ad litteram et non ad mentem attendimus, modo inexacto; nam ea quae in linn. 20-23 dicuntur, non de Scriptura, sed de toto thesauro revelationis qua tali exclusive valent). Iterum gressus fit ad conceptum « verbi Dei » in genere — stylo redactionis diverso, et quidem parum « fluente » — ut tandem citentur textus biblici, quorum nullus ad Scripturam applicatur (de qua, ut videtur, sermo principaliter fit in hac paragrapho et in toto capite). Textus illi, vel referuntur ad verbum Dei in amplissimo sensu theologico (connotando promissa quae continet, sicut *Hebr.* 4, 12), vel agunt de praedicatione apostolica (ut *1 Thess.* 2, 13), aut probabiliter neque grammaticaliter ad « verbum Dei » connectuntur, sicut *Act.* 20, 32 (qui in versione Vulgata, iuxta quam citatur, certo refertur non ad vocem « verbo gratiae », sed ad vocem « Deo... qui potens est, etc.).

Uno verbo: tota paragraphus conflata videtur ab « incisis » inter se parum connexis; ordo psychologicus parum perspicuus est, nam multo melius fuisset incipere a notione « verbi Dei », quae tandem apparet in linn. 24 ss., ex qua reliqua deducuntur — et non praecise ex praeconio apostolico. « Oscillatio » constans fit a conceptu Evangelii, ad notionem Scripturae in genere, ad ideam revelationis...

Quamvis, igitur, haec paragraphus in genere placeat et opportune introducat reliqua quae in capite proponuntur, nihilominus videtur iterum

redigenda accuratius, cum meliori ordine, magis servata proprietate et constantia idearum et verborum.

Suggestio prima. Cap. VI praebet (ut ita loquar) « dimensionem pastoralem » schematis *de revelatione,* adeo ut considerari possit velut ipsius corona et complementum.

Nam, cum in revelatione veritas Dei communicetur hominibus « ut Vitam habeant » (cf. *Io.* 10, 10), nihil proficeret homini cognitio Veritatis nisi fructus afferret in vita sanctitatis.

Quapropter, consentaneum est magnam partem huius cap. VI consistere in adhortationibus tradendis, seu consiliis inculcandis, quae praxim vitae respiciunt.

Ex his consiliis multa, imo fere omnia, iam prius tradita erant et inculcata in documentis magisterii ecclesiastici, quorum nonnulla citantur in notis.

Liceat mihi, quasi per transennam, in memoriam revocare documentum aliquod conciliare, fortasse minus cognitum, quod nihilominus considerari fere posset velut « antecedens historicum » huius cap. VI.

Scil. decretum secundum sessionis V Concilii Tridentini (17 iunii 1546) « super lectione et praedicatione » Sacrae Scripturae.

In decreto illo, postquam firmiter statutum est habendam esse methodice lectionem, expositionem et interpretationem Sacrae Scripturae in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, in monasteriis et in conventibus religiosorum, haec verba adduntur, quae lego: « *In gymnasiis etiam publicis, ubi tam honorifica et ceterorum omnium maxime necessaria lectio hactenus instituta non fuerit ... instituatur* » (Decr. 2 Sess. 5, 17 iun. 1546; Conc. Trid., edit. Görres., 5, 241-242).

Ad mentem, igitur, et iuxta votum illius Concilii, nostris quidem temporibus aptatum, liceat modeste proponere ut etiam in cap. VI nostri schematis consilium explicitum inseratur de methodica lectione et explicatione Sacrae Scripturae instituenda, secundum normas paedagogicas, in omnibus scholis catholicis cuiusvis gradus.

Sub alio respectu, fortasse praecavendum esset ne salutaria consilia, quae inculcantur in hoc ultimo capite schematis *de revelatione,* modicum fructum afferant, cum non semel accidat — ut patet ex quotidiana experientia humana — quod consilia facilius dentur quam serventur.

Opportunum igitur videretur instituere aliquod efficax instrumentum actionis pastoralis, concretum et permanens, ad fovenda, coordinanda, recto tramite ducenda ea omnia incoepta, quae in constitutione conciliari prudenter delineantur.

Tale instrumentum permanens posset esse « secretariatus » aut « commissio », a singulis coetibus episcoporum instituenda, sub eorum ductu, favore et vigilantia. Huic « secretariatui », sive commissioni, coetus episcopalis sanctum esset ad propriam regionem traducere et efficacia reddere ea quae, ab apostolica Sede, de re biblica pro tempore edicantur.

Suggestio altera: Cap. VI, tam in initio quam in fine, suum facit traditionalem parallelismum, iuxta quem Sacra Scriptura et Sacra Eucharistia inter se comparantur, et sub aliquo respectu similia apparent.

Liceat innuere aliquam, ut ita dicam, « prolongationem » pastoralem huius parallelismi seu similitudinis:

Panis eucharisticus ab Ecclesia distribuitur seu datur suis filiis ad altare congregatis.

Sanctum esset et iucundum si, analogo modo, Ecclesia ipsa per suos sacros administros, non solum proclamationem et explicationem verbi Dei suis filiis ad altare impertiret, sed etiam ipsis generose traderet, velut maternum donum, Sacram Scripturam — quam, sicut sacrum thesaurum custodiendum, tuendum et elargiendum, a Deo accepit.

Haec elargitio Libri sacri posset celebrari ritu quodam intime religioso, sapienter paedagogico.

Traditio fieret non semel tota, sed gradatim. Primum Evangelia, dein Novum Testamentum, denique Biblia integra. Et haec quidem in arcta connexione cum principalioribus momentis initiationis et conformationis pueri sive iunioris in vita christiana, qualia sunt « prima communio », confirmatio, etc.

Omitto plura particularia — cum, ceteroquin, praxis quae innuitur iam alicubi, saltem ex parte, floreat. Idea fundamentalis quae subest haec est: sicut filii Ecclesiae ab ea recipiunt panem eucharisticum, simili — etsi analogo — modo multum iuvaret aestimationi et amori verbi Dei si etiam Librum sacrum, in quo verbum continetur et loquitur, e manibus Ecclesiae, statutis vitae suae christianae diebus, accepissent — utpote pretiosum donum eius, quae ipsorum Magistra est et Mater.

Relinquo iudicio commissionis num haec idea seu suggestio, aliquo modo, innui saltem possit inter cetera optima incoepta quae in ultimo capite schematis proponuntur.

Tertia, et ultima, suggestio. Cap. VI ferventer adhortatur ad multiformem diffusionem Sacrae Scripturae. Omnes christifideles ad eam legendam invitantur; imo, indirecte saltem, etiam non christiani.

Ex operibus Sanctorum Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum fere innumeri possunt colligi textus, in quibus idem consilium fidelibus profertur et urgetur, legendi scil. et perlegendi Sacras Paginas. Ideo laudandum est schema etiam propter hoc, quod sequitur lineam vere traditionalem in Ecclesia.

Sed a Patribus, itemque Scriptoribus, cum magna frequentia et instantia, sermo fit quoque de difficultatibus et obscuritatibus quibus Scripturae scatent.

Ex his autem difficultatibus, duplicem considerationem derivant:

Prior ea est, quod non sine debita praeparatione et dispositione fructuose legitur Sacra Scriptura;

Altera, quod lectionem comitetur oportet oratio. Unde praxis fere spontanea stabilita fuerat in traditione ascetica, necnon in liturgica, praeponendi adaequatam precem lectioni biblicae.

Ad hanc duplicem considerationem (quae innumeris textibus illustrari posset, si tempus sufficeret) nescio num schema sufficienti claritate respexerit.

Unde reverenter censeo valde conveniens esse quod simplicibus et apertis verbis dicatur necessariam quoque praeparationem et dispositionem procurandam esse ut lectio biblica fiat reapse fons vitae et sanctitatis.

Et denique, quod aptis verbis consulatur ut, simul ac legitur, et oratio exerceatur ad modum « dialogi » cum Patre, adeo ut Scriptura eo Spiritu legatur quo est facta, et pro omnibus sit vivum et efficax consilium Gregorii Magni ad Theodorum: « Disce cor Dei in verbis Dei » (*ML* 77, 706 B).

29

Exc.mus P. D. EMMANUEL A IESU PEREIRA

Episcopus tit. Praenetiensis, aux. Conimbricensis

Quaedam adnotationes ad cap. II. Indubitanter Patres Concilii Tridentini in decreto *Sacrosancta,* quia protestantes docebant nihil esse in Ecclesia recipiendum ut revelatum, quod in sacris Litteris non reperiretur, exsistentiam traditionum oralium apostolicarum definire voluerunt: « Hanc veritatem et disciplinam contineri in *libris scriptis et sine scripto traditionibus* quae ab ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt ».

Quia reformatores docebant *solam Scripturam* esse revelationis fontem, Tridentinum alium fontem revelationis, nempe, traditiones orales apostolicas, quae, sensu obvio, sunt traditiones sic dictae *constitutivae,* quae veritates revelatas, quae neque semper ex Sacra Scriptura constant, continent. Aliter Decretum Tridentinum inintelligibile fit.

Idem, obvio sensu, constat a *Catechismo Tridentino ad Parochos*:

« Omnis autem doctrinae ratio, quae fidelibus tradenda sit, verbo Dei continetur, *quod in Scripturam traditionesque distributum* ».

Theologi qui Tridentino affuerunt, ita intellexerunt Tridentini definitionem: « Multa sunt in Ecclesia quae de iure esse divino nullus catholicus ambigit, tametsi ostendi satis nequeunt ex Scripturis » (Vega). Ad Calvinum ipse ad modum dialogi dicit: « Quia contemnis definita a Patribus in hoc Concilio Tridentino sessione IV et fidem adeo vis pendere a Scripturis, ut nec *illas traditiones,* quae sine scripto a Christi ore, vel ab apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt, ad fidei doctrinam spectare credas » (et veritates has a traditione tantum doctas ennumerat — perpetuam Mariae virginitatem, septenarium numerum sacramentorum, imaginum reliquiarumque cultum, canonem Sacrae Scripturae).

Idem sentiunt *Theologi post-tridentini,* v. g. S. Petrus Canisius, S. Robertus Bellarminus, Cano, etc. Hic scripsit: « Stultum esse solam ex Scriptura omnia fidei dogmata demonstrare conari ».

Idem est ac asserere contineri in traditionibus apostolicis revelationes *constitutivas.*

Vaticanum I idem, obvio sensu, docet: « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae *in verbo Dei scripto vel tradito continentur...* » (*DB* 1871).

Cum haec ita sint, immerito videtur Geiselmann abhinc paucis annis aliter rem intellexisse, docens Tridentinum minime proposuisse exsistentiam traditionum oralium constitutivarum, quia revelatio materialiter tota continetur in sacra Scriptura. Non sunt plurimi qui ita rem intelligunt, nempe, Bibliam esse unicum Revelationis fontem, i. e. non dari traditiones *constitutivas sed tantum exegeticas seu interpretativas.* Ad hoc praecipue advenerunt ob praeoccupationes oecumenicas, i. e., ob desiderium iter minuendi quod catholicos et protestantes separat.

Lamentandum est quosdam Patres Concilii Vaticani II ob eiusmodi conamen oecumenismi nolle in constitutione *de divina revelatione* agi profundius de traditione. Itaque Patres Tridentini et Vaticani I de traditione frustra fere sudaverunt si de traditionibus constitutivis non egerunt, sed tantum de traditionibus exegeticis et interpretativis. Frustra cum protestantibus theologi post-tridentini usque ad Geiselmann pugnaverunt. Retrocessus itaque, ut videtur, in doctrina de traditione datus est.

Quidam Patres Vaticani II libenter rem derelinquunt et traditio constitutiva manet ut quaestio libere disputata, quod fere idem est ac asserere solam Scripturam esse fontem Revelationis.

Quid sentient protestantes de definitionibus Tridentini et Vaticani I, de Pio IX (Ep. *Inter Gravissimas*), de Leone XIII (Enc. *Providentissimus Deus*), de Pio X (Motu proprio *Bibliorum Scientia*), de Pio XII (Enc. *Humani Generis*), de Ioanne XXIII (Enc. *Ad Petri Cathedram*)... docentibus totum depositum fidei inveniri in Sacris Litteris ac divinis traditionibus?

Quid cogitabunt de Ecclesia catholica inculcante doctrinam v. g. de Assumptione B. M. V., nomine traditionis, si revelatio tantum in Scripturis contineatur?

Haec solutio non erit illis oecumenismo, sed scandalo et confirmationi in vetere errore — « sola Scriptura ».

His mature perpensis, humiliter propono: 1. ut de Traditione profundius agatur in constitutione *de divina revelatione* ita, ut tota materia spectetur sub omnibus aspectibus. Secus cur de traditione actum est in Vaticano II? 2. Vel saltem in constitutione transcribantur verba Vaticani I et Tridentini, ne saltem doctrina videatur minui aut recedere, quod oecumenismo non faveret, sed contra.

30

EXC.MUS P. D. URBANUS M. PERSON

Episcopus tit. Cymaeus, vic. ap. Hararensis

A mon avis ce schéma est très bon, et il contribuera beaucoup à donner une orientation vraiment « chrétienne »[1] aux études théologiques.

Cependant qu'il me soit permis de faire remarquer après beaucoup d'autres, d'ailleurs, que le rôle de la foi n'y est pas assez mis en évidence. Ainsi:

Page 16, ligne 14: « Viva haec traditio crescit tam rerum quam verborum intelligentia ». Cela est vrai à condition qu'il s'agisse de l'intelligentia éclairée par la foi; et je propose qu'on ajoute au texte: intelligentia « a fide illustrata ».

Page 45, ligne 8: « Sacrae paginae studium sit veluti anima Sacrae Theologiae ». Ce n'est pas le « studium » qui est l'âme de la S. Théologie, mais bien plutôt la foi. C'est en effet la foi qui guide le fidèle dans l'étude de la Ste Ecriture, de façon qu'il atteigne Dieu à travers les paroles de l'Ecriture. La Sainte Ecriture serait plutôt le miroir où le fidèle éclairé par la foi distingue les traits de Dieu et du Christ, comme il est dit dans le même schéma, page 15, ligne 27: « Traditio et sacra Scriptura veluti speculum sunt in quo Ecclesia contemplatur Deum »: ce qui correspond bien aux paroles de S. Paul: « nunc autem per speculum et in enigmate ». Sans la foi l'Ecriture, même la Sainte Ecriture, ne contient que des mots. Seule la foi nous permet d'atteindre la réalité à travers ces mots.

Au point de vue œcuménique, l'insistance sur la nécessité de la foi aidera à nous rapprocher de la Réforme qui a tellement insisté sur la nécessité de la foi en Jésus-Christ, pour être sauvé.

Donc je propose qu'on ajoute au texte précité: Sacrae paginae studium a fide *roboratum* ou *procedens* sit veluti anima Sacrae Theologiae.

31

EXC.MUS P. D. EDUARDUS PIRONIO

Episcopus tit. Caeciritanus, aux. Platensis

Ad cap. VI n. 24. Textus emendatus melior est quam textus prior.

Attamen adhuc divitior evadere potest, praegnans praesertim divitia biblica et liturgica. Ut iacet, textus adhuc exprimit relationem nimis *extrinsecam* inter S. Scripturam et theologiam, ac si theologia esset scientia quae initium haberet ex Scriptura — in ea fundata tamquam in suo primario et perenni fundamento — et non potius scientia quae aedificatur in corde ipso Scripturae Sanctae. Paupertate biblica et liturgica laborat. Theologia

[1] Les expressions « Christologique » ou « Christocentrique » me plaisent moins.

est penetratio intellectualis in verbum Dei revelatum, scriptum et traditum, praesens quotidie factum in Liturgia. Talis praesentatio S. Theologiae, sive Sacrae Doctrinae, stimulus esset pro theologis, sicut in numero praecedenti optime fit pro exegetis.

Oporteret, ergo, ut textus exprimeret haec tria: *a*) characterem biblicum S. Theologiae; *b*) characterem liturgicum S. Theologiae; *c*) Mysterium Christi — centrum S. Scripturae et Theologiae — perenniter « actualizatum » seu re-praesentatum in Liturgia.

1. *Character biblicus S. Theologiae.* Theologia enim est penetratio intellectualis in verbum Dei. Oportet utrumque sublineari: et *intellectualitas* — seu rigor vere scientificus, nam et theologia est vera scientia, immo et suprema omnium sapientia — et obiectum circa quod labor intellectualis exercetur, scil.: *verbum Dei* vivum. Cum theologia sit « quaedam impressio divinae scientiae in nobis », ut ait S. Thomas, et « praelibatio futurae beatitudinis », praeexigit quamdam communicationem Dei homini-theologo (mediante fide et donis Spiritus Sancti), quae communicatio introducit theologum sapide in mysterium vitae intimae Dei. Non enim est concipienda theologia ut systematizatio quaedam veritatum revelatarum, sed ut penetratio intellectualis in ipsum Deum vivum qui sese revelat in tota historia salutis, principaliter in Christo, totius revelationis consummatore.

2. *Character liturgicus S. Theologiae.* Oeconomia salutis, quae initium habuit in foedere antiquo, culmen supremum tetigit in foedere crucis et tandem consummabitur in definitivo foedere eschatologico, quotidie « realizatur » et « actualizatur » in Mysterio Paschali, ubi permanenter Christus se nobis offert simul et ut « Verbum salutis » et ut « Panem vitae ». Theologia igitur debet esse continua communicatio vitalis cum hoc Christo semper in Mysterio Paschali re-praesentato.

3. *Mysterium Christi.* Quamvis obiectum et terminus Theologiae sit unice Deus, i. e., Trinitas beatissima — sicut Trinitas est « finis et fructus totius vitae christianae » (S. Thomas) — « centrum » tamen revelationis, ac consequenter Theologiae ipsius, est Mysterium Christi. Illud nempe Mysterium, quod absconditum a saeculis in Deo, nunc notum factum est prophetis et apostolis, scil.: « Christus in vobis spes gloriae » (*Col.* 1, 26-27).

Conclusio. Proponerem igitur novam redactionem textus iis vel similibus verbis: « Sacra Theologia in verbum Dei revelatum scriptum et traditum tamquam in suum originalem et vividum fontem sapide penetrat, ex eoque vivit et crescit semperque iuvenescit, omnem veritatem in mysterio Christi conditam sub lumine fidei perscrutando. Sacrae autem Scripturae verbum Dei continent et vere verbum Dei sunt; ideoque Sacrae Paginae studium sit veluti anima Sacrae Theologiae. Huius vero Sacrae Doctrinae cultores, in corde continuo verbum Dei meditantes, mysterium Christi « spei gloriae », in revelatione quidem manifestatum et sacra liturgia indesinenter repraesentatum, connaturaliter penetrent et ex eius altissima contemplatione totam historiam salutis sapida scientia collustrent ».

32

EXC.MUS P. D. ROBERTUS POBOŽNÝ
Episcopus tit. Neilenus, adm. ap. Rosnaviensis

Cap. IV: De Vetere Testamento. Festo S. Hieronymi, presbyteri, confessoris et Ecclesiae doctoris in quo Deus Ecclesiae suae in exponendis sacris Scripturis doctorem maximum providere dignatus est, porrigo modestas observationes ad schema constitutionis *de divina revelatione.* Textus emendatus longe superat primum textum, hinc placet.

Liceat tamen nomine etiam huius magni Sancti Hieronymi petere a sacrosancta Synodo, ut pag. 34 in linn. 6-8 inclusive ultima periodus n. 15 sic mutetur: « Unde attente a Christi discipulis legendi et *eximie venerandi* sunt (libri V. T.), speciatim quia vividum sensum Dei *sancti et misericordis* luculenter exprimunt ». *Rationes* sunt:

1. Attenta lectio S. Scripturae quae commendatur in textu non est adhuc eximia veneratio eiusdem. Qui pulchritudinem quaerit textus, vel antiquitatem, iste quoque attente leget S. Scripturam. Divina origo librorum Veteris Testamenti postulat sibi sanctam venerationem istam eximiam, de qua agatur oportet etiam in casu praeter attentam lectionem.

2. Sacrosancta Synodus debet urgere hanc eximiam reverentiam, quia nostra humana natura praesertim nostris temporibus hypertrophia modernae culturae debilitata et infirmata quandam naturalem aversionem persentiscit erga Vetus Testamentum ob crassam duritiem in non paucis partibus librorum Veteris Testamenti, quarum ad illustrationem exempli gratia proferre sufficit sequentes casus.

Sic durum est in V. T. legere multoties iterata praecepta divina populo electo data de exstirpandis inimicis etiam eorum infantibus, et animalibus brutis et comburendis omnibus bonis mobilibus. Qualia mandata acceperant Iudaei adversus Chananaeos, Moabitas etc. Simus memores: mirandus est zelus Dei, quo monotheismum servare intendit inter infideles in electo populo ceterum toties contradicenti et durae cervicis ita, ut cor adamantinum sibi sumere debuit propheta de Dei mandato, quando ad electum populum mittebatur.

Etiam durum est: Super flumina Babylonis sedentes et flentes exsules Iudaei ita respondent Babyloniis rogantibus, ut eis de canticis Sion cantent: Beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram, in Psalmo 136. Multi vellent expungere hunc versum e psalmo.

Multis confratribus durum est in Officio Divino quovis Sabbato ad Nonam orare Psalmum 108 exsecratorium: Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est. Et psalmista sic petit sibi divinum auxilium adversus dolosum peccatorem: Cum iudicatur, exeat condemnatus. Oratio eius fiat in peccatum. Fiant dies eius pauci et episcopatum eius accipiat alter. Et multa similia exempla.

Nobis in Novo Testamento educatis in gratia Dei sancti et miserentis insolitus est hic tonus, ut in sanguine peccatoris manum suam quis lavet, ut in psalmo oramus quavis hebdomada. Sacerdotes petierunt omissionem huius psalmi exsecratorii e Divino Officio. Et responsum merentur semper idem: valde didacticae manent nobis istae difficiles partes in V. T. Qua in maiestate et excelsa altitudine apparet Christi Domini praedicatio, sermo in monte Octo Beatitudinum! Hic Christus Dominus promulgat ut Legislator Novi Testamenti leges caritate plenas et mirabiles etiam erga inimicos.

3. Venerandi sunt isti libri etiam ob finem oecumenicum. Agitur hic de gente aliquando electa a Deo. Iudaei hos libros V. T. reverentur; orthodoxi ut libros sanctos; neologi, de quibus non est sermo hic, in eis tantum nationales suos parum aestimant, vel tantum mythologiam in eis aspiciunt ad analogiam litteraturae Sumirorum, Acadorum, Aegyptiorum, Graecorum vel Romanorum vel aliorum populorum. Est tamen hic pons sanctus inter gentem quondam electam ad unionem nobiscum cum Ecclesia, qui pons aedificatur, sustentatur versus unionem, finem unionisticum oecumenismi. Libri Veteris Testamenti non semel Iudaeis conversionem praeparaverunt uti Edithae Stein, Emerico Winter et aliis conversis a Iudaismo ad vitam christianam vere et sanctam, uti in casu Edithae Stein admiramur et Deo Optimo gratias agimus.

4. Quae reverentia inculcanda est in specie erga Latinam versionem Vulgatam, sed et erga Hebraicum textum Masoreticum et etiam erga Graecum textum Septuaginta.

Ita in reverentia defendendus est textus Masoreticus ab Ecclesia, quia est fons primarius quidem sed non absolutus adeo non, ut Latina versio Vulgata — quae in toto veterior est quam codices Masoretici — auctoritatem maioris momenti habeat ob longaevum usum in Ecclesia.

Quae reverentia urget ut defendatur S. Scriptura adversus conamina eorum, qui sic dictum sublimiorem criticam textus praesertim Hebraici et Graeci tamquam normam supremam aestimare vellent. A nullo hagiographo mansit manuscriptum originale. Diversae sunt lectiones variantes. Quae cruces exegetices parant doctis in hermeneusi S. Scripturae V. T. Et hic est locus et occasio tutandi, reverendi textum Vulgatae, ne nonnullorum doctorum opinio sed Vulgatae auctoritas valeat.

5. Reverentia erga libros V. T. servanda, inculcanda est. Qualem exhibuit illo tempore ferocis antisemitismi fel. memoria card. Faulhaber, Antistes Monacensis. Revereamur libros V. T. ad exemplum em.mi card. Bea! Quo igne accensus et inflammatus viva voce et scriptis suis libros V. T. in reverentia habet, cuius cultus pulchram memoriam reliquit nuper in Settimana Biblica praelectione sua de Messianismo.

6. Duo attributa in ista sententia mutanda, substituenda sunt aliis, non sint Sanctissimus et clementissimus. Nam in superlativo gradu non loquitur S. Scriptura: sed simpliciter angelus apud Isaiam prophetam Deum adorat: Sanctus. Sic et Ecclesia in Missae Sacrificio in Canone te dicit: Sanctus,

Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth! - Attributum: clementissimus in S. Scriptura est prorsus ignotum in forma gradus superlativi. S. Scriptura tamen habet attributa divina alia, prae primis erga non peccatores hoc est eminens: misericors absque gradu superlativo. Quotidie oramus in praeparatione ad Sacrum e Ps. 84: Et tu, Deus miserator et misericors: patiens et multae misericordiae et verax.

Hinc attributa Dei in textu Constitutionis ex S. Scriptura sunt mutuanda magis quam ex stylo S. Scripturae ignoto.

Concluditur ergo sic prout petitum est: ultima periodos numeri 15, in cap. IV de Vetere Testamento sonat:

« Unde attente a Christi discipulis legendi et eximie venerandi sunt (libri Veteris Testamenti), speciatim quia vividum sensum Dei sancti et misericordis luculenter exprimunt ».

Votum hoc est in silentio, non est legendum, in scripto traditur.

33

Exc.mus P. D. IOANNES POHLSCHNEIDER
Episcopus Aquisgranensis

Cap. II schematis *de divina revelatione* in genere placet. Plura optime etiam de traditione et de momento traditionis dicuntur.

Attamen videtur quod amplitudo traditionis non eo modo exhibetur, quo secundum doctrinam catholicam oportet. Etenim legitur n. 8, pag. 16, linn. 22 ss.: « Per eandem traditionem et ipsae Sacrae Litterae absoluta certitudine Ecclesiae innotescunt in eaque indesinenter actuose redduntur... ». Quae positive hoc loco dicuntur, in se quidem vera sunt, sed, cum de amplitudine sic dictae insufficientiae materialis Scripturae ultra factum inspirationis et canonicitatis S. Scripturae sileatur, textus defectu laborat. Quia de insufficientia materiali S. Scripturae ultimis annis multa scripta sunt et magna perturbatio in detrimentum fidei catholicae adesse videtur, verbum Concilii non modo opportunum, sed etiam omnino necessarium esse videtur. Constat equidem non tantum ex theologis, sed etiam et praesertim ex magisterio ordinario, prout e catechismis per 4 saecula elucet, dari veritates revelatas ad fidem spectantes quae in Sacris Litteris expresse non habentur nec ex sola per se scriptura, etiam adhibita interpretatione ex traditione accepta, cum certitudine probari possunt. Hoc ipsum ultimis his diebus nobis probatum est: Collegialitas quaedam episcoporum clare in scripturis docetur, minime tamen veritas de collegio episcoporum una cum Papa ut subiectum collegialis iuridicae potestatis. Tamen illa veritas ex traditione, et quidem ex theologia Conciliorum constat. Idem valet de aliis veritatibus: De Virginitate perpetua B. Mariae Virginis, de Assumptione eiusdem, de baptismo puerorum etc. Libenter tamen conceditur quaestionem dispu-

tatam et liberam de hoc haberi, an S. Scriptura fundamentum praebeat pro his veritatibus aliisque. Sed fundamentum non est argumentum. Hoc, in quantum videre possum, etiam ab adversariis sic dictae insufficientiae materialis S. Scripturae non negatur vel saltem negari nequit.

Ideo propono ut in schemate in cap. II, n. 8, linn. 22 ss. dicatur: « Per eandem traditionem quaedam veritates revelatae, quae in Sacra Scriptura vel expresse non leguntur vel ex ea per se sola, etiam adhibita interpretatione ex traditione desumpta, probari ac erui non possunt, quamvis forsan in ea fundamentum habeant, immo et ipsae Sacrae Litterae absoluta certitudine Ecclesiae innotescunt in eaque indesinenter actuose redduntur ».

34

EXC.MUS P. D. IOANNES B. PRZYKLENK
Episcopus Ianuariensis

Pag. 5, n. 1, linn. 9-10 s. Attento indice totius schematis quod non tantum « de ipsa revelatione » (I) eiusdemque « transmissione » (II) agit, sed et alia habet capita, proponitur, ut simpliciter dicatur « genuinam de divina revelatione doctrinam proponere intendit... ».

Non est, cur in textu ad sola cap. I et II explicita referantur verba. Verba potius totius schematis titulum prae oculis habeant.

Pag. 5, n. 2, linn. 20-21. Legitur: « ... in Spiritu Sancto accessum *habent* ad Patrem et divinae naturae consortes *efficiuntur*... ». Revelationis finis est, ut « homines per Christum, Verbum carnem factum, in Spiritu Sancto accessum *habeant* ad Patrem et divinae naturae consortes *efficiantur* ». Mihi videtur finis iste necessario esse exprimendus, non factum quod tantum in iis habetur qui revelationi consentiunt. Unde propono textum: « ... in Spiritu Sancto accessum *haberent* ad Patrem et divinae naturae consortes *efficerentur*... ».

Ad textum modo propositum cf. pag. 6, n. 2, linn. 37-38: « ... habitaret... enarraret ».

Pag. 5, n. 2, lin. 25. Illud (cf. *Ex.* 33, 11; *Io.* 15, 14-15) non placet. Ne de omnibus dicatur, ne per illud cf., quod de paucis singulis legitur. Utique textus in se placet, habita ratione SS. Patrum ad quos relatio recte appellat.

Pag. 6, n. 2, lin. 3. Subiectum propositionis est Deus qui « ... alloquitur... conversatur », ut homines « ad societatem *secum* invitet et admittat ».

Modus in textu adhibitus minus elegans videtur, nam Deus, utique trinus et unus, revelans semetipsum, ad societatem *secum* invitat.

Pag. 7, n. 5, linn. 26-27. Non apparet, cur forma coniunctiva adhibeatur. Ut in propositione ultima modo indicativo « *perficit* » legitur, sic etiam hic dicatur: « ... *movet*... *convertit*... *aperit*... *dat* omnibus... ». Textus sic

conceptus inde a verbo *dat* citationem Arausicani II continet, quod etiam indicativo utitur (DENZ.-SCHÖN., 377).

Pag. 7, n. 6, linn. 33-38. - Pag. 8, n. 6, linn. 1-7. Textus, ni fallor, duas proponit, ut ita dicam, obiectorum revelationis classes: 1. « ea, quae Deus de seipso... communicare voluit » *et* 2. « quae humanae mentis intelligentiam omnino superant ».

Attamen inter « ea quae Deus de seipso... communicare voluit », sunt « quae humanae mentis intelligentiam omnino superant », puta mysterium SS. Trinitatis. Unde adaequata distinctio non habetur.

Ceterum verba Vaticani I citata, e contextu plane avulsa sunt. Vaticanum I haec verba non enuntiat nisi de fine supernaturali seu de bonis divinis participandis « quae humanae mentis intelligentiam omnino superant » (DENZ.-SCHÖN., 3005). In nostro autem textu verba generalius adhibentur. Quod, attenta natura citationis, non placet. Praeterea *ita* non obtinetur disiunctio a sequentibus, ut relatio (pag. 13) annuntiat. Textus igitur formetur: « Divina revelatione manifestantur ea, quae... communicare voluit. Confitetur quidem Sacra Synodus... nullo admixto errore cognosci possint. Simul vero tenet in revelatione praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponi mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt » (Vat. I; DENZ.-SCHÖN., 3015).

Pag. 16, n. 8, lin. 5. Illud (cf. *1 Cor.* 11, 23) non placet. Etenim Paulus, ut in hoc loco commentando dici solet, a ceteris apostolis accepit quod et tradidit; ceteri Apostoli testes fuerunt oculares (cf. *Act.* 1, 21 s.). Vide insuper pag. 15, n. 7. linn. 17-18 « acceperant » et deinde « didicerant ». Unde propono hic sequentem textum: (pag. 16, n. 8, linn. 4 ss.) « Unde apostoli, dum fideles instruunt, tradendo eis quod et ipsi *vel a Christo acceperunt vel a Spiritu Sancto didicerunt,* eosdem *semel* (sic in *Iud.* 3!) traditae sanctis fidei... ».

Animadversiones supra admittunt et pariter proponunt: J. Romeijn, ep. Samarindaensis; W. Demarteau, ep. Bandjarmosinensis.

35

REV.MUS P. D. EDUARDUS GABRIEL QUINT

Praefectus apostolicus Veihaiveiensis

Cap. VI: *De sacra Scriptura in vita Ecclesiae. Propositio pastoralis.*

Nostris temporibus valde laboramus de absentia librorum de Sacra Scriptura pro pastore animarum. Exegetae interrogati de aliqua referentia dicunt: non existere libros practicos pro pastore et quod exegesis catholica non multum differt ab exegesi protestanti. In hoc tempore motus biblici a Spiritu Sancto in Ecclesia suscitati, indigemus, mea humili sententia, unius manualis cum caracteribus sequentibus:

1. Doctrinam vere *catholicam* nobis tradet.

2. De novis progressionibus scientiarum in re biblica nos certiores faciat.

3. Applicationes pastorales indicet *a*) pro vita spirituali propria; *b*) pro praedicatione verbi Dei; *c*) pro instructione catechetica; *d*) pro coetibus biblicis.

Hoc manuale debet comprehendere totam Scripturam Sacram, si necesse, in pluribus voluminibus et debet periodice, iuxta iudicium peritorum, recognosci.

Existunt multae publicationes. Sed dispersae et ordinariis pastoribus, non accessibiles.

36

EXC.MUS P. D. VICTOR IOSEPH REED
Episcopus Oklahomensis et Tulsensis

Observatio super relationem futuro faciendam de schemate constitutionis de divina revelatione secretariatui generali tradita.

In relatione super cap. I et cap. II schematis constitutionis *de divina revelatione* ab exc.mo D. Hermenegildo Florit nuper facta, hoc assertum invenitur: « quod de duplici fonte revelationis quaestio caute vitabatur, ne quid obiective novum traditioni respectu ad Scripturam tribueretur, ne quid denegaretur » (pag. 5, linn. 23-25).

Deinde, textus ipsius schematis de facto prosequitur quin ad unam alteramve sententiam deflectat relate ad illam quaestionem vexatam de duobus fontibus revelationis.

In parte autem ulteriori eiusdem relationis iam notatae legitur: « singulare traditionis momentum asseritur, quod in eo est ut saltem in uno Scripturam, quoad contentum obiectivum, ipsa excedat: in testimonio nempe, de integro canone et inspiratione librorum sacrorum exhibendo » (pag. 11, linn. 16-19).

Sed tale assertum constituit unum argumentum, idque potentissimum, quo fulcitur sententia eorum qui theoriam duplicis fontis revelationis defendunt. Si, igitur, haec documenta conciliaria examini theologorum studiosorumque unquam subiicerentur, non esset impossibile ut quidam ex ipsis concluderent schema istum sub luce huius asserti exc.mi relatoris intelligendum esse. Sic fortasse Concilium interpretaretur quasi determinare voluisset id praecise quod determinare revera assidue vitabat, quasi, nempe, quaestionem controversam de uno aut duplici fonte revelationis voluisset decidere.

Optandum est ergo ut proxima (vel ultima) relatio facienda supra hoc schema — quando, e. g., schema suffragandum iterum in aula praesentatur — ad talem praecellentiam seu « superioritatem » disputabilem traditionis, quoad eius contentum obiectivum, respectu ad Scripturam nullo omnino modo alludat.

37

Exc.mus P. D. IOANNES SAUVAGE

Episcopus Anneciensis

In prooemium et cap. I.

1. Ad n. 1, pag. 5, linn. 8-13. *Emend. prop.*: Ut autem mundus universus hoc Evangelium audiendo credat, credendo speret, sperando amet, (1) eadem Synodus, Concilii Vaticani I inhaerens vestigiis, catholicam de divina revelatione ac de eius transmissione doctrinam proponere intendit. *Rationes*: Sententia textus propositi *Propterea* etc. ... male exstrui videtur. Prout enim iacet, intentus Concilii esse declarat proponere universo mundo, ut credat et salvetur, non ipsam revelationem, i. e. non ipsum Evangelium (de quo in linn. 1-8), sed suam genuinam de divina revelatione doctrinam. Tali interpretationi, evidenter absurda, ansam praebere non oportet.

Insuper ratio cur adiectivum « genuinam » (lin. 9) adiectivo « catholicam » (T. P.) substituitur difficile perspicitur (in relatione non explicatur); cavendum est ne, ex hoc adiectivo, concludatur doctrinam Conc. Vaticani I nondum fuisse « genuinam ».

2. Ad n. 2, pag. 5, lin. 22, ad pag. 6, lin. 3. Sententia « *Hac itaque ... admittat* » *proponitur omittenda. Rationes*:

1. Haec propositio fere idem dicit ac propositio praecedens (linn. 9-13).

2. Haec propositio est inaccurata: *Deus* invisibilis homines admittit in societate cum Patre et Filio et Spiritu Sancto. Deus invisibilis non differt a Patre, Filio et Spiritu.

3. Textus biblici qui afferuntur non sunt ad rem.

In cap. II.

1. Ad n. 8, pag. 16, linn. 1-28. Lin. 2, loco « speciali modo » ponatur « eximio modo ». *Ratio*: ut accuratius exprimatur dignitas specialis librorum inspiratorum, distinguendo a definitionibus conciliorum, v. g.

Linn. 2-3, loco « continua successione » ponatur « continua ministerii successione ». *Ratio*: locutio adhibita non potest adhiberi de praedicatione sed de praedicatore.

Lin. 3, post « ad consummationem temporum conservari », addatur: « et usque ad extremum terrae ampliari... ». *Ratio*: quia determinatio universalitatis geographicae desideratur una cum determinatione universalitatis chronologicae.

Lin. 7: loco « sive per epistolam » ponatur: « sive per scriptum ». *Ratio*: ut locutio fiat de tota Scriptura, non de genere litterario peculiari.

Lin. 9: post « Fidemque » et ante « augendam » addatur « suscitandam et... ». *Ratio*: quia traditio apostolica non tantum auget sed primum suscitat fidem.

Lin. 14: post « crescit enim » inseratur: « ex operatione Spiritus Sancti in praxi vitaque credentis et orantis Ecclesiae magis magisque manifestata; crescit etiam... ». *Ratio*: non sufficit dicere traditionem crescere tantum in intelligentia traditorum sed etiam et primum in tota praxi et vita Ecclesiae.

Lin. 15: post « intelligentia », inseratur: « tum ex doctorum perscrutatione, tum... ». *Ratio*: ne omittatur sermo explicitus de theologorum laboribus, investigationibus, meditationibus.

Linn. 17-19, post « experientia » addatur: « donec revelatio divina plene consummetur, cum Christus apparuerit in gloria » et omittatur accommodaticia parabolae de fermento applicatio. *Ratio*: quia nimis artificiosa videtur; et aliqua etiam difficultas ex ea oritur, quia ibi de Ecclesia dicitur hoc quod Dominus de se vel de Deo affirmat, et ibi traditio cum regno Dei confunditur.

Servari tamen debet, et forte melius in lucem collocari, ordinatio eschatologica huius progressus traditionis, qui efficitur in exspectatione plenae et definitivae revelationis in die quo Christus gloriam suam manifestabit adveniens in nubibus caeli.

Linn. 19-28: *textum emendatum sic proponimus*: « Per eandem traditionem, cuius Sanctorum Patrum dicta vivificam testificantur praesentiam, et ipsae sacrae litterae clarius innotescunt in eaque indesinenter actuosae redduntur. Sic Deus, qui olim locutus est, sine intermissione cum populo suo colloquitur, et Spiritus Sanctus, qui vivam vocem Evangelii in Ecclesia, et per ipsam in mundo resonare tribuit, credentes in omnem veritatem inducit (cf. *Io.* 16, 13), verbumque Christi in eis abundanter inhabitare facit (cf. *Col.* 3, 16) ». *Ratio*:

1) Verba lin. 21 proposuimus ponere in lin. 14. Si propositio acceptatur, textus retractari debet.

2) Locutio « *absoluta certitudine* » raro prorsus de facto verificatur. Opportune modo generaliori diceretur: « clarius ».

3) Linn. 24-25: « Deus cum dilecti filii Sponsa colloquitur ». Haec verba mirationem movere possunt. Talia colloquia soceri cum nuro in exemplum proponi non videtur opportunum. Proponere licet: « cum populo suo colloquitur ».

4) Linn. 24 et 26: « resonare facit... inhabitare facit ». Repetitio eiusdem verbi male sonat.

2. Ad n. 9. Pag. 16, linn. 34-40: « Etenim S. Scriptura... transmissa », *vel supprimantur* quia phrasis has sequentes movet difficultates.

a) Necessitas additionis non apparet, cum res de qua sermo fit iam in n. 7 proponitur, et quidem modo valde meliori.

b) S. Scriptura dicitur « *locutio Dei quatenus divino afflante Spiritu* scripto consignata »: haec definitio vix conciliari potest cum his quae de revelatione in n. 2 proponuntur, ubi indoles complementaria gestorum et verborum Dei ostenditur. De Scriptura etiam dicere licet quod in ea nobis innotescunt et « opera in historia salutis a Deo patrata » et verba

quae « opera proclamant et mysterium in eis contentum elucidant » (pag. 6, linn. 5 ss.).

c) S. Traditio contradistinguitur a Scriptura in eo quod est « mens, doctrina, exempla et mandata Christi... transmissa ». Ex modo dicendi facile concluderetur mentem, doctrinam, exempla et mandata Christi in Scriptura non inveniri.

d) In hac comparatione, Scriptura refertur ad *Deum,* traditio vero ad *Christum.* Ex dictis, Scriptura includit Vetus Testamentum; traditio vero excludere videtur Veterem Oeconomiam. Dicendum saltem videtur traditionem christianam *radicem* suam habere in traditione populi israelitici.

e) Praesertim tamen comparatio in his lineis instituta aliquam oppositionem involvit. Haec oppositio sapienter in n. 7 vitabatur, ubi unitas fundamentalis traditionis et Scripturae ostendebatur: praedicatio apostolica, quae scriptis mandata est, etiam in viva traditione usque ad nos pervenit. Locus noster vero loquitur practice de Scriptura et de traditione sicut *de duobus fontibus realiter distinctis,* quorum unitas apparet ut mere extrinseca. Certum est autem quod Concilium illam doctrinam « canonizare » non vult, et quod ab illa abstrahere oportet.

Vel si supprimi non possunt, sermo fiat ut primum de traditione agatur (cf. n. 7, et pag. 16, linn. 29-31) quae semper via orali transmittitur et quae etiam in Scriptura nobis occurrit. Vitetur omnis oppositio et etiam species oppositionis, quae non tantum modum transmissionis respicit, sed etiam *contentum* Scripturae et traditionis, ne concludatur unam continere quod altera non continet.

3. Ad n. 10, pag. 17, linn. 24-26: incisa « ac ea omnia... proponit »: *vel omittatur. Rationes*:

a) Haec incisa nihil, quoad rem, iis quae lineis praecedentibus dicta sunt addit: sub respectu « reali » non videtur necessaria.

b) Sub respectu « formali », modus rem proponendi non videtur felix: in his enim verbis depositum fidei praesentatur ut quidam thesaurus soli Magisterio reservatus, quod in illo, sicut in aliqua propositionum collectione, ea « haurit » quae credenda proponit (i. e., de facto, veritates credendas). In hac incisa, ex textu anteriori deprompta, persentitur modus concipiendi fontes revelationis tamquam collectionem propositionum verarum, quae de caelo nobis adveniunt. In nova vero redactione talis concipiendi modus generatim vitatur, et vitandus videtur.

c) Alia difficultas exsurgit ex eo quod munus Magisterii ad propositionem earum quae credenda sunt limitatur; in hoc contextu, ubi hoc munus in genere conspicitur, vix omitti posset additio: « (credenda) et ad vitam applicanda ». Fides et mores disiungi non debent.

Vel si non supprimi potest, a lin. 22 sic amplietur: et Spiritu Sancto assistente, pie audit, pure custodit, fideliter exponit omnibusque credendum annuntiat.

In cap. V:

Ad n. 17, pag. 37, linn. 1-15: duas parvas emendationes liceat proponere:

a) linn. 6-7: « factis et verbis Seipsum *simul ac Deum Patrem suum* manifestavit »;

b) linn. 10-11: « revelatum est » (ubi vox passiva modo iudaico adhibetur, ubi de Deo agitur) mutetur ad sensum: « Deus revelavit ».

Rationes: hic articulus momentum *christologicum* revelationis evangelicae extollit: Christus « Seipsum manifestavit » (linn. 6-7), « omnia ad Seipsum traxit » (linn. 8-9), quippe qui « solus verba vitae aeternae habet » (lin. 9); fides ergo christiana definitur « in Iesum Christum ac Dominum » (linn. 12-13).

Spiritus Sanctus commemoratur lin. 8 et lin. 11.

De *Deo* autem, scil. *Patre,* nihil invenitur in textu, nisi locutio *Regnum Dei* (lin. 6). Si vero Evangelium conspicitur, facile apparet Iesum fere semper de Deo loqui, de misericordia Dei, de eiusdem consiliis salutiferis, de eiusdem voluntate, etc. Revelatio Filii a revelatione Patris disiungi non potest (cf. *Mt.* 11, 27). Ipse Dominus declarat: « (Pater) manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo » (*Io.* 17, 6).

Ex comparatione huius articuli cum capite praecedenti forte concluderetur Deum vivum et verum in Vetere Testamento revelatum esse, ad quam revelationem Novum testamentum nihil novum addere de Deo, sed tantum de Christo. Tali falsa conclusione ansam praebere non oportet.

Videtur ergo quod in hoc articulo Deus Pater sub silentio praeteriti non potest.

Ad n. 19, pag. 38, linn. 23-24: proponitur ut serventur formulae positivae: « ita semper ut vera et sincera », omissis verbis negativis « Non ficta, ex creatrici... ». *Ratio*: modus dicendi textus propositi non plene concordat cum declaratione intentionis commissionis quae declaratur in Nota A huius articuli, pag. 41 et sic sonat: « Selecta est autem forma dicendi *positiva* potiusquam adversativa ». Optandum videtur hanc declarationem in praxim adduci. Formula negativa et polemica linn. 23-24 apparet ut anathematismus (contra scil. theoriam philosophicam a Durkheim et a Wundt propositam in initio huius saeculi, 60 annis elapsis, et ab exegeta protestante Bultmann reassumptam in suo libro de Evangeliis, qui prodiit in 1921); videtur autem quod anathemata pronuntiare, non est secundum mentem Concilii huius.

38

EXC.MUS P. D. HERMANNUS SCHÄUFELE
Archiepiscopus Friburgensis

N. 2, lin. 22: « Deus invisibilis... conversatur, ut eos ad societatem cum Patre et Filio et Spiritu Sancto invitet et admittat ». Textus tali modo sonat, quasi Deus invisibilis non esset idem ac Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Non iterum opus est divinas personas nominare.

N. 2, lin. 9 (pag. 6): connexio ultimae phrasis per « ergo » non est concludens. Idea plenitudinis revelationis in Christo melius enucleari deberet ex antecedentibus. Postquam demonstrata est intima connexio inter verba et gesta, exspectatur demonstratio perfectae unionis verbi et facti in Christo. Propono hunc textum: Ad plenitudinem vero revelatio pervenit, cum in Christo Verbum Dei et vita nobis apparuit, homines tam de Deo quam de hominis salute perfectissime illuminans.

N. 3 (pag. 6): ratione discussionum de « Monogenismo » forte melius esset loco « Protoparentibus » ponere « hominibus ».

N. 4, lin. 3 (pag. 7): qualis differentia inter signa et miracula?

N. 4, lin. 7 (pag. 7): loco « perficit » et « confirmat » melius « perfecit » et « confirmavit », quia revelatio est clausa.

N. 6, lin. 34 (pag. 7): « ... ea quae Deus de seipso ac de aeternis voluntatis suae decretis circa hominum salutem divinaeque vitae participationem communicare voluit ». Haec verba sapiunt, ni fallor, quendam anthropomorphismum, qui mitigari posset indicando, quod Deus seipsum communicat. Cur passiva constructio: « Divina revelatione manifestantur »? Et cur haec verbosa enuntiatio? Videtur ac si in revelatione non ageretur de communicatione vitae ipsius, sed de informatione de tali communicatione. Clare dici deberet non agi in revelatione de multis veritatibus, de quibus homo certior fieri debet, sed de unico mysterio, quod Deus ipse est, qui nobis in revelatione accessibilis fit.

N. 7, lin. 28 (pag. 15): « sacra igitur traditio et Sacra Scriptura veluti speculum sunt... ». Traditionem habere tamquam speculum, in quo Ecclesia contemplatur Deum, minus apta videtur expressio; nam hoc in loco non interest videre, sed oboedienter verbum audire.

N. 8 lin. 5 (pag. 16): « eosdem simul traditae sanctis fidei supercertari deprecantur (*Iud.* 3) ». Loco mendosae versionis Vulgatae melius esse videtur secundum textum originalem graecum dicere: eosdem deprecantur, ut pro fide, sanctis semel tradita, strenue certarent.

N. 8, lin. 8 (pag. 16): « ea omnia complectitur, quae ad populi Dei vitam sancte ducendam fidemque augendam conferunt ». Accuratius distingui debet inter traditionem divino-apostolicam et traditionem ecclesiasticam. Nam si dicitur ea quae ab apostolis sunt tradita, comprehendere omnia ea quae ad vitam sancte ducendam populi Dei conferunt, facile quis putaret

omnia ad hunc finem ab Ecclesia data praecepta esse apostolicae traditionis.

N. 8, lin. 15 (pag. 16): « verborum traditorum ». Forsitan deberet expresse etiam nominari verbum Dei in scriptis V. T. et N. T. contentum. Reapse apparet traditio N. T. numquam sine Scriptura, maxime V. T.

N. 9, lin. 37 (pag. 16): non placet, quod iuxtapositione nominum: « mens, doctrina, exempla et mandata Christi » definitio traditionis praesentatur.

N. 19, lin. 22 (pag. 38): haec enuntiatio, quae in priore schemate deerat, ita intelligi potest, quasi primaeva Ecclesia in efformando kerygmate de Iesu nullam habuerit partem. Etiamsi influxus primaevae communitatis in efformanda traditione Evangeliorum discutitur, tamen non excludendas esse putaverim quasi a priori quasdam « libertates » in efformando textu. Inde propono sic textum: ita ut non imaginem quandam ex creatrici potentia primaevae communitatis promanantem, sed veram et sinceram Iesu historiam nobis communicarent.

39

EXC.MUS P. D. IOSEPH SCHNEIDER
Archiepiscopus Bambergensis

Cap. I, n. 4, pag. 7, linn. 5-7: in loco citato dicitur, quod Iesus Christus « missione quoque Spiritus veritatis, et *tota sua persona* revelationem complendo perficit ».

Proponere velim, ut loco « tota sua persona » dicatur « per seipsum, cum sit (vel: qui est) via, veritas et vita (cf. *Io.* 14, 6), revelationem complendo perficit ».

Ratio: 1. Terminus « tota sua persona » videtur desumptus potius ex more aliquo « moderno » loquendi, quam secundum morem linguae biblicae.

2. Terminus « tota sua persona » certo certius non vult significare Christum praecise in sua persona Divina, per quam natura humana subsistit, complere revelationem, sed Christum per semetipsum et in seipso uti est, nempe Deum et hominem revelationem complendo perficere. Vox « persona » ergo hoc in loco non adhibetur in distinctione a « natura ». Nihilominus ratione habita istius distinctionis theologicae forsitan melius erit substituere termino « tota sua persona » aliam expressionem.

40

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS ŠEPER
Archiepiscopus Zagrabiensis

Prooemium, capp. I et II.

Valde placet dictio schematis positiva et expositiva, scopo pastorali huius Concilii conveniens.

Placet pariter absentia considerationis antagonisticae: inter *verba* et *opera* relate ad notionem revelationis; inter Scripturam et traditionem relate ad revelationis transmissionem. Emendationes tamen aliquae desiderantur:

N. 2, pag. 6, linn. 1-3, scribatur sic: « ut eos *ad participationem mysterii sui sive* ad societatem cum Patre et Filio et Spiritu Sancto invitet et *suscipiat* ». *Ratio*: ita evitatur male sonans transitio a subiecto *Deus* ad *cum Patre et Filio et Spiritu Sancto.* Verbum *suscipiat* melius exprimit actionem divinam.

N. 2, pag. 6, linn. 11-12, scribatur: « qui et mediator et plenitudo totius revelationis simul existit ». *Ratio*: sic evitatur omnis apparentia polemica.

N. 5, pag. 7. Hic numerus *retractationem* requirit. Uti nunc iacet, non cohaeret complete et perfecte cum notione revelationis prius descripta. Praeterea, ut partes fidei in conceptu traditionis bene intelligantur, hic numerus plenior et adaequatior esse debet. Secus illa, quae sub hoc respectu in cap. II in traditione describenda poni debent, non bene intexta esse possent. Patet autem, descriptionem fidei relate ad revelationem hic necessariam esse et nullo modo omittendam. Desideratur:

1. Mutatio tituli, qui fiat: *De revelatione fide suscipienda,* aut *De fide qua revelationem suscipimus.*

2. Descriptio fidei etiam sub aspectu quatenus est (saltem) initium (indispensabile) laetae susceptionis et adhaesionis mysterio quod Deus de seipso et de nobis cum nobis communicare dignatus est. Nunc fides describitur nimis restricte, unilateraliter, quasi extracta ex totalitate vitalis adhaesionis et unionis cum Deo qui se revelavit. Attenditur quasi unice oboeditio et assensus veritati; quod certe verum est; at cum notione revelationis quae in schemate habetur non adaequate cohaeret. Per fidem non solum agnosco vera esse quae Deus dicit, sed etiam novas realitates — secus inaccessibiles — cognosco tamquam mihi oblatas, quas laetus tota anima (non solo intellectu) apprehendere festino (« adhaerere Deo bonum est »!). Pastoralis ratio Concilii melius servata erit, si fides describitur etiam tamquam initium et radix adhaesionis realitati revelatae, quam merus assensus veritati.

3. Ne omittatur descriptio fidei sub aspectu communionis vel societatis fidei (cf. citationem in prooemio!). Revelatio data est communitati, singulis autem in communitate et per communitatem; qui credit in communionem fidei intrat. In communione fides crescit et roboratur. Fides Ecclesiae numquam deficit. Singulorum autem fides in communione fidei Ecclesiae progreditur tum intelligentia, tum alacritate, tum fructificatione vitae. Haec descriptio instituatur ita ut apta cohaerentia obtineatur cum illis quae in n. 3 dicuntur de *populo* V. T.

Cap. II: *a*) Terminus transmissio in titulo minus placet, quia suggerit solam translationem doctrinae per saecula exclusive qua talis, scil. quatenus est doctrina. Hic autem agitur de re magis complexa. Revelatio divina non transmittitur nisi mediante fide, quatenus haec est adhaesio personae et simul

adhaesio communitatis (Ecclesiae) doctrinae acceptae. Immo non transmittitur independenter a continua actuatione (ut ita dicamus) istius doctrinae in vita communitatis et singulorum fidelium, mediante fide, a qua omnis actuatio incipit. (Solummodo *sancti* proclamantur Doctores Ecclesiae!). Agitur proinde, non de sola transmissione doctrinae qua talis in se sumptae, sed de communicatione revelationis (integraliter sumptae) unicuique generationi et unicuique personae humanae. Sed attende: agitur de communicatione quae ex parte Ecclesiae terrestris praecise qua talis est potius actio mediativa (ministerialis), per quam Spiritus Sanctus agit, quam simpliciter communicativa. Forsan ceterorum melior titulus huius capitis esset: *De divinae revelationis in Ecclesia mirabili praesentia.*

b) Quamvis habitudo Scripturae ad traditionem et vice versa in hoc capite ex parte bonam descriptionem obtineat, tamen adhuc desideratur maior et accuratior explanatio, ne nonnulli aspectus momentosi obscurati fiant, in detrimentum futuri progressus huius doctrinae. Scriptura est — in hoc ordine salutis — necessarium adiumentum traditionis. Apostoli iam a Christo acceperunt Scripturam A. T. tamquam adiumentum quo comprobarent doctrinam a Christo acceptam, ope cuius hanc doctrinam (scil. Evangelium) illustrarent, immo aliquo sensu melius intelligerent et penetrantius comprehenderent. Ex alia parte, soli apostoli (et prima Ecclesia, sub datis distinctionibus) verum sensum Scripturarum possidebant, a Christo et agente Spiritu Sancto susceptum. Postea apostoli (et viri apostolici) — instigante et inspirante Spiritu — doctrinam quoque Christi scripto consignaverunt, ut praedicatoribus et fidelibus adiumento fieret. Haec consignatio tamen nullatenus talis tenoris erat nec esse poterat, ut vivam communitatem eiusque praepositos in ordine ad revelationem tradendam inutilem redderet. Libri conscripti sunt pro communitate — tamquam « memorabilia » (cf. S. Iustinum!) — ut facilius praedicata et praedicanda memoria tenerentur, sed a nullo non initiato plene intelligi possunt. Ratio in eo est, quod libri pro aliis simpliciter conscripti non sunt, sed pro communitate, pro initiatis, pro fidelium societate qua tali. Scriptura igitur nullatenus concipi potest extra traditionem, sed est traditioni quodammodo intrinseca, traditio autem nullo modo potest esse sine Scriptura, quia Scriptura a Spiritu Sancto conscripta, ab apostolis Ecclesiae posteriori est tradita tamquam medium necessarium memoriae. Traditio igitur non evolvitur, non progreditur nisi redeundo continuo ad Scripturas, scrutando Scripturas. His autem minime soluta est quaestio, utrum in traditione habeatur aliquid, quod nullo modo ex Scriptura deduci posset. Tantummodo certum est, traditionem in hoc ordine salutis impossibilem esse sine respectu ad Scripturas. Pariter his non asseritur, fidem singulorum fidelium impossibilem esse sine recursu immediato ipsorum istorum fidelium ad Scripturas. Asseritur tantummodo quod Ecclesiae qua tali — in hoc ordine salutis — Scriptura ad conservandam traditionem omnino necessaria est.

Traditio, praeterea, coarctari non potest ad solam praedicationem Magi-

sterii praecise qua talem, quia traditio non datur sine *fide*. Etiam apostoli praedicaverunt illud quod prius crediderunt. Magisterium praedicat id quod in fide communitatis (i. e. Ecclesiae) continetur, aut explicite aut implicite... Magisterium tali modo fidem fidelium educat et dirigit, at a fide seiungi nequit. Ecclesia fundata est in fide in Christum et ipsi Christo (collegium apostolorum cum B. Maria et aliis). Ecclesia numquam sine fide erat. Et id quod apostoli crediderunt, aliis praedicabant, ut alii in societatem fidei intrarent. In communione fidei intellectio revelatorum crescit, dum alius alium adiuvat, corrigit, exhortatur, magisterium autem omnia dirigit, doctrinam praedicat, in puritatem fidei invigilat, de controversiis iudicat. In hoc officio adimplendo magisterium assistentia speciali Sancti Spiritus gaudet, at id non ita intelligendum est, ac si magisterium quodammodo independenter a fide Ecclesiae qua talis ageret.

Hoc sensu cap. II emendandum et complendum esse videtur. Speciali modo proponimus haec:

N. 7, lin. 15: apto modo intexatur, apostolos in sua praedicatione orali Scripturas invocasse.

N. 8, linn. 14-16: intexatur functio necessaria Scripturae in profectu traditionis! Veritates revelatae intime connexae sunt; maior intelligentia non potest esse nisi scrutando totum depositum!

N. 8, linn. 19-22: placet mentio Patrum, sed non placet stylisatio: vivifica praesentia... in praxim vitamque... transfunduntur. Scribatur potius: *in praxi vitaque... splendescunt*.

N. 9 reformetur uti supra expositum est! Hic intima connexio Scripturae et Traditionis non satis clare patent. Traditio autem nimis ad solum *praeconium* (praedicationem oralem) magisterii coarctata ita, ut partes fidei Ecclesiae in traditione transmittenda minime apparent.

41

EXC.MUS P. D. IESUS SERRANO PASTOR

Episcopus tit. Hypselitanus, vic. ap. Darienensis

Laudanda est abs dubio commissio de opere facto, praesertim eo quod quaestiones vexatas, videlicet de sufficientia materiali Scripturarum, omittat; notionem profundiorem de revelatione personali Dei ac de viva traditione Ecclesiae exponat; ac in paragrapho de Evangeliis Instructionem Pontificiae Commissionis Biblicae « Sancta Mater Ecclesia » prae oculis habuerit.

Adsunt tamen aliqua desideranda ut textus, quantum potest in praesentibus adiunctis, perfectus habeatur.

I. Aliqui textus Scripturae videntur afferri ad ornamentum, vel ut sermoni sapor quidam biblicus quasi ab externo conferatur (n. 2/B et 4 C-D), non sine perspicuitatis ac linguae detrimento.

Aptius paululum numerus citationum biblicarum contrahatur, afferendo ea tantum quae vere ad rem spectant et internum sensum biblicum paragrapho impertiendo.

II. Ad par. 3: De revelatione ad Protoparentes.

Quaestio de revelatione Dei protoparentibus modo minus explicito exprimatur ob has rationes:

a) Numquam hucusque magisterium Ecclesiae talem revelationem definivit.

b) Dogmata de elevatione Protoparentum ad statum supernaturalem ac de peccato originali non videntur necessario includere revelationem supernaturalem Dei ad ipsos. Poterat Deus eos inscios elevare ad statum gratiae; et hic status gratiae perdi poterat peccato contra legem naturalem.

c) Hodierna exegesis catholica interpretatur prima capita Geneseos ut narrationem popularem, per quam Deus nobis revelavit aliqua fundamentalia de condicione primorum hominum, imaginibus propriis antiquarum culturarum orientalium; unde non ad litteram interpretanda. Familiaritas illa qua Deus et homo colloquentes in paradiso describuntur, potest tantummodo significare statum amicitiae seu communionis supernaturalis inter Deum et primum hominem, quoad gratiam, non quoad revelationem seu cognitionem.

d) Auctor Epistolae ad Hebraeos, cui certe mens biblica familiarissima erat, incipit historiam revelationis cum prophetis: « Multifariam multisque modis... (*Hebr.* 1, 1-2). Similiter iuxta Exodum VI, 3 Moyses primus *nomen Dei cognovit*. At in mente semitica cognitio nominis est quodammodo cognitio ipsius personae. Unde aliqua distinctio inter revelationem Moysi factam et religionem praecedentem innuitur.

e) Mens hodierna, categoriis evolutionismi scientifici imbuta, tantummodo conscientiam germinalem, incipientem, primis hominibus tribuit; unde omnis insistentia in qualitatibus cognoscitivis primorum hominum affirmandis magnopere hodiernis displicet. Dum enim prius categoriae communes pluribus culturis primos homines extollebant, quasi intelligentia particulari praeditos (et ideo Sancti Patres faciliter poterant Protoparentibus cognitionem praeclaram tribuere ultra veritatem dogmaticam, ad litteram interpretando *Gen.* 2, 19), hodie, e contra, hae affirmationes mythum saperent, difficultates innecessarias praedicationi generando.

III. Ad par. 3: De Providentia Dei erga homines extra Israelem.

Paragraphus loquitur tantummodo de revelatione Israeli. Sed Vetus Testamentum praeter revelationem supernaturalem publicam soli Israeli datam, recognoscit existentiam hominum religiosorum particulari cognitione Dei praeditorum. Ita Melchisedech, sacerdos ethnicus, cuius sacrificium cotidie in canone romano celebratur. Ita sanctus Iob gentilis: praescindendo ad historicitate, hic liber demonstrat actionem divinam suscitantem viros religiosos non limitari ad Israel. Similiter Iona ad populum paganum mittitur.

Iam vero, difficulter origo et spiritualitas magnarum religionum monotheistarum operi Satanae tribuerentur. Conceptio alta Dei et purus sensus moralis cum holocausto sui ipsius in vita monastica (apud buddhistas vel mysticos musulmanos) particularem Dei influxum demonstrant qui hos populos ad pleniorem revelationem praeparare voluit, aliquam notionem religiosam eis imprimendo. Talis vero actio providentiae ordinariae Dei est tribuenda.

Mentio eius actionis in ceteris populis laudabilis esset in praesentibus circumstantiis et utilissima ad relationes christianorum cum ceteris credentibus.

Unde sequentem redactionem paragraphi 3 proponam: Deus qui in Verbo sua omnia creavit, in ipsa rerum natura perenne sui testimonium hominibus ostendens, inde ab initio Protoparentes lapsos in spem salutis direxit et successione temporum omnes gentes sub umbra Providentiae suae protexit eas ad altiorem notionem Dei ac puriorem sensum religiosum elevando, immo homines religiosos ubique suscitando ut viam pleniori sui revelationi praepararet. Suo autem tempore Abraham vocavit... expectandum.

IV. Ad par. 4. Nova redactio proponitur ad vitandas nimias citationes innecessarias. Natura revelationis Christi ac munus Spiritus Sancti fortius inculcantur, structuram trinitariam simul ac historicam (ut in Symbolo fidei) paragrapho tribuendo:

« 4. Postquam multifariam multisque modis Deus locutus est in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio (*Hebr.* 1, 1-2). Misit enim Deus Filium suum, aeternum scil. Verbum, per quem omnia facta sunt, ut omnes homines illuminaret, intima Dei enarrando (*Io.* 1, 9. 14. 18). Quapropter in ipso Verbo caro facto, Deo nobiscum commoranti (*Io.* 1, 14; *Is.* 7, 14) Pater revelatur, nam qui videt eum, videt et Patrem (*Io.* 14, 19). Revelatur sua apud nos praesentia, revelatur tota eius vita, verbis et operibus; praesertim autem morte sua et gloriosa ex mortuis resurrectione revelationem complendo perficit. Denique ad dexteram Dei exaltatus, Spiritum veritatis misit, ut de ipso testimonium redderet (*Io.* 15, 27) nobisque intelligentiam mysterii sui praeberet (*Io.* 14, 26).

Oeconomia ergo christiana numquam praeteribit (cf. *Mt.* 24, 3) *cum non sit* aetas historiae religiosae transitoria, sed novissima et definitiva, *ita ut* nulla adhuc nova revelatio publica expectanda *sit* ante finalem revelationem Domini nostri Iesu Christi (*1 Cor.* 1, 7) ».

V. Ad par. 8: *De traditione.* Numerus hic novus certe inter ceteros huius schematis eminet et profunditate doctrinae et vivacitate linguae. Laudabiliter affirmatur progressus traditionis in intelligentia tam verborum quam rerum. Similiter laudabiliter asseritur Scripturam innotescere Ecclesiae per traditionem.

Sed addendum esset aliud, scil. quod progressus traditionis in intelligentia fit sub actione Verbi Dei in Scriptura loquentis, praesertim cum ab

Ecclesia in cultu liturgico legitur ac praedicatur. Nam legendo Patres et Doctores Ecclesiae evidenter apparet eos novas explicitationes traditionis (v. g. de re mariologica) depromere e lectione Scripturarum, praesertim textuum in Liturgia adhibitorum.

42

EXC.MUS P. D. HENRICUS TENHUMBERG

Episcopus tit. Thuburnicensis, aux. Monasteriensis

Animadversio ad n. 8, pag. 16, lin. 10: loco « cultu » dicatur « liturgia ».

Animadversio ad n. 25, pag. 45, linn. 24-25: loco « in cultu liturgico » dicatur: « in sacra liturgia » (cf. pag. 25, lin. 34) vel « in actibus liturgicis ».

Ratio: terminus « cultus », praesertim sub influxu scientiae et philosophiae religionum vulgatus, iure negligitur a constitutione *de S. Liturgia*; terminus ethymologice complectitur tantum aspectum latreuticum liturgiae, sed etiam pro illo aspectu vitatur a Vulgata, a Patribus latinis. Scholastici utuntur quidem termino, si considerant actus cultus (sive liturgicos vel minus) sub aspectu theologico-morali (exercitium virtutis religionis). Sed etiam saeculis recentibus in documentis Ecclesiae raro adhibetur. A non paucis fratribus separatis propter saporem non-christianum perhorrescitur. Cf. articulos *Kult* et *Liturgie,* in *Handbuch theologischer Grundbegriffe,* München 1962-1963, vol. I, pp. 865-880; vol. II, pp. 75-97.

Animadversiones ad n. 26, pag. 46:

1. Linn. 19-20: loco « Sicut ex adaucto Sanctissimae Eucharistiae cultu » dicatur: « Sicut ex adaucta vita eucharistica ». *Ratio*: non agitur hic de veneratione seu adoratione (vel cultu) erga Christum sub S. Speciebus praesentem, sed de renovatione vitae eucharisticae ultimis decenniis in Ecclesia peracta.

2. Lin. 22: loco « aestimatione et cultu verbi Dei » dicatur: « aestimatione et veneratione verbi Dei », quia non agitur tantum de cultu liturgico. Vox « cultus » insuper perhorrescitur a non paucis fratribus separatis ob saporem paganum.

43

EXC.MUS P. D. ALOISIUS IOANNES TOMÉ

Episcopus Mercedensis

Cap. VI, pag. 45, n. 25: in linea 20: ... In Sacris Scripturis haerere necesse est, ne quis eorum « ob ignorantiam Scripturarum ignoratione Christi (5) laboret sicque fiat verbi Dei inanis forinsecus praedicator, qui non est intus auditor » (4), dum verbi divini etc. ... communicare debet. *Ratio*: *a*) Verba S. Hieronymi praeferentur dicentur de sacerdotibus, diaconis et

catechistis. *b*) Ratio etiam desumenda videtur ex propositione modi sequentis pro lin. 26 ss.

In lin. 26: « Christifideles omnes, praesertim sodales religiosos, sive clericales sive laicales, sive viros sive mulieres, necnon seminariorum alumnos atque membra saecularium institutorum vehementer exhortatur ut frequenti... etc. ». *Ratio*: si christifideles omnes sunt exhortandi ut legant S. Scripturam, videntur multo magis exhortandi illi de quibus mentionem facimus.

Quoad « peculiariterque », ibi omissum, meo iudicio: si admittitur dignus consideratione « modus » ut supra, iam haec vox superflua evaderet: plurimi essent qui « peculiariter » commendationem reciperent legendi Sacram Scripturam.

In lin. 26: humiliter proponerem post verba « communicare debet »: « pariter, quamvis docente Domino nostro (*Mt.* 28, 19; *Mc.* 16, 15), veritates fidei in Evangelio (vel "in S. S. ") (vel " in revelatione ") contentae, per praedicationem substantialiter innotuerint atque, teste S. Paulo (*Rom.* 10, 17) " fides ex auditu " ad maiorem partem credentium perveniat, ita ut etiam rudes atque analfabeti per fidem " sperandarum substantia rerum " (*Hebr.* 11, 1) quae " per dilectionem operatur " (*Gal.* 5, 6) redemptionem ac salutem consequantur: Sancta Synodus christifideles omnes, praesertim sodales religiosos... etc. ».

Ratio: *a*) omnes novimus exstitisse atque adhuc existere multitudinem analfabetorum ac vere rudium, qui, etiamsi velint, non possunt legere, vel non possunt cum fructu legere S. Scripturam.

b) Nullibi, in schemate *de divina revelatione* eiusque transmissione, fit mentio verborum Domini *Mt.* 28, 19 et apud *Mc.* 16, 15.

c) Nullibi, in schemate, fit mentio verborum S. Pauli (*Rom.* 10, 17) « quomodo audient sine praedicante? Ergo fides ex auditu ».

d) Ratio *oecumenica*: Essentialis conceptus nostrae fidei a Christo et apostolis per successionem praedicationis ad nos usque pervenientis.

e) Ratio *pastoralis*: fundamentum quo innititur obligatio fidelium auscultandi vel audiendi praedicationes.

Lin. 27: legatur phrasis: « vehementer (...) exhortatur (...) ut frequenti divinarum Scripturarum lectione "eminentem scientiam Iesu Christi" (*Phil.* 3, 8) ediscant ».

Ratio: *a*) si praeter sodales religiosos, etiam alii numerandi sunt de quibus in « modo » n. 2 indicatur, haec phrasis nimis prolixa evaderet.

b) Verba S. Hieronymi, praeferenter applicanda videntur — uti supra — illis qui sunt sacerdotes, diaconi vel catechistae.

44

EXC.MUS P. D. MATTHIAS WEHR
Episcopus Trevirensis

Ad cap. I. Ad art. 3 (pag. 6, linn. 25-28): Textu paululum mutato dicatur: « ... per Moysen et prophetas erudiret ad solum Deum vivum et verum, providum *Dominum* et iudicem iustum hominum *colendum* et ad promissum *per prophetas* Salvatorem exspectandum ».

Ratio: Sacra Scriptura non docet Deum patrem omnium hominum (cf. Animadversiones, quas infrascriptus B. Stein die 29 m. septembris in aula protulit ad art. 33 declarationis II schematis *de Oecumenismo*). Proprium religionis Veteris Testamenti fuit colere Deum unum, Dominum omnium. Quaestio ab Augustino (*De Trin.*) agitata, quis apparuerit, locutus sit etc. praetermittatur. Nec modus loquendi Concilii sit indeterminatus.

Ad art. 4 (pag. 6, linn. 39-40): deleatur verbum « missus ». *Ratio*: Incarnatio ipsa est « missio » (cf. AUGUSTINUS, in *Ioan.*, tr. 40 n. 6: *PL* 35, 1689; PETRUS LOMBARDUS, *Sent.* lib. 3 d. 1: ed. ad Claras Aquas, pag. 551; et eiusdem Commentatores).

Ad art. 4 (pag. 7, lin. 6): deletis verbis « et tota sua persona » dicatur: « et tota *vi et virtute* su*ae* person*ae* ». *Ratio*: usus termini « persona », hoc loco adhibitus, theologis non est assuetus.

Ad cap. II. Ad art. 10 (pag. 17, lin. 14): immutato ordine verborum dicatur: « *traditum et scriptum* ». *Ratio*: eadem consecutio verborum adhibetur in art. 7: pag. 15, lin. 27; art. 9: pag. 16, lin. 30 ac ipso art. 10: pag. 17, lin. 5 dicendo « S. Traditio et Sacra Scriptura ».

Ad art. 10 (pag. 17, lin. 18): post « in uno nomine Iesu Christi » addatur: « exercetur »; aut, deleto in lin. 17 verbo « per », dicatur: « ... quod *ut* suprema auctoritas... ». *Ratio*: conditio et munus magisterii clarius exhibeantur.

Ad cap. III. Ad art. 12 (pag. 28, lin. 23): inter verba « totius Scripturae » inseratur « tum Veteris tum Novi Testamenti »...! *Ratio*: nexus inter utrumque Testamentum opportune exhibeatur.

Ad cap. IV. Ad art. 14 (pag. 33, lin. 18): deleto verbo « exstat » dicatur aut « proponitur » aut « profertur ». *Ratio*: dispensatio salutis nostrae non proprie « exstat » in sacris Litteris.

Ad cap. V. Ad art. 18 (pag. 37, lin. 20): post ultimum verbum « vita » addatur « morte, resurrectione... ». *Ratio*: inter ea, quae a quattuor Evangeliis enarrantur, summum omnium locum obtinent ea, quae de morte et resurrectione Christi scripta sunt.

Ad cap. VI. Ad art. 21 (pag. 43, linn. 13-15): textu aliquantulum mutato dicatur: « *Ecclesia* eas una cum *ceteris doctrinis traditionis apostolicae* semper sicut supremam fidei suae regulam habuit, cum *Scripturae Sacrae* non

tantum a Deo inspiratae sint... ». *Ratio*: verba in schemate posita conceptu « traditionis » non polito utuntur et suspicionem cuiusdam anxietatis movere possunt.

Ad art. 22 (pag. 44, linn. 1-3): mutatis titulo et textu dicatur: « 22. (Commendantur usus textuum originalium et accuratae versiones) Ecclesia, sponsa Christi, tantos thesauros filiis suis distribuere semper satagebat tum laudes divinas in lingua ipsorum hagiographorum persolvens et Patres, Doctores Magistrosque litteris originalibus incumbendo Sacram Scripturam interpretantes prae ceteris laudans, tum, ubi cura animarum postulavit, versionibus in varias linguas factis insistens, ut christifidelibus aditus *ad verbum scriptum* late pateret. Qua de causa... ». *Ratio*: desideratur mentio usus textuum originalium in Liturgiis, uti in Ecclesia Hierosolymitana primitiva et in variis Liturgiis Graecorum, necnon usus exponendi Sacras Litteras secundum textum originalem.

Ad art. 23 (pag. 44, lin. 21): dicatur *aut*: « a Spiritu Sancto edocta... » (deletis nempe verbis « Dei et Christi » *aut* « a Sancto Dei Patris et Christi Spiritu edocta... ». *Ratio*: textus schematis nec clarum nec theologice usitatam locutionem praebet. Verbum enim « Deus » et essentiam divinam et divinam aliquam personam indeterminatam significare potest. In textu graeco Novi Testamenti « hó Theós » semper fere significat Patrem Iesu Christi. Praeterea Christus est et homo et Deus.

Ad art. 24 (pag. 45, lin. 1): verba « scripto et tradito » aut deleantur aut saltem ordine immutentur. *Ratio*: verba superflua videntur, nam contextus clare enuntiat primo loco aliqua de verbo Dei in tota eiusdem comprehensione, deinde (linn. 5 ss.) aliqua de verbo Dei in Sacris Litteris scripto.

Si vero verba retinenda censeantur, immutetur ordo iuxta animadversionem supra ad art. 10 cap. II prolatam.

[*Subscripserunt etiam*] Bernardus Stein, Carolus Schmidt.

45

Exc.mus P. D. IOANNES WHEALON

Episcopus tit. Andrapenus, aux. Clevelandensis

1. In genere, hoc schema placet et grato animo accipitur.

2. In n. 7, metaphora *speculi* videtur conceptum non clare exprimere et proinde non placet.

3. In n. 8, lin. 8, verba « ea omnia » videntur conceptum exaggerare. In Ecclesia hodierna, e. g., multa sacramentalia haud de apostolis devenerunt.

4. Etiam in n. 8, desidero ut clare statuatur traditionem latiorem esse quam Scripturam. Mihi videtur hanc doctrinam esse fidem nostram; et mihi

persuasum est oportere nos simpliciter doctrinam nostram proferre hac in re, ad bonum fidei et ad bonum oecumenismi. Ad mentem veniunt haec verba, de schemate *de Oecumenismo* sumpta: « Integra doctrina lucide exponatur omnino oportet. Nil ab oecumenismo tam alienum est quam ille falsus irenismus, quo puritas doctrinae catholicae detrimentum patitur et eius sensus genuinus et certus obscuratur » (n. 11).

5. In n. 11, lin. 12, suggero post *homines* additionem verba « singillatim vel collective », propter has rationes: *a*) nunc nullus progressus in doctrina de inspiratione datur; *b*) tamen multa sunt signa pluritatis auctorum humanorum pro multis libris V. T. et fortasse pro aliquibus libris N. T.; et talis pluritas auctoritatum sat communiter ab exegetis docetur.

6. Etiam in n. 11, approbo suggestionem ut mentio habeatur Deum in inspirando adhibuisse ordinarie hagiographum infra limites humanae cognitionis hagiographi. Sed nullomodo video necessitatem mutandi doctrinam traditionalem de inerrantia Sacrae Scripturae. Etiam temporibus difficillimis rationalismi et modernismi, magisterium prohibuit ne inspiratio neve inerrantia subtrahatur de partibus pure historicis vel saecularibus Bibliae Sacrae. Nunc, praesertim propter genera litteraria intellecta, multae difficultates biblicae solutae sunt. Revera adsunt difficultates praesertim in rebus historiae, sed Spiritu Sancto adiuvante studium et labor et oratio exegetarum etiam has difficultates in futurum solvent. Nunc parum cognoscitur de textibus Sacrae Scripturae quos apostoli et sacri auctores ad manus habebant et citabant; fere nil scitur de textibus *Targumim* quos omni Sabbato Iudaei in synagogis audiebant et qui pro ipsis fuerunt textus receptus Sacrae Scripturae. Et adhuc progressus ulterior in generibus litterariis identificandis et intelligendis exspectandus est. Has ob rationes, nullam necessitatem nunc sentio investigandi possibilitatem relaxandi doctrinam de inerrantia Sacrae Scripturae.

7. In n. 14, lin. 12, loco « in dies » praefero « gradatim » vel aliud huiusmodi. Progressus intelligentiae religiosae Israel haud fuit progressus continuus. Erant multa tempora — e. g., commorationis in Aegypto, Iudicum, Regum post Salomonem — quando probabiliter fuit regressus notabilis in spiritu religionis Israel.

8. In n. 18. Propter allusionem in fine Evangelii S. Ioannis ad auctores plures et propter indolem artificialem Evangelii S. Matthaei (haud ab uno auctore confectam), spero numerum 18 non nimis insistere in unum auctorem uniuscuiusque Evangelii. Textus praesens approbatur.

9. In n. 19. Verba Patris Christopher Butler, O.S.B., de hoc numero toto corde approbo: praesertim de additione verborum « mere » ante *ficta* et « sola » ante *creatrici potentia.* Approbo etiam rationes bene ab eo expressas de his verbis addendis.

46

QUIDAM EXC.MI PP. CONCILIARES AMERICAE LATINAE

Praemittendum quidem est quod novum schema *de divina revelatione* est in genere, atque etiam quoad particularia multa, optimum, suffragatione positiva omnino dignum, finibus pastoralibus et oecumenicis Concilii Vaticani II apprime consonum.

Inter plura, duo seliguntur ut obiectum specificae approbationis:

a) cura, qua in toto schemate, quaestio difficilis et implicita relationis Scripturam inter et traditionem relicta est intacta, quin sive in unam partem sive in alteram Concilium inclinari videatur;

b) nova redactio paragraphi quae de Evangeliorum indole historica agit, i. e., n. 19: paragraphus haec, respectu textus prioris, magis positiva, praesentibus studiis biblicis melius consonans, atque praesertim fidelis veritati apparet. Notandum tamen est quod emendationes a rev.mo Patre Butler, O.S.B., in aula prolatae die 6 octobris meliorem adhuc textum redderent, ideoque approbandae sunt.

Emendationes aliquae proponuntur:

a) Cap. I, n. 3 (pag. 6, lin. 23): desideratur mentio pactus inter Deum et populum Israel, qui quidem est quasi cardo totius historiae salutis.

b) Cap. II, n. 8 (pag. 16, linn. 10-12): phrasis aliquantulum implicata apparet (verbulum « omne, omnia » quater in quinque lineis repetitur); supprimatur saltem bis in lin. 12, ita ut textus simpliciter dicat: quod ipsa est, habet et credit.

c) Cap. 3, n. 11 (pag. 27, linn. 16-21): affirmatio inerrantiae Sacrae Scripturae aliis verbis fieri debet. Proponitur haec formula: Cum ergo omne id quod auctor inspiratus sive hagiographus dicit retineri debeat dictum a Spiritu Sancto eo modo quo ab hagiographo dictum est, inde libri Sacrae Scripturae veritatem exhibere dicendi sunt in omnibus suis partibus, diversimode tamen pro qualitate affirmationis hagiographi. Ratio est quia textus prout iacet non videtur considerasse diversum valorem veritatis inesse diversis Sacrae Scripturae sententiis, iuxta communem exegetarum doctrinam.

d) Cap. 3, n. 12 (pag. 28, linn. 5-9): tota paragraphus deleri potest cum de facto nonnisi repetat quae in pag. praecedenti, linn. 23-39, dicta sunt. Textus continuari potest, nulla phrasi interiecta, verbis: Veritas enim, in lin. 8.

e) Cap. 3, n. 13 (pag. 28, linn. 34 ss.): Verba: salva semper Dei veritate et sanctitate, superflua sunt cum de se subintelligantur et ideo speciem prae se ferant artificii cuiusdam.

[*Subscripserunt*] Alberto Devoto, ep. Goyanensis; A. Quarracino, ep. Nueve de Julio; Jorge Kemerer, ep. Posadas; Enrico Angelelli, ep. tit. Listrae; Hieronymus Ioseph Podestà, ep. Avellaneda; Vicente Zazpe, ep. Rafaela; E. Pironio, ep. aux. La Plata.

47

PLURES EXC.MI PATRES CONCILIARES BRASILIAE

1. Schema refectum valde placet, et haud dubium quin mentem et placita maioris partis Patrum conciliarium nunc exprimat. Doctrinam firmam, profundam, bene perpensam proponit, tractat quaestiones et problemata hodie maxime agitata, utitur lingua scripturistica non nimis scholastica, modo pacato et spiritu oecumenico doctrinam Ecclesiae aperit et pandit.

Nihil substantiale nobis apparet esse sive demendum sive addendum. Aliquae tamen mutationes, sive ad doctrinam magis clarificandam sive ad quosdam parvos defectus tollendos, nobis opportunae videntur, quas hic placet proponere.

2. Ad pag. 7, lin. 22: « seu voluntarius veritati ab eo revelatae assensus ». Haec definitio fidei nimis sapit ipsum conceptualismum propter quem (secundum notam 2, pag. 9) prius schema reprobatum est.

Secundum formulam immediate praecedentem (Concilii Vaticani I), fides est « *Deo*... obsequium ». « Veritati... assensus » est formula scholastica quae nimis coarctat conceptum fidei. Melius omitteretur.

3. Pag. 16, linn. 22-23 sic mutantur: Per eandem traditionem et ipsae Sacrae Litterae *ut inspiratae et in exacto sensu* innotescunt in aeque... *Ratio*: omittitur « absoluta certitudine », tum quia nimis rethoricam sapit, tum quia per plura saecula aliqua incertitudo regnabat in Ecclesia circa limites canonis.

4. Pag. 16, linn. 34-40: omittenda sunt. *Ratio*: synthesis aliqua incompleta et insufficiens earum quae dicta sunt in §§ 7 et 8.

5. Ad pag. 17, linn. 15 s.: « authentice... infallibili ». Non est clarum quomodo intelligendum sit « authentice ». Si idem vult ac « cum auctoritate cui submissio debetur », tunc melius non ad Magisterium ut infallibile provocetur, siquidem Ecclesia bene potest edere (et aliquando edidit) decisiones prudentes et constringentes quae tamen non sint irreformabiles, inde non infallibiles. Si econtra « authentice » idem sonat ac « cum infallibili veritate », hoc tam raro evenit ut clausula videatur indebite minuere munus interpretativum Ecclesiae.

6. Ad pag. 38, linn. 20 ss.: « selegendo, ... attendendo ». Infelici modo ista citatio ex Instructione *Sancta Mater Ecclesia,* data a Pontificia Commissione Biblica, modificata est et obtruncata. Ultimum « quaedam » relictum est sine regente. Exactius reproducenda est phrasis, et vox « explanantes » omnino est conservanda. Melius dicendum esset: « Auctores autem sacri quattuor Evangelia conscripserunt, quaedam e multis vel ore vel iam scripto traditis selegentes, quaedam in synthesim redigentes, quaedam, ad statum ecclesiarum attendendo, explanantes, formam denique praeconii retinentes, ita semper ut... ».

[*Adhaeserunt*] Exc.mi PP. DD. Aloisio Lorscheider, José Alberto de Castro Pinto, Benedito Zorzi, Joaquim de Lange, Eugenio Araujo Sales, José Nicomedes Grossi, José Adelino Dantas, Bernardo José Bueno Mieli, Ruy Serra, José Maria Pires, Nivaldo Monte, David Picão, Walfrido Teixeira Vieira, José Medeiros Leite, Geraldo Penido, Vicente Scherer, José D'Angelo Neto, Salomão Ferraz, João de Souza Lima, Gerardo Ferreira Reis, João Rezende Costa, Walmor Battu Wichrowski, José Costa Campos, Arcangelo Cerqua, Candido Padim, José Eugenio Corrêa, Amadeo Gonzales Ferreiros, Manuel Tavares de Araujo, Anselmo Pietrulla, Luiz Victor Sartori, Aristides Pirovano, Antonio Batista Fragoso, José Lamartine Soares, José Medeiros Delgado, Waldir Calheiros, Helder Camara, José Vicente Tavora, Fernando Gomes dos Santos, João José da Mota e Albuquerque, Raimundo de Castro e Silva.

48

CONFERENTIA EPISCOPORUM INDONESIAE

Valde contenti sumus cum hoc novo schemate *de divina revelatione*. Textus hic ita correspondet exigentiis et desideriis nostris, ut non iam amplius detur pro nobis necessitas correctiones in textu proponendi. Haec nobis videtur maxima laus, commissioni theologicae, quod attinet ad hoc schema, exhiberi potest.

Adhaesio nostra in specie respicit ad:

1. Factum quod nunc revelationi ipsi caput speciale dedicatum sit et quod revelatio nunc describatur modo vere biblico et personalistico.

2. Titulum et contentum cap. II de transmissione revelationis, specialiter quod attinet ad modum loquendi de unico fonte (secundum verba Concilii Tridentini) et de Sacra Traditione et Sacra Scriptura. Etiam nobis placet quod nunc primo loco ponatur Sacra traditio sine ullo detrimento valoris Sacrae Scripturae.

3. Modum quo nunc in cap. V (n. 19) valor fundamentalis historicus Evangeliorum prematur, ita tamen ut bonae famae exegetis catholicis via non occludatur operi suo scientifico.

4. Modum quo in cap. VI sermo fiat de Sacra Scriptura in Ecclesia.

Quod attinet ad quaestionem maxime agitatam in prima sessione Concilii, nempe utrum veritates revelatae habeantur, quae nullomodo in Sacra Scriptura inveniri possunt, valde nobis placet quod in hoc textu de hoc omnino sileatur. Non est quaestio, quae nunc a Concilio modo definitivo et claro solvi potest. Omnino ergo volumus quod sub hoc respectu nihil in textu immutetur.

APPENDIX

APPENDIX

I

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA CONSTITUTIONIS DOGMATICAE DE ECCLESIA

A - 1963.

1

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. DE BARROS CÂMARA *

Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

Adhaerere volo interventioni habitae hodie (21 octobris 1963) ab exc.mo arch. Columbiensi in Ceylon, mons. Thomas Cooray, qui distinctionem proposuit pro distinctione inter sacerdotium sacramentale et spirituale (scil. laicorum).

2

EXC.MUS P. D. CAMILLUS PLACIDUS CROUS Y SALICHS **

Episcopus tit. Cratiensis, vic. ap. Sibundoyensis

Post caput ultimum schematis *de Ecclesia* convenientes et opportunae essent, uti videtur, additiones: De Ecclesiae membris in purgatorio detentis; et de eiusdem Ecclesiae membris in aeternitate cum Christo regnantibus et Deum in caelo glorificantibus. *Rationes* sunt:

A) Ut tota Ecclesia appareat in tribus suis statibus, nempe: ut peregrina et militans in terra; ut patiens et purificationi subiecta in purgatorio; et ut gloriosa et regnans in caelo. Visio solummodo Ecclesiae in terra peregrinantis partialis est; et si non loquitur de termino huius peregrinationis, visio Ecclesiae incompleta manet. Terminus peregrinationis est intima, gloriosa et aeterna coniunctio cum Deo in Christo Iesu « in laudem gloriae gratiae eius » (*Eph.* 1, 6).

B) Ratio pastoralis valde suadet ut de Ecclesia triumphante et etiam de Ecclesia patienti agatur; quod evidens est, et quod « sanctorum communionem » multum fovere potest.

C) Etiam id commendare videtur ratio oecumenica: ut tota Ecclesia bene, et non incompleta tantum, agnoscatur, in sua triplici dimensione exposita.

[*Subsignavit etiam*] Vincentius Roig y Villalba, vic. ap. Valleduparensis.

---

* Cf. vol. II, pars III, p. 393.

** Cf. vol. II, pars I, p. 399.

3

EXC.MUS P. D. MARCELLUS M. DUBOIS *

Archiepiscopus Bisuntinus

Cap. III, n. 25, in principio pag. 9, linn. 1-2. *De fonte ultimo apostolatus laicorum.*

Caput de laicis, inter omnia Concilii capita, a permultis laicis maxime exspectatur. Oportet igitur hoc omnino eos satisfacere. In primis, rationes apostolatus laicorum solidae et profundae esse debent, i. e. quam altissimae possunt theologicae.

Schema autem essentialiter dat, ut rationes apostolatus, 1) sacramentum confirmationis (pag. 7); 2) participationem « ipsius missionis Ecclesiae salvificae ». Quod verum est. Quod tamen non est, huius apostolatus laicorum, hic fons profundissimus quem simul quaerimus. Quis ergo est ille fons?

Missio Ecclesiae hierarchicae a Iesu venit, qui ipse missus est a Patre: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » (*Io.* 20, 21; cf. *Gal.* 4, 4; *Hebr.* 3, 1 ubi Iesus dicitur apostolus). Et haec missio Ecclesiae bene incipit quando Spiritus Sanctus a Patre et Filio mittitur (cf. *Io.* 14, 16. 26; 16, 7).

Sed, quare Pater et Filius mittunt? Et quare Filius et Spiritus mittuntur? Hic simus in visceribus quaestionis.

Responsio datur theologia, fundata in Scripturis. Pater et Filius mittunt, quia diligunt: « In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus... ut vivamus per eum » (*Io.* 4, 9-10, *Io.* 3, 16). Filius et Spiritus Sanctus missionem accipiunt, quia diligunt (cf. *Gal.* 2, 20; *Eph.* 5, 2).

Sic, fons missionis *datae* (a Patre, a Filio), fons missionis *acceptae* (a Filio, a Spiritu Sancto) est *caritas.* Caritas Patris, caritas Verbi, caritas Spiritus Sancti (cf. *Io.* 4, 16). Haec caritas divina est fons *ultimus* missionis.

Quid mirum igitur, si finis omnis missionis — ideoque omnis apostolatus — est aedificare Civitatem *caritatis,* scilicet Civitatem *Dei*: quicumque enim mittitur a caritate, ad caritatem mittitur. Itaque, quando Ecclesia in nomine Iesu mittit (per baptismum, qui inserit Christo, per confirmationem, qui dat abundanter Spiritum Sanctum, et per alia media gratiae, aliquoties etiam per mandatum speciale), Ecclesia semper mittit *caritate*; et missi, qui sunt aliquo modo, ut Ioannes Baptista, missi a Deo (cf. *Io.* 1, 16), mittuntur a caritate et igitur ordinantur ad caritatem. Aliis verbis, omnis missio, eoque ipso omnis apostolatus, Cor Dei amantissimum revelat, et cor apostoli ad ferventem caritatem provocat.

Placet etiam sanctum Paulum, in Epistola ad Galatas (4, 4) exprimere participationem Reginae apostolorum ad effectum missionis Filii, cum scribit: « Misit Deus Filium suum, factum ex Muliere »: quae participatio, similiter, ad effectum missionis Spiritus Sancti, indicatur Actibus Apostolorum (1, 14).

Omni modo notio theologica supradicta animos laicorum divino amore incendere potest. Itaque ardenter opto ut in schemate includatur.

---

* Cf. vol. II, pars III, p. 393.

4

EXC.MUS P. D. PAULUS LEO SEITZ *
Episcopus Kontumensis

Cap. II (antiquum). Par. 11 (lin. 16, addendum): Ecclesia apostolica est quia super Apostolos fundata et ad omnes gentes missa. Ideo episcopatus, sicut Duodecim, Ecclesiae peregrinantis fundamentum constituit et usque ad ultimum terrae populum Dei conduxit. Ut vero episcopatus...

Par. 15 (proponitur nova redactio sub titulo: *de presbyteratu*).

(Institutio) Coetus Seniorum conveniebat ad apostolos, partem habebat curae totius Ecclesiae nascentis, a Spiritu Sancto institutus (*Act.* 20, 28) et ab apostolis et eorum successoribus constitutus (*Tit.* 1, 5) ad multiplicandam praesentiam apostolorum et eam dilatandam in sinu totius humanae societatis.

(Natura) Successores Seniorum, presbyteri funguntur in Ecclesia munere sacerdotali, quod participatio est sacerdotii pleni episcopi: hoc munus in eo est ut congregent ecclesiam loci ad Eucharistiam celebrandam. Presbyter suum sacerdotium habet ab episcopo (i. e. a Christo qui in Ecclesia agit per episcopum) et cooperatur eius triplici muneri: prophetae, pastoris et sacerdotis: ipse facit ut fideles verbum Dei audiant, ipsos ducit et sanctificat per sacramenta quorum conficiendorum potestatem recepit, et exemplo suae vitae. Iuxta oeconomiam Incarnationis et vi institutionis divinae, sacerdotium est hierarchicum ut sit vere catholicum.

Sacerdotium presbyterorum est collegiale quia originem habet ex sacerdotio pleno episcopi, per quod visibilis redditur et longius producitur in existentia historica Ecclesiae Unicum Sacerdotium Supremum Christi. « Una enim est caro Christi... et unus episcopus cum presbyterorum collegio, et diaconis conservis meis » (Ignatius Antiochenus, Ep. ad Philadelphienses, 4; Bull. Maxim. Vet. Patrum, Lugduni 1687, vol. II, pag. 83). Liturgia eucharistica significat, et oportet ut semper melius significet oculis fidelium ad aedificationem populi Dei, unitatem presbyterii, praecipue in concelebratione. « Episcopus in *collegio presbyterali* princeps est, presbyteris cum eo concelebrantibus » (S. LEO, *Ep.* 9).

(Consequentiae) Unitas presbyterii circa episcopum, ubi unusquisque suas facit sollicitudines aliorum omnium, fundamentum est in Ecclesia dioecesana, unitatis actionis liturgicae, pastoralis et missionariae, ad imaginem collegii episcopalis in Ecclesia universali.

Eucharistia, quae Ecclesiam construit, unit omnes presbyteros circa episcopum et laicos circa presbyterum ut eos constituat in unicum Christum et adducat ad testificandum apud eorum fratres adhuc infideles.

Ad instar vocationis particularis S. Pauli, cui collegium duodecim apostolorum commisit evangelizationem infidelium (*Gal.* 2, 7-8), ubicumque degerent, vocatio missionaria Ecclesiae particulariter ad effectum deducitur in illis ex suis presbyteris qui totam vitam suam devovent evangelizationi infidelium in illis Institutis missionariis, quae ab Ecclesia approbantur et (audemus proponere) quibus commissio particularis collegii episcoporum attribuit evangelizandos aliquos populos.

---

* Cf. vol. II, pars II, p. 643.

(Finis huius paragraphi, a lin. 28 incipiendo, potest manere qualis nunc est, si paragraphus specialis pro gradibus inferioribus hierarchiae non ponitur).

Par. 17, lin. 17 (addatur): « Episcopus etiam sollicitudinem habet non solum infidelium qui in sua dioecesi inveniuntur, sed etiam totius illius maioris partis universi quae suam liberationem exspectat; incrementum evangelizationis suae dioecesis arcte connectitur cooperationi effectivae quam ipse praestat evangelizationi mundi ».

Par. 19 (addatur in initio): « Episcopus est Magister doctrinae, Pater dividens Panem Vitae.

Hoc munus Magistri et Prophetae constituit eius ministerium missionarium. Episcopi sunt praedicatores... ».

5

QUIDAM EXC.MI PP. DD. CONCILIARES *

Desiderio, a Summo Pontifice Paulo VI feliciter regnante expresso in allocutione hanc secundam Concilii sessionem inaugurante, respondentes, « altius investigemus doctrinam de episcopatu, de eius muneribus deque eius cum Petro necessitudinibus ».

Textus in cap. II schematis proiacentis propositus, elementa nobis quidem praebet positiva ac solida, quae doctrinam Concilii Vaticani I feliciter exponentia, munus episcoporum, Petri Successore primatum tenente, complent.

Teste enim S. Scriptura ac ad tramitem tum traditionum Patrum quum documentorum liturgicorum, nonnullos maioris momenti aspectus melius ac cinctius in lucem poni liceat, *episcopatum nempe ut sacramentum proprie dictum* ac *episcoporum collegialitatem*. Quibus melius in lucem poni possunt relationes quae corpori episcoporum insunt cum eiusdem Capite, Summo scil. Pontifice; ac orientationes operae theologorum pretiores praeberi « iter demonstrando ad consensionum unitatem efficiendam » (eadem Alloc. S. Pont., 29-9-1963).

Ad episcopatus sacramentum quod attinet n. 14 huius schematis hoc clare affirmat ac arguit: indoles collegialis episcopatus in hoc schemate clare nectitur instituto duodecim apostolorum: « ad instar cuiusdam collegii » (in n. 12, lin. 31; nn. 13 ac 16). Quae expressio nobis recta videtur, quamvis terminus « ad instar » minus fortis vel etiam infirmus interpretari posset. Attamen usus termini « collegii » in decursu schematis tali suspicioni minime ansam praebet.

Nonne vero desiderandum esset indolem collegialem episcopatus arctius necti cum eiusdem indole sacramentali?

Testante enim S. Scriptura apostoli a Christo Domino missi sunt ut quoddam collegium.

In munere praedicandi ac pascendi gregem eorundem successores, scl. episcopi, huius collegii missionis plene participes facti sunt consecratione episcopali, potestate nempe collata sanctificandi, docendi ac regendi.

In *Act. Ap.* 1, 15-26, Matthias « annumeratus est cum undecim Apostolis », quo missionis collegii participes effectus est. Si episcopatus est Ordo, consecratione episcopali electus in hunc Ordinem adsciscitur, ei communicandi scil. missionem collegi episcoporum.

---

* Cf. vol. II, pars II, p. 643.

Tali modo mysterium hierarchiae in Ecclesia perspiciendo clarius fit, triplicis episcopalis muneris collationem, multis epiclesibus consecratoriis testantibus, in hac consecratione ut in radice ponendam esse.

Quod munus seu potestas radicalis, episcopatui essentialis, ac toti collegio communis, requirit ulteriorem iuridicam determinationem ut exerceatur in concreto sive collegialiter ut in Concilio Oecumenico vel cum aliis fratribus episcopis in conferentia episcopali vel huiusmodi, sive modo particulari relate ad quoddam territorium, in ministerio cuiusdam Ecclesiae particularis, vel in aliquo sacro ministerio missioni hierarchicae Ecclesiae connexo.

Eadem hac appropinquandi ratione melius apparere nobis videtur, quomodo, mediante collegio cuius membrum sit episcopus, arctam cum eiusdem collegii Capite relationem habeat.

Successor enim Petri, unitatis nexus visibilis (cf. *Col.* 2, 19), auctoritate superiore ac sibi propria collegialitatem illam divinitus institutam constituit, quae absque illo imperfecta esset. Christus enim collegium apostolorum, cui Petrum praefecerat, instituit. Petri ergo ministerium auctoritativum apostolorum collegio necessarium est.

Vicarius Christi atque Successor Petri potestatem docendi ac regendi sibi propriam a Christo recipit; eius auctoritas ac infallibilitas, docente Concilio Vaticano I, ei obveniunt non ex delegatione vel consensu fratrum suorum in episcopatu, sed a Deo.

Sed minime huic veritati obstat, quominus asseratur Summum Pontificem potestatem hanc ac divinam assistentiam recipere ut Caput collegii apostolici totiusque Ecclesiae terrestris, cuius fidem authentice exprimit quamque ducere illum oportet.

Hanc veritatem ac praecedentes reflexiones exprimentes, magni aestimare nos oportet traditiones Ecclesiarum orientalium magnaque attentione fratres nostros Ecclesiarum illarum episcopos audire, qui nobis communicare velint quidquid de his in eorum theologia docetur. Talis enim communicatio latinos ditiores reddet simulque dialogum oecumenicum adiuvabit.

Emendando ergo nonnullas partes huius cap. II, tres praedictas proprietates: collegialitatem scil., sacramentalitatem ac nexus cum Summo Pontifice meliore modo apparere in sua mutua interdependentia nobis videtur. Pari modo sequelas practicas inde pro ministerio episcopatus deducendas facilius obtineri liceat.

Quapropter huiusmodi suggestus directivas a Fratribus nostris venerabilibus factas vel faciendas libenter ac magno cum corde supportamus.

Unde et nos proponimus, ut illa formulatio, quae inter emendationes ab archiepiscopis et episcopis regionis Parisiensis propositas invenitur in pag. 34 sub II retineatur. Ibi enim collegialitas, sacramentum, potestas episcoporum ac eorundem relationes cum Summo Pontifice in organica quadam unione exhibentur ac collegialitatis fructus melius describuntur.

[*Subscripserunt*] J. B. Theunissen, arch. Blantyrensis; J. Puset, ep. Tamatave; L. Jansen, ep. Isangi; L. P. Hardman, ep. Zomba; A. Guiot, ep. Portus Pacis; Ioannes Gunnarson, vic. ap. Islandiae; Remy Agustin; Gregorio Garavito, ep. tit. Ciparissia; A. Le Breton, ep. tit. Salona; G. J. Deschamps, praef. ap. Daru; C. M. Heiligers, sup. gen. S.M.M.

B - 1964.

1

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. LERCARO *

Archiepiscopus Bononiensis

Ad art. 3, cap. I, pag. 8, lin. 18. Post verbum « aedificans », addatur: « ... eamque nunc gloriosus apud Patrem, sua praesentia et actione invisibili iugiter sustentat ac vivificat ».

Rationes: 1. In hodierno textu explicatur cur Ecclesia, iuremerito, dicatur Ecclesia Christi. Sed rationes quae proponuntur respiciunt solum actionem praeteritam Christi dum in terris degebat: acquisivit, replevit, instruxit. Nihil vero dicitur hoc loco de praesentia et actione continua et semper in actu Christi nunc gloriosi in Ecclesia. Quae quidem recte illustratur in art. 5 sed etiam hoc loco debet explicite exprimi quia est ratio maximi fortasse momenti cur Ecclesia vere sit Ecclesia Christi. Nam, ad mentem S. Pauli, ita Ecclesia est aliquid Christi ut sit eius corpus, quod est praeprimis vi Christi gloriosi actualis et iugis praesentiae et actionis, quamvis invisibilis, in Ecclesia. Itemque sine hac praesentia et actione non intelligitur vera natura liturgiae eiusque relationes ad Christum et ad structuram et vitam Ecclesiae.

2. Hoc modo etiam recte fit necessaria connexio inter hunc articulum et Constitutionem de sacra Liturgia, quae, in articulo 7, tantum hanc doctrinam premit.

In art. 4, cap. I, pag. 8, lin. 32. Post verba « in templo habitat (cf. *1 Cor.* 3, 16; 6, 19; *Eph.* 2, 22; *1 Pt.* 2, 5) » addatur: « in sacramentis operatur et communicatur (cf. *1 Cor.* 12, 13; *Io.* 3, 15; *Act.* 8, 15 ss.; *Io.* 20, 23; *Act.* 20, 28), nulla enim potest esse plena benedictio nisi per infusionem Spiritus Sancti (S. AMBROSIUS, *De Spiritu Sancto,* I, 7, 89, *PL* 16, 755), qui etiam Ecclesiam... ».

Rationes: 1. Necessitas hic explicite indicandi doctrinam de momento Spiritus Sancti in vita sacramentali Ecclesiae, quae doctrina cum tanta vi inculcatur sive in ipsa Scriptura, sive, praesertim a saec. IV, in tota traditione patristica et liturgica Ecclesiae tam in oriente quam in occidente.

2. Momentum huius rei in dialogo oecumenico. Nam: *a*) haec doctrina de momento Spiritus Sancti in vita sacramentali Ecclesiae, in psychologia quidem theologorum, sacerdotum et fidelium occidentalium fere oblivioni tradita est, sed in mente Ecclesiarum orientalium vivida prorsus manet. *b*) Principium S. Ambrosii, quod est vere generale, saltem inde a saec. IV, apud Patres sive in liturgiis tam orientis quam occidentis, est necessarium fundamentum ad agnoscendum id quod recti certe inest in theoria dissidentium de necessitate praesentiae Spiritus Sancti ad Eucharistiam conficiendam, quidquid sit de ulteriore quaestione circa accuratum momentum transsubstantiationis. Affirmatio ergo huius principii, vere traditionalis et theologice certi, hoc loco a Concilio facta, esset magnus progressus ad optatam unionem cum orientalibus a nobis separatis in quaestione non parvi momenti inter nos disputata. Valde dolendum esset si Concilium hanc occasionem a Deo sibi datam amitteret.

---

* Cf. vol. III, pars I, p. 547.

In art. 5, cap. I, pag. 10, linn. 7-9. Loco verborum: « Sicut in... reficit et... », dicatur: « In terris ipse hominibus benefaciebat eosque sanabat, in desertis nutriebat, ubique instruebat et sanctificabat ut quodammodo participes fierent ineffabilis illius unionis qua ipse Deo iungebatur atque summi illius cultus amoris, honoris et gloriae quo Patrem iugiter glorificabat. Ita etiam nunc idem gloriosus apud Patrem in Ecclesia tamen per orbem dispersa homines usque fovet, pane doctrinae nutrit eosque, in primis per sacrosanctum Eucharistiae mysterium sacrasque Liturgiae celebrationes, sanctificat et in summo opere glorificationis Patris cultusque perfecti sibi, uti corpus Capiti, consociat. Hoc modo eos ad seipsum... ».

Ratio: in Praesenti articulo, qui agit de Ecclesia uti Corpore Christi mystico, deest quasi ex toto expressio muneris sacralis et cultualis Christi eiusque Corporis quod est Ecclesia. Quod tamen munus, Concilium, in constitutionem *de sacra Liturgia* (art. 2, linn. 5-8, 10, 41) iam asseruit esse in Corpore Christi mystico, inter omnia alia, praecipuum, totiusque Ecclesiae vitae culmen et fontem. Necessarium prorsus diversis constitutionibus exprimitur unicus et constans evadat.

2

REV.MUS P. D. CHRISTOPHORUS BUTLER

Praeses Congregationis Angliae O.S.B.

Caput de consummatione sanctitatis in gloria Sanctorum.

1. Pag. 1, lin. 2 scribatur: « Sanctitas qua Ecclesia praedita est et ad quam omnes homines in Christo Iesu vocantur, non tamen in terris consummatur ». *Ratio*: quia schema est de Ecclesia, et commemoratio sanctitatis Ecclesiae ut talis est ideo opportuna; praeterea, in capite de sanctitate, ut revisum est, mentio facta est de sanctitate quasi-ontologica Ecclesiae. (Consequens mihi videtur mutare verbum « consummabitur » in tempus praesens).

2. Pag. 2, lin. 44: omittatur « et multo magis ». *Ratio*: quia non video quomodo haec sic dicta maior efficacitas nostrae conversationis cum sanctis prae efficacia meritoriae coniunctionis cum fratribus peregrinantibus possit probari. Praeterea, comparatio haec non est necessaria ad argumentum schematis.

3

EXC.MUS P. D. IOSEPH D'AVACK

Archiepiscopus Camerinensis

Iuxta meam humilem sententiam, inter multa et praeclara bona, inveniuntur plus minusve in omnibus schematibus quidam graves defectus qui communem habent radicem; quae vero radix respicit fundamentum et ordinationem universi Concilii.

Unde melius esse censeo simul illos defectus recolere, ut denique evidentius appareat eorum communis illa radix.

In schemate *de Ecclesia,* quod est velut fundamentum ceterorum, nihil revera dicitur de Ecclesiae vita intima mystica (i. e. supreme reali); quae vita, parta per sacrificium caritatis Christi usque ad Crucem, per caritatem usque ad crucem mem-

brorum magis magisque fluit in totum Corpus usque ad membra separata et mortua.

Unde non satis in lucem ponitur munus fundamentale, vitale, uniuscuiusque christiani, scil. prosecutio oboedientiae redemptricis Christi per unumquemque iuxta suam vocationem, in caritate per crucem vitae christianae; quod munus, si praetermittitur, « nihil sum », « nihil prodest »; in quo munere potiorem gradum habent « consecrati » ad perfectionem caritatis; quo eodem munere supreme fungi debent Summus Pontifex et episcopi et sacerdotes, quippe qui eius muneris sint magistri et ministri.

Item praecepta Christi fundamentalia — quae cum omnino repugnent humanae naturae lapsae, omnino oportet praedicare expresse et firmiter instando « opportune importune » — vix et non satis revocantur in schematibus: « Dilige Deum... ex toto; diliges proximum... sicut Christus dilexit nos »; « Qui vult post me venire abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me »; « Qui non renuntiat omnibus quae possidet non potest meus esse discipulus »; « Qui vult animam suam salvam facere, perdet eam » etc.

Item invitatio Christi et conditiones expresse et severe ab ipso Christo appositae: « Si vis perfectus esse... Vende... sequere me », scil. paupertas, castitas et oboedientia, omnino enervantur. Consequenter:

1. Quoad populum christianum, praesertim quoad laicos, omnino insufficienter revocatur rectus usus amoris creati, bonorum, voluptatum. Revera homines intendunt habere amorem creatum et bona et voluptates tamquam finem ultimum, et non tamquam medium et incentivum ad recte et actuose operandum iuxta divinum originale praeceptum (« Crescite... replete terram... »); et hoc praecise est malum fundamentale hodiernum: cui supreme obsistere oportet ad fundamentum condendum necessariae instaurationis christianae, et ut ponatur vera radix ad solvendas quaestiones sociales, oeconomicas, etc. inter singulos et classes et nationes.

2. Quoad coniugatos, vix et ne vix quidem revocatur meta ad quam — saltem remote sed efficaciter — tendere debent: scil. ut saltem « in resurrectione » evadant « sicut angeli Dei in paradiso qui neque nubent... » (*Mt.* 22, 30) gradatim transcendentes amorem creatum, bonum et a Deo ipsis imperatum sed inferiorem et caducum et transitorium. Revocare autem talem metam, est unicum verum fundamentale remedium ad solvenda perardua problemata de morali coniugali.

3. Quoad consecratos in statu perfectionis acquirendae, non satis urgetur observantia positiva — personaliter et in Institutis — suorum votorum de tribus « consiliis » (non tantum ea non violare, sed quam maxime positive in actum ducere). Quae positiva observantia, est unica via vera ad perfectionem caritatis iam in terra; est eorum ratio essendi; est radix eorum efficientiae naturalis et praesertim supernaturalis; est vera radix ad solvendas contentiones inter ipsos et Ordinarios et Clerum saecularem.

4. Quoad « vocationem ad sanctitatem in Ecclesia », plura insufficientia et inepta immo vel mendosa dicta sunt, praesertim vero cum actum est de vita spirituali sacerdotum, de sanctitate eorum.

5. Quoad B. Mariam V. non satis evincitur eius munus omnino singulare et supremum in Ecclesia; unde via panditur ad interminabiles et prorsus ineptas immo periculosas disceptationes.

6. Quoad paupertatem Ecclesiae et in Ecclesia, cum multa perpulchra dicta

fuerint, attamen omnino inadaequate evictum est paupertatem esse non tantum Ecclesiae quamdam notam perpulchram, sed pertinere ad essentiam Ecclesiae, ad essentiam Redemptionis. Nam redempti sumus non « per » divitias, non « non obstante » defectu divitiarum, sed praecise « per » defectum divitiarum, « per paupertatem ».

Insuper, sic fere obliterato elemento mystico, i. e. supreme reali et efficaci et vitali, quod est prosecutio in membris oboedientiae redemptricis Christi, factum est ut, utique, valde eluceat munus docendi et regendi, proprium episcoporum, necnon et actio externa quae eget opera laicorum: sed fere in umbra maneat ministerium — sanctificatio animarum — quod utique est munus fundamentale, finis itemque fundamentum muneris docendi et regendi, quodque directe et immediate exercetur per sacerdotes. Unde:

1. Episcopi saepe saepius visi sunt quasi certare ad vindicandum exercitium suae auctoritatis in docendo et regendo; laici visi sunt quasi vindicare ius ad operandum in Ecclesia: dum revera non agebatur nisi ut magis magisque omnes « in timore et tremore » conscii fierent de suis gravissimis muneribus.

2. De sacerdotibus perpauca et fere inepta usque modo dicta sunt in Concilio; insuper schema ad disceptationem paratum « de clericis » eiusque caput « de vita spirituali sacerdotum », omnino insufficientia et inadaequata apparent, carentia sodo fundamento et sensu theologico et humano.

Malum maximum, si consideretur quod opera sacerdotum omnino egent et episcopi et laici, et ipsum Concilium ne sua decreta maneant « littera mortua ». Amarissima deceptio et noxia, cum iamiam sancti et theologi et Summi Pontifices gradatim omnia paraverint elementa quae tandem aliquando colligere et ordinare Concilii munus est ut clare edoceantur ac statuantur necessaria ad formationem et sanctificationem sacerdotum: quae a plurimis saeculis inquiruntur et disceptantur inter incertitudines et praeiudicia quae tantum supremum magisterium dirimere potest immo urgenter debet.

3. Item munus docendi et regendi, cum consideretur fere seorsim a munere sanctificandi, necessario nimis sapit elementa humana, terrena: unde oritur quasi contentio inter formam mentis latinam rigorose logicam et iuridicam, et formas mentis orientales magis intuitivas, et primitivas: quae omnes, e contra, sunt complementares, alteram altera postulans ad veritatem in caritate. Quae contentio, quin foveat, potius obest « unioni » et evangelizationi.

Revera saepe in Concilio mentis forma iuridica praevaluit super caritatem; ipsa sacra theologia perpensa est mente iuridica; cum, e contra, caritas — non tantum non peccare, « nemini laedere, suum cuique tribuere », sed revera « amare » « ex toto » « sicut Christus » — sit lex plena christianismi; iuris vero sit tantum ordinare et canonizare exigentias minimas caritatis tangentes plus minus ordinem publicum; et normae iuris accipi non valeant eoque minus servari praetermissa caritate.

Immo in Concilio videtur adesse, utique, magnam eruditionem theologicam, magnam scientiam iuridicam, sed *paucam et insufficientem meditationem circa catechismum,* circa scil. *veritates fundamentales.*[1]

[1] Talis pernoxius defectus meditationis circa veritates fundamentales — et quo magis quis eas meditatur eo magis percipit quam adhuc meditari oportet — minime sanatur per rationem

Igitur, radix defectuum quos supra numeravimus, immo vera radix fere universarum difficultatum quae obstant expeditum progressum in laboribus Concilii, videtur esse:

Non satis revocatas esse, non satis positas ut fundamentum, veritates fundamentales, id est ordinem divini Consilii circa creationem, elevationem et redemptionem a peccato.

Unde schemata longiora, implexa, irretita quaestionibus secundariis, et minus efficacia, minus probabilia ab omnibus, minus cogentia.

Sane notandum est oblivionem saltem practicam illarum veritatum fundamentalium — quas utique nemo negat expresse, plerique implicite praesupponunt, sed fere nemo explicite et efficaciter ponit ut basim — esse praecipuum malum hodiernum; et est causa cur minus lucide perspiciatur veritas, est causa cur, languescente caritate in vita christiana plurimorum, quandoque gratia deficiat.

Si animo sereno consideretur historia Ecclesiae, clare videtur mala omnimoda irruisse super Ecclesiam immo intra Ecclesiam, quia christiani et saepe ipsi moderatores Ecclesiae, absorpti specie maioris urgentiae problematum exteriorum contingentium, non satis revocaverunt et praedicaverunt, non satis in actum duxerunt veritates illas fundamentales earumque consectaria, caritatem per Crucem (scil. abnegationem sui et oboedientiam, ordinatum usum et appetitionem bonorum et patrimonii, amorem operativum in Deum et proximum, mortificationem vitae christianae etc.).

Unde munus praecipuum Concilii, conditio « sine qua non » ut sua deliberata sint brevia compendiosa perspicua indiscussibilia, apud omnes probabilia et actuabilia, videtur esse revocare illas veritates fundamentales earumque consectaria — caritatem per Crucem [2] —.

Quae vero cum sint fundamentalia et elementaria, valde facilius accipi poterunt etiam a « fratribus seiunctis », immo vel a non christianis. Erit revera quaerere et ostendere *ea quae uniunt*: quibus rite in lucem positis, facilius erit in ceteris secernere ea quae necessario pertinent ad essentiam, unde via inveniatur ad consentiendum in veritate per caritatem.

Haec omnia iam fusius exposui in meis consiliis circa ordinationem Concilii, per epistolas ad em.mum card. Tardini f. r. die 9 sept. 1959; rursus revocavi per epistolas ad em.mum card. Cicognani die 28 sept. '62; rursus vero per epistolas ad SS.mum D.D. Ioannem XXIII s. r. die 16 ianuarii 1963; item haec omnia fere fundamentum fuerunt ad omnes meas interventiones oretenus vel per scriptum.

Itaque, expresse revocando quae in iis documentis fusius exposui, rursus instantissime rogo ut:

SS. Concilium expresse et firmiter — quasi fundamentum condendo ad omnia sua deliberata — revocet veritates fundamentales circa ordinem creationis, eleva-

---

qua plura schemata utuntur Sacra Scriptura, quasi ex ea conficiendo tessellas ad opus musivum, scil. usurpando pericopes vel fere singula verba extra contextum, nonnunquam extra vel fere contra eius sensum.

[2] Ex his veritatibus logice stricte descendunt relationes hominis ad Deum, relationes erga proximum (singulos, in familia, in diversi gradus societatibus hierarchicis iuxta divinam ordinationem — « qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit » — summopere vero erga et in Ecclesia), relationes erga bona temporalia, in ordine Redemptionis, scil. in caritatem per crucem vitae cristianae.

tionis, redemptionis a peccato, earumque consectaria, scil. caritatem per Crucem vitae christianae; et super hoc fundamentum, reviset et aptet omnia schemata, quae ita facilius poterunt condensari et roborari.

Secus enim valde timeo ne SS. Concilium, post immanem laborem, effectus consequatur perexiguos et ineptos, cum amara et pernoxia deceptione totius humani generis.

4

REV.MUS P. D. VILFRIDUS IOSEPH DUFAULT

Superior generalis Augustin. ab Assumptione

De relatione fratrum separatorum ad Ecclesiam. Cum de conditione agitur fratrum separatorum et de eorum relatione ad Ecclesiam, modus loquendi sive theologorum sive etiam praesentis Concilii, adhuc anceps videtur et imperfecte sibi cohaerens. Ut autem stabilis perfecte fieret, recurrendum esset, nisi fallor, ad notionem quamdam hucusque non satis in lucem positam, quae necessaria videtur ut sine contradictione componantur assertiones aliquae nunc apud omnes receptae. Quinimmo hunc conceptum implicite contineri in quibusdam harum assertionum opinor. Verum in tam difficili materia hanc notionem non possum proponere nisi cum formidine errandi. Si autem iudicio commissionis theologicae consideratione digna existimetur, forsitan utiliter schematibus inseri possit.

Ut aiebam, modus loquendi hucusque usitatus ambiguum se praebet et dubiae cohaerentiae.

Etenim abstinemus quin dicamus fratres separatos *membra* esse Ecclesiae, cum Pius XII nos docuerit illos non esse membra,[1] sed tantummodo ad corpus Christi quod est Ecclesia ordinari posse « inscio quodam desiderio ac voto ».[2] Itidem, *ut verbis schematis de Ecclesia* rem enuntiemus, « reapse et simpliciter loquendo Ecclesiae societati incorporantur illi tantum qui integram eius ordinationem omniaque media salutis in ea instituta agnoscunt et in eiusdem compage visibili cum Christo, eam per Summum Pontificem et episcopos regente, iunguntur vinculis nempe professionis fidei, sacramenti et ecclesiastici regiminis ac communionis ».[3]

Verumtamen, secundum doctrinam in schemate *de Oecumenismo* expositam, fratres separati sunt filii Ecclesiae.[4] Ceterum nonne haec est verissima ratio ob quam a nobis fratres dicuntur, quia inquam, Ecclesiam matrem habent sicut et nos habemus? Sed, si filii sunt, quomodo non membra? Etenim qui filii dicuntur Ecclesiae videntur quodammodo intra Ecclesiam stare, cum Ecclesia sit vera familia et filii aliquid esse familiae necesse sit.

Similiter, si ab hoc principio unico ratiocinamur quod Ecclesia est tantummodo Ecclesia catholica, ita ut fratres separati extra Ecclesiam sint, sequitur eorum schisma non officere Ecclesiae unitati sed catholicitati. Minuit quidem schisma

---

[1] *Mystici Corporis*: *A.A.S.*, 1943, p. 202; *Humani generis*: *A.A.S.*, 1950, p. 571.

[2] *Mystici Corporis*: *A.A.S.*, 1943, p. 243.

[3] Schema *de Ecclesia,* n. 8.

[4] Schema *de Oecumenismo,* cap. I, n. 2, cum referentia ad Encyclicam Ioannis XXIII *Petri Cathedram.*

Ecclesiae amplitudinem, eius numericam magnitudinem expansionem et diffusionem, eius, ut ita dicam, incarnationem in gentibus et in diversis culturae humanitatisque generibus, sed quomodo unitati eius officere possit non perspicitur.

Unitatem profecto schisma minueret, si dissidentes intra veram Ecclesiam computari non desinerent. Sic manifeste schisma detrimento esset unitati. Etenim aut dicendum esset veram Ecclesiam etiam tunc unicam subsistere, quae unitatem internam amisisset, cum in se divisa et discissa relinqueretur, aut dicendum iam plures esse Ecclesias authenticas et sic periisset Ecclesiae unitas externa seu unicitas. Verum, si dissidentes ipso facto schismatis in vera Ecclesia esse desinunt, schisma videtur iam non esse detrimento unitati. Non nocet enim unitati internae Ecclesiae, hoc est eius indivisioni et cohaerentiae, cum sit aliquid extra Ecclesiam existens, neque nocet unitati externae, id est unicitati Ecclesiae, quandoquidem ipsa Ecclesia catholica manet unica vera Ecclesia a Iesu Cristo condita. Non ergo unitas Ecclesiae detrimentum patitur, sed tantummodo unitas christianorum. In hoc conspectu Ecclesia quidem vulneratur, non autem secundum unitatem sed secundum catholicitatem.

Verumtamen iam ab initio sic dictus « motus oecumenicus », qui finem sibi proponit omnium christianorum in unica vera Ecclesia adunationem, sive apud alios, sive etiam apud catholicos, semper se praebet ut conatus ad unitatem Ecclesiae tendens. Non catholicitatem sed unitatem semper prae se ferunt et semper in ore habent qui huic causae nomen dederunt. Quae funduntur orationes ut christiani in unum coadunentur non dicuntur orationes ad catholicitatem sed ad unitatem Ecclesiae promovendam. Huius rei exemplum indubium est missa votiva quae nuper « Ad tollendum schisma » inscribebatur et nunc novo titulo insignitur, hoc est « Pro unitate Ecclesiae ». Quae tituli mutatio luculenter probat eliminationem schismatis esse progressum unitatis Ecclesiae. Quod iam ex textu huius missae manifestum erat, in quo, ad tollendum schisma, a Deo petitur ut in Ecclesia sua « unitatis et pacis dona concedat » (Secreta), seu « unitatis operetur effectum » (Postcommunio).

Similiter christianorum divisionem velut peccatum contra unitatem Ecclesiae iudicamus et reditus dissidentium procul dubio a nobis ut illius unitatis progressus aestimaretur. Num dicendi sumus omnes errare et loqui de unitate, ubi de catholicitate dicendum esset?

Difficultatis expositae solutionem non videmus nisi in notione quae hucusque quasi tacita, videtur tamen implicite contineri in quibusdam assertionibus et locutionibus, velut cum dicimus fratres separatos filios esse Ecclesiae, vel cum iudicamus eorum dissidentiam detrimento esse Ecclesiae unitati, vel cum non declaramus abrupte eos non esse intra Ecclesiam, sed cum distinctione quadam non esse intra Ecclesiam « reapse et simpliciter loquendo ».

Et quidem eos reapse et simpliciter loquendo Ecclesiae non incorporari manifestum est, cum Ecclesia quam Christus voluit et condidit societas sit visibilis, visibiliter adhaerens Petri fidei et eius iurisdictionem agnoscens. Attamen libenter fatetur ab omnibus christianos dissidentes aliquid Ecclesiae apud se retinere; baptismum habent sicut et fidem et spem in Christo; caritatem etiam habere possunt quae nos omnes suo ligamine iungit et, si de Orthodoxis agitur, nobiscum habent ecclesiastica sacramenta.

Huius proinde urbis quae est Ecclesia non sunt cives pleno iure (gallice: « des citoyens à part entière ») neque stant intra moenia, sed iuxta urbem habitant, cuius

vita plus minusve arcte eis nobiscum communis est. Sunt christiani « fuori le mura » et simul sumpti sunt quasi suburbium Ecclesiae.

Hoc suburbium secundum zonas ut ita dicam « concentricas » disponitur. Suburbium immediatum et vicinum constat Ecclesiis orthodoxis, quae nobiscum habent fere omnia bona quibus Iesus Christus dotavit Ecclesiam. Dehinc inveniuntur zonae remotiores Protestantium, qui omnes nobiscum habent baptisma et, alii plus alii minus, sive quoad cultum sive quoad doctrinam, divitiis verae Ecclesiae ex parte fruuntur.

Huius rei conscii sumus omnes et haec est ratio, ni fallor, ob quam non dicimus nimis praefracte fratres separatos intra Ecclesiam non esse. Quando enim profitemur eos « reapse et simpliciter loquendo » Ecclesiae societati non incorporari, hoc ipso innuimus eos incorporari aliquo sensu, ita ut aliquo sensu etiam dici possit Ecclesia summa christianorum ab ipsis nobiscum constituta.

Quo ergo sensu christianos non catholicos intra Ecclesiam esse dicere possimus? Responsio in promptu est: cum sint quasi suburbium Ecclesiae, mihi videntur partem esse huius rei quae dici possit, si non « magna Ecclesia », qui terminus esset ambiguus, utique « Ecclesia extensiva » seu Ecclesia in sensu extensivo, eadem mente qua dicimus gallice « le grand Paris », ad urbem significandam insimul cum eius suburbio.

Haec autem « Ecclesia extensiva » non est Ecclesia in sensu vero et proprio, cum non sit talis qualem Christus eam voluit et condidit. Etenim Iesus neminem vult esse extra muros, sed oves omnes cupit intra saepta ovilis manere. Quod extra saepta manet non proprie et vere est Ecclesia, sicut suburbium urbis Paris non est Paris sed urbibus distinctis componitur.

Agitur ergo de sensu lato et improprio, quo tamen nullo modo innuitur hunc esse minoris momenti et fundamenti expertem. Etenim summa Ecclesiae catholicae cum eius suburbio Ecclesiarum cognatarum est aliquid vere unum, imperfecta quidem sed reali et obiectiva unitate, quae unitas iterum comparanda est unitati valde etiam reali magnae urbis extensive sumptae, id est una cum eius suburbio. In utroque casu omnes in loco habitantes eamdem vitam communicant plus minusve arcte, secundum propinquitatem maiorem aut minorem ad centrum. Et quia summa considerata non est inventum intellectus neque gratuita collatio, sed verissima et obiectiva fruitur unitate, sequitur eam, ut sic, veram existentiam etiam habere et nomine speciali significandam esse.

Quo autem nomine aptius significaretur quam vocabulo Ecclesia? Nonne enim huius summae unitas proprie oritur ex ecclesiasticis elementis vere a Christo institutis, quae secundum mensuras diversas ab omnibus servata sunt? Haec ergo summa digna videtur quae nominetur Ecclesia, non autem, ut dixi, sensu stricto et proprio, sed sensu improprio seu extensivo. Ceteroquin parum refert adiectivum « extensivum » quo usus sum. Alius forsan aliud inveniet aptius et melius dicet quod exprimere volui loquendo de « Ecclesia extensiva ».

Quod si haec notio « Ecclesiae extensivae » admittitur, statim intelligitur quare modo dicuntur fratres separati non esse intra Ecclesiam (etenim non sunt Ecclesiae membra) et modo videntur dici intra Ecclesiam esse (nam filii sunt Ecclesiae). Ratio huius differentiae facili distinctione datur: non enim sunt intra Ecclesiam proprio et vero sensu significatam, sed certe sunt intra Ecclesiam sensu extensivo intellectam.

Intelligitur etiam quomodo schisma unitati Ecclesiae officiat. Non quidem

tangit unitatem Ecclesiae, si haec sensu proprio accipitur, sed si de Ecclesia extensiva agitur, quae est universitas christianorum, tunc schisma unitatem eius graviter vulnerat.

Haec ergo notio Ecclesiae in sensu extensivo intellectae necessaria videtur ad recte componendas propositiones hodie apud omnes receptas et etiam a Sacro Concilio prolatas. Quapropter, ut dixi, utile forsan esset *eam schematibus inserere.*

5

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS SIMONS

Episcopus Indorensis

De Ecclesia in terris peregrinante eiusque membris. Ad *de Ecclesia,* cap. I, nn. 7-9. Ecclesia comprehendit omnes qui sunt membra Christi seu cum ipso et inter se intime coniuncti unum corpus efficiunt... In diiudicando qui sint membra Ecclesiae, valde opportunum esse videtur clarius distinguere inter finem essentialem et media quae ad hunc finem perducere possunt.

Sensu lato sed profundiore et ratione finis Ecclesia comprehendit omnes iustos, « ab Abel iusto usque in finem saeculi », etiamsi christiani nomine non glorientur (*Ecclesia universalis,* nota 1, pp. 13-14). Nam iusti iustificantur gratia Christi seu caritate ab ipso in eos infusa cum Christo iunguntur. Vinculum caritatis, quamquam sit in se invisibile, est vinculum perfectius quod omnia vincula exteriora, etiam divinae institutionis, omnesque virtutes caritate non formatas, longe superat. Immo, nonnisi ii qui caritate iustificati ex hac vita decedunt, pertinebunt ad Ecclesiam aeternam caelestem... Vinculum caritatis quodammodo visibile redditur actibus caritatis et virtutum.

Sensu strictiore seu ut societas visibilis a Christo instituta, Ecclesia eos comprehendit qui Christum Dominum et Salvatorem profitentes et in ipsum sincere credentes visibiliter adhaerent Ecclesiae a Christo super fundamentum Petri aliorumque apostolorum constitutae, cui Christus media specialia salutis tradidit. Hoc sensu strictiore coincidit cum Ecclesia catholica romana.

Gradibus diversis sed veris etiam ii ad ipsam pertinent qui sincere Christum confitentes et in ipsum credentes eius voluntatem adimplere satagunt et plura media salutis a Christo tradita fide tenent et observant, quamvis in quibusdam deficiant et Ecclesiae catholicae romanae visibiliter non adhaereant.

Omnes autem qui carent vita caritatis, quamquam nomine christiani vel catholici glorientur, nonnisi modo valde imperfecto ad Christum et Ecclesiam pertinent nec ad salutem reapse pervenerunt.

[*Subsignaverunt etiam*] Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis; Oscar Sévrin, ep. tit. Mossinensis; J. Rosario, ep. Amravatensis; Stanislaus Tigga, bish. Raigarh-Ambikapur; Conrad Dubbelman, bish. Jabalpur; Januarius, Ord. Chandaensis.

II
ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DECRETI DE EPISCOPIS AC DE DIOECESIUM REGIMINE

A - Inter primam et secundam Concilii periodum.*

1

EXC.MUS P. D. IOANNES HIERONYMUS ADAM
Archiepiscopus Liberopolitanus

Pag. 29, n. 18. Nihil hic invenitur de ampliore paupertate et simplicitate, *de nimiis pompis vitandis,* quod multi christiani exspectant.

2

EXC.MUS P. D. MICHAEL BROWNE
Episcopus Galviensis et Duacensis

Additiones. Introductio: addatur post par. 2: « Ut magis idonei ad officium episcopale semper eligi possint abroganda est quaevis nominatio, praesentatio vel interventus civilis potestatis ».

N. 18, par. 2. Statuta pro conferentiis iam constitutis quae a S. Sancta probata sunt, intacta maneant.

Mutationes. Introductio: « Animarum salus, finis Ecclesiae Christi supremus » loco, « lex in Ecclesia ».

Suppressiones. N. 1: deleatur: « quo nihil esse in hac vita... non dubitavit ». *Ratio*: est rhetorica.

N. 22. Deleantur verba « et ad effectum deducantur », quia non omnes decisiones ad effectum deduci debent iuxta 23 et 24.

3

EXC.MUS P. D. ANTONIUS CARDOSA CUNHA
Episcopus tit. Barenus in Pisidia, aux. Beiensis

Ad cap. II, pag. 9 ss. Stabiliendus est limes aetatis pro episcopis residentialibus. Postquam limitem aetatis attigerit, episcopus sustentationem condignam accipere debet a dioecesi in qua laboravit.

Lege lata de limite aetatis, facillimum erit providere multis casibus quibus episcopus propter aetatem provectam solutionem dare non potest.

---

* Cf. vol. II, pars IV, p. 827 ss.

4

EXC.MUS P. D. VILLELMUS CLEVEN

Episcopus tit. Sasimensis, aux. Coloniensis

In Conferentia episcoporum Germaniae et Austriae, 26-27 septembris, in praeparatione deliberationum Concilii *de episcopis ac de dioecesium regimine,* cap. II, arch. Friburgensis, exc. Schäufele, proposuit nn. 12 § 1, pars II, 12 § 2, 13, 15 § 2, schematis praeparati delendi. Rationes attulit quod auctoritas Ordinarii exinde deperderetur atque unitas regiminis in dioecesi in periculum adduceretur. In disceptatione nostra non apparuit generalis consensus. Ego ipse, nomine plurium adstantium episcoporum etiam auxiliarium proposui non admittendas esse suppressiones ab exc. Schäufele suggestas, quia rationem allatam admittere non potui. Votatio facta non est. Propono ideo iterum ut schema servetur sicut commissio Concilii illud praesentavit.

Praeterea rogare vellem ut n. 12 haec adiectio adscriberetur: « Episcopi impediti vel absentis vices gerit auxiliaris, et in ordinem dignitatum Capituli dignitas prima admittitur auxiliaris ».

5

EXC.MUS P. D. IOSEPH GAWLINA

Archiepiscopus tit. Madytensis

Cap. III: *De Nationali Episcoporum Coetu seu Conferentia* (per modum suppressionis).

Schema bene exaratum mediam inter maximalistas et minimalistas tenet viam. Optimum episcopis fecit donum summa saltem iuridica lineamenta definiendo. Sine enim decisione *iuridica* quaestio proposita inanis esset.

1. Pag. 16, n. 24, linn. 26-28, supprimantur vocabula: « *simulque* » usque ad « *communiendum* ». *Ratio*: sensus iste iam in linn. 13-15 subintelligitur.

2. Pag. 18, supprimatur nota 7. *Ratio*: non est necessaria.

3. Pag. 15, lin. 11: loco « in eoque », melius « in eaque ».

Caput IV: *De dioeceseon ac provinciarum ecclesiasticarum congruenti circumscriptione* (per modum suppressionis).

Pag. 21, n. 29, linn. 16-18: supprimantur vocabula: « Si... ita fiat ut ». *Ratio*: in eo est, ut omnino evitentur inserta territorialia in corpore dioeceseos unitatem et simplicitatem efficientis; quapropter suppressa prima parte textus, sufficit reliquum.

Cap. V: *De paroeciarum erectione deque earundem congruenti circumscriptione* (per modum suppressionis).

Pag. 25, n. 36, lin. 5: supprimatur: « vicarium cooperatorem ». *Ratio*: opus pastorale pro fidelibus diversi sermonis aut stirpis *per modum vicarii cooperatoris* exercendum omnino inefficax evenire potest, quod iam in commissione praeparatoria non pauci Patres (Rupp, Khoreiche, Mensa, Brizgys, Gawlina, Szrant) indicaverunt. Vicarius enim cooperator semper iussibus et dispositionibus parochi

territorialis, i. e. non compatriotae emigratorum obnoxius esse debet; ideo normaliter, experientia teste, detrimentum capit pastoralis cura emigratorum.

Veram solutionem praebet paroecia personalis aut mixta aut missionarius, non vero nimis impeditus vicarius cooperator.

6

Exc.mus P. D. FRANCISCUS JACHYM

Archiepiscopus tit. Maroneus, coad. s.d. Vindebonensis

Germanicae linguae episcopi coadunati circa finem m. augusti a. c. deliberaverunt inter alia etiam de schemate superscripto « De episcopis ac de dioecesium regimine ».

Arch. Friburgensis referendo proposuit tollendas esse facultates coadiutoris in cap. II, n. 8 etiamque auxiliaris, nn. 12-15, redeundumque esse ad C.I.C. adhuc vigentem.

Suffragio de ista propositione non facto nullo modo indeque arch. Friburgensis ex consensu omnium episcoporum congregatorum suam thesim defendit in Concilii commissione, cui praesidet Eminentia Vestra.

Argumentum praesulis Friburgensis est istas facultates munus ordinarii in discrimen adducere, nempe ut unicum caput sit suae ditionis.

Sed e contrario e prooemio cap. II, n. 6, istius schematis elucet, quod a Sede Apostolica coadiutor tantum nominatur si ordinarius iam non fungitur hoc munere sive ex qualitatibus suis sive ex difficultatibus extraordinariis suae dioecesis. Ad sanandam autem talem infirmitatem regiminis necessariae esse videntur facultates, de quarum ambitu iudicium non potest relinqui soli ordinario coadiuvando.

Assentior ergo ex aliqua experientia quatuordecim paene annorum consiliis huius schematis et ad evitandam impressionem, quod vox Friburgensis sit votum omnium nostrae linguae Concilii patrum, audeo haec tecum, exc.me ac rev.me D., communicare atque pronus ad Sacrae Purpurae osculum grato animo.

Die Facultäten des Koadjutors und des Auxiliars im Schema: De episcopis ac de dioecesium regimine (cap. II, nn. 6-10; 12-15).

Exc. Schäufele von Freiburg beantragt in seinem Gutachten die Ablehnung der in n. 8 ss vorgesehenen Fakultäten und führt als Grund dafür an, dass diese gegen das Strukturprinzip der Kirche « Haupt-Leibt-Einheit » (Mörsdorf) verstossen. Es solle beim alten Recht can. 351 § 2 C.I.C. bleiben.

Spricht der Erzbischof von Freiburg vom Standpunkt eines Ordinarius, so mag es schon deswegen gestattet und empfehlenswert sein, dass auch ein Koadjutor seine Erfahrung darlegt: Audiatur et altera pars.

Ich versehe seit fast 14 Jahren dieses Amt, war fast 6 Jahre Koadjutor personae datus, sogar mit den Vollmachten eines Ordinarius, war dann Kapitelvikar der Dioezese mit ausserordentlichen Vollmachten und bin nun 7 Jahre Koadjutor sedi datus.

Ich habe genug Arbeit, genug Facultäten und auch, was das Wichtigste bei diesem Amte ist, das Vertrauen des Ordinarius. Selbst wenn ich die im Schema beantragte Regelung noch erleben sollte, habe ich persönlich nichts davon zu erwarten. Denn es mag angebracht sein, z.B. dem Koadjutor von Paris, Exz. Veuil-

lot, nachträglich das Recht der Nachfolge zu geben, da Eminenz Feltin hochbetagt ist. Unsere Eminenz in Wien ist aber nur wenige Jahre älter als ich und erfreut sich bester Gesundheit. So werde ich als c. sedi datus alten Rechtes « auslaufen ».

Dennoch aber möchte ich für die Beibehandlung der Vorschläge im Schema eintreten aus folgendem Gründen: 1) Die Bestellung eines Koadjutors ist schon bis heute eine recht seltene Massnahme gewesen. Im deutschen Sprachraum bin ich lange Jahre der einzige gewesen.

In Zukunft würde eine solche Bestellung noch seltener, weil damit von nun an immer das ius successionis verbunden sein und die Unterscheidung: « sedi datus - personae datus » wegfallen soll.

Freiburg erweckt aber, wie mir vorkommen will, den Eindruck, als müsste jeder Ordinarius sozusagen ständig gewärtig sein, dass ihm ein Koadjutor bestellt wird.

2. Ausdrücklich wird im Prooemium (cap. II, n. 6) als Voraussetzung für eine solche Bestellung angeführt, dass der Ordinarius aus Gründen, die in seiner Person oder in der Situation der Dioezese liegen, sein Amt, also, um mit Freiburg zu reden, die « Haupt-Funktion » eben nicht mehr erfüllen kann.

3. In diesen Notstand der Dioezese, wo Amtsverzicht und Teilung der Dioezese nicht möglich erscheinen und Rom durch Bestellung eines Koadjutors eingreift, muss dieser die entsprechenden Vollmachten haben, um sein Amt überhaupt erfüllen zu können. Die völlige Ausgeliefertheit an das Wohlwollen des Ordinarius bezüglich der Fakultäten würde den Betroffenen zuletzt zum Richter in eigener Sache, den Patienten zum Arzt machen. Der Codex sah das zwar bisher vor, aber tatsächlich war schon in can. 351 § 2 C.I.C. die Möglichkeit Roms zu einer besonderen Bevollmächtigung des Koadjutors offen: « Nisi aliud in his (Apostolicis) litteris caveatur... ». Sie wurde tatsächlich, z.B. in meinem Fall in Anwendung gebracht, sodass der Vorschlag des Schemas sachlich nicht völlig Neues enthält.

4. Nach meiner Erfahrung ist sodann die Unterstellung des Generalvikars auch unter den Koadjutor (n. 10) eine Bürgschaft für die Einheit des Dioezesanregimentes und sollte daher nicht abgelehnt werden. Andernfalls wäre es denkbar, dass trotz der Ernennung eines Koadjutors der Ordinarius einen Generalvikar bestellt, der sich nur ihm verantwortlich fühlt und beide zusammen regieren die Dioezese und die Römische Bestellung eines Koadjutors wird fast illusorisch. Ist aber der Generalvikar ein redlicher Mann und arbeitet er im Sinne des Schemas, scheint dadurch die Gefährdung der Einheit der Regierung in der Dioezese weithin gebannt.

5. Dass das heutige Recht wirklich Lücken aufweist, habe ich selbst erfahren: Nachdem ich als Kapitelvikar die Dioezese regiert hatte, besass ich dann auf einmal, infolge der Unbekümmertheit der zuständigen Stellen, durch Monate nicht einmal die Beichtjurisdiktion in der Dioezese, die ich schon als Kaplan besessen hatte.

II. Was sodann die Fakultäten des Auxiliars anlangt (cap. II, nn. 12-15), so sind die Vorschläge des Schemas nicht so schrecklich wie die Formulierung des Referenten vermuten lässt (S. 5): « Ich frage: Was unterscheidet dann den Weihbischof hinsichtlich seiner rechtlichen Stellung noch vom Generalvikar? Oder wird hier beabsichtigt, dass der Weihbischof immer auch Generalvikar sein

soll? ». Sonst wäre es nicht bisher schon in vielen Dioezesen bewährt und erprobt, den Generalvikar zum Weihbischof zu machen.

Es heisst ja ausdrücklich, dass der Ordinarius den Auxiliaris erbitten soll (n. 11). Es ist dann in seiner Hand gelegen, eine Persönlichkeit vorzuschlagen, die auch geeignet ist, das Amt eines Generalvikars ganz oder zum Teil in der Dioezese auszufüllen.

In Fulda konnte ich mich nicht mehr zu Wort melden, aber ich wollte schon dort meine Ausführungen etwa in folgender Weise beschliessen: Es geht mir nicht darum, den bischöflichen Referenten auf jeden Fall umzustimmen. Der Sinn meiner Gegenvorstellungen wäre schon erreicht, wenn der hochwürdigste Herr Erzbischof von Freiburg seine Anträge wenigstens nicht unter Berufung auf die einhellige Zustimmung aller Bischöfe des deutschen Sprachraumes in der Kommission vorbringen und vertreten könnte.

7

Exc.mus P. D. PAULUS NGUYEN-VAN-BINH

Archiepiscopus Saigonensis

Bien que contenant d'excellentes indications, ce schema reste encore assez étroit en ses affirmations. En concédant aux Evêques des pouvoirs disciplinaires qui avaient été réservés au Souverain Pontife, il ne fait qu'élargir un peu « les facultés » épiscopales. Cela ne va pas loin au point de vue doctrinal.

On aurait souhaité que soit formulée une doctrine plus positive et plus nette sur ce qui fonde l'autorité des Evêques.

Aujourd'hui, en fait, on pourrait croire que leur rôle se réduit à n'être que des agents exécutants des lois qu'ils n'ont pas faites.

Ne faut-il pas rappeler que d'après l'Evangile le Christ a confié *directement* ses pouvoirs aux Apôtres. C'est donc au titre de successeurs des Apôtres que les Evêques possèdent leur autorité et leurs pouvoirs. Il ne s'agit pas d'une concession faite par le Souverain Pontife à chacun d'eux. C'est bien pourquoi les Evêques séparés de Rome jouissent de pouvoirs réels, bien qu'ils rejettent l'autorité du Pape.

Les Evêques ne sont pas seulement des délégués ou des représentants du Souverain Pontife. Ce qui est proprement confié à Pierre et à ses successeurs par le Christ c'est une autorité suprême de surveillance et de contrôle. Il doit veiller sur les Apôtres pour les maintenir dans la foi, redresser leurs déviations possibles en matière de doctrine et de discipline. Et à ce titre, son autorité ne peut pas être discutée: elle est vraiment fondée sur la volonté du Christ, tout comme celle des autres Apôtres.

C'est pourquoi, si l'on peut parler ainsi, les Evêques sont à la fois « autonomes » en leurs fonctions épiscopales et soumis à un pouvoir pontifical de direction, de conseil, de redressement et de coordination.

Ceci a besoin d'être nettement affirmé, bien qu'il soit difficile d'en préciser les points d'application en pratique.

Il semble que les rapports des Evêques d'un pays avec le Nonce, l'Internonce ou le Délégué Apostolique devraient être définis plus nettement en principe.

Le schema n'en parle pas.

Il semble excessif que les Nonces ou les Délégués Apostoliques deviennent en fait comme des super-évêques. Les canons 267 à 270 auraient besoin d'être complétés.

267, 1, 10. Leur fonction est de soi uniquement diplomatique. Elle ne devrait pas changer de nature.

267, 1, 20. Il est prévu seulement une fonction de renseignements.

267, 1, 30. C'est ce paragraphe qui reste imprécis. Les facultés spéciales données par le Saint-Siège ne devraient pas être trop fréquentes, ni trop étendues. Il devrait être défini qu'aucune de ces facultés ne peut restreindre, en principe ou en fait, les pouvoirs qui découlent directement des fonctions et de l'autorité des Evêques du pays.

N. 15, pag. 11 (20) et la note 11. Il semble que l'opinion accordant à l'Evêque auxiliaire les droits d'Administrateur du diocèse, « sede vacante », soit préférable. On ne voit guère la situation d'un Auxiliaire face à un Vicaire général nommé par le Chapitre.

N. 18, 10, page 14. Les synodes ou conférences provinciales perdent beaucoup de leur importance aujourd'hui avec la facilité des communications. Il semble que l'on pourrait indiquer une périodicité minima pour les Conseils nationaux (n. 18, 20). Les conférences « internationales » paraissent de plus en plus utiles pour écarter le risque de nationalisme étroit qui peut agir dans les Conseils nationaux. Ces Conseils pourraient être facilités si l'on prévoyait des divisions ou grandes régions comprenant plusieurs nations. Mais il est sûr aussi qu'une telle réglementation est délicate, car ce sont le plus souvent les nations les plus voisines les unes des autres qui ont entre elles le plus de difficultés.

De façon générale les dispositions qui accordent plus de pouvoirs aux Evêques concernant les religieux paraissent opportunes. Elles devraient tendre à faire des religieux de veritables auxiliaires au service du diocèse où ils travaillent.

8

Exc.mus P. D. EUGENIUS O'CALLAGHAN

Episcopus Clogherensis

Cap. III: De Nationali Episcoporum Coetu seu Conferentia.

Subsectio III: De conferentiae decisionibus.

N. 22, pag. 16, lin. 4. Omittantur verba « et ad effectum deducantur ». *Ratio*: est, quia haec verba, si iuxta ordinaria principia interpretationis intelliguntur, obligationem videntur imponere, tum in conscientia tum iuridicam, unicuique episcopo quaslibet conferentiae decisiones semper et sine ulla exceptione ad effectum deducendi. Sed e n. 23 clare eruitur res ita non esse, nam ex n. 23 licitum est cuilibet episcopo ob graves rationes contra decisiones conferentiae in sua dioecesi agere, dummodo antea scripto certiorem faciat conferentiam per ipsius praesidem de suis agendi rationibus. Praeterea, infra in n. 24, obligatio iuridica ad effectum deducendi decisiones conferentiae restringitur ad quattuor casus ibidem taxative enumeratos. Itaque tum unitati fovendae tum bono communi in universa natione promovendo satis consulitur per verba in n. 22 « decisiones... debita reverentia ab unoquoque episcopo accipiantur » et per praescripta n. 24.

9

Exc.mus P. D. IOSEPH ASAJIRO SATOWAKI

Episcopus Kagoshimaensis

Loco pericopae: « Omnes Ordinarii locorum..., vicariis generalibus exceptis, ... pertinent » (n. 19, linn. 5-8) sit: « Omnes Ordinarii locorum cuiuscumque ritus necnon et episcopi coadiutores de iure et cum suffragio deliberativo ad Nationalem Episcoporum Conferentiam pertinent, vicarii vero generales, suo episcopo rite impedito, cum suffragio consultivo tantum ».

10

Exc.mus P. D. PAULUS LEO SEITZ

Episcopus Kontumensis

Ce schema de Décret est satisfaisant dans l'ensemble; c'est un pas de fait dans la voie de la décentralisation et dans la ligne de revalorisation de l'épiscopat; il a une valeur œcuménique en rapprochant, sur ce point, occidentaux. On souhaite cependant plus d'audace dans une rectification de structure des Congrégations romaines.

P. 6, l. 5: on oppose, une fois de plus, le Siège Apostolique aux Patriarches orientaux; considère-t-on alors celui-là en tant que Patriarcat occidental?

Par. 3 — les Facultés — l. 18: la note 3 indique: on ne dit pas ici à quel titre l'Evêque jouit de ces facultés, cela est traité dans le schema de constitution dogmatique. Certes, dans le schema de Episcopatu, on en trouve le fondement théologique, notamment dans la sacramentalité de l'épiscopat; mais ni l'un ni l'autre schema ne fait le lien entre le pouvoir général du Collège épiscopal et les différentes facultés des Evêques. Préciser ce lien éviterait les hésitations et imprécisions de langage du schema de Episcopis (notamment quant aux Titulaires, p. 15, l. 9 en désaccord avec p. 6, l. 24). Par ailleurs on peut se demander s'il convient de reconnaître toutes ces facultés à chaque Evêque, ou d'en réserver certaines à des « patriarches » ou présidents de conférences épiscopales. Décentralisation ne doit pas être morcellement; il serait bon d'instituer un échelon intermédiaire entre Pierre et les épiscopes (c'est ce que les Orientaux appellent « patriarches », successeurs des Apôtres). A signaler dès ici que les Facultés accordées par la congrégation P. F. dépassent les Facultés mentionnées en appendice de ce schema; il ne faudrait pas que, ces dernières devenant le droit commun et abrogeant toute autre faculté particulière, les Evêques dépendant de P. F. perdent les indispensables facultés dont ils jouissent, facultés dont il serait heureux de faire profiter tout le corps épiscopal.

L. 25: « characteris episcopalis dignitati », remplacer par: « sacramenti ordinis plenitudine »: la constitution dogmatique ne parle pas de « caractère » mais de « sacrament ». Au moins quant au vocabulaire, les schémas ont l'air de s'ignorer les uns les autres.

P. 7, par. 4: bonnes lignes 7-9, 18.

Par. 5: bonne proposition, mais il faudrait avoir le courage de remettre

en question toute l'organisation et la division du travail des Congrégations, il ne suffit pas de les renforcer par des Pasteurs. Notamment, pour nous qui en dépendons, nous souhaitons que P. F. s'ouvre au souci de l'Eglise universelle et centralise toutes les missions, c'est-à-dire les réalisations diverses de la mission d'apostolat de l'Eglise.

P. 9, l. 18: cf. supr. p. 6, l. 25.

Ll. 29-30: toujours cette opposition Siège Apostolique et autorité compétente pour les Orientaux!

Ou bien par S. A. on entend « Patriarcat occidental », mais alors qu'on le dise nettement. On ne le peut, car, si à l'origine le Pape était patriarche pour l'occident (ce qui n'enlevait rien à sa primauté), il ne convenient pas, dans l'état actuel d'évolution de l'Eglise, de confondre les deux fonctions dans la même personne— ou bien par S. A. on entend l'autorité de Pierre sur l'Eglise universelle, mais restreinte à l'occident (comme si c'était là seulement l'Eglise normale), les patriarcats orientaux étant considérés comme des appendices extra-normaux!

Dans une saine perspective il faut considérer les « Latins » comme d'un rite particulier, *au même titre* que les Orientaux et même que, plus tard peut-être, les Extrêmes-orientaux (dans quelques siècles, ou avant, ils pourront la majorité numérique des chrétiens), le tout formant *une* Eglise universelle — elle ne peut être vraiment catholique que dans ces conditions. Et elle n'est dite « Romaine » que en ce sens que sa Tête, le successeur de Pierre, réside à Rome depuis les temps apostoliques.

On ne peut opposer l'« autorité compétente pour les Orientaux » qu'à une « autorité compétente pour les Occidentaux » (auxquels le Pape ne peut se limiter, il est plus que cela, il est au service de l'Eglise universelle); mais on est gêné pour le faire car cette autorité n'existe pas; le Pape a rempli cette fonction jusqu'à présent, mais pas en tant que Vicaire de Pierre. Il est temps de sortir de cette confusion.

P. 11, l. 23: toujours cette même faute de perspective.

L. 27: il est difficile de parler de limite d'âge, chaque cas étant particulier; et surtout qu'on ne tombe pas dans le fonctionnarisme ridicule de la préciser (la note 12 précise: 75 ans accomplis! merci pour Jean XXIII et tant d'autres...).

P. 14, par. 17: il faudrait situer nettement les Conférences Episcopales entre: leur fondement théologique, i. e. la Collégialité de l'Episcopat et la plénitude d'un sacerdoce unique; et leurs réalisations pastorales: lien d'amour, collaboration étroite au sein d'une région, pastorale d'ensemble.

Cela peut être dit en moins de lignes que dans ce prooemium si on veille à ce que tous les mots portent.

P. 14, l. 26: il conviendrait qu'un plan de statuts soit élaboré d'abord par la commission conciliaire compétente, en utilisant notamment les statuts des Conférences épiscopales existantes et efficaces.

P. 15: de conferentiae moderamine, il n'y est nullement question de la présidence de ces conférences. On parle bien, en dernière ligne, d'un « secrétariat au service de la conférence », mais rien sur le président. Qui doit-il être? qui le choisit? Le problème se pose avec acuités dans les Jeunes Eglises. Elles peuvent être amenées à grouper les évêques de pays différents, ce qui aggrave la difficulté de choiser un président admis par tous (au Cambodge il y a un seul évêque pour tout le pays).

Elles peuvent, plus que d'autres, être menacées dans leur liberté par des ingérences gouvernementales.

En raison de cela, il peut-être bon d'envisager une autorité extra-nationale présidant la conférence: Patriarche? Vicaire apostolique? (au sens ancien de « Délégué apostolique », laissant au nonce ou légat la représentation diplomatique).

La question doit être résolue au Concil, sinon il arrivera que des Conférences épiscopales ne puissent se constituer, ou bien se réunissent sans efficacité, ou bien soient sous la coupe de nationalistes n'ayant pas encore le souci de l'Eglise Universelle.

P. 15, ll. 7-9: les Titulaires sont mis à part, pourquoi? en vertu de la sacramentalité de l'épiscopat et de l'unité du Collège, ils doivent tenir la même place que les autres au sein d'une conférence épiscopale. De plus, il est des pays où l'on trouve conjointement des Vicaires Apostoliques (*mere* titulares!) et des Résidentiels.

P. 16, ll. 3-4: la « debita reverentia » suffit-elle pour « effectum deducantur »? — à la ligne 15 on trouve le mot « obligant ».

L. 8: le « président » est évoqué, mais c'est tout — cf. supr. —. L. 13: la proportion de 2/3 est-elle suffisante?

P. 17, par. 25: une centralisation relative est en effet hautement souhaitable. « Foveantur » est trop faible; la note 10 apporte des précisions utiles, encore faut-il structurer l'organisation de ces « conférences au sommet » et leur donner un président.

P. 20: il n'est question dans ce chapitre que des dimensions du Diocèse; il serait bon d'en appeler la nature (cf. ce qui est dit plus haut au sujet du *de Episcopatu,* p. 28, l. 1). La note 1 semble définir le diocèse comme « pars Ecclesiae », cela reflète une conception trop matérielle de la chose.

Dans le N. T. « Eglise » désigne aussi bien l'Eglise universelle que l'Eglise locale. En effet la structure de l'Eglise-institution exige que celle-ci se réalise dans un lieu déterminé. « L'Eglise locale ne résulte pas d'un *partage* qui atomise l'espace de l'Eglise universelle, mais d'une *concentration* de l'Eglise exerçant sa faculté propre de réalisation » (Ep. et Egli. Univ., p. 555). L'Eglise locale ne s'origine pas de la topographie, mais du mystère de l'Eucharistie « communio sanctorum ».

P. 21, par. 31: le schema distingue des Diocèses Personnels en raison du rite; c'est un pis-aller en raison de certains cas, temporaires, de diaspora, mais ce ne saurait être une norme car cela nuirait à la manifestation locale de l'unité de l'Eglise. Autant la diversité est heureuse à l'échelon planète (en raison de la diversité des cultures à assumer), autant elle est regrettable en un même lieu (qu'on pense notamment au non-sens qu'est le maintien de diocèse personnel latins au Proche-orient).

A noter que, pour l'érection d'un diocèse personnel, le seul motif prévu est le rite — et c'est déjà plus qu'assez —; il n'est plus question, par exemple, d'Ordinaire aux armées...

P. 25, par. 36: il n'y a pas plus de raisons pour multiplier les paroisses personnelles, or ce paragraphe donne, non seulement le motif du rite, mais encore celui de la langue ou des occupations des fidèles. Cela peut être dangereux et conduire par exemple, dans des pays où des minorités vivent mêlées au reste de la population, à un racisme détestable qui fait injure à la nature de l'Eglise. Déjà Jean Chrysostome et Augustin, pour ne citer que les plus insignes, avaient des paroisses bilingues. L'Action catholique spécialisée pose justement un grave

problème en raison du morcellement qu'elle introduit. Il ne serait pas digne d'un Concil et ne conviendrait pas aux besoins *profonds* de notre époque de consacrer une telle atomisation de la paroisse — ce qui ne veut pas dire qu'il ne faille pas respecter la liberté de l'Esprit et l'initiative des baptisés qui débordent des cadres d'une paroisse.

11

Exc.mus P. D. RADULFUS ZAMBRANO CAMADER

Episcopus Facatativensis

Considero que se debe permitir a los Ordinarios la dispensa del *impedimento de afinidad en línea recta.* La obiectión que se podría hacer valer para reservar a la Santa Sede esa dispensa, sería el peligro que hay de que uno de los contrayentes sea hijo del otro; pero suele haber múltiples pruebas que evidencian lo contrario, y que el Ordinario en cada caso está capacido para ponderar y juzgar: de manera que si de documentos fidedignos, o de testimonios o de otra manera puede darse cuenta que no existe el tal peligro, no se ve porqué haya de acudír a la Santa Sede para la dispensa, si, por otra parte, existan razones suficientes, como la cohabitación ya establecida, para concederla.

12

CONFERENTIA EPISCOPORUM APRUTIORUM

In riferimento al n. 16 gli ecc.mi vescovi ritengono che l'elemento determinante per decidere della rinunzia di un vescovo alla Diocesi non sia l'età, ma l'infermità fisica o psichica. Pertanto chieggono che la relativa nota n. 12 venga soppressa. Per i vescovi rinunziatari o posti in pensione, si desidera un trattamento economico veramente decoroso.

In riferimento ai nn. 17-25 i vescovi osservano: *a*) che le Conferenze episcopali nazioniali devono essere più rappresentative, nel senso che almeno ogni due o tre anni vengano tutti i Vescovi della Nazione; *b*) che negli anni e nei periodi in cui vengono convocati i soli presidenti delle Conferenze regionali, tutti i vescovi della regione siano messi anticipatamente al corrente sull'ordine del giorno della Conferenza e abbiano in anticipo la possibilità di esprimere il proprio parere al presidente della Conferenzia regionale, e che tutti i vescovi siano poi messi al corrente dei lavori e delle decisioni prese dalla Conferenza stessa; *c*) che per quanto riguarda Nazioni con geografia, livello sociale e diversità di problemi, come è l'Italia, vi siano due o più sotto-Conferenze; per l'Italia si ravviserebbe l'opportunità di tre sotto-Conferenze: una per il nord, una per il centro, una per il sud; *d*) che si proceda periodicamente a una revisione dei confini delle Conferenze regionali, secondo le esigenze imposte dalle nuove infrastrutture sociali, che possono orientare la vita di un territorio verso una zona diversa da quella del passato; *e*) che, in riferimento al n. 24, *b-c-d,* tutte le decisioni delle Conferenze nazionali divengano obbligatorie quando siano votate almeno dai due terzi degli Ordinari presenti e siano approvate dalla S. Sede; *f*) che ogni Conferenza nazionale abbia, oltre il segretariato generale, anche alcuni segretariati permanenti ed efficienti di sezione.

In riferimento ai nn. 26-32 si auspica che i confini delle Diocesi, tenendo presenti anche i confini delle similari circoscrizioni civili, siano ridimensionati in modo che ogni Diocesi sia autosufficiente.

Si potrebbero, intanto, subito annettere alla Diocesi entro il cui territorio si trovano, quelle parrocchie-isole, appartenenti a Diocesi lontane e con territorio distaccato.

13

CONFERENTIA EPISCOPATUS NATIONALIS AFRICAE MERIDIONALIS

In genere. Votum de adiunctis in quibus consecratio episcopalis confertur, quodque a conferentia unanimiter acceptum est, ita sonat: « Cum episcopalis consecrationis indoles, quod attinet ad suum theologicum contentum, definienda proponatur, consonum videtur ut iste Ordo non conferatur nisi ob munus apostolicum in collegio episcoporum reapse exercendum ».

In particulari. 1. *De episcoporum facultatibus* (n. 3). Commendat conferentia ut systemati facultatum pro episcopis residentialibus aliud sufficiatur, reservationum papalium nempe, cum absonum omnino sit ut episcopi, ordinaria iurisdictione praediti, facultatibus ab Apostolica Sede specialiter delegatis indigeant ut greges suos revera pascere queant. Tam indoli ipsorum episcoporum residentialium quam eorum cum Summo Pontifice necessitudini magis consentaneum esset si plena et expedita iurisdictione in omnibus ex officio pollerent, iis tantum exceptis quae ob Ecclesiae universalis bonum Apostolicae Sedi reservarentur.

2. *De praxi Sacrarum Congregationum relate ad episcopos* (n. 5). Sentit Conferentia propositam aggregationem nonnullorum episcoporum Romanae Curiae Congregationibus qua membrorum vel consultorum ineptam esse ad finem intentum, nempe ut vox hierarchiarum totius mundi Romae audiatur. Etenim ex ipsa rerum natura, coetibus Congregationum assistere non possent tam frequenter quam membra vel consultores qui Romae degunt; fere nihil haberent in elenchis rerum tractandarum elaborandis, nec tempus eis praesto esset ad easdem res penitus cognoscendas. Unde, sensim sine sensu, participationem suam inefficacem et molestam esse perspicientes, a coetibus sese retraherent.

Nihilominus Conferentiae perspicuum est quandam veram et efficacem participationem in regimine Ecclesiae centrali omnino necessariam esse collegio episcopali per orbem disperso; unde proponit ut constituatur corpus consultativum episcoporum, totius orbis hierarchiarum repraesentativum, quod statutis temporibus (semel saltem in anno) Romae conveniret et cum ipso Summo Pontifice ac potioribus eius curialibus officialibus de rebus magni momenti ad Universalem Ecclesiam spectantibus deliberarent.

3. *De nationali episcoporum coetu seu conferentia.* Unanimi consensu haec Conferentia principium accipit in n. 24 statutum, vi cuius in quibusdam casibus nationali episcoporum conferentiae decisiones singulos episcopos etiam iuridice obligarent; simul quoque consentit in hoc quod duae saltem ex tribus partibus suffragiorum in certis adiunctis requireretur. Exoptat tamen 1. ut in hoc numero deleantur ea quae sub *b*) et *c*) habentur, quippe quae sufficienter generali modo sub *d*) providentur; 2. ut de iuribus ac de obligationibus episcoporum « minoritatis » aliquid clarius statuatur.

14

QUIDAM EPISCOPI MEXICANI

Introductio. N. 1: optamus ut *introductio* potius *agat de perfectione episcoporum*: utinam schema melius redigatur et stylo minus iuridico. In votis est ut tale *schema sit magis pastorale.* Ad quod obtinendum *hic referantur est opus ea omnia quae habeant relationem ad sanctitatem episcopi vel ad eius actionem pastoralem* atque in aliis schematibus inveniuntur.

B - Perdurante secunda Concilii periodo.*

1

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

Etsi episcopatus sine dubio sit iuris divini in Ecclesia, non potest affirmari, stricte saltem loquendo, dioecesim ut talem esse iuris divini.

Iuris divini est quod in Ecclesia universali adsint ecclesiae locales seu potius particulares. Attentione facta ad epistolas S. Pauli et ad Actus Apostolorum sicut etiam, ni fallor, ad historiam primitivae Ecclesiae hodierna paroecia est unitas illa ecclesiastica quae magis assimilatur antiquae ecclesiae locali.

Episcopus hodiernus est pastor proprius omnium paroeciarum seu omnium ecclesiarum particularium suae dioeceseos, et parochus est eius adiutor pro cura proxima paroecianorum.

Ab aliquo viro erudito accepi vocem dioecesis in quodam periodo historiae Imperii Romani significasse complexum provinciarum; in alio autem periodo dioeceses fuisse partes regiones in quas provincia dividebatur.

Vox dioecesis in iure ecclesiastico videtur esse desumpta ex iure Romano secundum posteriorem sensum supra allatum.

His consideratis, nulla apparet difficultas fundamentalis quominus aliqua magna urbs divideretur ecclesiastice in varias regiones urbanas. Unaquaeque posset regi a proprio episcopo regionali cuius dioecesis posset denominari ab aliqua ecclesia principaliori.

Archiepiscopus conservaret propriam dioecesim magis centralem et esset metropolita totius civitatis.

2

EM.MUS P. D. IULIUS CARD. DÖPFNER

Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Quoad votationem indicativam diei 30 octobris, quam modo nominavi, quasi in parenthesi haec dicere opportunum duco.

His ultimis diebus in aula Concilii impressio oriri potuit, ac si Spiritu Sancto

* Animadversiones a Patribus exhibitae quoad cap. V et Appendices schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* non referuntur, quia de illis non disceptatum est (cf. vol. II, pars V, pp. 9 et 34).

longe agente inimicus quidam has votationes quoad propositas quaestiones moderatorum et quoad responsa Patrum in agro Concilii seminasset.

Quid revera accidit? Competens organum Concilii, nempe moderatores, qui « labores Concilii dirigunt » (*Ordo Concilii,* art. 4, par. 2) post longum — 15 dies — et deliberatum examen proposuerunt Patribus quaestiones, quae verbaliter vel saltem quoad sensum e schemate a competenti commissione proposito desumpta erant. E. g. conceptus « collegii apostolorum » non furtim in illas quaestiones intrusus est, sed in schemate pluries invenitur.

Certe illa votatio non textum definitivum constitutionis statuere voluit sed indicabat viam pro commissione et Patres ipsos securiores reddebat pro ulterioribus gressibus, puta in praesenti schemate de tendentiis Concilii.

3

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ

Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Infrascriptus, card. arch. S. Iacobi in Chilia, cui accedunt Patres conciliares quorum nomina in annexo elencho recensentur, proponit ut, finita disceptatione schematis *de episcopis et de dioecesium regimine* sequentia quaesita suffragationi subiciantur:

1. Utrum placeat Patribus ita apparari schema ut, ad iura episcoporum residentialium quod attinet, tanquam principium fundamentale habeatur episcopum iure proprio totam potestatem habere quae ad munus pascendi gregem sibi commissum necessaria est, iis tantum exceptis quae, vel iura primatialia Summi Pontificis ex natura sua sunt, vel ab eo, ob commune Ecclesiae bonum ipsius iudicio determinandum, Sedi Apostolicae reservantur.

2. Utrum placeat Patribus schema *de episcopis ac de dioecesium regimine* non ante definitive apparari quam doctrina de hierarchica constitutione Ecclesiae approbata et promulgata sit.

3. Utrum placeat Patribus ut schemata *de episcopis et de dioecesium regimine, de cura animarum* nec non *de clericis* in unum coalescant.

Mens autem oratorum est potius substantiam rei in quaesitis contentam proponere, quam litteram textus.

4

REV.MUS P. D. IULIANUS ADROVER

Praepositus generalis Ord. Clericorum Regularium Theatinorum

Un ministro protestante della zona attorno a New York City, scriveva un anno fa in un foglio di propaganda:

La zona di maggior avvenire per l'evangelizzazione (nel senso di conversione al protestantismo) dei Latino-americani è questa dei suburbi di New York.

Un solo ministro pentecostale ha edificato in pochi anni *cinque templi* protestanti e si accinge a costruirne il sesto per gli spanish-speaking ed in tutta la zona (60-80 km a nord di N. York) non c'è che un solo sacerdote di lingua spagnola, incaricato di una parrocchia territoriale inglese, che non può predicare altrove

in spagnolo per mancanza di locali. (Non c'è una sola chiesa per la gente di lingua spagnola, che frequentemente non è ben vista dai parrochi americani).

Unde *votum particulare*: Ne tot decena millia hominum ex Portorico, Cuba, Mexico, continuo fluxu in Status Foederatos Americae Sept. ingredientes, fidem catholicam amittant, propono, sensu ab exc.mo episcopo Ioanne B. Velasco indicato, diversitatem linguarum eiusdem dioecesis equiparandam esse diversitati rituum (ut in nn. 27 et 31 schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine*) si non ad « dioeceses personales erigendas » saltem ad episcopos auxiliares facultatibus vicarii generalis pro fidelibus diversa lingua loquentibus nominandos in eadem dioecesi.

5

EXC.MUS P. D. ANTONIUS CAILLOT

Episcopus tit. Bononiensis, coad. c.i.s. Ebroicensis

Emendatio proposita: pag. 6, n. 3, lin. 14. (Principium reservationis). Integro manente iure quod pertinet ad Romanum Pontificem pro sua plenae et supremae iurisdictionis potestate sibi reservandi, pro suo prudenti iudicio et pro variis temporum circumstantiis sic dictas causas maiores (can. 220 C.I.C.), cum reservatio est limitatio auctoritatis inferioris praelati (in sensu can. 110 C.I.C.), ad normam axiomatis iuris: odia restringenda, nulla fiat reservatio, nisi exigatur vel a bono ipsius communitatis huius praelati auctoritati commissae (v. g. dioeceseos), vel a bono communitatis superioris (v. g. territorii sub cura alicuius conferentiae episcopalis commissi, vel patriarchatus), aut universalis Ecclesiae.

Et ideo ne condantur leges generales in Ecclesia, nisi a bono Ecclesiae exigantur (idem dicendum, servatis servandis, de legibus ferendis a Conciliis plenariis, provincialibus, vel conferentiis episcopalibus), et in eis fiat Ordinariis facultas dispensandi in casibus particularibus, nisi agatur de rebus maximi momenti in quibus uniformitas disciplinae servanda sit vel in toto territorio pro quo lex lata sit, vel in universa Ecclesia.

Codex Iuris Canonici secundum hoc principium reformetur.

Emendatio proposita: pag. 15, n. 19, linn. 5 ss. (De iis quibus conferentiae interesse competit). In cooptatione membrorum haec principia videntur in luce ponenda.

A) In membris ratio habeatur potestatis ordinis, scil. episcopalis. Omnes qui consecratione episcopali aucti sunt ad collegium episcopale pertinent partemque habent in communi eius missione universum orbem evangelizandi sub auctoritate Petri successoris. Cum autem Conferentiae episcopales recenseantur inter media per quae missio apostolica et pastoralis exerceatur, omnes episcopi a legislatore ecclesiastico in eis admittantur.

B) In membris ratio etiam habeatur potestatis iurisdictionis. Etenim ad dictas conferentias pertinet decisiones promovere, etsi vi iuridica destitutas, necessarias vel utiles ad unitatem regimini in universa conferentiae circumscriptione servandam. Quare in eis cooptentur omnes qui territorialem iurisdictionem ordinariam in foro externo gaudent intra fines Conferentiae assignatos (i. e. Ordinarii locorum, vicariis generalibus exceptis), etsi charactere episcopali careant.

C) Attamen cum officia et responsabilitas non sunt eadem natura apud

omnes qui ad eundem ordinem episcopalem pertinent, prout acceperunt vel non missionem stricte canonicam ad certum territorium regendum, in decisionum conferentiae constitutione omnes eamdem partem non habeant: *a*) Ordinarii locorum cuiusque ritus (vicariis generalibus exceptis), episcopi coadiutores, auxiliares et etiam mere titulares, qui officium responsabilitatem ferens pastoralem in statutis conferentiae determinandum acceperunt, v. g. Rector Universitatis vel Secretarius Generalis Actionis Catholicae charactere episcopali insignitus, etc., de iure ad territorialem conferentiam pertineant cum suffragio deliberativo; *b*) alii episcopi mere titulares, in territorio domicilium habentes, ad Conferentiam vocentur, cum suffragio mere consultivo.

Emendatio proposita: pag. 7, n. 5, post lin. 27 addatur: (Consistorium Apostolicum). Antiquum et venerabile Consistorium Apostolicum, cum figura circumstantiis in orbe hodie vigentibus accommodata, partem habeat in gubernio Ecclesiae universalis.

Sub Romani Pontificis praesidentia, haec institutio constet Patriarchis Apostolicis et aliquibus episcopis omnes conferentias territoriales episcopales repraesentantibus, ita tamen ut, ad maiorem efficientiam, membrorum numerus centum non superet.

Unicuique conferentiae assignetur numerus certus delegatorum pro ratione multitudinis catholicorum in territorio eius responsabilitati commisso degentium, computatis etiam cum iusta proportione incolis non-catholicis. Episcopi eligantur a Romano Pontifice inter candidatos ab ipsa conferentia praesentatos in elencho tribus nominibus constante pro unaquaque sede assignata.

Membra pro quinque annis designarentur, quinta parte singulis annis denuo eligendis.

Semel vel bis in anno Consistorium in sessione Romanus Pontifex convocet.

In Consistorio Romanus Pontifex cum patriarchis et episcopis tractet res magni momenti pertinentes ad missionem apostolis eorumque successoribus a Christo commissam praedicandi Evangelium et aedificandi Ecclesiam in universo orbe terrarum et apud omnes populos, sub tamen his legibus necessariis ad supremam et plenam potestatem iurisdictionis Romani Pontificis servandam:

Solus Romanus Pontifex (per se vel per Legatum) Consistorium convocat eique praeest, res in eo tractandas ordinemque servandum constituit ac designat — membris tamen facultate concessa propositis a R. Pontifice quaestionibus alias addere, ab ipso tamen antea probatas — sessionem Consistorii dimittit. Decisiones Consistorii vim definitivam obligandi non habent nisi a Romano Pontifice fuerint confirmatae et eius iussu promulgatae (cf. per analogiam, can. 222, 226, 227 C.I.C.).

Valde optandum est ut Consistorium partem habeat in electione Romani Pontificis ad manifestandam universalitatem missionis Capitis visibilis Ecclesiae in toto orbe diffusae.

6

EXC.MUS P. D. IACOBUS CARROLL

Episcopus tit. Ateniensis, aux. Sydneyensis

I - Par. 23 et 24 deleantur. In par. 22 verbis adhuc fortioribus onus episcoporum ad unitatem actionis servandae in materiis maioris momenti urgeatur —

e. g., post verba « deducantur », addantur: « nec sine causa sat magna, bene perpendenda, ob peculiaria adiuncta reiiciantur ».

Etenim virtus moralis, ut dicitur, potius quam vis iuridica conferentiae nationalis, sive regionalis episcoporum valet eo fine ut singuli episcopi in effectum libenter deducant decisiones a maiore parte conferentiae prolatas, saltem cum res sit maioris momenti et unitas actionis ad bonum commune revera multum confert.

Sic retenta libertate exercendi potestatem episcopalem ordinariam in propriis dioecesibus gubernandis, sed et onere imposito episcopis ex ipsis verbis Concilii Oecumenici ut unitatem actionis in toto territorio foveat, sperare licet ut episcopi tum conferentiae ipsi multum conferant tum ut decisiones conferentiae uti proprias habeant.

Praeterea si vis iuridica conferentiae episcopalis competat, etiam in casibus taxative enumeratis, sicuti par. 24, 1, a, b, c, d, aliae difficultates exoriundae praevidentur, sive ex diversitate omnimoda dioecesium (e. g. inter magnam civitatem et locum missionis eadem in natione), sive ex inaequalitate suffragiorum quae ab Ordinariis huiusmodi dioecesium proferuntur, quae vero aeque valeant ad maiorem partem aestimandam.

Tandem, propter conditionem appositam in paragrapho 24, 1, « Decisiones... ab Apostolica Sede recognitae fuerint », facile evenire poterit lapsus temporis, cum ipsa decisio statim deberet in effectum deduci. E contra, talis decisio conferentiae, cui moralis vis dumtaxat competat, generaliter ab omnibus et singulis episcopis sine mora deduci solet.

II - Par. 21. Loco « constituatur » dicatur « constitui potest », vel « suadendum ut constituatur ». Etenim secretariatus generalis facile crescere poterit, ita ut curia nationalis haberetur; cuius effectus esse posset ut auctoritas singulorum episcoporum reduci posset.

Praeterea, ut iam in emendatione quadam sapienter dictum fuit, aliter ac in Curia Romana, curiae nationali caput personale deesset; nec copia peritorum ad curiam nationalem constituendam pluribus in nationibus adesset.

Alia ex parte, secretarius e gremio episcoporum electus plurimum efficere valet ad notitias episcopis communicandas, et cetera. Insuper commissiones episcoporum pro materiis peculiaribus multoties vere efficaces sunt, dum, si necessitas quaedam exigat, liceat conferentiae dicasteria quaedam erigere ad nutum conferentiae.

III - Par. 19, 1. Post verba « episcopi coadiutores », addantur « et auxiliares ».

Etenim episcopi auxiliares revera episcopi titulares sunt, non residentiales; attamen operam pastoralem alicuius dioecesis exercent, sub auctoritate equidem episcopi residentialis.

Insuper iam provisum est in schemate (par. 20, 2) ut episcopus titularis, sicut et residentialis, cooptari possit illis commissionibus quae a conferentia peculiaribus rebus praeficiuntur. Iamvero decet ut episcopus qui partes activas in quadam commissione episcopali habeat, suffragium deliberativum ferat in ipsa conferentia episcoporum.

Tandem, ut iam in aula Concilii dictum fuit, cum episcopi auxiliares ad Concilium Vaticanum II admittantur, equidem cum voto deliberativo, decet ut ad conferentiam episcoporum eodem modo admittantur.

Res fortasse melius hoc in sensu efficitur si potestas iuridica conferentiae non tribuatur.

IV - Par. 18, 1. Omittantur verba « decimo saltem quoque anno ». Etenim, dum maior pars ipsi Conferentiae territoriali tribuitur, non videtur opportunum ut Concilium provinciale celebretur iam saepius quam iure communi requiritur (C.I.C. can. 283).

V - Par. 3. Ad potestatem episcopalem clarius definiendam, necnon ad exercitium vitae pastoralis in bonum animarum facilius ac certius reddendam, recenseantur, quantum fieri possit, causae ad Sedem Apostolicam reservatae potius quam facultates ab episcopis exercendae.

7

Exc.mus P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER

Episcopus Camposinus

Mea humili opinione, melius providetur bono Ecclesiae per decisiones SS. Congregationum de Seminariis et de Religiosis, ita ut semper ad Sanctam Sedem recurrendum sit ut alumni dimissi sive a Seminario sive a Religione ab episcopo admittantur in Seminarium.

Ad schematis appendicem alteram adnotatio. Ad n. 1, lin. 7: supprimantur verba: « sive in Nationalem Conferentiam coadunatis ». *Ratio* est quia non videtur conveniens iurisdictionem conferentiis tribuere. Si timetur singulis episcopis has minoris momenti quaestiones relinquere, tunc eas ad Nuntios vel Delegatos Apostolicos transmittere melius esset; non solum ne Nuntii vel Delegati Apostolici velut alieni evadant a vita religiosa nationis, sed praecipue ut vinculum unitatis cum Sede Apostolica etiam in exercitio suae potestatis sentiat episcopus.

8

Exc.mus P. D. ALBERTUS DEVOTO

Episcopus Goyanensis

Cum omnis episcopus per suam legitimam consecrationem, membrum fiat corporis episcoporum, maxime convenit eius electionem fieri aliquo modo concordi cum hac ipsa collegialitate. Quo praeterea in pastorali animarum regimine salutaris concordia melius tuetur.

Hac de causa, mea humili opinione in loco aptiore huius cap. II sequentia inserenda sunt:

(*De electione episcoporum*). 1. Firmo manente iure Summi Pontificis libere nominandi, in electione vel translatione cuiusvis episcopi, ceteri respectivae nationis vel regionis audiantur, non tantum circa candidatos ab iisdem propositos, sed pari modo circa illos quos Apostolica Sedes per se vel per suos delegatos elegerit.

2. Ut magis idonei ad officium episcopale semper eligi possint, quaevis nominatio, praesentatio vel interventus civilis potestatis abroganda est.

(*De qualitatibus episcoporum*). 1. In electione episcoporum, praeter qualitates a iure communi hucusque requisitas, prae oculis habeatur candidatorum idoneitas pastoralis atque capacitas sese adaptandi hodiernis apostolatus exigentiis.

2. Exquirenda insuper est candidati idoneitas non solum absoluta, sed etiam relativa ad illam dioecesim cui ipse praefici intenditur, aliquo modo consulto clero locali.

9

EXC.MUS P. D. AUGUSTUS GIANFRANCESCHI

Episcopus Caesenatensis

N. 5: *Episcopi in SS. Congregationum Consilium coaptandi.* Adhaereo animadversioni circa hunc numerum ab episcopis Africae merid. prolatae et rationibus quibus suffulta est.

Ius est unius Summi Pontificis, plenum et exclusivum iuxta suum supremum iudicium, Sacras Congregationes reformandi quatenus sunt organa quibus ipse utitur in totam Ecclesiam regendam. In hac materia has tantum minimas observationes sit mihi licitum proponere:

I. Ad vitandas in Sacrarum Congregationum compositione defectus « romanismi » et « italianismi » et « carrierismi » vel « arrivismi » sic dictos, qui a plurimis lamentantur, meo humili iudicio, hoc quod propono posset esse aliquod remedium: *a*) ad servitium Sacrarum Congregationum nemo assumatur nisi per concursum; *b*) moderatores uniuscuiusque collegii Romae existentis ex omni natione, singulis annis nomina praestent alumnorum qui, eodem anno licentiati, virtute, et summopere humilitate, spiritu ecclesiastico sed et aliis requisitis prae condiscipulis distincti; *c*) ex istis ad concursum ab omni natione ii tantum vocentur, et nonnisi licentia obtenta ab illorum Ordinariis, qui in cura animarum, saltem per quinquennium, et quidem laudabiliter, incubuerunt.

II. Titulum Congregationis, prout hodie applicatur Dicasteriis Apostolicae Sedis, mihi videtur minus convenire Congregationibus Caeremonialis et Reverendae Fabricae S. Petri, quia non sunt directe ordinatae ad regimen Ecclesiae.

III. Potius ex novo constituendas esse puto Congregationem de apostolatu laicorum et etiam « de instrumentis communicationis socialis ». Opportunum mihi videtur stabiliter ponere « Secretariatum pro Oecumenismo ».

IV. Etiam competentiam uniuscuiusque Congregationis puto esse recognoscendam et melius forsan distribuendam; et nomen singularum melius debeat respondere propriae cuiusque competentiae.

10

EXC.MUS P. D. MARCUS MIHAYO

Archiepiscopus Taboraensis

1. Officium praefecti apostolici originem suam ducit ex necessitate historica suppeditandi Ordinarios ecclesiasticos cum potestate iurisdictionis sicuti episcopi habebant, quia principes Lusitaniae in India adhaerebant privilegiis dictis de « Padroado », recusantes admittendos alios episcopos in territoria sua. Quamobrem Sancta Sedes nonnullos sacerdotes cum potestate sicuti Ordinariorum nominabat in territoriis ecclesiasticis nuper ut talia erectis, nolens violare pactum de « Padroado ». Sacerdotes isti non erant et non vocabantur episcopi sed praefecti apostolici.

2. Praefecti apostolici hodierni sunt ergo Ordinarii cum potestate iurisdictionis et privilegiis sicuti episcopi gaudent. In conspectu populi episcopi aestimantur

et in territoriis missionum paene impossibile est christianis differentiam praefectum apostolicum inter et episcopum explicare.

3. Rationes historicae quae occasionem instituendi officium praefecti apostolici praestabant, iam diu cessaverunt, attamen illud officium praefecti apostolici uti quasi-episcopi adhuc sustinetur propter traditionem et opportunitatem.

4. Videri episcopi habentes eamdem iurisdictionem sicuti episcopi sed non esse episcopi, officium praefecti apostolici irrationabile reddit, quod ergo abrogandum est. Si territorium in missionibus uti iurisdictio independens constituitur, Ordinarius designetur, qui non tantum apparet episcopus esse sed in realitate, i. e. consecratione episcopus et verus pastor fidelium est.

Conclusio. Has ob rationes humiliter sed urgenter proponimus et rogamus ut officium praefecti apostolici abrogetur; ut praefecti apostolici qui nunc hoc officium peragunt, episcopi consecrentur et in futuro Ordinarii missionum semper sint episcopi.

Altera redactio (alii sex episcopi). 1), 2), 3), 4) idem, sed *conclusio* innovatur:

Conclusio: Has ob rationes humiliter sed urgenter proponimus et rogamus ut officium Praefecti Apostolici abrogetur, ut Praefecti Apostolici uti Ordinarii missionum in futuro semper sint episcopi non titulo Praefecti Apostolici sed simpliciter ut episcopi vel, ubi circumstantia hoc non permittunt, *uti praelati nullius.*

11

Exc.mus P. D. CAESAR ANTONIUS MOSQUERA CORRAL

Archiepiscopus Guayaquilensis

In nomine multorum episcoporum, ut in pag. 6, post lin. 26, haec addantur postulamus: « Similiter, ad fovendam uniformitatem necnon ad episcopalem dignitatem et unitatem tuendam, habitus chorales (habitus praelatitii) pro ritu latino omnes iidem sint, etiam quoad colorem, contrariis non obstantibus privilegiis religiosorum ordinum ».

Nulla ratio existit ad conservanda privilegia regularium; Congregationes modernae hanc uniformitatem observant et etiam ex regularibus, non pauci privilegium habent sese ceteris accommodandi.

In multis ditionibus, fideles has distinctiones non intelligunt et nonnulli diversos gradus in episcopatu existere credunt, aliquando scandalizantur et saepe voluntatem manifestant proprium episcopum ab aliis diversum non esse.

Hoc praesertim sacerdotes dioecesani volunt qui non semper aequo animo ferunt quod episcopus cum ipsis unum corpus coalescens, quasi classium differentiam foveat et permanenter ut quasi ab illis distinctum sese exhibeat.

12

Exc.mus P. D. IOSEPH NKONGOLO

Episcopus Lueböensis

Circa cap. III decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine,* multa iam audivimus et quidem optime dicta a Patribus, circa constitutionem conferentiarum episcopalium earumque decisiones.

Unum tantum conferentia episcoporum ex Congo leopoldopolitano addere cupit circa « Eos quibus conferentiae interesse competit ».

Optaremus ut inter « eos » quibus conferentiae interesse competit, « adnumerentur repraesentantes coetuum superiorum maiorum religiosorum ».

Etenim, in nostris regionibus (forsan plus quam in aliis) religiosis commissa sunt opera pastoralia.

Si sincere volumus ut sic dicta « Pastorale d'ensemble » — coordinatio virium apostolicarum et collaboratio in apostolatu — non remaneat « littera mortua », maxime exoptandum est ut coetus superiorum maiorum delegent quosdam legatos in episcoporum conferentiam.

Proponimus ergo ut textui adiiciatur alia paragraphus tertia quae praevideat quod, ex peculiaribus statutis, delegati coetuum superiorum religiosorum possunt in episcoporum conferentiam cooptari, in eaque suffragio consultivo frui.

13

Exc.mus P. D. MARCELLINUS OLAECHEA LOIZAGA

Archiepiscopus Valentinus

Ut non tantum viam cuiuscumque Ecclesiae nationalis, ubicumque terrarum, ortui, totis viribus praecludamus, eiusdemque et umbram usque fugiamus, sed ut et oligarchiam quamdam, ut ita dicam, episcopalem, vitemus, liberrimamque viam ad Supremum Pastorem adeundum, praesulibus relinquamus, has ad cap. III emendationes appono.

De conferentia episcoporum. Art. 18, par. 2, haec vel similia verba addantur: « Huic autem menti statuta, nunc temporis vigentia, accommodentur ».

De conferentiae moderamine. Art. 19, par. 3, haec, vel similis conclusio adiungatur: « Praevideatur autem ut omnes una simul aliquando coalescant, ut vocem proferre personaliter libere queant; sic enim, sese magis ac magis cognoscentes, viribus unitis, fraterne convinciantur ».

De conferentiae decisionibus. Art. 23 ut supervacaneus, supprimatur; vel, si restat, verbum « *antea* » expungatur; ne episcopus, qui *ob graves rationes* agit, tarde et anxie agere cogatur.

In art. 24, littera *a*), supprimantur verba: « sive ex iure communi, sive... »; cetera integre relinquendo; relinquendo igitur ea omnia quae « speciali Apostolicae Sedis mandato, nationali episcoporum conferentiae, pertractandae ac resolvendae commissae fuerint ».

Item, litteris *b*), *c*), *d*), verba omnia, integre, ut *iuridice obligantia,* eradicentur; ut ea tantum remaneant iuridice obligantia quae Sancta Sedes sic obligare intendat.

14

Exc.mus P. D. ALOISIUS PIRELLI

Episcopus Soanensis-Pitiglianensis

Quod sequitur iam suo tempore ad commissionem *de episcopis* transmissum fuit. Cum cap. V schematis *de episcopis et dioeceseos regimine* ad commissionem

de reformando C.I.C., consensu Patrum, delatum sit, ad hanc Commissionem remitto.

« Quod optime dicitur in cap. IV, n. 29 schematis *de episcopis et dioeceseon regimine,* de continuitate territorii dioecesani, quamplurimum applicari videtur paroeciis, hoc significando in cap. V, n. 34, ad normam can. 1427, par. 2 ».

15

EXC.MUS P. D. EMMANUEL DE IESU SERRANO ABAD

Archiepiscopus Conchensis in Aequatore

Loquor nomine Patrum in Aequatoriana Republica huic Concilio Romae adstantium.

In cap. I huius schematis — et passim in tota constitutione — frequens recurrit referentia ad collegialitatem episcopalem. Nobis vero, videtur necessariam esse ulteriorem determinationem relationum inter Romanum Pontificem, successorem Petri, et collegium episcopale, successorem collegii apostolici, antequam ad conclusiones logicas deveniamus: quae collegialitas nondum definita, nec matura ad definitionem adhuc apparet.

Aliqua collegialitas evidens est; sed quid sit, in quonam consistat, quomodo exerceri debeat, adhuc in discussione extat.

Igitur nobis videtur, antequam collegialitas determinet vota Concilii, ulteriorem clarificationem et determinationem formularum. In hac determinatione relationum R. Pontificem inter et collegium episcopale, et in supradicta clarificatione, haec nobis humiliter, tenenda videntur:

1. Summus Pontifex non est tantum caput collegii episcopalis, sed quodam vero sensu, ratio ipsius collegii sine quo nec collegium exstare potest.

2. In episcopali consecratione, episcopus iure divino potestates personales et collegiales accipit: nempe potestates sacramentales actuales, et virtualem potestatem iurisdictionis. Ut iurisdictio virtualis actualis evadat requiritur *missio canonica,* quae determinet territorium et personas obiectum iurisdictionis. Haec ipsa missio canonica fuit quae nos in Concilium vocavit et definitivum dabit valorem nostris deliberationibus per ratificationem Romani Pontificis.

3. Collegialitas ergo, non est, nec apparere debet parallela Primatui Romani Pontificis. Papa, verum sacramentum unitatis Ecclesiae, determinat applicationem concretam collegialitatis. Non adest in Ecclesia quaedam species parlamentarismi.

His dictis, schema placet in se, cum clarificatione quae ad singula capitula offerentur.

Tandem exoptaremus maiorem proprietatem in modo loquendi de Romana Curia reformanda. Magna cum ponderatione et reverentia loquendum est de modo magis aptam reddendi Romanam Curiam necessitatibus hodiernis, quin minuantur ea omnia quae fecit et facit in bonum Ecclesiae universae, praesertim si prae oculis habeamus Romanam Curiam esse organum ipsius Romani Pontificis in gubernanda Ecclesia, ne videamur limites ponere exercitio Primatus. Quisque episcopus maxima libertate gaudet in ordinanda sua Curia; a fortiori hanc libertatem recognoscere debemus Romano Pontifici.

Nobis, Praelatis Aequatorianis hic praesentibus, valde placet occasio praestita

ad maximas gratias agendas Summo Pontifici, toti Romanae Curiae, et Legatis Sanctae Sedis, propter innumera beneficia recepta, speciatim a fundatione Nuntiaturae Apostolicae in Natione nostra.

16

EXC.MUS P. D. IOSEPH SOUTO VIZOSO

Episcopus Palentinus

Cum iam secretariae talia argumenta tradiderim, aliquantisper prosequar materiam de primo capite et quidem de numero tertio.

Quod attinet ad facultatum amplificationem in hoc numero propositam, sive in favorem episcoporum residentialium sive erga eos qui mere titulares dicuntur, duos audimus et legimus modos loquendi: pro quibusdam agitur de *concessione* potestatis, pro fere omnibus de *simplici permissione exercitii* facultatem ex consecratione atque missione ad ipsos sacros Antistites pertinentium.

Puto vero quod non minuitur magnanimitas Apostolicae Sedis nec ratio gratissimi animi nostri ex relato duplici modo loquendi. Etenim *ipsa sublatio reservationis,* quam hucusque vigere scimus ex suprema et universali potestate primatiali Successorum B. Petri, ob iustas causas a se competenter existimatas, ipsa — dico — sublatio reservationis est *favor nobis elargitus,* quo scil. fas nobis erit illas recognitas facultates habitualiter possidere non tantum quoad substantiam rei sed in praxi quoad exercitium in bonum regimen dioeceseos, propriae auctoritatis augmentum coram sacerdotibus et fidelibus nostris et proventum seu utilitatem ipsorum.

Ideo ex Sanctae Sedis benignitate merito expectatur, una cum multiplici efficacioreque iuvamine sacrorum Dicasteriorum in auxiliandis episcopis, in suo pastorali regimine, *alacrior observantia* et vividior sollicitudo pastorum sacrorum erga Christi Vicarium eiusque Dicasteria et *indefessa collaboratio* illa quam exquisivit a nobis Ss.mus Dominus noster Paulus VI, in sollemni decurrentis sessionis conciliaris instauratione sic alloquens Praedecessorem suum Ioannem XXIII, sanctae memoriae: « Tu Apostolorum successores coegisti... ut iidem se *cum Summo Pontifice velut in unum corpus redactos* sentirent ab Eoque robur acciperent et moderationem, ut sacrum christianae doctrinae depositum efficaciore ratione custodiatur atque proponatur ». Et prosequutus est inquiens nobis: « Hoc munus universale (papale scil.) poterit auxilii et praesidii maiores vires sibi adiungere si dilecti et venerabiles fratres in episcopatu, modis et rationibus opportune statuendis, Nobis validiorem et suscepti oneris magis consciam praestabunt adiutricem operam ».

Aliunde, certissime dum propriam dioecesim bene, auxilio divino suffulti regamus, efficaciter conferemus ad bonum totius Corporis mystici, quod est etiam Corpus Ecclesiarum.

Quibus reverenter expositis, *votum duplex* proponere audeo:

1. ut Romano Pontifici gratiae maximae reddantur, nomine totius episcopatus, ob eius supra expressam benignitatem;

2. ut in elencho facultatum quae habitualiter episcopis concedantur vel recognoscantur, illa quam dixi includatur, nempe indulgendi christifidelibus suis ut ad vesperam praecedentem, ubi Missa vespertina celebretur, anticipare valeant praecepti festivi adimpletionem.

C - A die 10 decembris 1963 ad diem 20 maii 1964.*

1

EM.MUS P. D. ANTONIUS M. CARD. BARBIERI
Archiepiscopus Montisvidei

Edad de los Obispos. En cuanto a la edad tope para el gobierno de los Obispos me parece una cosa ridícula el fijarla a priori; sería lo mismo que se exigieran tantos kilos de peso para poder gobernar la Iglesia de Dios.

Los casos son distintos en cada individuo y no pueden ser resueltos para una disposición tan general.

Por otra parte esta limitación de orden físico afectaría, y en mayores proporciones, al propio Santo Padre para el gobierno, no de una Diócesis, sino de toda la Iglesia de Dios; con la misma razón que se empuña para los Obispos debería pedirse la renuncia del Papa. Pero el Espíritu Santo parece que no piensa así y nos ha dado a un Papa de la envergadura de Juan XXIII elegido a los 77 años y que, en apenas cuatro años, conmovió a la Santa Iglesia de Dios y al mundo entero quizá como no lo ha hecho otro Pontífice en la historia de la Iglesia.

La proposición que tiende a eliminar a los Obispos viejos del gobierno de la Iglesia sería mal tomado por el pueblo sensato, el cual en estos casos suele decir que los Obispos se les apretuja como al limón y cuando ya no dan más jugo se le tira entre los desperdicios.

En qualquier familia de buenos cristianos se tiene con todo honor a los viejos familiares cuya sola sombra son un aliento y una garantía. El mandarlos a morir en un rincón es una grave falta de caridad y de justicia hacia quien ha gastado su vida por el bienestar de la Iglesia.

Obispos Coadjutores. Debiérase, a nuestro juicio, suprimir esta institución; porque — si bien en algunas contingencias podría justificarse — presenta muchos riesgos y en algunos casos es perniciosa y molesta para el Ordinario del lugar, como quiera que teniendo asegurado el futuro gobierno de la Diócesis, pueden venir muchos desacuerdos.

Todos estos riesgos se evitarían sin atar en cierta manera la libertad de la Iglesia. En efecto: en el momento de la provisión el candidato o reúne las condiciones necesarias o no las reúne; en el primer caso la Iglesia lo nombra con toda libertad, y en caso negativo lo excluye sin tener por eso que romper el compromiso de sucesión.

2

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Iterum, instanter et instantius, postulo ut fit aliquod decretum de amotione parochorum. Ibi stat causa profunda et practica non evangelisationis dioecesium.

Sed rogo ut solutio huius problematis urgentis non statuitur ut in schemate proponitur.

* Cf. vol. III, pars II, p. 755 ss.

Numquam episcopus potest submittere ad quosdam eius sacerdotes, etiam consultores dictos, suam sententiam. Secus evertitur auctoritas in Ecclesia. Aliunde, ipsi tales consultores non possunt cognoscere de re parochorum et de characteri sacerdotum cum vera competentia.

Attamen contra arbitrium exaggeratum episcopi, faciliter est praecavere. De curia episcopali, ad curiam archiepiscopalem potest quidem parochus recurrere. Et pro archiepiscopis ad alium archiepiscopum designatum, sicut iam adest in causis matrimonialibus.

Cetero, meo humillimo et sincero sensu, sine personali aliqua cogitatione, tempus est augere auctoritatem et actionem archiepiscoporum. Sic remedium erit quoad quod dicunt quidam de centralisatione Curiae Romanae. Sic adaptatio valde exoptanda ad necessitates concretas et regionales eveniat.

Attamen, sine mora, necesse est recognoscendi circumscriptiones provinciarum ecclesiasticarum.

3

EXC.MUS P. D. IOSEPH A IESU ALBA PALACIOS
Episcopus Tehuantepecensis

Quoad cap. II constitutionis *de episcopis et dioeceseon regimine,* haec habeo observanda:

Empirice tantum statuuntur relationes inter episcopos coadiutores et coadiutos, auxiliares et auxiliatos; empirice etiam proponitur convenientia renuntiationis episcopi infirmi vel senescentis, nisi prius supponatur collegialitas episcopalis sub Capite Summo Pontifice.

Si enim iure divino unusquisque episcopus residentialis est successor apostolorum ut singularis persona, non ut membrum collegii episcopalis, non videtur posse iustificari consilium datum ut ipse renuntiet; imo, quod gravius est, difficilis videtur theologica iustificatio praxis Sanctae Sedis petendi renuntiationem episcopi qui non sit indignus vel evidenter ex toto incapax ad munus adimplendum.[1] Haec autem explicantur si verum est quod docuit Summus Pontifex Leo XIII in dogmatica Encyclica *Satis cognitum*: « Hanc vero (Romanorum Pontificum) de qua dicimus in ipsum episcoporum collegium potestatem... agnoscere ac testari nullo tempore Ecclesia destitit. Sed Romani Pontificis potestas summa est, universalis planeque sui iuris: episcoporum vero certis circumscripta limitibus nec plane sui

---

[1] Verissimum enim est apostolorum successores iure divino habere potestatem episcopalem ordinariam et immediatam in gregem suum ita ut ipse Summus Pontifex non possit in singulis quibusque dioecesibus sibi vindicare iura episcopalia et substituendi potestatem papalem potestati territoriali episcopali.

« ... Neque quoad res ecclesiasticas papa monarchus absolutus nuncupari potest, quippe cum subordinatus sit iuri divino et obstrictus sit iis, quae Christus pro Ecclesia sua disposuit » (DENZ. 3114).

« Vi eiusdem institutionis divinae, in qua fundatur munus Summi Pontificis, exsistit etiam episcopatus; competunt eidem iura et officia vi dispositionis ab ipso Deo promanantis, ad quae mutanda Summo Pontifici neque ius neque potestas prostat. Decreta Vaticana ergo plane erronee intelliguntur, coniiciendo, iisdem " iurisdictionem episcopalem a papali absorptam esse " » (DENZ. 3115).

Declaratio episcoporum Germaniae sollemniter a Pio IX approbata ut authentica interpretatio Concilii Vaticani I.

iuris... Romani autem Pontifices, officii sui memores, maxime omnium conservari volunt, quidquid est in Ecclesia divinitus constitutum; propterea, quemadmodum potestatem suam ea, qua par est, cura vigilantiaque tuentur, ita et dedere et dabunt constanter operam, ut sua episcopis auctoritas salva sit » (DENZ. 3309).

Agitur ergo in hac Encyclica *de potestate collegii episcopalis.* Supposito hoc fundamento Summus Pontifex suadere et exigere potest renuntiationem episcopi a suis functionibus gravi de causa; immo, si hoc maximum bonum Ecclesiae postulet, aliquando totaliter potest mutare personas physicas quae sedes episcopales occupant, sine ulla earum culpa et incapacitate, ut accidit in Pontificatu Pii VII.

Haec doctrina supponitur in Encyclicis Summorum Pontificum Pii XI [2] et Pii XII, quando episcopos hortantur ut cooperentur non tantum ex caritate, sed ex officio apostolico, in adiuvando Summo Pontifici in negotio extendendi fidem ad omnes gentes.

Ait Pius XII in Encyclica *Fidei donum* (*A.A.S.,* 1957, pag. 236): « Procul dubio uni Petro Apostolo eiusque successoribus Romanis nempe Pontificibus Iesus Christus gregis sui universitatem concredidit: " Pasce agnos meos, pasce oves meas " (*Io.* 21, 16-18). Quod si unusquisque episcopus portionis tantum gregis sibi commissae sacer pastor est, tamen qua legitimus apostolorum successor ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris, Ecclesiae, una cum ceteris episcopis est sponsor secundum illa verba, quae Christus ad apostolos fecit: " Sicut misit me Pater, et ego mitto vos " (*Io.* 20, 21). Haec quae " omnes gentes usque ad consummationem saeculi " (*Mt.* 28, 19-20) amplectitur missio, cum apostoli de mortali vita decesserunt, minime decidit; imo in episcopis, cum Iesu Christi Vicario communionem habentibus, adhuc perseverat. In his, namque, qui peculiari nomine " missi " appellantur, nempe Domini apostoli, plenitudo apostolicae dignitatis residet ».

Ita hi Summi Pontifices quadamtenus compleverunt doctrinam Concilii Vaticani I circa potestatem ordinariam, primatialem, vere episcopalem et immediatam Summi Pontificis super omnem Ecclesiam, super omnes episcopos singillatim et coniunctim sumptos, quae definita fuit postquam deputatio fidei explicavit: « Si Summus Pontifex una cum episcopis vel dispersis vel congregatis vere plenam et supremam potestatem in solidum exercet, nulla possibilis collisio » et « suprema et plena potestas est in Petro, qui tamen non potest, non debet eam exercere per alios coadiutores suos, nisi per apostolos eiusque successores ». Ita Zinelli et Avanzo relatores constitutionis *Pastor aeternus* in Concilio Vaticano I (MANSI, t. LII, coll. 1109-1111 et 715).[3]

Tum Pontifices, tum Concilium Vaticanum I fideliter interpretantur in hac

---

[2] *Rerum Ecclesiae*: *A.A.S.,* 1926, p. 64.

[3] In schemate II « De Constitutione Ecclesiae » quod approbari non potuit in Vaticano I propter eius interruptionem sic dicebatur: « Verum etiam supremi muneris docendi et gubernandi universam Ecclesiam episcopi expertes non sunt. Illud enim ligandi et solvendi pontificium quod Petro soli datum est, Collegio quoque apostolorum suo tamen capiti coniuncto, tributum esse constat, protestante Domino: " Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo " (*Mt.* 18, 18). Quapropter inde ab Ecclesiae primordiis oecumenicorum Conciliorum decreta et statuta iure merito tanquam Dei sententia et Spiritus Sancti placita summa veneratione et pari obsequio a fidelibus suscepta sunt » (MANSI, t. LII, c. 1109). Ita etiam episcopus Gasser, quando nomine deputationis de fide explicavit infallibilitatem collegialem episcoporum in Concilio Oecumenico (MANSI, t. LII, c. 1216).

materia divinam traditionem de collegio apostolico et episcopali cuius ita praeclarus assertor fuit S. Cyprianus, ut doctrina libri *De Ecclesiae unitate* fuerit etiam norma pro Summis Pontificibus Pelagio I et Pelagio II ad schismata comprimenda (DENZ. 446 et 449).[4]

Evidenter autem S. Cyprianus, hac in re secutus est doctrinam evangelicam quam ita interpretatus est Doctor Communis. S. Thomas Aquinas in *Lectura super Ioh. Evang. XXI,* 17: « Congrue autem officium Pastoris, omnibus intermissis, Petro commisit qui secundum Chrysostomum eximius apostolorum erat et os discipulorum et vertex Collegii ».[5]

---

[4] Haec verba S. Cypriani laudantur etiam a S. Augustino, a S. Caelestino in Epistula ad Concilium Ephesinum et a Summo Pontifice Leone XIII in Enc. *Satis Cognitum.*

Sufficiat quaedam citare de praedicto libro: « Loquitur Dominus ad Petrum: " Ego tibi dico ", inquit, " quia tu es Petrus ", etc. (*Mt.* 16, 18 sq.). Super unum aedificat ecclesiam (vel: Eidem post resurrectionem suam dicit: " Pasce oves meas " [*Io.* 21, 17]. Super illum aedificat ecclesiam, et illi pascendas oves mandat), et quamvis apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat: " Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum: si cuius remiseritis peccata, remittentur illi: si cuius tenueritis, tenebuntur " (*Io.* 20, 21 sq.), tamen, ut unitatem manifestaret (unam cathedram constituit), unitatis eiusdem originem (atque rationem) ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur (et primatus Petro datur), ut ecclesia Christi una (et cathedra una) monstretur. (Et pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab apostolis omnibus unanimi consensione pascatur).

Quam unitatem tenere firmiter et vindicare debemus, maxime episcopi qui in ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidem veritatis perfida praevaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia una est, quae in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur, quomodo solis multi radii sed lumen unum, et rami arboris multi sed robur unum tenaci radice fundatum, et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine ».

[5] His addi possunt sequentia verba S. Cypriani desumpta ex epistula LV ad episcopum Antonianum: « Accepi primas litteras tuas ... concordiam collegii sacerdotalis firmiter obtinentes et catholicae Ecclesiae cohaerentes ... Sicut et collegii concordia et conligendae fraternitatis ac medendi vulneris utilitas exigebat ... Non tamen a coepiscoporum suorum collegio recesserunt aut catholicae Ecclesiae unitatem ... ruperunt ... Manente concordiae vinculo et perseverante catholicae Ecclesiae individuo sacramento ... Cum sit a Christo una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, item episcopatus unus episcoporum multorum concordi numerositate diffusus ... Haec ... pauca de multis, quibus et desiderio tuo satisfacerem et te magis ac magis collegii et corporis nostri societate coniungerem. (Apud A. D'ALÉS, *La Théologie de Saint Cyprien,* Paris 1922).

Hic auctor in compendium reddidit totam doctrinam S. Cypriani circa collegium episcopale sequentibus verbis: « Le collège épiscopal lui-même, selon S. Cyprien, n'est pas un ensemble amorphe, un pur agrégat, mais un véritable corps moral, dont l'unité est maintenue par la confédération des volontés.

« Pour ne voir dans l'Eglise décrite par Cyprien qu'un assemblage d'Eglises autonomes, une confédération de monarchies épiscopales indépendentes, il a fallu s'en tenir à un seul groupe de textes et fermer les yeux à d'autres textes nombreux qui les complètent et les corrigent. Assurément Cyprien n'admet pas qu'un évêque, par autorité privée, s'ingère dans le gouvernement d'un autre évêque; mais il n'admet pas, tant s'en faut, que le gouvernement épiscopal soit ici-bas sans bornes ou sans contrôle. Le contrôle appartient a la collectivité des évêques; cette collectivité légifère avec pleins pouvoirs pour contraindre les récalcitrants dans les limites territoriales de sa juridiction. Malheur à qui, par son obstination, se jetterait en dehors des voies tracées par l'episcopat: il encourrait la déchéance et s'excommunierait lui-même ».

Ideo pro praxi postulandum aestimo ut, si quae sunt adhuc dubia, non de exi- stentia collegii apostolorum et episcoporum quae ab omnibus catholicis absque du- bio admittitur,[6] sed de eius natura plus minusve stricte iuridica, quam primum ad normam S. Scripturae, traditionis et vivi magisterii clarificentur, quatenus id fieri possit, in commissione theologica, et quidem ita ut, ad normam ordinis Concilii, omnibus patribus qui id necessarium exsistiment et opportune petant detur facili- tas interveniendi, ut securo gressu ulterius procedi possit.[7]

4

Exc.mus P. D. FRANCISCUS COGONI
Episcopus Octeriensis

Circa relationes inter episcopos et curiam romanam.

Magno honori mihi est reverenter subscribere iis quae in sermone prolato coram officialibus curiae romanae sapienter dixerat Summus Pontifex Paulus VI simulque repetere velim laudes et grati animi sensus quos expresserunt erga Sacras Romanas Congregationes non pauci Patres conciliares.

Gratitudinem et reverentem approbationem extendendas reputo ad S. Sancti Of- ficii Congregationem, cuius timorem salutarem (etiamsi temperamentum aliquod in aliquibus possit aliquando exoptari) omnino servandum reputo, sive ad muniendam sanctam administrationem Sacramenti Poenitentiae, sive ad tutandam integritatem fidei et morum.

Adhaereo opinioni eorum Patrum qui postulant reductionem ad statum laicalem pro iis sacerdotibus qui insanabiliter fiant rei de « crimine pessimo ».

Eodem fere modo S. Cypriani doctrinam expressit P. Aemilius Mersch (*Le Corps Mystique, études de théologie historique,* p. 29).

Huius divinae traditionis testimonium praeclarum habetur in S. Liturgia: *a*) Quoad collegium apostolorum, v. g. in oratione in festo S. Matthiae: « Deus qui beatum Matthiam apostolorum tuorum collegio sociasti ... »; *b*) Quoad collegium episcoporum in formula conse- crationis episcoporum ut legebatur in Sacramentario Gelasiano; in ea enim petebatur a Deo ut infunderet in episcopo potestatem super Ecclesiam et universam plebem.

[6] Praeclarus card. Billot fidelissimus S. Thomae discipulus sic loquitur de collegio apo- stolorum: « Et re quidem vera, Ecclesia quam (Christus) post se in terris reliquerat nonnisi a collegio apostolico plantandam aperte declarabat, dum apostolis solis conferebat missionem sine qua, cum de supernaturali instituto agitur, tentamen frustraneum, omnis demum opera cassa atque irrita est » (*De Ecclesia,* p. 241, ed. 1927).

[7] Sic intelligimus cur in manualibus theologiae dogmaticae, in maioribus tractatibus de Ecclesia et in operibus specialistarum et exegetarum proponatur exsistentia collegii aposto- lorum et episcoporum ut doctrina Ecclesiae quae negatur a protestantibus liberalibus (Zape- lena, *De Ecclesia Christi,* pars I, ed. 1950, p. 173); ut doctrina de fide (v. g. a Tanquerey et Salaverri, a Sullivan); similiter a Schmaus in *Teología Dogmática,* ed. 1955, *La Iglesia,* pp. 148, 154, ab Ottone Karrer, in *Problemi ed Orientamenti di teologia dommatica,* libro edito Mediolani anno 1957 cum praesentatione archiepiscopi mediolanensis card. Ioanne Montini. Citari etiam possunt Tromp in opere *Corpus Christi quod est Ecclesia;* Van Laak in *Repetitorio,* p. 293; Dieckmann, *De Ecclesia,* ed. 1925, p. 198 et 394; D'Herbigny, *De Ecclesia,* vol. II, ed. 1927, p. 283 sq.

Quoad specialistas sufficiat citare A. Medebielle in *Suppl. Dict. de la Bible,* vol. II, c. 590; A. Michiels, *D.A.F.C.* (*Evêque,* c. 1785); F. Prat in *D.R.C.* (*Episcopat,* c. 1656 et ss.) et J.V. Bainvel in eodem dictionario (*Apôtres,* c. 1650); quoad exegetas sufficiat citare P.J.M. Lagrange (*Ev. selon S. Luc,* ed. 1921 ad caput 22, 32, p. 554).

Demum nullo modo sustinenda mihi videtur quaerimonia quam in aula conciliari proposuit Pater quidam (ni fallor, em.mus card. Frings) ne conferatur episcopalis dignitas altis praelatis et officialibus Curiae Romanae. Etenim isti Praelati, Nuntii Apostolici, Rectores Magnarum Universitatum Catholicarum, etc., quamvis actu non exerceant curam pastoralem, eam tamen exercent potentialiter (ut factum est Nuntio Roncalli, postea Cardinali Patriarchae Venetiarum et demum Summo Pontifici) vel coadiuvando episcopum Romanae Dioecesis.

5

EXC.MUS P. D. PIUS CRIVELLARI
Episcopus Triventinus

Ad n. 3 § 1. Si episcopis conceduntur facultates largiores, suam proculdubio habebit utilitatem seu commoditatem, sed etiam incommodum. Si enim episcopus ab aliquo subiecto importune molestatur circa aliquem favorem obtinendum, potest, si concedere non vult, respondere hoc non a se dependere, sed a S. Sede; sin autem facultas ei est propria, debet vel concedere vel molestiam ferre.

Notandum insuper aliquando utile esse ut facultas vel gratia vel dispensatio *petenda* sit, etiamsi Apostolica Sedes eam semper et absque difficultate concedat, et notitiam vel commendationem ab episcopo datam tanquam praecipuum, imo unicum fundamentum habeat in iudicio ferendo de merito petitionis. Psychologice enim, quod est in ordinariis facultatibus facilius conceditur; quod vero peti debet vel ex facultatibus delegatis tantum habetur, gravius consideratur. Unde omnes illas facultates de quibus in Appendice, ex iure concedere, viam sternere posset ad relaxationem.

De cetero, quod hic dicitur in favorem episcopi, dici posset etiam in favorem parochorum: quare parochus petere debet ab episcopo facultatem vel gratiam vel dispensationem quam episcopus semper et absque difficultate concedit et pro cuius iudicio praecipue vel unice fundari debet in notitiam et commendationem parochi? Unde in his caute procedendum.

Ad cap. II. Iuxta dicta in prima Concilii sessione anno elapso, necnon iuxta normas a commissione pro laboribus coordinandis datas, omnia elementa iuridica erant eliminanda e schemate, et commissioni pro Codicis revisione committenda. Unde mirum est in hoc capite tantas praescriptiones iuridicas minutas inveniri, uti facultates coadiutoris et auxiliaris, relationes inter coadiutorem et coadiutum, inter coadiutorem et vicarium generalem, inter auxiliares et episcopum, facultates auxiliaris sede vacante, etc. Sufficit hic principia generalia afferre. N. 8 ad 15 remittantur ad revisionem Codicis.

Ad cap. III. Idem dicendum ac pro cap. II. Ergo nn. 18-24 remittantur ad Commissionem pro revisione Codicis.

Ad cap. IV. Ad n. 27 § 1. Ut melius appareat criterium huius principii generalis, hoc ita exprimerem: « Dioeceses, omnibus adiunctis accurate perpensis, ita dividantur aut dismembrentur aut novo ordine disponantur, vel etiam uniantur aut supprimantur aut plures in novam dioecesim constituantur, ut limites earum saluti animarum congruant ».

Ad n. 27 § 3. Clarius esset si prius in forma positiva exprimeretur: « Dioeceses immediate Apostolicae Sedi subiectas qua tales non amplius exsistant; quodsi neque supprimantur... ».

Ad n. 31. Erectio dioecesium personalium mihi videtur esse ultimum remedium adhibendum! Nocet auctoritati episcopi residentialis localis et unitati gubernii dioecesis.

Ordinarie provideatur per sacerdotem eiusdem ritus; quodsi plures sint, nominari posset vicarius generalis pro illo ritu, vel etiam episcopus auxiliaris.

Ut experientia docet, practice de n. 31 prout nunc redactus est, attentio praebebitur soli primae parti: « curandum est ut dioeceses personales pro diversitate rituum erigantur ubi plures fideles sunt diversi ritus » — de reliquis non curabunt! Quare potius dicatur: « Ubi plures sunt fideles diversi ritus quibus sufficienter per sacerdotem aut paroeciam eiusdem ritus consuli non potest, nominetur vicarius generalis, vel etiam episcopus auxiliaris pro illo ritu. Quodsi etiam hoc ad salutem animarum non sufficit, erigantur dioeceses personales pro diversitate rituum ».

Ad nn. 34-35. Hi duo numeri in unum principium generale melius coagularentur: « Ut cura animarum rite ac fructuose exerceri possit, et parochi oves suas melius cognoscere valeant, episcopus propria auctoritate, auditis tamen capitulo cathedrali et iis quorum interest, si qui sint, praesertim rectores ecclesiarum, potest quaslibet paroecias sive ex novo erigere, sive iam erectas dividere aut dismembrare, inter se unire, earumque fines mutare, quoties id pro animarum bono necessarium vel utile ipsi videatur ».

Insuper utiliter videtur aliquid addendum de facultate transferendi sedem paroeciae. Accidit enim aliquando quod propter constructiones habitationum vel alias ob rationes, ecclesia paroecialis non amplius sita sit in centro paroeciae, ac proinde parochus, qui prope ecclesiam paroecialem habitet oportet, a maiore parte suorum fidelium distet. Unde desiderandum esset ut sedes paroeciae in alium locum transferatur, et prior ecclesia tanquam locus cultus non paroecialis conservetur (e. g. in commodum illorum qui in hac parte paroeciae habitant) vel etiam, dempto caractere sacro, ad alium usum destinetur.

Ad n. 37, linn. 13-14: « utantur veluti si sint ecclesiae paroeciales ». Hic modus exprimendi ansam praebere potest difficultatibus; nam parochus posset tunc in ecclesia religiosorum tanquam dominus agere! posset mutationes etiam materiales iuxta proprium gustum perficere, posset impedire quominus religiosi proprias caeremonias celebrent, etc. Et ita esse posset ut religiosi vix habeantur hospites tolerati in propria ecclesia! Dicatur ergo potius: « ... utantur tanquam sede provisoria paroeciae ».

6

Exc.mus P. D. CAESARIUS D'AMATO

Episcopus tit. Sebastenus in Cilicia

Maxima cum reverentia sequentia exponam ut in omnibus et per omnia Deus glorificetur.

I. Cap. I, n. 3 § 2. Non placet modus iste loquendi, quo episcopi residentiales opponuntur episcopis *mere* titularibus. Extra suam dioecesim, episcopi residen-

tiales sunt de facto et ipsi « titulares » tantum. Insuper istud « mere » inutile et fere iniuriosum videtur. Dicerem: « Episcopi omnes, tam intra quam extra fines suae iurisdictionis, etc. ».

II. Cap. I, n. 5. Quod statuendum proponitur in hac constitutione conciliari de designatione episcoporum apud Sanctam Sedem a conferentia episcopali nationali periculis scatet. Sufficiat ut conferentia *proponat* duos vel tres et Sancta Sedes liberrime unum seligat vel alium.

III. Cap. II. Melius esset numquam *coadiutores* eligere et assignare, sed tantum *auxiliares* (sed et isti non multiplicentur, quaeso!), utique cum facultatibus opportunis. Si episcopus, senio vel morbo gravatus, renuntiare suae sedi renuat, vel Sancta Sedes administratorem apostolicum sede plena constituat, vel auxiliari plenam iurisdictionem conferat.

Saltem auferatur illa distinctio, quae parum intelligitur, inter coadiutores *ad personam* et coadiutores *sedi* datos. Demum consulatur, factis et non verbis, sustentationi et dignitati coadiutorum et auxiliarium.

IV. Cap. III. In conferentiis detur locus episcopis titularibus in regione habitualiter degentibus, eo magis quod plures eorum residentiales fuerunt, insuper non raro experientia, doctrina, sanctitate fulgent. Habeant votum deliberativum, saltem in re doctrinali, et libenter eis committatur praesidentia coetuum seu consiliorum ad peculiaria pertractanda.

Foveatur insuper amicalis consuetudo inter conferentias episcoporum et conferentias religiosorum, et instituatur apud conferentiam peculiaris secretariatus mixtus, cui praeficiatur aliquis episcopus membrum conferentiae.

V. Cap. IV. Supprimatur institutum sedium immediate S. Sedi subiectarum, attamen sedes episcopales Latii, in Italia, sicut hucusque, Summum Pontificem Romanum retineant ut proprium Metropolitam.

Summa cautela procedatur in suppressione vel unione dioecesium, maxime in Italia. Rogo Deum omnipotentem ut ab aliis avertat quod evenit meae Abbatiae S. Pauli, et, si bene novi, dioecesibus Pinnensi, Hieraciensi etc. tanta cum animarum perturbatione et iactura! Si residentia episcopi transferenda erit, cathedralis ecclesia pergat esse antiquior, et in nova urbe tantum concathedralis statuatur. Si aliqua dioecesis supprimenda erit, minuenda vel unienda, detur compensatio, honori veteris civitatis episcopalis et decori antiquae cathedralis provideatur, etiam per Capituli et troni episcopalis stabilis conservationem, immo et episcopus teneatur ibi accedere aliquoties in anno ad functiones pontificales exercendas.

In hac difficili re, historiae iura et merita non parvipendantur, populi amor pro sua Ecclesia matre benignissime consideretur, faciles et possibiles perturbationes serio praevideantur, salus animarum in primis quaeratur. Uno verbo dicam: Non desit gregi vigilantia pastoris, etiam si pastor contentus deberet esse humili, exiguo et pauperi victu, in modica civitate et parvo gregi. Ne fiat, quaeso, ut lupis advenientibus, pastores minuantur.

VI. Cap. V, n. 37. Auferatur! Non est necessarium hoc in Concilio dicere et statuere. Insuper fere iniuriosus hic modus loquendi mihi videtur. Semper religiosis aequum fuit episcopis obviam venire... Ne quid nimis... salva caritate et honore unicuique debito! salva religiosorum disciplina, quae *Ecclesiae* omnino necessaria est, certissime pro salute animarum quae necessaria sunt nos Religiosi praestabimus.

Appendix I. De « titularibus » Ecclesiis haec mihi dicenda videntur:

1. Episcopi non residentiales, sicut hucusque, in titulum aliquam Ecclesiam habeant. Quod ab aliquo Patre in aula propositum fuit omnino non placet. Episcopatus enim exigit iurisdictionem. Si hanc aliqui legitime consecrandi vel consecrati habere non possunt, plenam et ordinariam, habeant saltem ius radicale in aliquam Ecclesiam, iam in episcopalem erectam, quam diligant ut sponsam et a qua honorem sumant. Per transennam improbo illos episcopos titulares qui suum titulum tacent.

2. Non amplius conferantur in titulum Ecclesiae orientis quae a Praelatis Orthodoxis occupantur, humanitatis causa. Ceterum hoc recenter statutum est pro sedibus patriarchalibus titularibus ritus latini, et recte quidem.

3. Fortasse possent conferri in titulum Ecclesiae aliquae decursu temporum suppressae in Italia, Gallia, Hispania etc. Hoc in casu episcopo titulari harum Ecclesiarum aliqui honores possent conferri, si ad ipsas accedit, salva quidem iurisdictione Ordinarii loci, ut factum est pro cardinalibus episcopis titularibus ecclesiarum suburbicariarum. E. g.: officia divina in ecclesia ex-cathedrali celebrare cum throno et baculo; ius ibique sepulturam habendi; festa propria illius Ecclesiae in privata Missae et Officii expletione celebrare ubique locorum.

Ni fallor, episcopus, grege orbatus, plus honoris et consolationis haberet, et paterno animo populum aliquem diligere posset et beneficiis cumulare, sicut egregie fieri conspicio in dioecesi Sabinensi, quam in titulum possidet em.mus card. Ferretto.

Appendix II. 1. Curiose sonat appellatio archiepiscopi-episcopi. Si archiepiscopus quidam ad Ecclesiam simpliciter episcopalem transfertur, vocetur simpliciter « archiepiscopus »; sede — si visum fuerit — pro illa vice in archiepiscopalem non metropolitanam evecta.

2. Ordinarii personales si utile sit constituantur. Attamen habeant aliquod territorium, licet parvae extensionis, in quo praelatus sit verus Ordinarius loci; ibique habeat curiam, domum centralem cappellanorum, seminarium, ecclesiam praelatitiam quasi cathedralem.

3. Item fiat pro Ordinariis seu Exarchis ritus orientalis in aliquis nationibus iam institutis et quidem utiliter.

4. Iuridicum institutum Abbatiarum Nullius, historice gloriosum et saepissime populo gratum, optime servat et religiosorum Ordinum indolis contemplativae iustam libertatem, et unitatem regiminis et apostolatus pro populo Abbatiae finitimo et ab Abbatia in religiosis et aliquando in temporalibus quoque auxiliato. Ne subvertantur antiquae Abbatiae, sed remaneant ut sunt. Oporteret ut si numerus Paroeciarum ipsarum non sit valde parvus Abbas charactere episcopali ornetur, dummodo electus sit « ad vitam ».

5. Semper liber sit Summus Pontifex conferre episcopalem dignitatem praelatis maioribus Romanae Curiae, immo et aliquibus Canonicis Ecclesiarum Patriarchalium Urbis, quidquid dictum sit in aula.

Gratias ago, et qui legit habeat me excusatum!

* * *

Humilis abbas S. Pauli de Urbe, ep. tit. Sebastenus, quae sequuntur in simplicitate cordis et sermonis tibi pandit. Tuum, si tibi placuerit, esto hanc paginam transmittere quibus competit, vel dilacerare.

Quae de episcopis tit. in aula protulit exc.mus ep. Monacensis in Principatu vero fundamento theologico innixa mihi videtur; immo et ego de hac re aliquid dicere voluissem, sed spatium investigandi et recogitandi mihi non obvenit. Pauca tantum trado.

Forsitan in nostra venerabili Ecclesia latina plus attenditur potestas iurisdictionis quam potestas Ordinis sacri. Hoc maxime displicet cum cogito de episcopis qui in Romana Curia Summum Pontificem adiuvant, vel de iis qui suam dioecesim reliquerunt, vel aliam non habent nisi titularem. Evenit ut isti episcopi diminuti se sentiant coram episcopis residentialibus, qui non semper nec omnes eos honores satagunt ut decet. Experto crede Ruperto!

Contra praxim orientalium, in ipso iure liturgico latino non pauca reservantur episcopo loci, qui utique potest plura concedere episcopo extraneo, sed potest etiam denegare, et quidem non alia de causa quam ad propriam iurisdictionem et dignitatem tuendam, ut videtur. Unde fit ut si quis concedit, contradicit aliquando praxi finitimorum episcoporum; si non concedit, recogitandum venit illud « summum ius summa iniuria ».

Libenter legi quae proponuntur in schemate *de episcopis et de dioecesium regimine,* praesertim cap. I B), pag. 36. Addere tamen vellem ut episcopi omnes ubique benedicere valeant populum, tum intra tum extra ecclesias, Ordinario loci non praesente. Si opus esset, addere expresse quod sacellum domesticum episcopi extranei, etiam mere titularis vel auxiliaris, Ordinarius loci non potest nec debet visitare.

Ut etiam apud orientales dignitas Patrum cardinalium integre honoretur, et apud populum nostrum latinum ipsorum S.R.E. Principum episcopalis dignitas clarius pateat, cupio quod cardinales qui sedem residentialem non regunt, titulum aliquod episcopale habeant et in suis subscriptionibus adhibeant, ita ut, verbi causa dicatur: « NN Diaconus card. S. Apollinaris et arch. tit. Sardicensis ».

Quoad ius, non historicum omnino, sed mere consuetudinarium ritus romani ut tanta insignia liturgica reserventur Ordinario loci, exopto ut hae reservationes minuantur. E. g. baculum pastorale, quod in consecratione acceperunt, omnes deferre possent cum in pontificalibus procedunt, item antiquum ornatum episcopale, quod Formale seu Fibula vocatur, non esset prohibendum extra dioecesim, vel episcopis titularibus. Praecipue suggererem ut episcopi omnes extra territorium, si habent, et etiam in romana Urbe mozzetam supra mantellettum deferant. Absonum enim videtur, saltem mihi, ut eodem prorsus habitu induantur praelati Pontificae Domus, sacerdotes simpliciter, et Summi sacerdotes. Crux et anulum de facto non apparent nisi attente et a prope inspicientibus, et pileolum ac birectum deferre non solum ante Summum Pontificem, sed in ipsis cappellis papalibus Pontifice absente, nescio de qua mysteriosa causa, episcopi prohibentur.

Ad modum appendicis sequentia dicam:

1. Antiquorum Ordinum Regularium episcopi, immo cardinales, vestes induunt utique praelatitiae formae, sed coloris typici religionis suae. Attamen scio, et in ipsa conciliari aula conspicio, aliquos episcopos religioso in habito coloris

violacei. Hoc valde displicet... Dedecus profecto non est, sed meritum esse religiosum.

2. Pluribus abbatibus, moderno tempore, et credo non a S. Rituum Congregatione, concessum est privilegium deferendi pileolum et birectum coloris violacei. Hoc, quod concesserat C.I.C., non displicet in casu Abbatum Nullius, seu iurisdictionem ordinariam exercentium in proprio territorio. Verumtamen non placet in casu aliorum abbatum, vel de regimine tantum vel etiam mere titularium (quod quoque concessum fuit). De facto aliquae abbatiae et aliqui abbates tot meritorum onusti sunt et tantum ab hominibus honorantur et aestimantur, ut iuste ab Apostolica Sede beneficiis cumulantur. Si isti per pileolum et birectum ab aliis abbatibus distinguendi sunt, multo magis ab episcopis qui consecrationem adepti sunt, erunt diversificandi. Alium ergo colorem seligant Officiales Romanae Curiae concedentis.

7

Exc.mus P. D. LEO STEPHANUS DUVAL

Archiepiscopus Algeriensis

Circa organum episcopale erigendum prope Summum Pontificem (schema *de episcopis,* cap. I).

Multa sapientissime dicta sunt die 8 novembris 1963 ab em.mo card. Iacobo Lercaro circa: munus huius organi: « munus coordinationis et synthesis »... « organum adiuvans Summum Pontificem in munere coordinandi, disponendi et elaborandi deliberationes generalissimas... » etc.; eius utilitatem, opportunitatem et necessitatem practicam.

Haec tamen humiliter proponere vellem circa *positionem iuridicam* huius organi:

1. *Relate ad episcopos,* hoc organum non habendum est ut repraesentatio iuridica corporis episcoporum. Rationes sunt sequentes:

a) Non debet institui « tertium quid » inter Romanum Pontificem et episcopos, secus relationes inter Summum Pontificem et episcopos iam non haberent expeditam facilitatem quae convenit regimini Ecclesiae: auctoritas successoris Petri debet servare suum characterem paternum per contactum immediatum cum episcopis, secus episcopi in statum humiliorem reducerentur. Quando venimus Romam, venimus « videre Petrum ».

b) Regimen Ecclesiae nimis simile fieret regimini societatis politicae; quod omnino non convenit.

c) Si hoc organum intelligeretur ut repraesentatio iuridica collegii episcoporum, esset contradictio in terminis, nam sine Romano Pontifice collegium episcoporum non existit.

Inter munera huius organi, numerari debet officium multiplicandi commercia propositorum, consiliorum, votorum inter Summum Pontificem et episcopos, sive singillatim sumptos, sive in conferentiis adunatos. Sic Romano Pontifici melius patefieret status Ecclesiae in universo mundo cum diversis condicionibus apostolatus. Sic Sedes Apostolica certior fieret evolutionis rerum in mundo.

Sed hoc nullo modo requirit repraesentationem iuridicam corporis episcoporum.[1]

2. *Relate ad Summum Pontificem.* Quomodocumque conficiatur hoc organum (etiamsi Romanus Pontifex dignaretur petere suffragia episcoporum ad nominanda aliqua vel plura membra huius organi, quod pluribus episcopis placet), hoc organum habendum est ut institutum dependens a Romano Pontifice, tam in sua creatione, quam in suo munere obeundo.

Multi episcopi optant ut ratione opportunitatis et melioris efficaciae, Romanus Pontifex « curet novi instituti sensum et finem non frustrandum » (card. Lercaro). Sed clare affirmandum est ad hoc Romanum Pontificem iuridice non teneri; eius libertas integra sit.

Ratio haec est: necesse omnino est ut dignitas Sedis Apostolicae, vel in his quae externe apparent, intacta remaneat. Etenim Concilium Vaticanum II nullo modo potest contradicere Concilio Vaticano I. Ceterum ipsa auctoritas episcoporum in periculo versaretur si aliquid detraheretur — vel mere apparenter — praerogativis Sedis Apostolicae.

Conclusio. Non placet vox « senatus » ad designandum hoc organum, sicut quidam dixerunt. Adhibeatur vox « consilium » vel aliud vocabulum simile.

8

Exc.mus P. D. IOSEPH GAWLINA

Archiepiscopus tit. Madytensis

Quae sequuntur humillime proponere honori mihi duco:

Dulcis memoriae Ioannes Papa XXIII anno 1960 dignatus est studio commissionis *de episcopis et de dioeceseon regimine* quattuor committere quaestiones, quarum una « de emigrantibus » agit cum adnexo commentario: « Media apta expendantur quae emigrantibus auxilium praestent ad fidem moresque integre servandos ».

Quaestio haec in ultima redactione commissionis conciliaris ad duo solummodo verba (« uti sunt *quamplurimi migrantes* ») reducta est quod nec intentioni Summi Pontificis nec bono migrantium congruere videtur.

Thema hoc in commissione praeparatoria pluries et quidem profunde discussum, elaboratum, emendatum, perfectum est.

Agitur enim de re maximi momenti iam a Concilio Lateranensi IV, postea a S. Pio Pp. X, Pio Pp. XII, Ioanne Pp. XXIII, denique a f. r. Paulo Papa VI tractata, cuius apex famosa Constitutio Apostolica *Exsul familia* est.

Ultimis temporibus gravitas quaestionis de qua agitur, deportatione, translatione gentium, emigratione tam libera quam et coacta etiam aucta imo crescet ratione habita sic dicti « mercatus communis », quando nempe migrantes nec tesserae (passaporto) nec aliarum indigebunt limitationum.

---

[1] Son Eminence le Cardinal Lercaro, dans son intervention du 8 novembre, parle à propos de cet organisme, d'une représentation du Corps des Evêques (« quod sincere Corpus Episcoporum repraesentet »). Si on veut dire par là que cet organisme aura pour fonction de représenter auprès du Pape *la pensée des Evêques,* ce qui suppose que cet organisme devra entretenir des rapports étroits avec les Evêques, nous ne pouvons qu'approuver. Mais il ne semble pas qu'il faille parler de *représentation juridique.*

Quapropter liceat mihi votum proferre ut serventur in textu conciliari saltem quae in schemate decreti « de cura animarum » anno 1963, pag. 31, § 48 proposita sunt atque addatur: « Constitutio Apostolica *Exsul familia* recognoscatur et compleatur ».

9

REV.MUS P. D. BASILIUS M. HEISER
Minister generalis O.F.M. Conv.

Circa propositum schema, cui titulus *de episcopis ac de dioecesium regimine,* liceat infrascripto quasdam proferre animadversiones, ac *primo* generales in integrum schema, *deinde* speciales in singula capita, et singularia puncta.

A. *Animadversiones generales.* Schema Decreti indolem essentialiter pastoralem praefert, uti ex ipso titulo elucet, et procul dubio quaestiones tangit, etiam delicatas et graves, quae sunt ordinis apprime pastoralis. Laudandus est in schemate sensus prudentiae ac discretionis in gravibus aggrediendis quaestionibus et opportunis proponendis solutionibus; item sensus cuiusdam « novitatis », quo nempe Ecclesia accommodatam renovationem (« aggiornamento ») suorum institutorum, in re praesertim pastorali, promovere intendit. Et multa revera in schemate eiusque articulis inveniuntur, quae optima sunt et seriam considerationem merentur.

Animadvertere tamen licet quod gravia et complexa problemata pastoralis gubernii dioecesis praevalenter *sub luce et reflexu episcopi* praeoccupantur: quae « perspectivae » ratio minus opportuna et minus adaequata videri potest ad essentiale argumentum schematis. Exinde fit ut in schemate sermo sit non tam « de regimine dioecesis » quam potius *de episcopis,* de eorum relationibus et auctoritate, de competentia et conviventia inter episcopum residentialem et coadiutorem vel auxiliarem, nec raro ad quaestiones stricte personales de ipsis episcopis descendat. De *regimine autem dioecesis,* sensu vero et proprio, pauca traduntur, et vera ac essentialia problemata gubernii dioecesis nonnisi obiter tanguntur. Opera pastoralia in dioecesi prosequenda per episcopum eiusque collaboratores, per officia curiae et organa pastoralia, per parochos aliosque sacerdotes, per religiosos, per laicorum consociationes, in organica animorum et operum conspiratione sub episcopi ductu (qui quandoque directus esse debet, saepius vero fructuose exercetur etiam indirecte): — haec omnia in schemate vix aut ne vix configurantur, ita ut schema ipsi titulo *de dioecesium regimine* non satis respondere dicendum sit.

Gravis haec *lacuna* procul dubio provenit ex eo, quod praesens schema est avulsum ab alio, cui titulus est *de cura animarum,* in quo revera multa inveniuntur quae ad pastorale regimen (quod non est tantummodo « regere et gubernare », sed praecipue « *pascere* ») directe referuntur.

Liceat etiam animadvertere in titulo eiusmodi schematis decreti pastoralis non bene sonare initialia verba *de episcopis.* Abstrahendo a ratione, quod incongruens videatur episcopos legislatores in Concilio *de seipsis episcopis* directe legiferare, praesertim indoles et finis eiusmodi decreti essentialiter *pastoralis* suggerit, ni fallor, ut agatur *non de episcopis in quantum personis,* sed *de pastorali episcoporum actione,* adeoque de pastorali dioecesis regimine, recte provideque coordinato et articulato in variis officiis, organismis et ministeriis sub directione vel influxu epi-

scopi et per conspirantem actionem omnium quibus ministeria pastoralia concredita sunt. Itaque alienae ab indole et scopo decreti conciliaris sunt quaestiones ac praeoccupationes indolis « personalis » circa episcopum (quas satis fuerit obiter tantum ac brevissime, data occasione, insinuare), et argumentum de *pastorali dioecesis gubernio pressius ac profundius pertractetur oportet.*

Sub hoc respectu propono ut duplex schema in unum coalescat, cui titulus esse poterit: « De pastorali regimine dioecesis et de cura animarum ».

In huiusmodi autem decreti schemate *primum ac fundamentale caput* sit oportet « de pastoralibus officiis episcopi », iuxta triplex munus « *Pontificis, Pastoris, Magistri* ». Poterit assumi, quoad substantiam, *cap. I schematis « de cura animarum* », demptis tamen quibusdam propositionibus redundantibus, irrealibus aut etiam adulatoriis (inter alia, reformetur oportet pars conclusiva art. « *Episcopus Pontifex* », pag. 9, n. 9, linn. 7 ss.: praesertim supprimenda propositio illa de episcopo posito « *in statu perfectionis acquisitae* »: imprimis, propositio illa — salva reverentia S. Thomae — multum « discutibilis » est et... « discussa », ne vera dici potest in *obvio* verborum sensu; praeterea absonum videtur enunciationem aliquam mere « scholasticam » in textum conciliarem transferri).

Post huiusmodi *primum caput,* ordinata tractatio fiat « de coadiutoribus et auxiliaribus », de conferentia episcopali, de territoriali dioecesis configuratione. Deinde vero sermo fiat de pastorali actione promovenda per officia Curiae et organa dioecesana; per parochos, per religiosos. *Ad religiosos* quod attinet, exstat *cap. III* in schemate *de cura animarum*: sed aptior titulus poterit simpliciter esse: *de religiosorum apostolatus opera.* Et in eo capitulo, *pauca,* paucissima retineantur quae vere sunt essentialia et fundamentalia ad rem pastoralem, alia omnia ad decretum « de religiosis » aut ad codificationem remittantur.

Nec omittatur capitulum « de catechetica institutione », quin tamen ad infima descendere necesse sit.

B. *Animadversiones speciales.* 1. *Ad prooemium.* Prouti nunc exstat, valde ieiunum ac insufficiens apparet. Poterit autem bene « integrari » cum iis quae in *prooemio cap. I « De cura animarum »* leguntur.

2. *Ad cap. I* (De relationibus cum Curia Romana). Non videtur opportunitas ut huiusmodi capitulum in *decreto pastorali* inseratur. Ipsum capitulum bene supprimi potest, retentis tamen (in opportuna sede collocandis: e. g. ubi sermo est de episcoporum participatione ad « sollicitudinem omnium Ecclesiarum ») iis quae leguntur in nn. 4 et 5 (pag. 7).

3. *Ad cap. II. a*) Potius dicatur *de episcopis coadiutoribus et auxiliaribus.*

b) Censeo *coadiutorem* numquam cum « iure successionis » designandum esse: praescindendo ab aliis practicis rationibus, semper Sedi Apostolicae manere debet *plena* libertas episcopum dioecesis nominandi. Ipse « Ordinarius » dioecesis proprie dictus, vocetur *episcopus dioecesanus* (qui nempe vere et proprie praesidet dioecesi), *et non* « episcopus residentialis » (expressio satis inepta).

c) Opportunum videtur, ut, ratione episcopalis dignitatis, nec coadiutor nec auxiliaris subesse debeat simplici vicario generali, sed solummodo episcopo dioecesano; *sede autem vacante,* ipse coadiutor vel auxiliaris fungatur munere « administratoris apostolici » (et si plures fuerint, ille qui a S. Sede tamquam *primus* coadiutor seu auxiliaris nominatus fuit): figura vero et institutio « vicarii capitularis » retineatur solummodo ubi coadiutor vel auxiliaris non adsit.

d) Procul dubio, maiores facultates, et maior in regimine pastorali participatio, tribuendae esse videntur *auxiliari,* ut vere « auxiliaris » dici possit.

e) Difficile esse videtur *limites aetatis,* pro episcopi officio, taxative statuere. Satis fuerit principium enunciare, prouti in n. 16, § 1, *hac tamen breviori forma*: « Episcopi dioecesium (ceterique in iure ipsis aequiparati), qui ob permanentem valetudinis defectum vel ob ingravescentem aetatem aliamve gravem causam, pastorali munere implendo impares (*impares*: minus durum videtur ac " minus apti ") evaserint, rem suo officio consentaneam in bonum animarum facient, si resignationem in manibus Apostolicae Sedis dederint ».

Etiam in hac magis discreta forma, insinuatio utilis erit: et certe Sedi Apostolicae manifestum motivum suppeditabit ad interveniendum, in casu quo episcopus renuat renuntiationem facere.

4. *Ad cap. III* (« De nationali episcoporum coetu seu conferentia »).

a) Retineatur in titulo dictio « *episcoporum coetus* »: in textu autem poterit et vox « conferentia » adhiberi, intra « virgulas ». Nec dicatur « nationalis » sed potius « regionalis », cum debitis tamen explicationibus.

b) Praesertim magis magisque determinandus est competentiae ambitus: nimis extensa, imo practice illimitata adumbratur in schemate: et hoc multa eaque gravia inconvenientia inducere potest, et singulis episcopis haud leves parare molestias. Ceterum, cavendum est ne Concilia plenaria aut provincialia fere superflua vel inutilia evadant. Utcumque, a multiplicandis *legibus* tam Concilia quam « conferentiae » abstinere deberent, prouti ipsum bonum Ecclesiae et animarum postulat.

c) *De obligatione iuridica* « conferentiae »: casus — prouti in n. 24 exhibetur — ambitum nimis extensum ac fere illimitatum praeseferre videntur. Sufficere possunt ea quae ad litt. *a*) et *d*) recensentur: sed (ad litt. *d*) requirendum esse videtur suffragium cum *tribus saltem ex quatuor partibus,* ut habeatur unanimitas quaedam moralis [vel quasi]. Ceterum, in litt. *c*) enunciatio non satis apta et perspicua videtur esse: nam tractare cum civilibus guberniis in rebus gravioris momenti spectat a S. Sedem.

d) Omnino suadendum est ut in « conferentiis episcopalibus » partem habeant, pari cum voto, aliqui (duo vel tres) superiores maiores religiosorum (a competenti organo designandi): quod quidem in bonum animarum et ipsarum dioecesium multipliciter cedet, attentis variis apostolatus operibus quibus religiosi in diversis nationis dioecesibus incumbunt. Immo, cum in diversis nationibus, auspice ipsa S. Sede, « conferentiae superiorum maiorum » constitutae sint, utilissimum videtur — sub ratione ipsa pastorali — ut inter duplicem « conferentiam » (episcoporum et superiorum religiosorum) sit actuosum ligamen.

10

Exc.mus P. D. PETRUS MARTIN

Episcopus tit. Selinusiensis, vic. ap. Novae Caledoniae

Curia Romana, prout nunc stat, potest immutari, quoniam est de iure mere ecclesiastico, et tarde in Ecclesia apparuit. Debet mutari, quoniam nova mundi adiuncta novum modum gubernandi Ecclesiam exigunt.

Ad quam efficiendam reformationem, desiderio Summi Pontificis respondentes, aliquas suggestiones humiliter proponimus.

I - De instaurando *Consilio Apostolico.* Ratione quidem celerioris mundi evolutionis, et ex alia parte, ratione principii collegialitatis a Concilio firmiter agniti, summe refert ut instauretur inter Caput et membra corporis episcopalis creberrima communicatio.

Optamus ergo ut supremum organum, quo Summus Pontifex uti possit in gubernanda Ecclesia erigatur quod *Consilium Apostolicum* nuncuparetur, non amplius triginta praesulibus constans voce consultiva praeditis. Inter quos annumerandi essent: 1. quinque vel sex praecipui patriarchae Ecclesiarum orientalium; 2. aliqui episcopi residentiales a Conferentiis episcopalibus designati et a Summo Pontifice nominati, secundum aequas proportiones.

Hoc consilium congregaretur bis vel ter in anno, pro tempore opportuno.

II - *De dicasteriis* reformandis. Ita constituantur dicasteria ut possibilis evadat quam maxima communicatio sententiarum motuum et personarum inter Ecclesiae centrum et extrema. Ad hunc finem sequenda essent haec principia:

1. In omnibus applicetur « principium subsidiaritatis », ita ut nihil Curiae Romanae reservetur quod ab episcopis vel conferentiis episcopalibus sine Ecclesiae detrimento tractari possit.

2. Praelati et officiales, quibus de quaestionibus dicasterio propositis decernere incumbit, e diversis continentibus et territoriis, a conferentiis episcopalibus propositi, proveniant, nec ultra sexennium in tali munere permaneant.

3. Alii autem praelati et officiales, in rebus exsequendis periti et per longius tempus munus exercentes (et quidem necessarii sunt) potestate statuendi non polleant, sed ad altiora munera in eodem genere promoveri possint.

4. Vi « principii subsidiaritatis », quotiescumque inter diaconos vel laicos eligi potuerunt officiales, eligantur.

5. Ad quaestiones de fide et moribus tractandas, nova instituatur Congregatio, quae, sublato Sancti Officii nomine, *Congregatio de fide et moribus* nuncupari posset. Quod Dicasterium eodem more institutoque procedat ac ceterae Congregationes et Tribunalia, cum homines huius temporis omnes procedendi modos respuant qui iura personae oppugnare videntur.

In omnibus doctrinalibus quaestionibus tractandis consulantur periti non tantum Iuris Canonici et theologiae dogmaticae vel moralis, sed etiam Scripturae Sacrae, traditionis et historiae dogmatum. Qui periti, sicut officiales de quibus agitur in n. 2, ex diversis terris proveniant.

6. De reliquorum dicasteriorum reformatione, quae magis ad iuridicam praxim pertinent, nihil dicemus, sed enixe petimus ut episcopi et periti ex diversis terris provenientes ad eam delineandam invitentur.

11

Exc.mus P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de El Obeid

Ad cap. II. Sequentia fere omnia iam in aula prolata sunt.

A) Urget necessitas ut Concilium declaret aetatem renuntiationis sive pro episcopis quam pro parochis; haec aetas vero sit 70 vel 75 annorum in qua pastores

possunt renuntiare suae curae. Dixi: possunt, non *debent* quia renuntiatio semper pendet a multis circumstantiis.

Obligatio vero suadendi renuntiationem alicui in singulis casibus incumbet metropolitae, vel praesidi conferentiae episcopalis illius regionis.

B) Onus providendi sustentationem renuntiatario incumbet paroeciae vel dioecesi ubi ille adlaboravit. In omnibus tamen casibus valde utile erit si quaevis regio episcopalis vel nationalis globaliter sibi assumat onus determinandi et providendi convenienter sive per domos sive per pecunias vel institutiones, ita ut renuntiatarii quasi ad requiem invitentur.

C) In nullo casu tamen sustentatio renuntiatarii erit coniungenda cum provisione alicuius beneficii cui adnexa sit cura vel servitium quia tunc contingere potest ut renuntiatarius cogatur perficere id ad quod vires desunt vel officium ipsum detrimentum patiatur ob imbecillitatem beneficiarii senis.

12

REV.MUS P. D. PETRUS MORETTI
Praefectus apostolicus Tungchovensis

De praefectorum apostolicorum situatione in hierarchica organisatione Ecclesiae.

Aliqui Patres aestimant Concilium Oecumenicum Vaticanum II et benevolentiam commissionis « de episcopis ac dioecesium regimine » esse occasionem propriam ut aliquas rationes circa statum et munus praefectorum apostolicorum in organisatione hierarchica Ecclesiae praesentetur. Id tamen faciunt ob solam rationem hodierni sensus ecclesialis et pastorali ac oecumenico spiritu Conciliari ducti, minime vero ob aliquam personalem vindicationem, quod ab eis longe absit. Hi putant Sacrosanctum Oecumenicum Concilium aperto animo has rationes auditurum tanquam res ad schema « de episcopis » attinens.

Expositio intendit schematim de natura historica, deque functionibus et situatione iuridica hodierna praefectorum apostolicorum (I); deinde de circumstantiis pastoralibus et socialibus in quibus laborant (II); et tandem quibusdam illogicitatibus de novo iure instituendo inspectis de personis quibus Ecclesia eget pro munere praefectorum apostolicorum (III).

I. « Munus, prout nunc est, a saec. XVII ortum habet. Antea territoria infidelium regebantur, tum ab episcopis, quorum designatio a regionibus Hispaniae et Lusitaniae pendebat; tum a Superioribus religiosis et a Praefectis quibusdam Apostolicis. Circa medium saec. XVII, cum reges pluribus dioecesibus vacantibus non providissent, aut episcopis subsidia non suppeditassent, C. Propaganda Fidei, nuper instituta, hac occasione usa est ut illud regimen politicum paulatim tolleret, designando Vicarios Apostolicos, qui cum episcopi titulares essent, curam animarum in illis territoriis exercerent » (cf. REGATILLO, *Institutiones Iuris Canonici,* I Santander 1951, 306).

Ampla iurisdictio quasi-episcopalis datur praefectis, et quidem multoties, ex aliis facultatibus a Sancta Sede concessis ampliores facultates habent quam episcopi residentiales. Can. 294, 1 dicit eos gaudere « iisdem iuribus et facultatibus in suo territorio quae in propriis dioecesibus competunt episcopis residentialibus, nisi quid Apostolica Sedes reservaverit ».

Illi sunt Ordinarii loci et Pastores Ecclesiae, successores Apostolorum iuxta modum (cf. REGATILLO, *o. c.*). Pro illis sicut pro episcopis « salus animarum suprema est lex ». Eius iurisdictio datur « ad instar episcoporum », seu livello episcopali. Et reapse praefectus habet munus practicum valde onerosum et grave respectu regiminis. Debet gubernare in temporalibus et spiritualibus cum potestate legislativa, iudiciaria et coactiva ad normam Canonum exercenda, sicut episcopus (can. 335, 1). Praeterea, ei incumbit visitationem sui territorii per se vel per alium facere necnon attendere quae fidem, bonos mores, Sacramentorum administrationem, praedicationem verbi Dei, festorum observantiam, cultum divinum, iuventutis institutionem, disciplinam ecclesiasticam referuntur (can. 301, 2).

Quoad potestatem ordinis, quamquam simplices sacerdotes, omnia exercent praeter Ordinationes in sacris, benedictionem S.S. Oleorum, trinam benedictionem etc. Sed functiones pontificales habent, ordines minores conferunt et sacramentum Confirmationis, etc.

In suo territorio vices gerit Summi Pontificis, sed a iure ecclesiastico multa conferuntur quae ipsum quasi-episcopum faciunt. Et revera in pastoralibus officiis apparet sicut verus Ecclesiae praeses in peculiari territorio.

II. His non obstantibus, tot iura et privilegia eorum situationem socialem sive inter cleros sive inter laicos non claram reddunt, quia munus tantum transitorium est; quia apparenter sunt episcopi sed realiter non sunt.

Ista transitorietas certe non minuit munera et responsabilitates, sed minuit practice effectum laboris. Pro quibusdam coetibus socialibus Praefectus Apostolicus est vel « ostentator potestatis quam non habet » vel « parens pauper episcopi », ut in aliquibus regionibus iam dictum est. Hic spiritus apud quasdam auctoritates et laicos est, et sentimentum inferioritatis saepe saepius creat.

Non est ergo praefectus apostolicus mere « plantator Ecclesiarum », sed responsabilitates omnes regiminis ad promovendam, fovendam et instaurandam rem catholicam habet et hoc coram Deo, Ecclesia et hominibus.

III. Praefecti apostolici et Concilium Oecumenicum. Ioannes XXIII piae memoriae disposuit mense maii 1963, post petitionem aliquorum episcoporum ex Africa, ut praefecti convocarent in Concilio, quod Paulus VI feliciter regnans adprobavit. Sunt hodie 93 in totum: 35 in Africa, 14 in America, 8 in Oceania et 36 in Sinis.

Quando sermo fit de his quibus interest Ecclesiae hodiernae de sensu pastorali et oecumenico in munere episcopali regiminis, ipsi praefecti apostolici sibi ponunt problema oecumenicitatis et pastoralitatis quoad se et quoad territoria sibi tradita. Et quidem exoptant ut Concilium Oecumenicum necnon commissio « de episcopis » magni faciant problemata huiusmodi, ita ut saltem principalioribus illogicitatibus inter esse et agere, munus et praxim prae oculis habitis, novum ius creetur de re. Sub hoc respectu, aliqui Patres petunt ut commissio relationem R. P. Ioannis Ferreira, praef. ap. Guineae Lus. de III capite schematis de episcopis consideretur.

Concilii est sensum responsabilitatis communis pastoralis excitare et isolationismum inter episcopos vitare. Ex ea ratione iam conferentiae episcopales et alia communia media in schemate habentur. Quia tamen, ex transitoria situatione, praefecti apostolici sensum responsabilitatis communis pastoralis tantum aegre colere possunt, rationibus dictis stantibus, necessarium est ius quo reguntur crisi subiicere. In proprio campo de conferentiis eorum illogica situatio ad hoc conducit. Vel non

convocantur ad conferentias vel convocantur his limitationibus: in discussionibus, in distributione laboris, non eodem modo ac episcopi acceptantur quia « praefecti » sunt, vel quia « problemata praefecturarum non sunt problemata dioecesium ». In deliberationibus vero, post votum, seiunguntur quia « vices gerunt Romae ».

Concilii est clare de re disceptare. Imprimis considerare historiam institutionis et respectu modernae aetatis decidere utrum hoc munus correspondeat spiritui simplificationis et efficaciae e Concilio fluente. Deinde considerare iura et privilegia data relate ad personas deputatas. Comparare illogicitatem inter potestatem ordinis et regiminis. Relationem instituere inter praefectos apostolicos et quosdam « praelatos inferiores » (can. 319), maxime « iura honorifica » abbatum et praelatorum nullius, qui licet charactere episcopali careant, utuntur tamen « in proprio territorio insignibus pontificalibus cum throno ac baldacchino et iurvibidem officia divina pontificali ritu celebrandi, crucem autem pectoralem, anulum cum gemma, ac pileolum violaceum possunt etiam extra territorium deferre » (can. 325). Praefecti apostolici vero, quamquam « praelati inferiores » non considerantur a iure, ipsum ius de « iuribus honorificis » et de insigniis non valde curat.

Conclusio. Proponitur ergo ut aliqua sub-commissio examini subiiciat istam momentosam quaestionem sub aspectu historico, iuridico et maxime pastorali. Exoptatur ut alio modo solvatur problema *ecclesiae evolutivae,* mediante vicariatu apostolico solummodo, post statum initiale missionis, vel quid simile. In quocumque casu desideratur forma propria regiminis, quae datur in casu ubi simul adest potestas ordinis. Hoc melius correspondet sensui Ecclesiae hodiernae et circumstantiis socialibus et iuridicis qui minime commendant existentiam impersonalis status praefectorum apostolicorum.

[*Subscripserunt etiam*] Pacificus Calzolari, praef. ap. Siangtan.; Attilius Previtali, praef. ap. Misuratensis.

13

EXC.MUS P. D. RAPHAEL PELLECCHIA

Episcopus Aliphanus

Schema, prout iacet, est valde lacunosum; neque vere agit de episcopis neque de regimine dioecesium, sed tantum de quibusdam quae ad utrumque spectant.

Melius esset si eiusdem doctrina componetur cum doctrina schematis *de cura animarum*: episcopi, cum gubernant dioecesim, intendunt praecise salutem animarum.

Utique differt tenor duorum schematum, quia dum illud *de cura animarum* est magis pastorale, istud potius est iuridicum. Sed, rebus opportune compositis, ambo possent opportune componi et coordinari cum utilitate non solum ipsius doctrinae integritatis sed etiam ordini tractationis.

Hoc modo vitaretur etiam agi de eisdem in diversis locis absque sufficienti coordinatione.

Ad aliquas lacunas cavendas forsitan melius esset agere in hoc decreto etiam de relationibus inter episcopum et sacerdotes et de quibusdam quae pertinent ad instaurandam conditionem sacerdotum. Sic e. g. quae in schemate decreti *de clericis* dicuntur de massa communi bonorum (nn. 32-33); de praevidentia pro sacerdotibus (n. 31) debent actuari vel in campo nationali vel in campo dioecesano, unde aut de eis agitur quando de regimine dioecesium aut quando de conferentiis nationalibus.

Votum de reductione parvarum dioecesium (cap. IV huius schem.). Attenta impossibilitate inveniendi in parvis dioecesibus sacerdotes vere aptos et numero sufficientes ad hoc ut possint institui aliqua officia hodie revera indispensabilia ad idoneam curam animarum, uti e. g. commissiones pro liturgia, musica et arte sacra; officium pastorale; consilium pastorale dioecesanum; officium catechisticum dioecesanum; organizationes ad laicos parandos ad apostolatum; cursus theologiae vel culturae religiosae pro laicis; officia technica et administrativa apud curiam dioecesanam; seminarium dioecesanum tec.

Visis difficultatibus oeconomicis et nonnullis incommodis ex illis derivantibus propono: ut Concilium statuat reductionem parvarum dioecesium. Ut hoc votum cito in praxi reducatur, incipi potest ab unionibus saltem personalibus, quae gradatim secum ferant suppressionem illorum officiorum, quae ad actualem organizationem dioecesium spectant. Nunc enim est momentum psychologice idoneum ad hoc consilium conficiendum.

14

Exc.mus P. D. HIERONYMUS RAKOTOMALALA
Archiepiscopus Tananarivensis

Cap. II, ad 7. Episcopus, nec coadiutor nec auxiliaris renuntietur. Episcopus enim, vi consecrationis qua successor apostolorum fit, regere debet aliquam determinatam portionem Ecclesiae, eique praeficiendus est tamquam verus pastor, iurisdictionis propriae et ordinariae potestate gaudens. Episcopus, tamquam caput, auctoritate personali et plena praeesse debet suae dioecesi.

Proh dolor, episcopus coadiutor et auxiliaris non gaudent tali usu eorum iurisdictionis et dignitas quae inhaeret characteri episcopali in eis adumbratur.

Subsunt enim ac subordinantur uni episcopo, residentiali scil., et non raro habent in dioecesi minorem auctoritatem et potestatem quam simplex sacerdos vicarius generalis.

Dentur ergo, tantummodo sacerdotes ut coadiutores vel auxiliares episcopo, nam sacerdos est ille qui « ad episcopi adiutorium consecratus est ».

De cetero, praefatio de ordinatione presbyteri quae vacua esse non debet nec simplex formula remanere, explicite dicit: « ut cum pontifices summos regendis populis praefecisses, ad eorum societatis et operis adiumentum, sequentis ordinis viros et secundae dignitatis eligeres ».

Ita ne sint amplius episcopi titulares nisi illi qui ob aetatem vel morbum vel aliam gravem causam, incapaces evadunt ministerio pastorali directo.

Si accidit ut una dioecesis, quamquam ampla nequit dividi, nominentur tot vicarii generales quot necessarii sunt ad eius administrationem et gubernationem sed sint omnes sacerdotes...

Pari modo, ob penuriam sacerdotum qua fit ut in tam multis dioecesibus episcopus remanet sine sufficienti auxilio in eius munere pastorali obeundo, ratione habita de collegialitate episcoporum, haud in verbo tantum sed in praxi deducenda, non sine maximo scandalo videntur sacerdotes vicarii qui faciunt scholam triginta vel viginti pueris, aut tot sacerdotes religiosi qui in collegiis, totam vitam ducunt in rebus profanis docendis (quae professio praeprimis viris laicis competit), dum milliones christifidelium fame spirituali pereunt. Ii enim qui uncti fuerunt ut « sint providi cooperatores ordinis » (episcopatus) et sacerdotes facti debent « of-

ferre, benedicere, praeesse, praedicare, et baptizare », plurimi operam praestant rebus humanis socialibus, oeconomicis vel scholaribus.

Adsunt in Ecclesia Dei sacerdotes in numero sufficienti, non solum ad pastoralem navitatem obeundam sed etiam ad opus missionale aggrediendum in regionibus infidelium. At proh dolor, istae vires vivae Ecclesiae male distribuuntur et non raro, nisi indirecte causae evangelii inserviunt.

15

Exc.mus P. D. ALOISIUS RAIMONDI
Archiepiscopus tit. Tarsensis

Mi permetto di fare un'osservazione a quanto appare sullo schema di decreto *de episcopis ac de dioecesium regimine* al cap. III (3) n. 24 circa le decisioni delle conferenze che obbligherebbero giuridicamente i singoli vescovi. Si legge: « *c*) quando agitur de rebus cum gubernio civili tractandis, quae totam attingant nationem ». Se la questione delle relazioni con i governi fossero devolute alle conferenze con esclusione della Santa Sede, le conseguenze sarebbero serie. La storia di Messico ne può essere una prova. Del resto i governi (almeno qui) non sembra che siano in favore di trattare con le autorità ecclesiastiche locali, che considerano suddite. Una volta il candidato ufficiale attuale alla Presidenza mi diceva che per tutte le questioni generali il governo considerava il Delegato Apostolico come la persona qualificata con cui il governo intendeva trattare, anche se in qualche caso si riservava di avere contatto con qualche Prelato. E ciò mi diceva del tutto spontaneamente.

16

Exc.mus P. D. FRANCISCUS SIMONS
Episcopus Indorensis

Quaestiones quae pertinent ad cap. II de Ecclesia et cap. I de episcopis.

Solummodo forma gubernii Ecclesiae collegialis — i. e. per collegium episcoporum cum et sub Romano Pontifice ut capite collegii — et adhibitis, ubi necesse est, consiliis hominum vere peritorum, videtur satisfacere conditionibus et exigentiis Ecclesiae et mundi hodiernis. Sunt facta nova quae de die in diem maiorem habent valorem et influxum, quibus Ecclesia satisfacere potest et debet. Praecipua facta nova, quae ad rem pertinent, haec esse videntur:

1. Paucis exceptis, episcopi non sunt nec esse possunt veri periti ne in rebus theologicis quidem.

2. Studia altiora non iam sunt monopolium clericorum. E contra periti in disciplinis profanis — quae lucem infundunt etiam in doctrinas revelatas vel adiuvant in diiudicandis rebus moralibus — fere omnes sunt laici, immo acatholici. Tantummodo in disciplinis theologicis sacerdotes praevalent. Singuli homines etiam optimi non iam possunt cognoscere nisi parvam partem scientiarum et artium.

3. Increscente educatione et scientia laicorum, increvit etiam eorum maturitas intellectualis et moralis, eorum spiritus independentiae, libertatis, fraterni-

tatis, aequalitatis, democraticus. Haec omnia sunt bona magni ponderis quibus Ecclesia favere debet.

4. Cum remanent et remanebunt condiciones et culturae sat diversae, mundus de die in diem magis fit unus. Ecclesia debet satisfacere tum legitimis desideriis diversis tum desiderio cooperationis et unitatis.

Gubernium Ecclesiae collegiale, cum magno bono Ecclesiae, ita exerceri potest et debet ut vere satisfacere possit factis his novis et Ecclesia sic fiat vere catholica et mater omnium gentium. Haec, quae sequuntur, videntur esse necessaria:

1. Decreta omnia maioris momenti — tum in singulis dioecesibus et regionibus, tum in gubernio centrali — fieri non debent nisi adhibitis consiliis hominum vere peritorum, etiam laicorum.

2. Extensa decentralisatio, quae desideratur principio subsidiaritatis, necessaria est ut haberi possit adaptatio ad conditiones locales et regionales valde diversas. Haec decentralisatio praesertim erit in favorem regiminis synodalis vel regionalis, quandocumque agitur de rebus maioris momenti regionalis.

3. De rebus, quae totam Ecclesiam afficiunt, tractatio ordinarie fiat collegialis, non per solum Pontificem Romanum cum Curia propria. Talis tractatio collegialis melius concordare videtur tum factis biblicis et praxi originali, tum realitatibus naturalibus et exigentiis modernis, tum indigentiis oecumenicis. Sub nullo alio titulo reunio effici potest cum fratribus a nobis separatis vel menti maturiori moderniori satisfieri potest.

Ut historia Ecclesiae clare docet, Romani Pontifices laborant limitibus naturalibus quibus laborat omnis homo etiam optimus. Collegium episcoporum maiorem et intimiorem habet cognitionem de Ecclesia eiusque necessitudinibus, quae de loco in locum valde differunt. Romanus Pontifex pollet tamen summa auctoritate et ideo votum habet decisivum et, in casibus necessariis, solus agere omnino potest. Collegialis tractatio de rebus maioris momenti, quae totam Ecclesiam afficiunt, fieri potest vel per Concilium Oecumenicum, quod hodie facilius convenire potest, vel per Summum Pontificem cum concilio centrali quod vere cognoscit et repraesentat mentem episcoporum in mundo dispersorum, semper adhibitis consiliis hominum peritorum.

Nota: Dilemma ex quo quidam auctoritatem supremam collegii episcopalis refutare conati sunt, dirimi posse videtur ex distinctione inter *possessionem* et *exercitium,* et exercitium *validum* et *licitum* supremae potestatis. Secundum institutionem Christi tum collegium episcoporum tum eius caput, successor S. Petri, pollent summa in Ecclesia potestate. Ordinarie hanc potestatem exercere debent collegialiter, quia simul sumpti certiorem et intimiorem habent cognitionem de rebus, quae universam Ecclesiam afficiunt, et maiorem influxum. Sed cum Romanus Pontifex, secundum proprium suum iudicium pro bono Ecclesiae id necessarium vel valde utile iudicet, potest, ut caput collegii et pro collegio, solus agere. Cum solus agit, ne habeatur dubium iuris, valide agit, sed obiective illicite agit nisi cum bonum Ecclesiae vere id exigit. Sic, cum agitur de rebus, quae totam Ecclesiam afficiunt, congubernium collegiale est norma gubernii ordinaria, quam Christus instituit et quam etiam Romanus Pontifex observare debet. Praxis diversa, quae in Ecclesia occidentali, post schisma orientale, propter condiciones speciales sensim introducta fuit, quamquam valida, nec bene congruit factis biblicis et praxi originali nec exigentiis Ecclesiae hodiernis.

4. Quaestio est de potestate eiusque fundatione in collegialitate episcopali tum singulorum episcoporum residentialium tum synodorum vel conferentiarum regionalium.

Per consecrationem episcopi fiunt membra collegii et assumunt corresponsabilitatem pro bono totius Ecclesiae. Si pro tota Ecclesia, ergo etiam pro unaquaque eius parte, et praecipue pro partibus cum quibus intimius coniunguntur. Auctoritatem quam exercent, vel singuli episcopi in suis dioecesibus, vel plures episcopi simul sumpti pro regione, exercent nomine collegii eiusque capitis. Ab altera parte, eo quod nomine collegii vel eius capitis assumunt specialem responsabilitatem et auctoritatem pro aliqua determinata Ecclesiae parte, non minuitur eorum responsabilitas pro universa Ecclesia, quam cum omnibus membris collegii, simul cum et sub eius capite, habent et exercent.

5. Leges ecclesiasticae ne ferantur nisi necessariae. Munus Ecclesiae maxime consistit in excitando spiritum pietatis, caritatis aliarumque virtutum, et in stimulando et providendo opportunitates maioris progressus spiritualis. Secundum exemplum Christi potius appellet ad formas agendi excellentiores quam ad leges.

6. Pastores Ecclesiae deponant signa antiquata honoris, omnia quae sapiunt aulam regiam et cultum imperialem vel feudalem. Secundum exemplum laicorum optimorum huius temporis adhibeant modos simplices in vestibus et in agendo. In actibus, qui vere et directe ad cultum divinum pertinent, fortasse adhiberi poterunt vestes sacerdotales solemniores.

17

Exc.mus P. D. MESROB TERZIAN

Episcopus tit. Comanensis in Armenia

Propono ut secundum usum antiquum orientalem adque facilitandum dialogum oecumenicum cum fratribus seiunctis, electio episcoporum orientalium non subiiciatur confirmationi Romani Pontificis; ut Sancta Sedes agnoscat et confirmet praevie, semel pro semper, electiones episcoporum orientalium factas ab eorum synodis electivis.

Propono ut dioeceses divites adoptent dioeceses oeconomice pauperes, quae nequeunt evolvere suam actionem assistentiae religiosae et progredi in campo scholastico et caritativo.

Propono ut peculiaris cura animarum exerceatur, ab auctoritatibus ecclesiasticis localibus, pro orientalibus migrantibus, ut hae auctoritates provideant de eorum cura animarum per sacerdotes eiusdem ritus. Etenim ut loquar de armenis catholicis, qui adsunt permulti in diversis regionibus Americarum, Canadae, Australiae etc., armeni catholici in illis regionibus inveniunt communitates armenas orthodoxas bene ordinatas, atque cum non inveniant ecclesiam armenam catholicam, malunt frequentare ecclesias orthodoxas armenas, potiusquam ecclesias ritus latini aut alius ritus orientalis.

18

EXC.MUS P. D. WENCESLAUS WYCISK

Episcopus tit. Caesariensis in Numidia, aux. Gnesnensis

Ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus sequens temptamentum practicae solutionis quaestionis collegii episcoporum deputatorum proponere audeo.

Salvis collegii cardinalium iuribus, unaquaeque Conferentia episcoporum ac unusquisque Ritus e suo gremio unum pro duodenis (e. g. propter numerum collegii apostolorum) delegatum episcopum — non cardinalem — ad tres — aut plus — annos eligunt.

Episcopi deputati confirmatione Romani Pontificis indigentes quotannis ad res, a Sede Apostolica propositas atque a se allatas confirmandasque a Sancta Sede tractandas convocantur.

Collegium episcoporum deputatorum in prima sua sessione praesidentem atque secretariatum perpetuum a Summo Pontifice confirmandos eligit.

Quae propositio, si inopportuna aut nociva agnoscatur, ut comburatur, humillime quaeso.

19

UNIO ROMANA SUPERIORUM GENERALIUM

Pag. 25, cap. V, n. 37: *Ecclesiae religiosorum pro paroecialibus fungentes.* Textus huius numeri sic emendetur: « Si forte paroeciae propriam non habeant ecclesiam, neque aptus ac decens locus pro ecclesia paroeciali interim adhiberi queat, Ordinarius loci, *de consensu superioris generalis* et peculiari conventione ad tempus *definitum* cum superiore maiore legitime inita, statuere potest ut parochi ecclesiis religiosorum virorum, etiam exemptorum, utantur veluti si sint ecclesiae paroeciales, *salvis tamen legitimis necessitatibus spiritualibus communitatis religiosorum* ». *Ratio emendationum*:

a) Adduntur verba: *de consensu superioris generalis,* ut bene advertatur agi de re maioris momenti.

b) Additur verbum: *definitum,* quia, uti experientia demonstrat multis in casibus, istud « ad tempus » aliquando interpretatum est veluti significaret ad *tempus perpetuum.*

c) Adduntur verba: *salvis tamen legitimis necessitatibus,* etc. ... experientia enim infelix demonstrat quod, sine hac conditione, non solum ipsum templum adhibetur a parocho ad necessitates paroeciae, sed etiam quaedam aulae conventus, hortus, etc. pro ludis puerorum paroeciae, etc. ... et hoc quidem, non sine magno detrimento vitae religiosae, pacis et silentii, praesertim in domo novitiatus vel studiorum.

Appendix prior: « De episcoporum facultatibus ». Pag. 30, n. 10: facultatem, de qua in n. 10 appendicis, iam declaratum est pertinere episcopis residentialibus in Motu Proprio *Pastorale Munus* diei 30 novembris 1963, cuius textus sic sonat: « 39. Dimittendi e dioecesi, urgente gravissima causa, sodales singulos religiosos, si eorum Superior maior monitus prospicere neglexerit, re tamen ad Apostolicam Sedem statim delata ».

Unio Romana Superiorum Generalium eamdem facultatem proponere intendebat sed cum sequenti modificatione, scil.: « Dimittendi e dioecesi vel, *ubi Ordinis vel leges civiles obstent, ab omni actione externa arcendi* sodalem religiosum *urgente gravissima causa,* si eius Superior maior monitus prospicere neglexerit, re tamen ad Apostolicam Sedem statim delata ». *Ratio emendationis*:

a) In quibusdam casibus, agitur de religioso qui emisit votum *stabilitatis* pro tali determinato monasterio. Unde exsurgit problema dispensationis huius voti et transitus ad aliud monasterium in alia dioecesi situm, etc.

b) Aliquando, limites dioeceseos cum limitibus Nationis concordant, vel etiam non adest aliud monasterium Ordinis in eadem Natione. Unde conceditur ex consequentia Ordinario loci ius expellendi praedictum religiosum ex ipsa sua natione. At, interdum leges civiles nationis *a qua* tali expulsioni obstare possunt et etiam leges civiles nationis *ad quam.*

III
ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DE PASTORALI EPISCOPORUM MUNERE IN ECCLESIA

A - Ante tertiam Concilii periodum.

1
EM.MUS P. D. IOSEPH GARIBI Y RIVERA
Archiepiscopus Guadalajarensis

In omnibus adhaereo animadversionibus ab exc.mo ac rev.mo D. Dino Staffa factis, die 25 iulii 1964, ac proinde correctionem in praedictis schematibus suppliciter postulo.

Revera, si episcopus in ipsa consecratione iurisdictionem obtinet, investigare possumus supra quae subiecta et in quibus materiis; episcopus titularis nulla habet subiecta supra quae iurisdictionem exercere possit. Ex ipso iure prohibetur ullum actum iurisdictionis in sua dioecesi titulari ponere (can. 318). In Ecclesia universali nescimus quid facere possit praeter exercitium suae potestatis Ordinis.

Si iurisdictio, prout definitur a Ferraris, est « Facultas alicuius habentis publicam auctoritatem et eminentiam super alios, ad eorum regimen et gubernationem », non videtur quod episcopi mere titulares, talem auctoritatem et eminentiam habeant.

E contra, iurisdictio potest accipi absque consecratione episcopali, prout apparet in casu in quo aliquis non episcopus eligeretur in Romanum Pontificem, qui habuisset certe omnem iurisdictionem, quamquam sine charactere episcopali, et in consecratione nullam accepisset iurisdictionem. Habemus episcopum qui, praeconizatus, suae dioecesis possessionem capit et serius consecrationem accipit ipse, in possessione dioecesis suam potestatem exercere potest et nihil novum per consecrationem accipit.

Ex alio capite, prout luculenter in studio probatur, traditionalis Ecclesiae doctrina contrarium asserit: praxis Ecclesiae est contra talem assertionem.

Ideo peto correctionem schematis in sensu signato.

2
EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Difficultas oritur circa prooemium et cap. I propter emendationes a S. E. Aloisio M. Carli propositas. Quae emendationes, etiam de ipso titulo schematis, tanti momenti sunt ut, quantum fieri possit, Patribus Concilii ad modum textuum alternorum proponi debeant. Talis modus procedendi forsitan temperantiam discussionis in aula instituet eo fine ut ipsa suffragia definitiva facilius et celerius fiant.

3

EXC.MUS P. D. CAROLUS IOSEPH ALTER
Archiepiscopus Cincinnatensis

The latest revision of the Schema formerly entitled "Bishops and the Government of the Church" is, in my iudgment, very much improved over the earlier Schemata proposed by the Commission. I cordially approve the Prooemium of Introduction in respect to § 1 and § 2, in which it is clearly stated that the Bishops are true, authentic teachers of the Faith, high priests, and pastors. I approve "iuxta modum" § 3, namely, that part which states that Bishops participate in the general solicitude for the whole Church; also that a particular group of Bishops (e. g. National Conference of Bishops) may provide by joint action for the common necessities of the faithful of a nation or region, subject always to the authority and approval of the Supreme Pontiff. In respect to the amendments proposed by the Most Reverend Aloysius Carli, please see page 4 of this intervention.

Chapter I. 1. I approve "iuxta modum" the provision in Paragraph 4, i. e. subject to an amendment in re "plenam" and "et cum membris" proposed by Bishop Aloysius Carli—for elimination of these words. I accept the amendment. I propose, however, that titular Bishops be granted voting membership in all Ecumenical Councils. This provision should be incorporated into the revised C.I.C. I likewise approve the proposal that even outside of these general councils, Bishops may be called upon in cases of greater importance, if requested by the Supreme Pontiff, to offer advice and counsel for the welfare of the Church and the good of religion.

I am pleased with par. 5, which provides that some Bishops may, at the invitation of the Supreme Pontiff, be constituted as a central council or episcopal senate to assist in the government of the Church; however, only if such counsel is requested by the Supreme Pontiff, and always in complete subjection to him.

I approve the proposals in Paragraphs 6 and 7, that the goods of the churches of any one diocese may be used for the benefit of other dioceses and for the Church in general, subject however to the action and the necessities of each diocese as determined by the local Ordinary with the advice and consent of the diocesan consultors. Vide infra, page 2 " De usu bonorum ecclesiasticorum ".

2. I approve par. 8, 9, and 10, concerning the exercise of the ordinary, proper, and immediate power of Bishops as successors of the Apostles, in as far as necessary to fulfill their pastoral function; and that the faculty of dispensing from the general law of the Church in particular cases, as ordinarily granted by the Supreme Pontiff, shall be contained in the general law of the Church. The Reorganization of the Roman Curia, as proposed in Paragraph 9, also meets with my approval.

In par. 10, where it is stated that diocesan Bishops can be co-opted as members of the various dicasteria or offices of the Roman Curia, I find a difficulty. I do not see how it is possible for a diocesan Bishop to be a full time member of one of the offices of the Roman Curia, as long as he continues to exercise his pastoral office within his own diocese. Going back and forth from his own

diocese to Rome would impose too great a burden; moreover, if unable to attend meetings, his membership in the Roman Curia would be ineffective. If he were to be present, however, only for meetings of great moment, then the difficulty would be obviated.

3. " *De usu bonorum ecclesiasticorum* ". Vide § 6, p. 8, ll. 12-16, of Chapter I. Vide § 26, p. 17, ll. 17-21, of Chapter II.

It seems to me that a distinction must be made between the alms or contributions which are made by the faithful for the specific needs of a parish or institution in contrast to the alms or contributions which are made for the general good of the diocese or for the good of the Church in general. Such gifts as are specifically made for a parish or institution should be used for that purpose only. If however the gifts are made as part of the general contributions collected in the course of divine services, then a reasonable part of these gifts (not to exceed ten percent) may, at the direction of the Ordinary of the diocese and with the consent of the diocesan consultors, be used for the general or specific needs of the diocese and for those of other particular churches or for the Church universal. More definite or specific determination of the use of ecclesiastical goods may well be left to the action of the National Episcopal Conferences and the new Code of Canon Law.

Chapter II. I find nothing in Chapter II on which to offer any observation, except as far as Paragraph 19 is concerned. Here it seems to me that it would be desirable, in the event of resignation of a diocesan Bishop, that provision for his proper sustenance should be made antecedently to such resignation, rather than subsequently. Furthermore, I recommend that the nature of this compensation and its amount be determined by the Bishops of each ecclesiastical province, in consort with the Metropolitan. Such provision would be much more in accordance with the circumstances and resources of each particular ecclesiastical area in the Church.

In par. 22 of this same Chapter, I recommend that no division of an ecclesiastical province or diocese be undertaken without consultation with the Metropolitan, who, by the nature of the case, will be best informed as to the practical necessities and the advantages which might be gained by dividing or by combining dioceses.

In par. 23 and 24, p. 15, I approve the proposals concerning coadjutor and auxiliary Bishops. I am particularly pleased with the arrangement that an auxiliary Bishop should be given a new canonical status and function as a Vicarius Episcopalis; and that a coadjutor Bishop shall always have the power and authority of a Vicar General in the diocese.

In Chapter II, § 25, p. 16, I approve the insertion of note 17 as found on p. 28 immediately after the first comma of this decree § 25, which defines the relationship between the Vicar General and the Vicar Episcopalis.

In par. 26, p. 17, I would recommend that a more precise and definite provision be made for the use of ecclesiastical goods of a diocese, for the common good of the diocese. I would propose that the episcopal Ordinary of each diocese be empowered to impose assessments on the individual parishes, provided that he has the deliberate vote of the diocesan consultors. The amount, and the manner and method of obtaining subsidies to be made by the parishes and faithful,

should be left to the decision of the Ordinary and his Council. This latter recommendation could be incorporated perhaps more properly in the new revision of Canon Law. See p. 2 of this intervention.

The rest of the Chapter, especially those portions concerning the appointments of pastors to parishes, as well as the provisions for the assistance of the Religious priests of the diocese in the various works of the apostolate, are of great value to the Church, and I cordially approve them. I judge that the provisions for the appointment or removal or transfer of parish priests, together with the proposed decrees concerning the establishment or suppression of parishes, will greatly facilitate the administration of the individual diocese and provide for the good of religion and the welfare of souls.

In Chapter II, 4) decree § 31, I approve the propositions " iuxta modum ", and recommend that an additional paragraph or decree be added, in which it will be declared that appointments of Religious superiors of all major institutes in any diocese which engage in apostolic work will be first notified to the Ordinary of the diocese to obtain his " nihil obstat " before publication; or at least that the Ordinary be given the opportunity to voice any objection if he has any; and to state his reasons.

Chapter III. All the recommendations of this Chapter meet with my approval. I particularly wish to emphasize my adherence to the provisions contained in par. 35, nos. 3 and 4. I consider these provisions as necessary in order that the episcopal conferences should be effective in their work.

In re Amendments of Bishop Aloysius Carli. With regard to the amendments proposed by Bishop Aloysius Carli, I find that all of them except § 3, in line 22, p. 5, of the Prooemium, and § 3, line 25, of p. 5, are clarifications, and hence I approve them. The arguments however in favor of changing substantially the original text in the two lines above mentioned are not convincing, in my judgment. I do not see how anyone can exercise the essential functions of a Bishop (even though he may have power of jurisdiction) unless he has received sacramental consecration. Vicars or Prefects Apostolic can exercise jurisdiction by delegation of the Supreme Pontiff, but unless consecrated, they are not Bishops. In the text it is the function of Bishops which is under discussion, and no one is a Bishop " stricto sensu " unless he has received sacramental consecration. A Prefect Apostolic, even though he exercise " quasi episcopal " jurisdiction, does not belong to the " Corpus Episcoporum ", and does not have a part in the solicitude for all churches.

Moreover, I do not think that the text intends to determine a theological question, which obviously belongs to its own proper Conciliar Commission, but intends rather to indicate that all Bishops, validly consecrated and in communion with the Supreme Pontiff as Vicar of Christ, do have a part in the solicitude for the whole Church.

The theological question in dispute might be obviated if the text were amended so as to read: " Episcopi omnes qui consecrationem sacramentalem susceperunt et qui in communione et sub auctoritate Summi Pontificis munus suum collegialiter exercent, sollicitudinis omnium Ecclesiarum sunt participes, et uniti in Corpore episcoporum munere quoad universam Dei Ecclesiam, cum Petro et sub Petro, funguntur ».

I gladly approve the recommendations of par. 42, under III, namely, that the revision of the Code of Canon Law take into consideration the decrees proposed here in this particular Schema.

* * *

Your Eminence: Some days ago I forwarded to Your Eminence my observations concerning the proposed new Schema of our Commission. In that intervention I recommended a new wording for article 3, on page 5.

On reconsideration, I now propose the following substitute for article 3, on page 5, lines 21-24 inclusive. " Episcopi omnes qui sacramentalem consecrationem susceperunt et qui cum Petri Successore communione fruantur, participes sunt sollicitudinis omnium ecclesiarum, invicemque uniti cum Petro et sub Petro corpus episcoporum constituunt et munus pastorale collegialiter exercent quoad universam Dei Ecclesiam ".

Trusting that this new emendation may receive consideration at the meeting of the plenary commission in September, I am, with cordial greetings and in union of prayer.

4

REV.MUS P. D. IOSEPH BUCKLEY

Praepositus generalis Soc. Mariae

Liceat mihi, membro Oecumenici Concilii necnon per decem et septem annos theologiae professori, hanc quae sequitur animadversionem tibi ceterisque membris commissionis « de episcopis et de dioecesium regimine » exhibere.

Mea animadversio pertinet ad cap. II, n. 12, pag. 10, linn. 18-21, schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.* Haec pericope, n. 10, agit de supernaturali ultimo hominis fine, « ... *finem supernaturalem...* ». Loquitur de supernaturali ultimo hominis fine in ordine humano psychologico, non autem in ordine ontologico, quia haec verba refert: « ... *finem supernaturalem quem... persequi debent* ».

Nunc autem in ordine humano psychologico, ordini ontologico opposito, hominis salus non subordinatur Dei glorificationi sed tantum Deo in se. Homo enim non quaerit propriam salutem aeternam propter gloriam Dei, sed primo ac fundamentaliter quaerit Deum quia Deus est obiective bonus et appetibilis. Quivis homo vult suam salutem aeternam quia haec nil aliud est quam adeptio Dei, in se boni ac appetibilis. Postea, tamquam consequentia, homo, quia amat Deum, vult etiam Dei glorificationem. Homo igitur animadvertit quod in ordine ontologico propria aeterna salus subordinatur Dei glorificationi, sed in ordine psychologico homo non quaerit suam salutem potissimum propter Dei gloriam.

Unde schematis textus minus rectus videtur cum dicit: « ... finem supernaturalem quem, in universa vitae ratione, persequi debent, nempe glorificationem Dei atque *eo ipso* salutem suam aeternam ». Textus qui sequitur accuratior mihi videtur eumque propono: « ... finem supernaturalem... nempe *Deum visione beatifica attingendum* atque eo ipso salutem suam aeternam ».

5

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

Iudicium generale. Schema placet, exceptis quibusdam locis in prooemio et in cap. I, prout sequitur:

Titulus schematis sic proponitur emendandus: « De episcopalium munerum exercitio ». Rationes emendationis: *a*) de natura, origine et finibus trium munerum iam agit schema *de Ecclesia*; nostrum ergo schema agere debet de « exercitio » eorumdem; *b*) cum in n. 16 munus « pastorale » proponatur tamquam pars quaedam officii episcopalis, titulus actualis videretur restringi ad hanc tantum partem.

N. 2, § 1. Loco verborum « ... super omnes Ecclesias ordinariae etc. » melius, cum Vat. I (*DB* 1827), dicendum videtur: « ... *super cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singulos quam simul omnes,* ordinariae potestatis etc. ». Ratio: magis logice relatio ponitur inter personam Romani Pontificis et *personas* (potius quam: ecclesias) pastorum et fidelium.

N. 3, § 1. Omittantur verba « quod per consecrationem episcopalem susceperunt » quia: *a*) absque necessitate, saltem in hoc schemate, et quin afferantur debita documenta, quaestionem theologicam adhuc legitime disputabilem resolvere praesumunt; *b*) sine debitis distinctionibus (v. g. inter potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis; in actu, aut in radice seu dispositive tantum, etc.) illa verba, generaliori modo prolata, non essent undequaque vera; *c*) sequeretur quod, ante consecrationem episcopalem, Pontifex non haberet potestatem iurisdictionis plenam, et quidem iure divino.

N. 3, § 2. Loco verborum « Illud *quoque* exercent... » melius videtur dicendum: « Illud *praesertim* exercent... ». Ratio: ne inferatur ex « perspectiva » istius n. 3 et ex subsequentis materiae dispositione, episcopos singulos (de quibus hic explicitus fit sermo) prius et per se consecrari ad bonum universalis Ecclesiae, et nonnisi per consequens et quasi per accidens ad bonum suae dioecesis. Quod repugnare videtur historiae episcopatus monarchici, iam inde a temporibus S. Ignatii Mart., necnon praxi ecclesiasticae viginti saeculorum, iuxta quam actuositas corporis episcopalis in bonum universae Ecclesiae fuit admodum rara et fere occasionalis. Ceterum, vel antiquissimae formulae consecrationis episcopalis silere videntur de hac re.

N. 3, § 3. Loco verborum « ... pressius determinare intendens pastorale episcoporum munus », dicatur: « pressius determinare intendens *episcopalium munerum exercitium* ». Ratio: iam allata est superius.

Titulus et subtitulus cap. I melius sic videntur emendandi: « De episcopis *quoad* universam Ecclesiam » et « Partes quas habent episcopi *in bonum* universae Ecclesiae ».

N. 4, § 1. Loco verborum « Supremam ac plenam potestatem... » dicatur: « Supremam *ac universalem* potestatem... ». Ratio: si agitur de rebus fidei et morum, potestas Concilii superflue diceretur « plena », cum infallibilitas nequeat suscipere magis et minus. Si vero agitur de rebus disciplinaribus, cum ex una parte potestas iurisdictionis natura sua suscipiat magis et minus, et ex altera constet ex Vat. I (*DB* 1813) Romanum Pontificem personaliter habere totam

plenitudinem supremae potestatis iurisdictionis, dubitari et disputari licitum adhuc videtur an potestas iurisdictionalis Concilii « plena » dici possit — sine addita explicatione — eodem modo eademque ratione qua in n. 2 schematis dicitur « plena » potestas iurisdictionalis Romani Pontificis.

Post verba « una cum Capite suo Romano Pontifice », addatur: « *atque sub eiusdem auctoritate* » (prout legebatur in priore redactione schematis). Ratio: ideae unionis (« una cum ») addenda videtur et idea « hierarchicae subordinationis » (cf. Vat. I, *DB* 1827).

Loco verborum « ... aut saltem confirmante Summo Pontifice congregantur », dicatur: « ... aut saltem confirmante Summo Pontifice *iudicant et decernunt* ». Ratio: iuxta litteram actualis textus videretur requiri convocatio aut saltem confirmatio Romani Pontificis pro actu « se congregandi », potius quam pro actu « iudicandi » (in rebus fidei et morum) vel « decernendi » (in rebus disciplinaribus): qui actus iudicandi vel decernendi, e contra, est unicus constitutivus Concilii Oecumenici.

N. 4, § 2. Tota paragraphus « Quare episcopi... partes habent in ipso Concilio » videtur supprimenda. Rationes: *a*) Non apparet nexus logicus (« Quare ») cum praecedenti paragrapho; *b*) hic resolvitur, nullis assignatis theologicis rationibus, quaestio essentialiter theologica, quam ne schema quidem de Ecclesia directe proponit. Concilium Trid. et Vat. I noluerunt hanc quaestionem resolvere; habenturne hodie elementa *certa* ad eam solvendam? Ad summum, posset Vaticanum II, intacta manente quaestione speculativa, dare dispositionem ordinis practici, v. g. statuendo ut ad Concilium Oecumenicum omnes episcopi vocentur, etiam titulares. *c*) Quaestio haec speculativa difficultatibus historicis et theologicis scatet, inter quas: habentne *omnes et singuli* episcopi, etiam titulares, ius divinum (dicitur enim: vi consecrationis), ad participandum (et quidem cum voto deliberativo) Concilio Oecumenico, quod, iuxta communem doctrinam, est actus iuris ecclesiastici et pro quo, consentientibus omnibus, sufficit universitas, moraliter sumpta, episcopatus? Hucusque fuissentne titulares fraudati iure divino sibi competente? Pontifex *nondum consecratus* haberetne potestatem convocandi et praesidendi Concilio Oecumenico? *d*) Legitur in textu « vi consecrationis et si in communione sunt... ». Duo indicantur elementa: atqui, theologis quibusdam optimae notae videtur unum tantum esse elementum formale, scil. communionem cum Romano Pontifice: consecrationem, e contra, non esse nisi conditionem praerequisitam ad hoc ut quis pertineat ad corpus episcopale (quod non est idem ac partem habere in Concilio Oecumenico).

Deinde illa locutio « ... *et cum membris* », aliquid novum atque minime necessarium introducere videtur. Quaeri enim potest: « cum *quot* membris? Cum omnibus, an cum pluribus? ». Et ut unum afferamus exemplum: S. Athanasius, qui fere ab omnibus episcopis orientalibus impugnabatur, at cum Romano Pontifice communionem habebat, pertinebatne ad corpus episcopale? habebatne ius Conciliis participandi?

Qui communionem habet cum Romano Pontifice, virtualem communionem habet cum corpore episcopali et cum tota Ecclesia. Et hoc sufficere videtur, aiente Vaticano I: « ita ut, custodia cum Romano Pontifice tam communionis quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore » (*DB* 1827).

N. 5. Loco verborum: « ... modis tamen et rationibus opportune statuendis »

legendum proponitur: « modis tamen et rationibus *ab ipso* statuendis ». Ita ut clare sciatur a quo modi et rationes statuendi erunt.

N. 6, § 1. Loco verborum « atque omnium Ecclesiarum sollicitos sese exhibeant » legendum proponitur: « atque omnium Ecclesiarum sollicitudinis, *quae Petri successoribus principaliter incumbit, participes* sese exhibeant... ». Ratio emendationis: littera et spiritus documentorum pontificalium (inter quae recensenda iuvat etiam Bulla *Inscrutabili* 22-6-1622 Gregorii XV) exigit ut in episcopis, collective sumptis, affirmetur *participatio* in sollicitudine quae pontificios humeros aggravat.

N. 8, § 1. Tota paragraphus sic emendanda proponitur: « Episcopis, *utpote* apostolorum successoribus, in dioecesibus ipsis commissis per se *ea* competit potestas ordinaria, propria ac immediata, quam *eorum munera* expostulant. *Ad huius vero episcopalis potestatis exercitium expeditius reddendum, exoptatur ut,* firma semper in omnibus potestate quam, vi muneris sui, Romanus Pontifex habet sibi vel alii auctoritati causas reservandi, *reducatur numerus reservationum lege positiva vigentium.* Insuper singulis episcopis *dioecesanis* facultas *fiat* a lege generali Ecclesiae etc. ». Rationes emendationum et additamentorum: *a*) Potestas episcopalis commensuratur muneribus ipsis, non autem, prout dicitur in textu, exercitio munerum. *b*) Ne erronee putetur episcopum *omnia* per se posse, *nisi* aliquam inveniat reservationem pontificiam, proponitur legendum: « *ea* competit potestas quam... ». *c*) Mentio reservationis pontificiae ponitur in secunda propositione, non in prima, ne intelligatur Primatus ad instar cuiusdam impeditivi aut limitativi potestatis episcopalis. Sunt enim quaedam negotia quae *natura sua* (cf. can. 220) spectant ad Romanum Pontificem, quaeque proinde non possunt non esse reservata; unde potestas episcopalis, iam in sua origine, est limitata « neque plena, neque summa, neque universalis est » (cf. *Satis cognitum* Leonis XIII).

Sunt e contra reservationes quaedam quae *exercitium* potestatis episcopalis respiciunt, quaeque inducuntur « positiva lege » (cf. can. 220), ob bonum commune Ecclesiae, et proinde iuxta temporum locorumve diversitatem possunt a Summo Pontifice relaxari. *d*) Iamvero videtur melius ut de imminutione reservationum Concilium *votum* proponat; itemque de facultate dispensandi super legem generalem Ecclesiae. Haec facultas petenda est pro solis *dioecesanis* episcopis, prouti patet (in textu actuali, videretur pro *omnibus*).

6

EXC.MUS P. D. DINUS STAFFA

Archiepiscopus tit. Caesariensis in Palaestina

Il nuovo schema *de Ecclesia,* a pag. 62, in fine, dice: « Episcopalis consecratio... munera quoque confert docendi et regendi, quae tamen natura sua nonnisi in communione cum collegii Capite et membris exerceri possunt »; a pag. 64, riga 4 e ss., lo stesso schema dice: « Ordo autem episcoporum... subiectum quoque supremae ac plenae potestatis in universam Ecclesiam existit. In ipso, episcopi... propria potestate in bonum fidelium suorum, immo totius Ecclesiae funguntur. Suprema in universam Ecclesiam potestas, qua istud collegium pollet (e cioè propria), sollemni modo in Concilio Oecumenico exercetur ».

Il nuovo schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* a pag. 5,

riga 21 ss., dice: « Hoc suum episcopale munus (docendi et pascendi omnes gentes) quod per consecrationem episcopalem susceperunt, episcopi, sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes, in communione et sub auctoritate Summi Pontificis exercent omnes uniti in collegio seu corpore quoad universam Dei Ecclesiam »; e a pag. 7, riga 1 ss.: « Supremam ac plenam potestatem, qua episcopi coniuncti, corpus seu collegium episcopale constituentes una cum Capite suo Romano Pontifice, in Ecclesiam pollent, collegialiter exercent in Concilio Oecumenico, in quo convocante aut saltem confirmante Summo Pontifice congregantur. Quare episcopi, vi consecrationis et si in communione sunt cum collegii Capite et membris, partem habent in ipso Concilio ».

Perché tali proposizioni potessero venire accolte in una Costituzione Conciliare, la dottrina in essa contenuta dovrebbe essere pienamente certa; non mi sembra invece che questa certezza sia stata raggiunta; anzi, secondo la mia sommessa, ma profonda convinzione, queste proposizioni sono in contrasto con la dottrina più comune dei Santi Padri, dei Romani Pontefici, dei Concili Provinciali, dei Santi Dottori della Chiesa Universale, dei teologi, dei canonisti e con le norme secolari della disciplina ecclesiastica. Tale dottrina insegna che la giurisdizione dei Vescovi deriva ad essi immediatamente dal Romano Pontefice e quindi non immediatamente da Cristo, per mezzo della consacrazione episcopale.[1]

La dottrina dei SS. Padri e degli antichi scrittori ecclesiastici. Risulta dall'Evangelo (*Mt.* 16, 19) che Cristo non ha lasciato le chiavi, cioè le insegne dell'autorità suprema,[2] direttamente alla Chiesa, ma a Pietro: « A te darò le chiavi del regno dei cieli ».

Tertulliano (a. 211-213) perciò rileva: « Il Signore ha lasciato le chiavi a Pietro, e per mezzo di lui, alla sua Chiesa ».[3]

L'ignoto *Autore* del Trattato *De Aleatoribus,* probabilmente un vescovo africano, afferma, poco dopo il 250, che la potestà episcopale discende dall'Apostolo Pietro.[4]

---

[1] Non posso credere, anche se la notizia proviene da fonte autorevole, che, per non pregiudicare la questione relativa all'origine immediata dell'autorità episcopale, i Redattori degli Schemi hanno usato le parole: « munus, munera », invece di: « ius, iura, potestas ».

Ogni dizionario latino ripete infatti il triplice significato che secondo Paolo (D. 50, 16, 18) « munus » può avere, e cioè: « donum, onus, officium ». Tolto, per ragioni evidenti, il primo senso, restano « onus » e « officium », e tutti sanno che a questi corrisponde un « ius », cioè una « potestas moralis inviolabilis ». Per la presente questione possiamo ancora ricorrere alla « Satis cognitum » di Leone XIII: « Tantum vero explere munus qui possit sine potestate iubendi, vetandi, iudicandi, quae vere proprieque iurisdictio dicitur? » (*A.S.S.,* 28 [1895-96], p. 726). Di più: mentre un diritto può anche esercitarsi o non esercitarsi, un dovere promana direttamente da Dio, nessuna autorità umana, anche suprema, può esimerne chi ne è soggetto.

[2] Cf. e.gr. ORIGENES, in *Mt.* (MIGNE, *PG* 13, 1180). « Quid enim Dei Filius spectavit, cum claves regni caelorum uni pollicitus est Petro? Summum fastigium potestatis nomine clavium eo loco designari, usus biblicus et Patrum consentientes sententiae dubitari non sinunt » (LEO XIII, Encicl. *Satis cognitum* del 29 giugno 1896 - *Fontes C. I. C.,* III, 491).

[3] « Memento ... Claves eius hic Dominum Petro et per eum ecclesiae reliquisse » (TERTULLIANUS, *Scorpiace,* X, 8 - *Corpus Christianorum,* II, p. 1088). Ometto i testi di S. Cipriano che pur vengono comunemente citati per la sentenza che difendo, sia perché altri passi di lui sono per lo meno oscuri e controversi, sia perché i suoi scritti, dal punto di vista dottrinale, non sono sempre sicuri (cf. *Seminarium,* 4 [1964], p. 64).

[4] « Quoniam in nobis divina et paterna pietas apostolatus ducatum contulit et vicariam Domini sedem caelesti dignatione ordinavit, et originem authentici apostolatus, super quem

A metà del sec. IV, *S. Ottato di Milevi* propone ancora più chiaramente la stessa dottrina: « il solo beato Pietro... ricevette le chiavi del regno dei cieli, da comunicare agli altri ».[5]

L'*Autore* sconosciuto delle *Quaestiones Veteris et Novi Testamenti,* scritte a Roma fra il 370 e il 375,[6] nel commento all'episodio della didramma, osserva: « Il Salvatore, ordinando di dare (la didramma) per sé e per Pietro, sembra avere pagato per tutti (gli Apostoli) perché, come nel Salvatore erano tutti a motivo del Magistero, così anche, dopo il Salvatore, in Pietro sono compresi tutti (gli Apostoli) ».[7]

S. Gregorio Nisseno, intorno allo stesso tempo, scriveva: « Per mezzo di Pietro (Cristo) diede ai Vescovi la chiave degli onori celesti ».[8]

Didimo Alessandrino, maestro di S. Gerolamo, asseriva, fra il 380 e il 392: « Inoltre (Pietro) ricevette la potestà, o meglio anche tutti la ricevettero per mezzo di lui, di non respingere i caduti, ma di accoglierli, se rinsaviscano ».[9]

S. Ambrogio scrisse nel 381, in nome del Concilio di Aquileia, agl'Imperatori Graziano, Valentiniano e Teodosio, che « da essa (Chiesa Romana) provengono a tutti i diritti della venerabile comunione »[10] e, fra i diritti della venerabile comunione ecclesiastica, è anche l'autorità episcopale.

S. Agostino ripete nel 397: « deriva dalla stessa sede di Pietro Apostolo... fino al presente la successione dell'episcopato ».[11]

Christus fundavit ecclesiam in superiore nostro portamus, accepta simul potestate solvendi ac ligandi et curatione peccata dimittendi » (*Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum,* III, p. 93).

[5] « Beatus Petrus ... claves regni caelorum communicandas ceteris solus accepit » (OPTATUS MILEVITANUS, *De schismate donatistarum,* I, 7, c. 3 - *Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum,* vol. XXVI, p. 171).

Intorno alla stessa epoca S. Efrem Siro nella sua lingua cantava: « tu es caput fontis doctrinae meae ... per te omnes gentes potabo » (*De Salvatoris nostri passione et resurrectione, Serm.* 4, n. 1, ed. Lamy, 1, 412), indicando così, in Pietro, il principio del magistero e quindi della giurisdizione.

[6] Cf. P. BATTIFOL, *Cathedra Petri,* p. 185.

[7] « Salvator, cum pro se et Petro (didrachmam) dari iubet, pro omnibus (Apostolis) solvisse videtur, quia, sicuti in Salvatore erant omnes causa magisterii, ita et post Salvatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, ut pastor esset gregis dominici » (PSEUDO-AUGUSTINUS, *Quaestiones,* LXXIX, 3, ed. Souler, p. 135, presso P. BATTIFOL, *o. c.,* p. 186), e ancora: « Nam et ordinem ab apostolo Petro coeptum et usque ad hoc tempus per traducem succedentium episcoporum servatum perturbant, ordinem sibi sine origine vindicantes, hoc est corpus sine capite profitentes » (MIGNE, *PL* 17, 332).

[8] « Per Petrum (Christus) episcopis dedit clavem coelestium honorum » (De Castigatione: MIGNE, *PG* 46, 311).

[9] « At non erat sane Petrus, illius respectu qui eum genuerat, heterousius, hoc est alterius ab eo substantiae. Potestatem praeterea accepit, aut potius omnes etiam per eum acceperunt, non reiiciendi lapsos, sed recipiendi eos, si resipiscant; cum nemo sit peccati expers, nisi is, qui hanc Petro concessit auctoritatem; id enim significat illud: « Quodcumque solveritis super terram, erit solutum in caelis » (MIGNE, *PG* 39, 418-419).

[10] « Totius orbis Romani caput Romanam ecclesiam, atque illam sacrosanctam apostolorum fidem, ne turbari sineret obsecranda fuit clementia vestra: inde enim in omnes venerandae communionis iura dimanant » (S. AMBROSIUS, ep. 11; MIGNE, *PL* 16, 946).

[11] « Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli ... usque ad praesentem episcopatus successio sacerdotum » (S. AUGUSTINUS, *Contra epistolam fundamenti,* 4; MIGNE, *PL* 42, 175). E ancora: « Dicit (Christus) Petro, in quo uno format Ecclesiam: Petre, amas me? » (MIGNE, *PL* 38, 755).

Il Papa *S. Siricio,* il 6 gennaio 386, scrive al Concilio dei Vescovi d'Africa una lettera che comincia così: « Essendoci riuniti in moltissimi fratelli davanti alle reliquie del Santo Apostolo Pietro, per mezzo del quale ebbe origine sia l'apostolato che l'episcopato... ».[12]

S. Innocenzo I, in una lettera del 15 febbraio 404, usa l'espressione sopra riferita di San Siricio,[13] e scrivendo il 27 gennaio 417 ai Vescovi del Concilio di Cartagine, dichiara la volontà di seguire l'esempio di S. Pietro, dal quale emerse lo stesso episcopato e tutta l'autorità di questo nome e afferma che dall'autorità della Sede Apostolica le altre Chiese assumono la propria, come acque che tutte sgorghino dalla loro fonte sorgiva e onde che emanino, incorrotte, dal capo puro, per tutte le regioni del mondo, cioè che è da comandare.[14] In altra lettera al Concilio di Milevi, dello stesso anno, S. Innocenzo I ripete la stessa dottrina, ammonendo che S. Pietro è per ogni Vescovo autore del suo nome e del suo episcopato.[15]

S. Bonifacio I, scrivendo l'11 marzo 422 ai Vescovi della Tessaglia,[16] e *S. Sisto III* nella lettera del 17 settembre 433 a S. Cirillo Alessandrino,[17] rinnovano l'insegnamento di S. Siricio.

---

[12] « Cum in unum plurimi fratres, convenissemus ad sancti apostoli Petri reliquias, per quem et apostolatus et episcopatus sumpsit exordium ... » (MIGNE, *PL* 13, 1155; I. D. MANSI, *Conciliorum amplissima collectio,* 3, 669). Queste parole, come appare dall'uso che ne fu fatto, non significano soltanto che S. Pietro fu primo in ordine di tempo, di onore e di autorità, ma che da lui l'apostolato e l'episcopato hanno origine come dalla loro fonte; per questo il passato remoto del « sumpsit » diviene presente in documenti successivi e il testo, che enuncia un principio dottrinale della massima importanza, fu poi inserito, come una formula abituale, nelle Lettere dei Sommi Pontefici (cf. M. MACCARRONE, *La dottrina del Primato Papale dal IV all'VIII secolo,* Spoleto 1960, p. 61).

[13] A Vittricio, Vescovo di Rouen: « Incipiam igitur, adiuvante sancto apostolo Petro, per quem et apostolatus et episcopatus in Christo coepit exordium » (MANSI, *o. c.,* 3, 1033).

[14] « ... ad Nostrum referendum adprobastis esse iudicium, scientes, quid Apostolicae Sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis huius emersit. Quem sequentes tam mala iam damnare novimus quam probare laudanda, velut id vero, quod Patrum instituta sacerdotali custodientes officio non censetis esse calcanda, quod illi non humana sed divina decrevere sententia, ut quidquid quamvis de disiunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad huius Sedis notitiam perveniret, ut tota huius auctoritate, iusta quae fuerit pronuntiatio, firmaretur, indeque sumerent ceterae Ecclesiae, velut de natali suo fonte aquae cunctae procederent et per diversas totius mundi regiones puri (latices) capitis incorruptae manarent, quid praecipere, quos abluere, quos velut in caeno inemundabili sordidatos mundis digna corporibus unda vitaret » (MIGNE, *PL* 20, 582; DENZ.-SCHÖN., *Enchiridion,* n. 217).

[15] « Quid id etiam actione firmastis nisi scientes, quod per omnes provincias de apostolico fonte petentibus responsa semper emanent? Praesertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est sui nominis et honoris auctorem referre debere, velut nunc rettulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse » (MIGNE, *PL* 20, 290). Honor significa la dignità vescovile: cf. e.gr. M. MACCARRONE, *o. c.,* p. 62.

[16] « Institutio universalis nascentis Ecclesiae de beati Petri sumpsit honore principium, in quo regimen eius et summa consistit. Ex eius enim ecclesiastica disciplina per omnes Ecclesias, religionis iam crescente cultura, fonte manavit » (MIGNE, *PL* 20, 777; DENZ.-SCHÖN., *Enchiridion,* n. 233).

[17] « Habuerunt coepiscopi nostri illum (Petrum) congratulationis testem, quem habemus honoris exordium » (MIGNE, *PL* 50, 602). Quanto la dottrina che attribuisce a Pietro, come a suo principio, l'autorità episcopale, fosse penetrata nella Chiesa, tanto in Occidente quanto in Oriente, si può anche arguire dalla lettera dell'Imperatore Onorio a Teodosio II: « Illius urbis ecclesia speciali nobis cultu veneranda est, ex qua Romanum principatum accepimus et principium sacerdotium? » (MIGNE, *PL* 20, 770).

S. Leone M. nel quarto anniversario della propria consacrazione, il 29 settembre 444, dice ai Vescovi convenuti che la sua festa era in realtà anche la loro festa, perché uno solo è il « pontificii sacramentum », il quale è come l'unguento che, effuso in copia sul corpo, discende, sia pure in minor misura, ad altre parti inferiori. Il capo è San Pietro, il quale solo ha ricevuto l'autorità in tale misura, che niente di essa è passata ad alcuno senza la di lui partecipazione. La degnazione divina ha concesso a questo uomo l'associazione alla sua potenza; e se ha voluto che altri capi avessero qualche cosa di comune con lui, non diede mai se non per mezzo suo ciò che concesse a questi altri.[18]

In seguito, scrivendo ai Vescovi, riassume la dottrina di S. Innocenzo I che è pure la sua, dicendo che il sacramento di questo ufficio (episcopale) volle il Signore che fosse proprio del mandato di tutti gli apostoli, in modo tale che lo collocò principalmente nel beatissimo Pietro, sommo di tutti gli apostoli, e da lui, come dal capo, vuole che i suoi doni discendano in tutto il corpo.[19]

Un testo di *Ignoto,* che risale intorno al 467, riproduce gli stessi concetti: « Egli (Pietro), a cui furono date da Cristo le chiavi del regno dei cieli, a cui fu concesso da Dio il potere di legare e di sciogliere, ricevette questo grande privilegio in modo speciale nella sua persona, ma per trasmetterlo in generale colla sua potenza nella chiesa di Dio ».[20]

S. Felice III scrive nel 485 del Patriarca Costantinopolitano, all'Imperatore Zenone, che la dignità di quello è da attribuirsi, come a fonte, alla Sede del Beato Pietro, non solo, ma che da lui, secondo il disegno di Cristo, profluisce la grazia di cui ridondano tutti i Vescovi.[21]

S. Cesario di Arles scrive nel 499 al Papa S. Simmaco, dando come principio

---

[18] « ... unum celebretur in toto Ecclesiae corpore pontificii sacramentum, quod, effuso benedictionis unguento, copiosus quidem in superiora profluxit, sed non parce etiam in inferiora descendit ... hunc diem in illius potissimum veneratione celebrare, qui ab ipso omnium charismatum fonte tam copiosis est irrigationibus inundatus, ut cum multa solus acceperit, nihil in quemquam sine ipsius participatione transierit ... Magnum et mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentiae suae tribuit divina dignatio; et si quid cum eo commune ceteris voluit esse principibus, numquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit » (MIGNE, *PL* 54, 149-150). In nessuno può sorgere il dubbio se qui si tratti di potere di ordine o di giurisdizione, perché è certo che il primo discende immediatamente da Cristo.

[19] « Divinae cultum religionis, quem in omnes gentes omnesque nationes Dei voluit gratia coruscare, ita Dominus noster Iesus Christus humani generis Salvator instituit, ut veritas, quae antea legis et prophetarum praeconio continebatur, per apostolicam tubam in salutem universitatis exiret, sicut scriptum est: In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum (*Ps. XVIII, 5*). Sed huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro apostolorum omnium summo, principaliter collocarit; et ab ipso quasi quodam capite, dona sua velit in corpus omne manare, ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere » (MIGNE, *PL* 54, 628-629). Così pure ai Vescovi di Sicilia: « Quam culpam nullo modo potuissetis incidere, si unde consecrationem honoris accipitis, inde legem totius observantiae sumeretis: et beati Petri apostoli sedes, quae vobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset ecclesiasticae magistra rationis » (MIGNE, *PL* 54, 696). La dignitas sacerdotalis, secondo il linguaggio del tempo, è la dignità episcopale.

[20] Testo edito da G. MORIN *in Révue Bénédictine* (13) 1896, p. 343: « Ille (sc. Petrus) enim, cui a Christo claves datae sunt regni caelorum, cui ligandi solvendique potestas a Deo commissa fuit, tam magnum privilegium specialiter in sua persona suscepit, ut tamen hoc generaliter in Dei ecclesia sua virtute transmitteret ».

[21] *Bullarium Romanum,* Taurinensis editio, *Appendix,* tom. I, p. 252; MIGNE, *PL* 58, 969.

indiscusso che da Pietro ha avuto inizio l'episcopato, e che pertanto dal Romano Pontefice doveva essere disposta la disciplina di tutte le Chiese.[22] Ciò l'Imperatore *Giustiniano* riconobbe legittimo, chiamando Roma fonte dell'episcopato.[23]

Agl'inizi del sec. VI *S. Fulgenzio* ricorda la già vecchia dottrina, secondo la quale Cristo ha dato alla Chiesa, per mezzo di Pietro, la potestà di sciogliere e di legare.[24]

Stefano, Metropolita di Larissa, con lettera diretta a Bonifacio II (a. 530-532) e letta nel Concilio Romano III, dice al Papa che Cristo, per mezzo del Pontefice Romano, trasmise a tutte le Chiese del mondo i suoi ordini.[25]

S. Gregorio M. il 16 marzo 591 scrive a Pietro suddiacono che, se i Vescovi di Sicilia devono riunirsi, lo facciano per la festa di S. Pietro, per concessione del quale essi sono pastori.[26]

S. Isidoro di Siviglia scrive nel 636 al Primate di Toledo, affermando che S. Pietro ha ricevuto dal Figlio di Dio l'onore del pontificato e che questo era per S. Pietro un privilegio dato a lui come capo, e che da lui è stata trasfusa a tutti i Vescovi della Chiesa cattolica la dignità del loro potere.[27]

I tre Concili Africani (Concilio Bizaceno, di Mauritania, di Numidia) nel 649 diressero a Papa Teodoro I una lettera sinodica, riconoscendo nella Chiesa Romana la fonte dell'autorità e del magistero dottrinale. Ognuno dei tre Metropoliti chiamò il Romano Pontefice col nome significativo di « Pater patrum ».[28]

---

[22] « Sicut a persona beati Petri apostoli episcopatus sumpsit initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus sanctitas vestra singulis ecclesiis, quid observare debeant, evidenter ostendat » (MANSI, *o. c.,* 8, 211).

[23] « Et legum originem anterior Roma sortita est et summi pontificatus apicem apud eam esse nemo est qui dubitet. Unde et nos necessarium duximus patriam legum, fontem sacerdotii, speciali nostri numinis lege illustrare, ut ex hac in totas catholicas ecclesias, quae usque ad oceani fretum positae sunt, saluberrimae legis vigor extendatur, et si totius occidentis, nec non orientis ... lex propria ad honorem Dei consecrata » (*Novella IX,* 1).

[24] Fulgentius Ruspensis: « Sed etiam poenitentia peccatori tunc prodest, si eam in Ecclesia catholica gerat: cui Deus in persona beati Petri ligandi solvendique tribuit potestatem » (*De Fide,* n. 37: MIGNE, *PL* 65, p. 690).

[25] « Quia Domino dicente tertio: Amas me? pasce oves meas; tradit prius vobis mandata ostendens, et per vos deinde omnibus per universum mundum sanctis ecclesiis condonavit » (MANSI, *o. c.,* 8, 741).

[26] « ... in beati Petri apostolorum principis natalem conveniant; ut ei ex cuius largitate pastores sunt, gratiarum actiones solvant » (MANSI, *o. c.,* 9, 1056).

[27] « (Petrus) Non ab alio, sed ab ipso Dei et virginis filio honorem pontificatus in Christi ecclesia primus suscepit. Cui etiam post resurrectionem Filii Dei ab eodem dictum est: Pasce oves meas, agnorum nomine ecclesiarum prelatos notans, cuius dignitas potestatis, etsi ad omnes catholicarum episcopos est transfusa, privilegio, veluti capiti, caeteris membris permanet in aeternum » (MIGNE, *PL* 83, 908).

[28] « Magnum et indeficientem omnibus Christianis fluenta redundantem, apud apostolicam sedem consistere fontem nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter, universum largissime irrigantes orbem Christianorum, cui etiam in honore beatissimi Petri patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, quae omnino et sollicite debent, maxime vero iusteque ab ipso praesulum examinari vertice apostolico, cuius vetusta solicitudo est tam mala damnare, quam probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almae sedis vestrae fuisset deductum, ut huius auctoritate, iuxta quae fuisset pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent ceterae ecclesiae velut de natali suo fonte praedicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptae maneant fidei sacramenta salutis » (MANSI, *o. c.,* 10, 919-922).

S. Leone II, nella lettera del 682 all'episcopato Visigotico, definisce la Sede Apostolica madre di tutte le Chiese,[29] come cinque secoli innanzi S. Siricio aveva designato in S. Pietro l'origine dell'episcopato.

S. Gregorio II, rivolgendosi nel 726 a S. Bonifacio, Apostolo della Germania, pone come premessa dottrinale, che dà vigore alle successive norme disciplinari dello stesso Pontefice,[30] il noto principio: l'apostolo Pietro è il Principio dell'apostolato e dell'episcopato.[31]

La dottrina dei Romani Pontefici. Mentre non ci è stato dato di trovare neppure un solo testo pontificio che faccia derivare la giurisdizione dei Vescovi dalla consacrazione episcopale, possiamo, senza alcuna pretesa di una enumerazione completa, scegliere alcuni documenti, tra i più solenni, che contradicono la tesi adottata nello schema, proseguendo l'augusto insegnamento dei Papi precedenti.

Gregorio IV, nell'agosto 833, scrive ai Vescovi delle Gallie, della Germania e dell'Europa che la Chiesa Romana ha chiamato le altre a parte della sua sollecitudine, non alla pienezza del potere.[32]

Stefano V scrive nell'anno 885 all'Imperatore Basilio, che l'ordine e il pontificato di tutte le Chiese ha avuto origine da Pietro.[33]

Innocenzo III, l'11 novembre 1199, scrive al Patriarca di Costantinopoli: « La Chiesa Romana è... la prima e la principale, come il capo nel corpo; perché in essa c'è la pienezza del potere, mentre agli altri deriva qualche parte di quella pienezza ».[34]

Gregorio IX, il 26 luglio 1232, scrive all'Arcivescovo greco, Germano II di Nicea, che uno solo, Pietro, ha ricevuto le chiavi, uno solo è il principio come uno solo il capo della Chiesa militante, e che sarebbe mostruoso un corpo con più capi o senza capo.[35] Lo stesso Gregorio IX, il 13 gennaio 1240 scrive alla regina Rusuda di Georgia che Pietro e i suoi successori hanno chiamato gli altri Vescovi a parte delle loro sollecitudini.[36]

Innocenzo IV ripete i medesimi concetti a Colomanno, re di Bulgaria, il

---

[29] MIGNE, *PL* 96, 413.

[30] Cf. M. MACCARRONE, *o. c.,* p. 74.

[31] « Bene satis, quia beatus apostolus Petrus et apostolatus et episcopatus principium existit » (M.G.H., *Ep. sel.,* I, pp. 44-45).

[32] « Ita aliis impertivit ecclesiis, ut in partem sint vocatae sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis » (c. 11, C. II, qu. 6; MANSI, *o. c.,* 14, 514).

[33] « Omnium enim in orbe terrarum ordo et pontificatus Ecclesiarum a principe apostolorum Petro originem accepit, per quem et nos sincera et incorrupta doctrina instruimus omnes et docemus » (*Codificazione Canonica Orientale* [C.I.C.O.], *Fontes, Acta RR. PP.,* tom. I, p. 739).

[34] « Ecclesia Romana ... est ... prima videlicet et praecipua, veluti caput in corpore; quoniam in ea plenitudo potestatis existit, ad ceteros autem pars aliqua plenitudinis derivatur » (MIGNE, *PL* 214, 763. Cf. anche *ibid.,* 758-9).

[35] « ... claves regni caelestis in terris solus accepit, cum unus sit Dominus, una fides, unum baptisma, unum principium, unum corpus Ecclesiae militantis, et corpus cum pluribus capitibus monstruosum et sine capite acephalum censeretur » (*Codificazione Canonica Orientale* [C.I.C.O.], *Fontes, Acta Honorii III et Gregorii IX,* p. 237).

[36] « ... Christus ascendens in caelum unum reliquit in terris Vicarium ... Sed nec ex hoc fratribus et coepiscopis nostris debitum honorem subtrahimus, quos a beato Petro et suis successoribus in partem sollicitudinis evocatos ... Scitis enim quod, sicut praemisimus, soli Petro a Domino caelorum clavium potestas conceditur » (*ibid.,* p. 340).

21 marzo 1241 [37] e ai fedeli della Russia il 3 marzo 1246; [38] poi, nella *Professio fidei* di Ignazio, Patriarca Giacobita, insegna che la Chiesa nella quale è riposto il corpo di S. Pietro, è la madre di tutte le Chiese, la lampada alla quale si accendono tutte le altre.[39]

Clemente IV, il 4 marzo 1267, nella *Professio fidei* trasmessa all'Imperatore Michele Paleologo, ha inserito la nota proposizione, secondo la quale la Chiesa Romana ha la pienezza del potere, ma ammette le altre a partecipare alle sue sollecitudini.[40]

Nicolò IV, il 7 aprile 1288, ripete ancora al Catolicòs Nestoriano della Persia, che la Chiesa Romana ha la pienezza del potere, ma ammette le altre Chiese a partecipare alle sue sollecitudini.[41]

Bonifacio VIII, l'11 ottobre 1298, mentre riafferma che la Chiesa non può avere se non un capo unico, e che anche l'autorità dei Concili [42] non può derivare se non dalla Chiesa Romana, dichiara che ad essa spetta la istituzione delle cattedre episcopali.[43]

Giovanni XXII ripete il 29 aprile 1319 a Ossino, re dell'Armenia, nella *Professio fidei,* inviatagli per quel popolo, che la Chiesa Romana ha la pienezza

---

[37] « ... ut sicut in capite sensuum plenitudo consistit, a quo ad singula membra occultis meatibus pars aliqua tamquam a fonte rivulus derivatur; sic tres fidelium ordines in Ecclesia: Noe, Daniel et Iob ... Tu es Christus, filius Dei vivi, claves regni caelestis in terras solus accepit » (*ibid., Acta Innocentii IV,* pp. 44-45).

[38] « ... recognoscentes Romanam Ecclesiam matrem aliarum omnium et magistram, ac Summum Pontificem successorem Petri, cui collatae sunt claves regni caelestis, ligandi et solvendi et Iesu Christi vicarium esse capud (sic), quia cum unus sit Dominus, una fides, unum baptisma, unum principium, unum corpus Ecclesiae militantis; corpus cum pluribus capitibus monstruosum, et sine capite acephalum censeretur » (*ibid.,* p. 65).

[39] « Concordamus siquidem cum beato Petro et confitemur eum fundamentum esse Ecclesiae, sicut nominavit eum Christus petram dicens: Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam; et ideo ecclesia, in qua est corpus eius repositum, est mater omnium ecclesiarum in universo mundo: et dicimus et praedicamus, quod ipsa est lampas lucens, ex qua omnes aliae lampades succenduntur » (*Ibid.,* pp. 104-105).

[40] « ... Romana Ecclesia ... apud quam sic potestatis plenitudo consistit, quod Ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit, quarum multas, et patriarchales praecipue, diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen praerogativa tam in generalibus conciliis quam in quibuscumque aliis semper salva » (C.I.C.O., *Fontes, Acta Clementis IV,* p. 67). L'Imperatore Michele Paleologo nel 1277 scrisse a Giovanni XXI una lettera, presentata al successore Nicolò III, nella quale riconosce, secondo la formula riferita, che la Chiesa Romana ha la pienezza del potere, ma ammette le altre a partecipare alle sue sollecitudini (C.I.C.O., *Fontes, Acta Ioannis XXI,* p. 29).

[41] C.I.C.O., *Fontes, Acta Nicolai IV,* p. 131 (cf. sopra, nota 40).

[42] Anche il B. Gregorio X, nella *Professio Fidei* emessa nel 1274 dall'Imperatore Michele Paleologo per mezzo del suo rappresentante davanti al Concilio II di Lione, riferendosi ai Concili Ecumenici, dice che furono « celebrata sub spirituali dominatione Ecclesiae Romanae » (C.I.C.O., *Fontes, Acta Gregorii X,* p. 22).

[43] « Qui igitur Romanae, cui ex dispositione divina licet immeriti praesidemus, Ecclesiae praeest, successor est Petri et ipsius propterea fungitur potestate, alias Deus et homo Christus Iesus, ad dexteram Patris sedens, suam universalem, unam et militantem Ecclesiam acephalam, id est sine aliquo qui super omnes vices eius in terris gereret, vel habentem, quasi monstrum, plura capita, reliquisset: quod non tam rationi contrarium etiam in natura, quam haereticum censeretur. Et hoc Romana Sedes mater est fidei, sola auctoritatem ab ipsis exceptam praestat conciliis, iura statuit et omnibus legem ponit. Hinc sive patriarchatus cuiuslibet apicem sive metropoleon primatus aut episcopatuum cathedras vel ecclesiarum cuiuscumque ordinis dignitatem instituit » (C.I.C.O., *Fontes, Acta Bonifacii VIII,* pp. 203-204).

del potere, ma ammette le altre Chiese a parte delle sue sollecitudini e favorisce alcune di esse con particolari privilegi.[44]

Ancora Giovanni XXII, nella Cost. Ap. *Licet* del 23 ottobre 1327, confermando l'approvazione della *Professio fidei* del Concilio II di Lione (1274), nella quale è detto che la Chiesa Romana ha la pienezza del potere, ma chiama le altre Chiese a far parte delle sue sollecitudini,[45] aggiunge che il Sommo Pontefice è l'apice e la fonte dell'episcopato.[46]

Lo stesso Giovanni XXII, il 17 ottobre 1328, nomina Nicola Vescovo in Armenia, dichiarando che per disposizione divina, al Romano Pontefice spetta provvedere a tutte le Chiese che sono senza pastore.[47]

Benedetto XII, esponendo ai Cristiani d'Oriente, il 13 giugno 1338, le verità della fede, richiama il principio secondo il quale la Chiesa Romana ha la pienezza dell'autorità, ma ammette le altre a partecipare alle sue sollecitudini.[48]

Innocenzo VI (a. 1352-1362) ripete più volte, quasi con le stesse parole,[49] il concetto già riferito di Giovanni XXII.

Il Beato Urbano V, nella Professione di Fede per l'Imperatore Giovanni Paleologo, in data 1° luglio 1366,[50] propone alla lettera la formula prescritta da Clemente IV.[51] L'Imperatore, in data 18 ottobre 1369, emette la Professione di Fede, nella quale sono inserite quelle parole,[52] che poi lo stesso Sommo Pontefice volle nella formula del 1° agosto 1370, composta per tutti i dissidenti che chiedevano di tornare all'unità della Fede.[53] In occasione della provvista delle diocesi, il B. Urbano V ripete il concetto già riferito di Giovanni XXII e di Innocenzo VI.[54]

Clemente IV, in data 29 settembre 1351, impose agli Armeni una Professione di fede nella quale è detto che nessun Apostolo e nessun altro, fuori di Pietro, ha avuto pienissima potestà su tutti i cristiani (DENZ.-SCHÖN., *Ench.* n. 1052).

Eugenio IV, nel 1436, in una Lettera ai Principi sul Concilio di Basilea, si

[44] C.I.C.O., *Fontes, Acta Iohannis XXII,* p. 39. Cf. *ibid.,* p. 107, pp. 141-185; cf. anche *sopra,* nota 40).

[45] Cf. p. 139 s.

[46] « Summi pontificatus apicem apud romanam ecclesiam esse, ipsamque fore sacerdotii fontem, nemo est qui dubitet, id est, qui debeat dubitare » (O. RAYNALDI, *Annales Ecclesiastici,* Lucae 1750, tom. V, p. 348, ad a. 1327). Giovanni XXII si richiama esplicitamente al testo di Giustiniano (cf. *sopra,* nota 23), dove il sacerdozio, secondo il linguaggio del tempo, è preso nel senso di episcopato.

[47] « Summi dispositione rectoris ad regimen universalis Ecclesiae quamquam immeriti deputati, curis assiduis angimur et successivis impulsibus propulsamur, ut ecclesiis universis quae sunt propriis pastoribus destitutae per nostrae providentiae studium viri praeficiantur idonei et pastores providi deputentur, per quorum providentiam, scientiam et doctrinam eaedem ecclesiae Deo propitio regantur utiliter et ad salutaria dirigantur » (C.I.C.O., *Fontes, Acta Ioannis XXII,* p. 202; cf. anche *ibid.,* p. 211 e p. 231).

[48] C.I.C.O., *Fontes, Acta Benedicti XII,* p. 47.

[49] C.I.C.O., *Fontes, Acta Innocentii VI,* pp. 3, 14, 25, 27, 30, 33, 78, 111, 190. Cf. nota 47.

[50] C.I.C.O., *Fontes, Acta Urbani V,* p. 174.

[51] Cf. *sopra,* nota 40.

[52] C.I.C.O., *Fontes, Acta Urbani V,* p. 286.

[53] C.I.C.O., *Fontes, Acta Urbani V,* p. 346.

[54] C.I.C.O., *Fontes, Acta Urbani V,* pp. 157, 182, 258, 336, 340.

pronunciò più direttamente contro un altro aspetto della dottrina ora proposta negli schemi, dichiarando che l'autorità dei Concili Ecumenici deriva solo dal Romano Pontefice, secondo l'insegnamento, egli dice, di tutti i dottori cattolici.[55]

Pio II, nella Bolla delle Ritrattazioni (26 aprile 1463) dichiara: « Dal Vicario di Gesù Cristo, come Capo, deriva nelle membra soggette ogni potere e autorità ».[56]

Leone X, nel Concilio Lateranense V, il 19 dicembre 1516, dopo aver ricordato che la Chiesa ha adempiuto i compiti assegnatile, erigendo diocesi e nominando Vescovi,[57] ritorna su questo argomento per dire che i Vescovi e i loro superiori, costituiti dalla Sede Apostolica nelle diverse parti del mondo per il governo delle loro Chiese, sono come rivoli che provengono da una fonte perenne, la Chiesa di Roma.[58]

Pio VI, nella Costituzione Apostolica *Super soliditate* del 28 novembre 1786, dice che il Romano Pontefice è colui che ha ricevuto da Dio le chiavi del regno dei cieli, con il potere di legare e di sciogliere, e che a lui nessun altro Vescovo può essere uguale, perché da lui gli stessi Vescovi ricevono la loro autorità, così come lui stesso ha ricevuto la sua suprema autorità da Dio. A sostegno di questa dottrina, Pio VI riporta i testi di Tertulliano e di Ottato di Milevi che abbiamo riferito più sopra; dichiara che Pietro solo fu chiamato alla pienezza del potere, e gli altri a una parte di esso, così che al successore di Pietro, per diritto divino, è assegnato tutto il gregge di Cristo, agli altri Vescovi invece è necessario che venga assegnato a ciascuno la propria parte del gregge, e ciò, non per diritto divino, ma per diritto ecclesiastico. Chiunque voglia negare al Romano Pontefice la somma autorità di tale assegnazione, contraddice il fatto che dal Romano Pontefice, in tutto l'orbe, i Vescovi hanno avuto la missione di governare le loro Chiese.[59]

---

[55] « Praetendentes ipsi non a Romana Ecclesia prout omnes catholici doctores profitentur et docent, ipsa generalia concilia habere robur et potestatem, postquam fuerunt apostolica auctoritate congregata, et per hoc quasi denegantes concilia generalia non suscipere auctoritatem et fundamentum a Christi vicario, quod nemo unquam fidelis et doctus dicere praesumpsit » (O. Raynaldi, *Annales Ecclesiastici,* Lucae 1750, tom. IX, p. 203, ad a. 1436).

[56] « A Iesu Christi Vicario, tanquam Capite omnis in subiecta membra potestas et auctoritas derivatur » (*Bullarium Romanum,* t. V, p. 174; cf. *ibid.,* p. 180).

[57] Mansi, *o. c.,* 32, 948.

[58] « ... per episcopos eorumque superiores in diversis orbis partibus ad regimen suarum ecclesiarum a sede apostolica constitutos ... tamquam rivuli a perenni fonte, Romana ecclesia, derivantes ne angulum quidem dominici agri irrigatum dimitterent » (Mansi, *o. c.,* 32, 948).

[59] « ... hominem eum esse, qui claves regni caelorum, cum ligandi solvendique potestate a Deo acceperit, cui non alius episcopus exaequari valeat, a quo ipsi episcopi auctoritatem suam recipiant, quemadmodum ipse a Deo supremam suam potestatem accepit: eumdem porro vicarium esse Christi, caput Ecclesiae visibile, iudicem supremum fidelium. An ergo, quod horribile dictu, fanatica fuerit vox ipsa Christi claves regni caelorum cum ligandi, solvendique potestate Petro pollicentis: quas claves communicandas ceteris, post Tertullianum Petrum solum accepisse Optatus Milevitanus profiteri non dubitavit? ... uni dictum Tu es Petrus et solum in plenitudinem potestatis vocatum esse, alios in partem sollicitudinis ... Petri successor, hoc ipso quod in gregem universum, ut simul cum episcopatu potestatem accipiat universalis regiminis: ceteris porro episcopis suam cuique peculiarem gregis portionem non divino, sed ecclesiastico iure, non Christi ore, sed hierarchica ordinatione assignari opus sit, ut ordinariam regiminis potestatem explicare in eam valeat. Cuius assignationis summam auctoritatem quisquis Romano Pontifici abiudicare volet, eum necesse est in legitimam tot in orbe toto episcoporum successionem invadere, qui ecclesias apostolica auctoritate de integro fundatas, aut ab aliis divulsas, aut invicem unitas regunt, ad easque regendas a Romano

Scrivendo al Vescovo di Mottola il 16 settembre 1788, Pio VI dichiara nuovamente che: « la dignità vescovile... quanto all'ordine è immediatamente da Dio e quanto alla giurisdizione dall'Apostolica Sede ».[60]

Nella Lettera Apostolica *Quod aliquantum* del 10 marzo 1791 sulla Costituzione Civile del Clero di Francia, Pio VI proclama che i Vescovi, privi della missione apostolica, sono con ciò privi di ogni giurisdizione.[61]

Il 30 marzo 1791, Pio VI ammonisce di nuovo che « ogni legittima missione ecclesiastica promana dalla Sede Apostolica »; [62] poi precisa: se un Vescovo viene consacrato senza mandato apostolico, e quindi senza missione canonica, la consacrazione è sacrilega e il consacrato non può avere alcuna giurisdizione, così che tutti gli atti posti da lui sono privi di qualsiasi valore.[63]

Ancora Pio VI, nell'Enciclica *Charitas* del 13 aprile 1791, dice che « il potere di conferire la giurisdizione... risiede unicamente nella Sede Apostolica ».[64]

Pio IX nella Lettera Apostolica *Etsi multa* del 21 novembre 1873 richiama i passi già riportati di S. Leone M. e di S. Ambrogio.[65]

Leone XIII, nell'Enciclica *Satis cognitum* del 29 giugno 1896, ripropone i testi di S. Leone M.,[66] e afferma che, fra tutti gli Apostoli, solo a Pietro e al suo successore Dio ha dato le chiavi del Regno dei Cieli, cioè il potere di giurisdizione.

Dunque gli altri non possono riceverla che da lui.[67]

Pontifice missionem acceperunt; ut proinde sine ingenti Ecclesiae perturbatione, ipsiusque episcopalis regiminis discrimine tentari nequeat magnum hoc, et mirabile potentiae consortium, divina dignatione Petri cathedrae tributum, ut quemadmodum a Leone Magno dictum est, omnes proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus; et si quid Christus commune cum Petro ceteris voluit esse principibus, numquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit ... » (*Fontes, C. I. C.,* vol. II, pp. 664, 668-669).

[60] Epistola *Deessemus*: « Dignitatem episcopalem ... quoad ordinem immediate est a Deo et quoad iurisdictionem ab Apostolica Sede » (Archiv. Vat., *Epistolae ad Principes,* vol. 184, pp. 130-135. Cf. anche L. PASTOR, *Storia dei Papi,* 1934, vol. XVI, III, p. 95).

[61] « Illi certe qualescumque essent, nulla haberent ligandi et solvendi potestatem, utpote legitima missione carentes » (*Collectio Brevium Pii Papae VI,* Romae 1800, p. 77).

[62] « ... ab hac Apostolica Sede, a qua omnis legitima missio Ecclesiastica dimanat » (*Collectio cit.,* p. 117).

[63] « ... nisi electio canonica, quae Tibi omnino deest, antecedat, et nisi Nostrum Mandatum Apostolicum adsit, ex quo Canonica Missio proficiscitur; ita ut ubi aliter ordinatio fiat, praeter sacrilegium, quo qui ordinatur inficitur, omnis ab eo absit potestas et iurisdictio, et quicumque ab eo perficiuntur actus, irriti sint nulliusque valoris » (*Collectio cit.,* p. 118).

Il Card. Francesco Saverio de Zelada, il 30 marzo 1791, per ordine di Pio VI scrisse a Nicolò Philibert, Vescovo illegittimo che stava per essere consacrato: « Istiusmodi enim consecratio sacrilega esset atque schismatica, nec ullam consecratio tribueret iurisdictionem sive canonicam missionem, quae ex mandato Apostolicae Sedis unice proficiscitur » (*Collectio cit.,* p. 122).

[64] « Haec porro iurisdictionis conferendae potestas ..., unice residet penes apostolicam Sedem; ita ut hodie Romanus Pontifex ex muneris sui officio pastores singulis ecclesiis praeficiat, ut verbis utamur Concilii Tridentini, sess. 24, cap. I, de reformat., adeoque legitima consecratio nulla fiat in Ecclesia catholica universa, nisi ex apostolicae Sedis mandato » (*Fontes, C I. C.,* vol. II, p. 678).

[65] Cf. *A.S.S.,* 7, pp. 475-476.

[66] *Fontes, C. I. C.,* III, 490; *Leonis XIII, Acta,* XVI, 204.

[67] « Ex quo plane intelligitur, excidere episcopos iure ac potestate regendi, si a Petro eiusve successoribus scientes secesserint ... regnoque extorres, cuius uni Petro datae divinitus claves ... Quid enim Dei Filius spectavit, cum claves regni caelorum uni pollicitus est

San Pio X, il 31 maggio 1911, tocca indirettamente il nostro problema, riaffermando esplicitamente la costituzione *monarchica* della Chiesa.[68]

Pio XII, nell'Enciclica *Mystici Corporis,* del 29 giugno 1943, dichiara che i Vescovi, in quanto riguarda la propria Diocesi, son veri pastori che guidano e reggono in nome di Cristo il gregge assegnato a ciascuno; ma mentre fanno ciò, non son del tutto indipendenti, perché sono sottoposti alla debita autorità del Romano Pontefice, pur fruendo dell'ordinaria potestà di giurisdizione, comunicata loro direttamente dallo stesso Sommo Pontefice.[69]

Lo stesso Pio XII, nell'Enciclica *Ad sinarum gentem,* del 7 ottobre 1954, insegna di proposito, chiaramente, in virtù del Suo universale magistero: [70] « In forza di questa divina volontà i fedeli si dividono in due classi: clero e laicato; in forza della medesima volontà è costituita la duplice sacra potestà, cioè di ordine e di giurisdizione. Inoltre — ciò che parimenti è stato divinamente stabilito — alla potestà di ordine (per cui la gerarchia ecclesiastica è composta di Vescovi, sacerdoti e ministri) si accede ricevendo il sacramento dell'ordine sacro; la potestà di giurisdizione poi, che al Sommo Pontefice viene conferita direttamente per diritto divino, proviene ai Vescovi dal medesimo diritto, ma soltanto mediante il Successore di San Pietro ».[71]

Ancora Pio XII, nell'Enciclica *Ad Apostolorum Principis* del 29 giugno 1958, ripete alla lettera quanto in proposito aveva insegnato nelle Encicliche *Mystici Corporis* e *Ad sinarum gentem* e insiste: « ... ne consegue che i Vescovi non nominati nè confermati dalla Santa Sede, e anzi scelti e consacrati contro le esplicite disposizioni di Essa, non possono godere di alcun potere né di magistero né di giurisdizione; perché la giurisdizione viene ai Vescovi unicamente attraverso il Romano Pontefice ».[72]

Petro? Summum fastigium potestatis nomine clavium eo loco designari, usus biblicus et Patrum consentientes dubitari non sinunt » (*Fontes C. I. C.,* III, pp. 490-491).

[68] « ... non minori falsitate iniicitur persuasio, Ecclesiam catholicam non fuisse primis saeculis principatum unius, hoc est *monarchiam* ... Haec vobis, Venerabiles Fratres, significanda duximus, ... ut sciatis memoratas propositiones atque sententias falsas, temerarias, a fide catholica alienas a Nobis reprobari ... » (*A.A.S.,* 3 [1911], pp. 119-120).

[69] « Ad propriam cuiusque Dioecesim quod spectat, utpote veri Pastores assignatos sibi greges singuli singulos Christi nomine pascunt ac regunt; id tamen dum faciunt, non plane sui iuris sunt, sed sub debita Romani Pontificis auctoritate positi, quamvis ordinaria iurisdictionis potestate fruantur, immediate sibi ab eodem Pontifice Summo impertita » (*A.A.S.,* 35 [1943], pp. 211-212).

[70] *A.A.S.,* 50 (1958), p. 603.

[71] « Qua profecto divina voluntate christifideles in duos ordines distribuuntur, clericorum laicorumque, eademque voluntate (divina) duplex constituitur sacra potestas ordinis nempe et iurisdictionis. Ac praeterea — quod divinitus pariter statutum est — ad potestatem ordinis, qua Ecclesiastica Hierarchia ex Episcopis constat, presbyteris et administris, acceditur per acceptum sacri ordinis sacramentum; iurisdictionis autem potestas, quae Supremo Pontifici iure ipso divino directe confertur, Episcopis ex eodem provenit iure, at nonnisi per Petri Successorem » (*A.A.S.,* 47 [1955], p. 9).

[72] « Hoc posito, efficitur, ut Episcopi nec nominati nec confirmati a Sede Apostolica, immo contra expressas eius ordinationes electi et consecrati, nulla fruantur potestate magisterii et iurisdictionis, cum iurisdictio Episcopis per unum Romanum Pontificem obtingat, quemadmodum in Litteris Encyclicis *Mystici Corporis* hisce verbis monuimus: " Sacrorum Antistites ... ad propriam cuiusque Dioecesim quod spectat, utpote veri Pastores assignatos sibi greges singuli singulos Christi nomine pascunt ac regunt; id tamen dum faciunt, non plane sui iuris sunt, sed sub debita Romani Pontificis auctoritate positi, quamvis ordinaria

Nella stessa Enciclica, distinguendo il potere dal suo esercizio, Pio XII dice che i Vescovi, anche se validamente consacrati, non hanno « alcun potere né di magistero, né di giurisdizione se non unicamente dal Romano Pontefice », mentre « gli atti della potestà di ordine » sono validi, purché la consacrazione sia valida, ma però sono gravemente illeciti e sacrileghi.[73]

Giovanni XXIII, nell'Allocuzione Concistoriale del 15 dicembre 1958, dichiara solennemente che dalla consacrazione episcopale, ricevuta senza mandato apostolico, non può derivare alcuna giurisdizione.[74]

Per diminuire il valore di questi testi, che sono di ostacolo alla tesi accolta negli schemi, è stato detto che essi si riferiscono all'esercizio della giurisdizione e non alla giurisdizione medesima. Di tale affermazione non si dà alcuna prova. Prego quindi con umile insistenza di verificare se nei documenti riportati si parla di esercizio, come sono costretti a sostenere i redattori degli schemi, oppure se si parla semplicemente di giurisdizione. Né può pensarsi che i termini usati dai Sommi Pontefici siano dovuti a una confusione di concetti. La distinzione tra il diritto, cioè il potere, e il suo esercizio, risulta noto da molti secoli, come fondata nella natura delle cose.[75] Particolarmente Pio XII fondò su questa distinzione un suo discorso; [76] anche nelle Encicliche *Mystici Corporis* e *Ad Apostolorum Principis* [77] è evidente la distinzione tra la giurisdizione e il suo esercizio, eppure la concessione di autorità da parte del Romano Pontefice si riferisce alla prima e non al secondo.

Nello schema *De Ecclesia* è detto (pag. 68, inizio) che al magistero autentico del Romano Pontefice, anche quando non parla « ex cathedra », deve essere prestato l'ossequio dell'intelletto e della volontà. Sembra irriverente anche soltanto chiedersi se i Padri Conciliari vogliano distruggere con i fatti, nel modo più solenne, tale insegnamento.

Come sempre avviene, l'insegnamento dei Romani Pontefici è suffragato da quello dei Dottori della Chiesa.

L'insegnamento dei Santi Dottori della Chiesa.

Dopo S. Leone M., S. Gregorio M. e S. Isidoro di Siviglia, *S. Pier Damiani*

---

iurisdictionis potestate fruantur, immediate sibi ab eodem Pontifice Summo impertita ". Quam doctrinam, datis postea ad vos Litteris *Ad sinarum gentem,* iterum memoravimus: " Iurisdictionis potestas, quae Summo Pontifici iure ipso divino directe confertur, Episcopis ex eodem provenit iure, at nonnisi per Petri Successorem, cui quidem non tantum christifideles, sed Episcopi etiam omnes et oboedientiae obsequio et unitatis vinculo constanter subici et adhaerere tenentur " » (*A.A.S.,* 50 [1958], pp. 610-611).

[73] « Actus vero, ad potestatem sacri Ordinis pertinentes, ab huiusmodi viris ecclesiasticis patrati, etiamsi validi sunt, dummodo valida fuerit consecratio ipsis collata, sunt tamen graviter illiciti, id est flagitiosi et sacrilegi » (*A.A.S.,* ibid.). Quasi per confermare tale dottrina, Pio XII richiama le norme sancite nel can. 219 C. I. C., e nella Costituzione *Vacantis Apostolicae Sedis,* § 101, che riproducono un diritto divino e secondo le quali anche un laico, appena eletto Papa, ha la pienezza del potere di magistero e di giurisdizione (Discorso del 5 ottobre 1957: *A.A.S.,* 49 [1957], p. 925).

[74] Ex episcopali consecratione « nulla profecto oriri potest iurisdictio, cum sine Apostolico mandato peracta fuerit » (*A.A.S.,* 50 [1958], p. 983).

[75] Per la distinzione tra giurisdizione e il suo esercizio, cf. per es. S. THOMAS, *Summa Theologica,* II, II, qu. 39, a. 3.

[76] Cf. *A.A.S.,* 43 (1951), p. 845.

[77] Cf. *sopra,* nota 72, 73.

(† 1072) dice che da Cristo deriva solo il potere del Romano Pontefice non quello, ad esempio, delle cattedre episcopali.[78]

S. Bernardo ricorda a Eugenio III nel *De Consideratione* (1149-1153) che, secondo i suoi stessi canoni,[79] egli ha la pienezza del potere, mentre gli altri sono chiamati a parteciparne.[80]

S. Alberto M. non arriva ad esprimersi, sul nostro problema, in modo chiaro e completo, però insistentemente ricorda che uno solo è Colui al quale Cristo ha dato l'unità del governo universale e che detiene il possesso di questa unità, mentre gli altri sono chiamati a partecipare alle sue sollecitudini.[81]

S. Tommaso invece enuncia chiaramente il principio: « Il Papa, che è al posto di San Pietro, ha la potestà piena, gli altri (l'hanno) da lui »; [82] dice che le parole del Vangelo (*Mt.* 16, 19) sono state rivolte a San Pietro, per mostrare che la potestà delle chiavi doveva derivare agli altri per mezzo di lui.[83]

S. Bonaventura parla allo stesso modo: « Il Sommo Pontefice solo ha tutta la pienezza dell'autorità che Cristo conferì alla Chiesa, e dovunque, in tutta la Chiesa, ha lo stesso pieno potere come nella sua sede di Roma, e da lui emana ogni autorità in tutti gl'inferiori, per tutta la Chiesa »,[84] e sullo stesso concetto insiste più volte, in molteplici opere.[85]

S. Roberto Bellarmino enuncia e prova il principio: nella Chiesa tutta l'autorità è in uno solo, e da lui deriva agli altri, come i rivoli delle acque da una

---

[78] MIGNE, *PL* 145, 91.

[79] Cf. e.gr. c. 11, C. II, qu. 6 (*sopra,* nota 32).

[80] « Habent illi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediditi uni unus ... Ergo iuxta canones tuos, alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus; tua extenditur in ipsos qui potestatem super alios acceperunt » (*De Consideratione,* Lib. II, c. 8).

[81] « Ergo, dabo tibi, singulariter: non quod singulariter acceperit Petrus, sed quia in unitate ordinis Ecclesiae unus est qui accipit in plenitudine potestatis, qui est successor Petri. Alii autem in eadem unitate accipiunt in parte potestatis, eo quod vocantur in partem sollicitudinis » (*In Evang. Matth.*, XVI, 19; Opera Omnia, Parisiis 1893, t. XIX, p. 642). « Ad aliud dicendum, quod loco Christi in terris non est nisi unus Papa: et ille potest facere in omnibus: sed alii in partem sollicitudinis vocati sunt » (*In IV Sent. Dist. XIX,* art. X, ed. cit., t. XXIX, p. 812). « Ecce possessor unitatis, quem loco sui in terris constituere intendit: ad cuius regimen unum omnes Ecclesiae particulares referentur. Omnes enim illae in partem vocantur sollicitudinis: cum tamen una sit cura universalis » (*In Evang. Luc.,* V, 3, ed. cit. XXII, p. 360).

[82] « Papa, qui est loco S. Petri, habet plenariam potestatem, alii vero ab ipso » (S. THOMAS, *In Matth. Evang.,* ad V: « et tibi dabo claves »).

[83] « Manifestum est igitur regimen Ecclesiae sic esse dispositum ut unus toti Ecclesiae praesit ... oportuit ut alicui committeret qui loco sui universalis Ecclesiae gereret curam. Hisce est quod Petro dixit (*Io.* 12, 17) ante ascensionem: « Pasce oves meas », et ante passionem (*Luc.* 23, 32): « Tu iterum conversus confirma fratres tuos », et ei soli promisit (*Mt.* 16, 19): « Tibi dabo claves regni caelorum »: ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda ad conservandam Ecclesiae unitatem » (S. THOMAS, *Summa contra Gentes,* Lib. IV, cap. 76).

[84] « Ipse Summus Pontifex solus habet totam plenitudinem auctoritatis, quam Christus Ecclesiae contulit — et quod ubique in omnibus ecclesiis habet illam sicut in sua speciali sede Romana — et quod ab ipso manat in omnes inferiores per universam Ecclesiam omnis auctoritas, prout singulis competit eam participari » (*Quare Fratres Minores praedicent,* n. 3, ed. Quaracchi, 1898, t. VIII, p. 375).

[85] « Papa merito appellatur ... fons, origo et regula cunctorum principatuum ecclesiasticorum; a quo tamquam a summo derivatur ordinata potestas usque ad infima Ecclesiae

sola sorgente e come i raggi da un unico sole.[86] Si propone l'ipotesi che i Vescovi abbiano avuto la giurisdizione da Dio, ma risponde che, se così fosse, il Romano Pontefice non la potrebbe né togliere, né mutare, perché un inferiore, che nel caso è il Sommo Pontefice, non può nulla contro una volontà superiore e divina.[87] Né manca il S. Dottore di chiedersi se questa difficoltà non si risolva, supponendo che la giurisdizione, pur derivando immediatamente da Dio, è sottoposto al Sommo Pontefice; ma risponde che neppure in tal caso il Romano Pontefice potrebbe togliere la giurisdizione, ma potrebbe soltanto proibirne l'esercizio, il quale, come nella potestà di ordine, sarebbe illecito, ma non invalido.[88] Agli argomenti desunti dagli Atti (20, 28) e dall'Epistola agli Efesini (4, 11), S. Roberto Bellarmino risponde che la derivazione immediata della giurisdizione dal Romano Pontefice non toglie che tale potere promani mediatamente da Cristo e che l'istituzione divina dell'episcopato non impedisce che ai singoli la giurisdizione sia data dal Capo visibile della Chiesa.[89] Egli osserva infine che i termini di « fratello » e

---

membra, secundum quod exigit praecellens dignitas in ecclesiastica hierarchia » (*Breviloquium,* pars VI, cap. XII, ed. Quaracchi, 1891, t. V, p. 278).

« ... derivatio ministeriorum et iurisdictionum debet esse ab uno capite, scilicet Pontifice summo » (*Quaestiones disputatae*: *De perfectione Evangelica,* quaest. IV, art. III, n. 16, ed. Quaracchi, 1891, t. V, p. 192. Cf. anche *ibid.,* p. 97).

« Sicut in capite ad totius corporis ornamentum collectio sit sensuum universorum; sic in ipso summo Pontifice debet esse universarum collectio dignitatum » (*Quaestiones disputatae*: *De perfectione Evangelica,* quaest. IV, art. III, ed. Quaracchi, 1891, t. V, p. 195).

[86] « ... ergo omnis auctoritas est in uno, et ab illo in alios derivatur ... Nam in omni corpore virtus membrorum derivatur a capite, in omni arbore virtus ramorum oritur ex radice, in omnibus rivis aqua fluit ex fonte, omnium denique radiorum solarium lux est a sole ... probatur, ex inaequalitate iurisdictionum. Nam si Deus immediate conferret Episcopis iurisdictionem, omnes Episcopi haberent aequalem iurisdictionem, sicut habent aequaliter ordinis potestatem: Deus enim non determinavit unquam Episcoporum iurisdictionem, at modo unus Episcopus habet unum oppidum, alius centum oppida, alius multas provincias: non igitur a Deo, sed ab homine datur eiusmodi iurisdictio » (*Disput. de Controversiis*: *De Romano Pontifice,* Lib. IV, cap. XXIX, Mediolani 1721, t. I, p. 869).

[87] « ... si haberent Episcopi a Deo suam iurisdictionem, non posset Pontifex illam auferre, aut mutare. Non enim potest pontifex aliquid agere contra Dei ordinationem: at certum Pontificem id posse facere, et saepe fecisse. Unde *B. Bernardus* in Epistola 131 ad Mediolanenses: Potest, inquit, Romana Ecclesia novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt: potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit » (*Disput. de Controversiis*: *De Romano Pontifice,* Lib. IV, cap. XXIX, ed. cit., t. I, pp. 869-870).

[88] « Respondebunt, Episcopos habere iurisdictionem a Deo, sed tamen sub Pontifice, et ideo licere Pontifici illam tollere, vel mutare. At contra, nam Apostoli habuerunt potestatem sub Petro, et tamen quia eam habuerunt immediate a Christo, non poterat Petrus eam auferre, vel imminuere. Praeterea ordinis potestatem habent omnes Presbyteri sub Pontifice, et tamen quia eam habent a Deo, non potest Pontifex eam ita tollere, ut ii, si velint, non possint ea uti. Nam Presbyter, etiamsi Pontifex illum excommunicet, suspendat, interdicat, degradet, tamen si velit, vere consecrabit; denique in qualibet urbe clerus, et populus subiectus est Episcopo, et tamen si quis de clero, vel populo habet immediate a Pontifice summo aliquam auctoritatem, non potest Episcopus illam tollere, vel imminuere » (*Disput. de Controversiis*: *De Romano Pontifice,* Lib. IV, cap. XXIX, ed. cit., t. I, pp. 869-870).

[89] « Secundo obiiciunt illud Act. 20: " Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei ". Item Ephes. 4: " Ipse dedit quosdam Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores et Doctores ". Ubi nomine Pastorum et Doctorum intelliguntur Episcopi, ut eo loco exponit Hieronymus.

Respondeo, ad primum locum, dici Episcopos constitutos a Spiritu Sancto non immediate, sed mediate. Quia Apostoli inspirante Deo, et virtute accepta a Spiritu sancto illos

« collega » usati dai Romani Pontefici nel riguardo dei Vescovi, conformi al linguaggio antico della Chiesa, devono interpretarsi come segue: fratello, perché nella potestà di ordine ogni Vescovo è uguale al Papa; collega perché, con la potestà di giurisdizione, viene assunto dal Romano Pontefice a sostenere il medesimo onere.[90]

I capi delle scuole teologiche. Un criterio tradizionale attribuisce un'autorità e un valore particolare, per l'accettazione di una dottrina, all'insegnamento uniforme dei capi delle principali scuole teologiche.[91] Dopo S. Tommaso, S. Bonaventura e S. Roberto Bellarmino, è quindi opportuno vedere che cosa, a proposito del nostro problema, pensino anche *S. Raimondo di Peñafort, S. Antonino di Firenze* e *Francesco Suarez.*[92]

S. Raimondo di Peñafort, nella *Summa de Poenitentia* (a. 1222-1227), accoglie il principio che tutta l'autorità deriva da Pietro o dai suoi successori, e ciò come un'esigenza dell'unità della Chiesa.[93]

S. Antonino, con chiarezza cristallina, si esprime così: « Il Papa ha da Cristo la pienezza del potere di giurisdizione, gli altri Vescovi l'hanno in parte e tutti dal Papa ».[94]

Francesco Suarez tratta la questione ampiamente. Dopo aver respinto l'opinione di coloro che fanno derivare la giurisdizione dalla consacrazione episcopale, che definisce contraria alla dottrina comune dei teologi,[95] nota che i Vescovi eletti,

---

Episcopos constituerant. Quomodo etiam Act. 15 dicunt: " Visum est Spiritui sancto, et nobis "; et tamen de lege humana loquuntur: et Rom. 13: " Non est potestas nisi a Deo ". Nimirum mediate vel immediate.

Ad secundum dico, ibi exprimi generalem Ecclesiae ordinem, qui sine dubio de iure divino est. Deus enim est qui instituit, ut in Ecclesia essent Apostoli, Prophetae, Pastores et Doctores, etsi non omnibus immediate auctoritatem ipse dederit.

Quarto obiiciunt, ad ordinem Episcopatus exercendum necessaria est iurisdictio, ergo Deus, qui confert ordinem, confert etiam iurisdictionem. Respondeo, utrumque a Deo conferri, sed unum immediate, alterum mediate; quia unum, idest, potestas ordinis requirit characterem, et gratiam, quam solus Deus efficere potest; alterum, idest iurisdictio solum requirit superioris voluntatem » (*Disput. de Controversiis*: *De Romano Pontifice,* Lib. IV, cap. XXV, ed. cit., t. I, pp. 872-874).

[90] « Obiiciunt quinto, summus Pontifex Episcopos vocat fratres, et collegas, igitur ab uno communi Patre Deo Ecclesiae praeficiuntur. Respondeo, primum vocari fratres ratione ordinis Episcopalis, in quo sunt aequales. Secundo ratione iurisdictionis, quia assumuntur Episcopi a Pontifice ad suum ipsius onus sustentandum, non ad aliquod inferius ministerium » (*ibid.*).

[91] Cf. DENZ.-SCHÖN., *Enchiridion,* nn. 2876 e 2879.

[92] Cf. DENZ.-SCHÖN., *o. c.,* nn. 2564, 2565, 2567, 3914; *A.A.S.,* 45 (1953), p. 684.

[93] « Quod singulariter dixerit Petro: tibi dabo claves Regni Caelorum, quia illud fecit Dominus ad denotandam Ecclesiae unitatem, et ut omnes a Petro, ac quolibet eius successore acciperent suae potestatis originem, eique in omnibus tamquam membra capiti obedirent » (S. RAYMUNDUS DE PENÂFORT, *Summa de Poenitentia,* Lib. III, *De paenitentiis et remissionibus,* par. 61).

[94] « Ipse autem Petrus immediate a Christo accepit omnem plenitudinem iurisdictionis, et sic omnis eius successor, idest Papa, plenitudinem potestatis habet a Christo, alii autem episcopi et praelati in parte habent et omnes a Papa. Unde Gregorius inquit: " Romana ecclesia vices suas ita aliis impertivit ecclesiis, ut in partem sint vocatae sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis ", 2 quaest. 6 Decreto et can. sequenti » (S. ANTONINUS, *Summa Theologica,* pars III, t. XXII, cap. 4, verb. « septima »).

[95] F. SUAREZ, *Tractatus de legibus,* L. IV, c. IV, n. 4 ss.: « ... necesse est, ut sacerdos vel episcopus consecratus de novo fiat superior respectu talium subditorum, quia superior et subditus correlativa sunt, et ideo non potest unum fieri prius, quam aliud, neque unum

anche prima della consacrazione possono avere ed esercitare tale potere: [96] che la giurisdizione può essere data anche a chi non è destinato a ricevere la consacrazione; [97] che, sebbene l'episcopato sia di diritto divino, tanto per la potestà di ordine che per quella di regime, tuttavia non ne consegue che il conferimento della giurisdizione sia immediatamente da Cristo; [98] che, mentre la giurisdizione, per sua natura, deve essere determinata, la giurisdizione dei Vescovi non fu, né poté essere, definita per diritto divino, perché la giurisdizione episcopale è mutevole sia per il territorio, che per le persone e la materia; [99] pertanto Cristo commise la distribuzione di tale potere al suo Vicario.[100]

---

sine alio. Ergo cum applicatur materia, et fiunt subditi, superior accipit novam potestatem, et ius et quasi dominium in illos, quia per talem potestatem formaliter constituitur superior; ergo illa est etiam potestas iurisdictionis; ergo ultra potestatem datam per ordinationem, requiritur potestas iurisdictionis data per homines; ergo in idem revolvitur, et immerito prior vocatur potestas iurisdictionis etiam in habitu, quia est potestas omnino absoluta a subditis, quod repugnat iurisdictioni. Dicent fortasse, dicere habitudinem ad eos, qui possunt fieri subditi. At certe hoc modo quilibet homo habebit iurisdictionem activam regalem, quia habet rationem et voluntatem, quae habet potestatem imperandi eis, qui fieri possunt subditi; quod ridiculum est ».

[96] *Ibid.* n. 7: « ... in episcopo nullus est actus iurisdictionis, qui per se pendeat a consecratione; et ideo episcopus electus et confirmatus potest efficere ea, quae iurisdictionis sunt, ... Character seu consecratio episcopalis non est principium per se alicuius actus iurisdictionis; nullo ergo modo dici potest, quod sit iurisdictio activa, neque actu, neque habitu; quandoquidem sine illo principio fiunt omnes actus iurisdictionis episcopalis, et quando illud inest cum iurisdictione, solum se habet quasi concomitanter respectu actionum purae iurisdictionis, vel ut conditio quaedam significans personam, et constituens habilem ad alias actiones magis sacras ».

[97] *Ibid.* n. 8: « Et confirmatur primo, quia propter hanc causam tota iurisdictio episcopalis committi potest non episcopo, non solum quoad potestatem, sed etiam ut illa per seipsum uti possit; nec solum potest delegari, sed etiam ordinaria dari, ut est certum de multis abbatibus, et de praelatis religionum; ergo signum est, consecrationem episcopi non dare ullo modo potestatem iurisdictionis.

[98] *Ibid.* n. 12: « ... licet demus, episcopatus esse de iure divino, non solum quoad dignitatem ordinis, sed etiam quoad munus pastorale, non inde sequitur, institutionem, vel collationem talis muneris, vel iurisdictionis esse immediate a Christo ... ut si rex mittens proregem in Indiam, illi praecipiat constituere in provinciis ordinarios gubernatores, illi vero committat et modum potestatis illis conferendae, et munerum largitionem, non dicentur postea gubernatores illi habuisse munus a rege immediate, sed a prorege, licet ex regis praecepto, quia proxima mensura potestatis est voluntas ac iudicium proregis, et ipse est etiam proxima causa, quae ex vi suae potestatis alia officia providet; ita ergo erit in praesenti, posita praedicta institutione ».

[99] *Ibid.* n. 14: « Tertio declaratur eadem veritas ex differentia inter pontificiam dignitatem et officium episcopi: nam pontificia dignitas habet certam et immutabilem qualitatem et potestatem ex vi suae institutionis in his, quae ad substantiam eius pertinent, et ideo recte intelligitur esse potuisse, ac debuisse ex immediata institutione divina. Nam ex parte subditorum et territorii habet determinationem per modum universalitatis ... ideo illius potestatis origo immediate in Deum fertur, quia non est in hominibus potestas nec innata, nec extrinsecus data, a qua tanta celsitudo potestatis manare potuerit. At vero munus episcopale non habet certam qualitatem, aut determinationem ex vi iuris divini, neque in territorio, neque in personis subdendis huic vel illi episcopo, neque in actibus regiminis, neque in materia illorum ... ergo non potuit convenienter tale munus habere divinam institutionem immediatam, quae debet esse certa et praescripta. Qualis enim et quanta haec fuerit, ex iure divino definiri non potest; ergo nec ipsum munus in potestate iurisdictionis consistens fuit immediate institutum et datum a Christo, sed solum praeceptum et conmmissum Vicario suo ».

[100] « Quia non conveniens erat ut omnibus et singulis spiritualis iurisdictio sine ulla

La dottrina dei teologi. Giuseppe Hergenröther, nel 1872, riferiva un elenco di novanta autori di maggior fama, come favorevoli alla derivazione immediata della giurisdizione episcopale dal Romano Pontefice.[101]

L'enumerazione non aveva alcuna pretesa di essere completa.[102]

Sulla questione connessa alla precedente, e cioè se l'autorità dei Concili Ecumenici derivi solo dal Romano Pontefice, *Eugenio IV,* seguendo l'esempio del

---

limitatione daretur, et cum varietate et limitatione non poterat immediate ab ipso Christo concedi, idcirco conveniens fuit, ut vicario suo illam distributionem committeret » (F. SUAREZ, *Defensio fidei cath.,* IV, 9-26).

[101] J. HERGENROETHER, *Katholische Kirche und christlicher Staat,* Freiburg in Br. 1872, p. 880. L'elenco è il seguente: 1) Alexander de Hales; 2) S. Albertus M.; 3) S. Bonaventura; 4) S. Thomas; 5) Richardus de Mediavilla; 6) Duns Scotus; 7) Durandus a S. Porciano; 8) Herväus Natalis; 9) Petrus de Palude; 10) Alexander a S. Elpidio; 11) Augustinus Triumphus; 12) Ioannes Bacon in Anglia; 13) Alvarus Pelagius; 14) Aegidius Romanus; 15) Simon Fidatus; 16) Thomas de Argentina; 17) Petrus Bertrandus; 18) Thomas Waldensis; 19) Ioannes Capistranus; 20) S. Vincentius Ferrerius; 21) Ioannes Capreolus; 22) Ioannes a Turrecremata; 23) S. Antoninus; 24) S. Laurentius Iustiniani; 25) Dionysius Carthusianus; 26) Hieronymus Savonarola; 27) Georgius Scholarius; 28) Gabriel Biel; 29) Card. Caietanus; 30) Alphonsus Tostatus; 31) Sylvester Prieras; 32) Stanislaus Hosius; 33) Reginaldus Polus; 34) Thomas Campeggius; 35) Gaspar Contarini; 36) Wilhelmus Lindanus; 37) Robertus Arboricensis; 38) Ioannes Faber; 39) Ioannes Fischer; 40) Nicolaus Sander; 41) Ioannes von Löven; 42) Driedo; 43) Iacobus Latomus; 44) Thomas Stampleton; 45) Ioannes Eck; 46) Abraham Bzovius; 47) Balth. Nardus; 48) Balduinus Iunius; 49) I. Gretser; 50) Fr. Macedo; 51) I.B. Fragosi; 52) Dom. Maria Marchese; 53) Angelus Petricia; 54) Boverius; 55) Petrus Labat; 56) Vincentius Ferre; 57) Em. Schelstrate; 58) Salmeron; 59) Vargas; 60) Maucler; 61) Melchior Cano; 62) Dominicus Soto; 63) Bannez; 64) Blorius; 65) Duval; 66) Ioannes a Celaja; 67) Charlas; 68) Coeffeteau; 69) Barthol. Urbians; 70); Peregrinus Nasellus de Padua; 71) Malder; 72) Lainez; 73) Suarez; 74) Bellarminus; 75) Gregorius de Valentia; 76) Franciscus Amicus; 77) Petavius; 78) Muzzarelli; 79) Bennettis; 80) Viator a Cocaleo; 81) Benedictus XIV; 82) Card. Vincentius Petra; 83) Prosper Fagnaus; 84) Kilber; 85) Schmalzgrueber; 86) Reiffenstuel, qui citat etiam Pirhing, Engel et alios; 87) Philipps K.R.; 88) Wetshoff; 89) Beidtel; 90) Maassen. *Der Primat des Bischofs von Rom* 1853, p. 138, nota 4.

[102] Fra i teologi, ad esempio, possono aggiungersi: 91) P.N.M. PALLAVICINO, *Difesa del Pontificato Romano,* Roma 1687, t. I, lib. 3, cap. 19, n. 3, p. 130; 92) F. LEYTAM, *Impenetrabilis Pontificiae dignitatis clypeus,* Romae 1695, p. 12; 93) A.T. SCHIARA ASTENSI, *Romanus Pontifex,* Romae 1712, p. 461; 94) M. PETITDIDIER, *Trattato teologico dell'autorità ed infallibilità de' Papi,* Roma 1831, p. 258; 95) LIBERIUS A IESU, *Controversiarum scholastico-polemico-historico-criticarum,* tomus I, Mediolani 1743, tom. I, pp. 485-6; 96) I. ORSI, *De irreformabili Romani Pontificis in definiendis fidei controversiis iudicio,* Romae 1772, ed. II, t. I, pars I, p. 91; 97) F. XAV. ALGERIUS, *Institutiones Theologicae,* Venetiis 1790, t. V, lib. II, prop. 15, n. 23, p. 137 s.; 98) M. TALUCCI, *Della obbedienza dovuta al Pontefice,* Roma 1817, pp. 21-2; 99) C. SARDAGNA, *Theologia Dogmatico-polemica,* Roma 1820, tom. VII, art. VI, controv. II, n. CDXXXIV, p. 483, che dice la sentenza « Communissima theologorum »; 100) F.C. BILLUART, *Summa Sancti Thomae sive Cursus Theologiae,* Lugduni-Parisiis, ed. nova 1852, t. V, p. 169; 101) F. LEBRETON, *Petite Somme Théologique,* Paris 1862, t. IV, p. 544; 102) F.H. REINERDING, *Theologiae Fundamentalis tractatus duo,* Monasterii Guestphalorum, 1864, tractatus posterior, n. 358, p. 205; 103) BONAVENTURA A S. BERNARDO, *Trattato teologico sulla Chiesa,* Napoli 1868, vol. 2, p. 306; 104) A. BONAL, *Institutiones Theologicae,* Tolosae, Parisiis 1869, t. I, p. 469, definisce la sentenza « rationi et auctoritati conformior »; 105) R. CERCHIA, *De Ecclesia vera Christi et de Romano Pontifice,* Neapoli 1869, vol. II, p. 175; 106) I. ANDRIES, *Doctrina A. Salmeronis de iurisdictione Episcoporum,* Mogunt. 1871; 107) TEISSONNIER, *Compendium Theologiae dogmaticae,* Nemausi 1872, t. I, p. 599, « Communior et probabilior sententia »; 108) FR. PARRIOT, *Praelectiones Dogmaticae,* Lingonis 1876, De Ecclesia, pp. 270-271; 109) D. PALMIERI, *Tractatus de Romano Pontifice,* Romae 1877, p. 373; 110) C. MAZZELLA, *De Religione et Ecclesia,* Romae 1885, p. 782 ss.; 111) Professores

B. Gregorio X[103] e di *Bonifacio VIII,*[104] respinse decisamente, come si vide,[105] l'opinione contraria.

A questi tre Pontefici, possono aggiungersi tutti gli altri che hanno affermato il principio, secondo il quale solo la Chiesa Romana ha la pienezza dell'autorità, a partecipare della quale essa chiama le altre Chiese.[106]

Insegnano che i Concili Ecumenici non hanno autorità se non dai Sommi Pontefici: 1) S. Alberto M.; [107] 2) S. Tommaso; [108] 3) S. Bonaventura; [109] 4) S. An-

---

Theologiae Seminarii Claromontensis (Sulpiziani): *Theologia Dogmatica et Moralis,* Parisiis 1889, t. I, p. 511, « alii communius et verius asserunt ... »; 112) H. HURTER, *Theologiae Specialis* pars altera, n. 9, 1896, n. 510; 113) G. WILMERS, *De Christi Ecclesia,* Ratisbonae 1897, L. III, c. III, a. II, pp. 366-370; 114) I.V. DE GROOT, *Summa Apologetica de Ecclesia Catholica,* Ratisbonae 1906, pp. 600-603; 115) C. PESCH, *Praelectiones Dogmaticae,* Friburgi Brisg. 1909, t. I, pp. 252-253; 116) A. STRAUB, *De Ecclesia Christi,* Oeniponte 1922, pp. 157-158; 117) I. MUNCUNILL, *Tractatus de Christi Ecclesia,* Barcinonae 178-914, p. 492 ss.; 118) L. BILLOT, *De Ecclesia Christi,* Romae 1921, t. I, p. 682 - *De Ecclesiae Sacramentis,* Romae 1922, t. II, p. 314; 119) H. DIECKMANN, *De Ecclesia,* Friburgi Brisg. 1925, t. I, p. 413; 120) H. VAN LAAK, *Theologia fundamentalis,* Romae 1921, pp. 314 ss.; 121) E. MURA, *Le Corps Mystique du Christ,* Paris 1934, t. I, p. 199; 122) L. LERCHER, *Institutiones Theologiae Dogmaticae,* vol. I, ed. 3, nn. 466-467, che dice la sentenza « fere communem » (*ibid.,* n. 465); 123) T. ZAPELENA, *De Ecclesia Christi,* 1940, pp. 585-587, che dice la sentenza « communem »; 125) I. SALAVERRI, *Theologia Fundamentalis*: *De Ecclesia Christi,* Madrid 1958, n. 374; 126) M. SCHMAUS, *Katholische Dogmatik,* Munchen 1958, vol. III, 1, pp. 494-495; 127) C. VAN NOORT, *Tractatus de Ecclesia Christi,* 5 ed., Hilversum 1960, n. 200; 128) J.M. HERVÉ, *Manuale Theologiae Dogmaticae,* ed. 1962, vol. I, n. 461, che dice questa sentenza « omnino certam » dopo le Encicliche di Pio XII; 129) CH. JOURNET, *L'Eglise du Verbe Incarné,* 3 ed., 1962, pp. 519 ss.; 130) S. TROMP, *De Christo Capite Mystici Corporis,* Romae 1960, pars altera, pp. 421-422.

Il Vescovo Bartolomeo D'Avanzo, nella Relazione sulla Costituzione dogmatica *Pastor Aeternus,* letta nella Congregazione Generale del 15 giugno 1870, dice: « Apostoli ergo solvunt, sed ope clavium quae datae sunt Petro » (MANSI, 52, 717).

I Canonisti sono pressoché unanimi nella nostra sentenza. Già E. PIRHING (*Ius Canonicum,* L. I, tit. XXXI, n. 39) la diceva: « communem theologorum et canonistarum ». Tra i più recenti, che hanno insegnato a Roma, mi limito a citare: 131) C. TARQUINI, *Iuris publici ecclesiastici Institutiones,* ed. 16, Romae 1896, p. 84; 132) C. LOMBARDI, *Iuris Canonici privati Institutiones,* ed. II, Romae 1901, vol. I, pp. 231 ss.; 133) F. CAVAGNIS, *Institutiones Iuris Publici Ecclesiastici,* ed. 4, Romae 1906, n. 58; 134) B. OIETTI, *Synopsis rerum moralium et Iuris Pontificii,* ed. 3, Romae 1911, vol. II, ad V. *Episcopatus* n. 1986; 135) A. BLAT, *Commentarium Textus C. I. C.,* Romae 1921, Lib. II, p. 60; 136) PH. MAROTO, *Institutiones Iuris Canonici,* tom. I, Romae 1921, p. 569; 137) F.X. WERNZ-P. VIDAL, *De Personis,* Romae 1928, n. 579; 138) MATTH. CONTE A CORONATA, *Institutiones Iuris Canonici,* vol. I, ed. a. 1928, n. 392; 139) F.M. CAPPELLO, *Summa Iuris Publici Ecclesiastici,* ed. 5, Romae 1945, n. 367, che dice questa sentenza: « omnino certam »; 140) A. OTTAVIANI, *Compendium Iuris Publici Ecclesiastici,* ed. 4, 1954, p. 125.

[103] Cf. *sopra,* nota 42.

[104] Cf. *sopra,* nota 43.

[105] Cf. *sopra,* nota 55.

[106] Cf. *sopra,* pp. 586-594.

[107] Cf. *sopra,* nota 81.

[108] « Sancti enim Patres in conciliis congregati, nihil statuere possunt, nisi auctoritate romani Pontificis interveniente, sine qua nec concilium congregari potest » (Contra impugnantes Dei cultum et religionem, cap. III, VI, n. 159). « Ad solam auctoritatem summi Pontificis pertinet nova editio symboli, sicut et omnia alia, quae pertinent ad totam Ecclesiam » (*Summa Theologica,* II, II, qu. I, a. 10).

[109] *Breviloquium,* pars VI, c. XII; *De perfectione evangelica,* qu. IV, a. 3. Cf. *sopra,* note 84-85.

tonino di Firenze;[110] 5) S. Roberto Bellarmino.[111] Oltre questi Santi Dottori, vengono citati molti altri teologi.[112]

L'insegnamento dei Concili Provinciali. Sono in dovere di dichiarare di non avere avuta la possibilità di eseguire una consultazione completa. Posso però in coscienza affermare di non avere trovato un solo Concilio Provinciale che faccia derivare dalla consacrazione la giurisdizione episcopale. Per l'origine immediata di questa dal Romano Pontefice ho trovato, tra gli antichi: 1) il Concilio di Reims del 900.[113] Tra i recenti: 2) il Concilio Provinciale di Albi del 1850;[114] 3) il Concilio Provinciale di Lione del 1850;[115] 4) il Concilio Provinciale di Bordeaux

---

[110] *Summa Theologica,* tit. XXIII, *De Conc.*, cap. II, IV.

[111] *De Concilio et Ecclesia,* c. XIV.

[112] M.R. Gagnebet, in *Divinitas,* 1961, p. 432, nota 4, senza voler dare un elenco completo, cita i seguenti: Alvarus Pelagii (1326), *De Planctu Ecclesiae,* cap. VI, p. 276; Am. Chiroli (1671), *De Sacris Conc.,* VI, p. 392; A. Duvalii (1620), *De Concil. eorumque comp. cum Papa,* pp. 574-5; Anton. Paolutti (1680), *De Comitiis ecclesiasticis,* c. VI, 4-5, pp. 435; A. Perez (1620), *Penthateucum fidei,* dub. V, c. VI, p. 723; n. 66; Ioann. Bapt. Fragosi, *De obligatione Summi Pontificis,* L. I, disp. I, nn. 62 ss., p. 143; Ciprianus Beneti, *De prima Orbis Sede* (1512), pp. 763, 765; Did. Nugni (1601), *in III Partem S. Thomae sppl.,* qu. XX, a. 3, diff. V, p. 264; 2 concl., p. 265; D. Gravina (1601), *De causis Conciliorum,* a. VII, pp. 878-892. Dom. Marchesi (1680), cap. vis Eccl., disp. V, de comp. Papae et Conc., dub. I, par. 2, p. 784; Dominicus a S. Thoma (1580), *Man. Thom.,* vol. IV, *De Ecclesia Christi et de Papa,* sect. XXII, p. 207; Dominicus a SS. Trinitate (1680), *Bibl. Theol.,* t. III, sect. V *De Conciliis,* cap. XI, 50 Supponendum, p. 552, et Concl. 553; Eugenii Lombardi (Cel. Sfondratus) (1684), *Regale Sacerdotium,* I, II, p. 431; Suarez (1617), *in II II De Conc.,* p. 614; Ioannes de Torquemada (1468), *Tract. de Ecclesia,* 1, III, *De Conc.,* cap. XVIII-XXII, pp. 509-518. Cf. eiusdem Oratio Synodalis, *de Primatu,* ed. Candar, inter doct. et Script. Conc. Flor., ser. B, fasc. II, Romae 1954; Thomassinus, *Dissertatio XI in Conc. Constantinopolitanum sub Flaviano, et Conc. Ephesinum II,* n. 1, p. 496; n. 12, p. 499; Labat P. (1670), *De gratia et de Virt. theol.,* vol. IV (1659), p. 92, Tract. III, disp. I, dub. III, confirm. IV, p. 55; Silvester Prieras (1523), *De irrefragabili Rom. Eccl. Ver.,* c. X, 260 b; 271; 278; Thomas Campeggi (1564), *De Auct. et potest. Romani Pontificis in Ecclesia Dei,* p. 600; Thomas Stapeltoni (1598), *Vera admiranda seu de magnitudine Romanae Ecclesiae,* 1. II, controv. VI capitalis, p. 119; Vincentius Ferre (1682), *Tract. de virt. Theologicis,* q. XV, p. 440. Inoltre: Dom. Giacobazzi (1515), *De Conc.,* 1. II, p. 61 e 1. V, *De iurisdictione Concilii,* pp. 199-202, 269-271, 1. VI, 1. X, pp. 471-500; P. Fabulotus Romanus (1613), *De potestate Papae supra Concilium,* disp. Theol., cap. IV, p. 644; B. Carranza, *Quattuor controv. De Auctor. et Conc. explicatio,* IV Contr., pp. 696-699; Petrus De Monte (1460), *De Monarchia,* p. 724; Ioannes Antonius Delphinus (1560), *De tractandis in Conc. Oecum.,* cap. V, p. 586; Caietanus (1510), *De comparatione auctoritatis Papae et Concilii,* c. VII (ed. Pollet, nn. 91-92); c. VIII, 106; c. XVI, 225-226; *Apologia eiusdem tractatus,* 677, 680, 695-696; Ioannes a S. Thoma (1644), In II II, qu. I, a. X, disp. I, a. III, nn. 691-692; Zaccaria, *Antifebronius vindicatus,* Dissertatio IV, c. VI, Romae 1863, p. 183; Mazzella, *De religione et Ecclesia,* ed. IV (1892), p. 798; De Groot, *Summa apologetica de Ecclesia* (1906), pp. 477-478; Schultes, *De Ecclesia Christi* (1931), pp. 489-490; D'Herbigny, *Theologia de Ecclesia* (1921), II, p. 295; Diekmann, *De Ecclesia* (1925), p. 83; Billot, *De Ecclesia Christi* (1927), p. 584, p. 723; Lercher, *Inst. Theol. Dogm.* I (1951), p. 277; Journet, *L'Eglise du Verbe Incarné,* I, 2 ed., p. 530 et 536; Forget, *Concile, DTC,* III, 2, coll. 643, 652, 654; Iung, *DDC,* III, coll. 283-5, 1293; Naz, *Traité de Droit Canonique, Des personnes,* I, p. 370.

[113] « Auctoritate episcopis per beatum Petrum principem apostolorum divinitus conlata, ipsos sanctae matris ecclesiae gremio segregamus », cioè quelli che avevano ucciso l'Arcivescovo Fulcone (Mansi, *o. c.,* 18, 183).

[114] « Apostolica illa Potestas ex qua omnis episcopalis et sacerdotalis auctoritas dimanat et roboratur » (*Collectio Lacensis,* IV, 407).

[115] « Legitimus Petri successor, habet in universa Ecclesia primatum honoris et iurisdictio-

del 1850; [116] 5) il Concilio Provinciale di Aix del 1850; [117] 6) il Concilio Provinciale di Tolosa del 1850; [118] 7) il Concilio Provinciale di Baltimora del 1852; [119] 8) il Concilio Provinciale di Dublino del 1853; [120] 9) il Concilio Provinciale delle Colonie d'Inghilterra, d'Olanda e di Danimarca del 1854; [121] 10) il IV Concilio della Provincia di Québec del 1868.[122]

La disciplina ecclesiastica. Il can. 109 del C.I.C. (si vedano anche le sue fonti), dopo avere distinto il potere d'ordine da quello di giurisdizione, dice che il primo si ha con la sacra ordinazione o consacrazione; per la giurisdizione nuovamente distingue: se si tratta del pontificato supremo, la giurisdizione sovrana si ha per diritto divino; se si tratta degli altri gradi, nei quali è compreso l'episcopato, la giurisdizione si ha con la « missio canonica ». È facile rilevare come i principi enunciati in questo canone sono di ordine dottrinale e non semplicemente disciplinare. A norma poi del can. 332, § 1 (si vedano anche le fonti), la concessione della « missio canonica » spetta esclusivamente al Romano Pontefice.

Per la Chiesa Orientale, il can. 39 del Motu Proprio *Cleri Sanctitati* dell'11 giugno 1957,[123] stabilisce un'identica norma.

Le leggi ecclesiastiche vanno interpretate secondo il significato proprio delle parole (can. 18), e un Codice non può confondere il diritto col semplice esercizio, tanto meno lo confonde il C.I.C. (si vedano per es. i cann. 1672, §§ 1, 2, 3; 1674; 1692).

Si dovrà dunque dire che su questa materia il Supremo Legislatore Ecclesiastico è stato sinora in contrasto col diritto divino?

La deposizione, la degradazione, come indicano queste stesse parole, compor-

---

nis, ita ut ex eo tanquam e spiritualis auctoritatis fonte omnia procedant » (*Collectio Lacensis,* IV, 468).

[116] « Inde omnium Ecclesiarum iura dimanant » (*Collectio Lacensis,* IV, 542).

[117] « Qui claves ceteris communicandas soli commisit; pro quo singulariter rogavit ut non deficeret fides eius, et quem fratres confirmandi auctoritate insignivit; cui tandem totius gregis pascendi curam ita absolute et indiscrete demandavit ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus » (*Collectio Lacensis,* IV, p. 965).

[118] « Episcoporum auctoritas ex eo praecipue commendatur quod Episcopatus per Apostolum Petrum in Christo coepit exordium (*Epist. S. Siric. Pap. ad Episc. Afric.* n. I). Christus quidem Apostolis, in quorum locum successerunt Episcopi (Concil. Trident. sess. 23, de ordine, cap. 4), suam potestatem his verbis tribuit: " Sicut misit me Pater et ego mitto vos (*Io.* 20, 21). Euntes docete omnes gentes, baptizantes ... Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (*Mt.* 28, 19 et seq.) "; tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Atque illa prorsus divina ordinatione, sicut Deus unus est et Christus unus, ita et grex unus ostenditur, et una Ecclesia et Cathedra una Domini voce fundata » (*Collectio Lacensis,* IV, 1034).

[118] « Fons igitur huius auctoritatis Christus est; canalis vero, per quem ad cetera Ecclesiae membra dimanat, Romanus Episcopus ... illa Cathedra, ex qua sacerdotalis unitas sumpsit exordium, agnoscatur, sicut est, arx et domicilium ecclesiasticae auctoritatis, eorumque omnium fons et origo » (*Collectio Lacensis,* III, 1144-1146).

[120] « Cum Apostolica Sede, omnia spiritualis iurisdictionis fonte ac principio, cohaeremus » (*Collectio Lacensis,* III, 1310).

[121] « Sanctam Sedem, ex qua unitas sacerdotalis exorta est, iuxta S. Cypriani verbum, et profluit quidquid in Episcopis auctoritatis est, ut aiebat Innocentius I » (*Collectio Lacensis,* III, 1095).

[122] « Legitimum Petri successorem, habere Primatum in universa Ecclesia, ita ut ab eo, tanquam e spiritualis auctoritatis fonte, omnia procedant » (*Collectio Lacensis,* III, 706).

[123] *A.A.S.,* 49 (1957), p. 448.

tando la perdita della dignità e dell'ufficio, sono state finora interpretate come recanti la perdita della giurisdizione. Le fonti, anche antiche, sia Pontificie che Conciliari, parlano di privazione della potestà, in senso assoluto.[124] Orbene, se i Vescovi avessero « iure divino », per mezzo della consacrazione, tanto la giurisdizione quanto la potestà di ordine, come non possono mai perdere questa, così non potrebbero mai venire privati della giurisdizione: un'autorità inferiore, come è quella del Romano Pontefice rispetto a quella di Cristo, non potrebbe mai né revocare, né restringere, né modificare ciò che è dato per diritto divino. È detto nello schema *De Ecclesia* che spetta al Romano Pontefice moderare, concedere, negare, revocare l'esercizio della giurisdizione. Ma si risponde che in tal modo una disposizione pontificia può rendere illecito l'uso della giurisdizione, mai invalido, così come l'uso della potestà di ordine, vietato dal Romano Pontefice, è illecito, non nullo. Invece, il can. 2264 distingue i casi nei quali l'esercizio della giurisdizione è illecito, da quelli nei quali è invalido. Anche su questo punto, se lo schema fosse nella verità, l'Enciclica di Pio XII *Ad Apostolorum Principis,* che abbiamo sopra riferito a pag. 594, sarebbe nell'errore.

Secondo la Costituzione *Pastor Aeternus,* il Romano Pontefice ha tutta la pienezza del potere di giurisdizione; [125] è quindi certo, e la legislazione antica e moderna della Chiesa lo conferma,[126] che egli può dare la giurisdizione episcopale,

---

[124] *Il Concilio di Epheso* del 431 per la deposizione di Nestorio: « Igitur dominus noster Iesus Christus blasphemis illius vocibus impetitus, per sanctissimam hanc synodum eumdem Nestorium episcopali dignitate privatum, et ab universo sacerdotum consortio et coetu alienum esse definivit » (I.D. MANSI, *o. c.,* 4, 1925).

S. Simplicio nel 475 scriveva ai Vescovi Fiorenzo, Equizio e Severo: « Relatio nos vestrae dilectionis instruxit, et gestorum series plenius intimavit Gaudentium Aufiniensis Ecclesiae sacerdotem, contra statuta canonum, ac nostra praecepta, ordinationes illicitas perpetrasse, quarum illi totam penitus auferri praecipimus potestatem » (*Bullarium Romanum,* ed. Taurinensis, I, 88).

S. Zosimo Papa, il 29 settembre 417, a Patroclo, Vescovo di Arles: « ... hoc addimus nostra sententia, ut quisquis de cetero vel summo sacerdotio ... crediderit cumulandum, sciat et se gradus sui subire iacturam, nec in illum valitura esse quae contulit ... » (MIGNE, *PL* 20, 669).

S. Bonifacio Papa, il 3 marzo 422, a Rufo di Tessalonica: « Maximum autem, quem male tua caritas retulit ordinatum, in totum sacerdotii honore privandum » (MIGNE, *PL* 20, 776-777).

S. Felice III, il 28 luglio 484 depone Acacio di Costantinopoli, con queste parole: « sacerdotali honore et communione catholica, nec non etiam a fidelium numero segregatus, sublatum tibi nomen et munus ministerii sacerdotalis » (*Bullarium Romanum,* ed. cit., I, 92). *Innocenzo III* nel Concilio Lateranense IV: « Si quis enim episcopus super expurgando de sua dioecesi haereticae pravitatis fermento negligens fuerit vel remissus, quum id certis indiciis apparuerit, et ab episcopali officio deponatur, et in locum ipsius alter substituatur idoneus, qui velit et possit haereticam confundere pravitatem » (MANSI, *o. c.,* 22, 989; c. 13, Excommunicamus, X, V, 7 De haereticis). *Leone XIII,* nell'Enciclica *Satis cognitum* del 29 giugno 1896: « Ex quo plane intelligitur, excidere episcopos iure ac potestate regendi, si a Petro eiusve successoribus scientes secesserint ... regnoque extorres, cuius uni Petro datae divinitus claves » (*Fontes, C. I. C.,* III, p. 490). (Cf. anche E. VACANDARD, in *Dictionnaire de Théologie Catholique,* v. *Déposition et Dégradation*).

[125] DENZ.-SCHÖN., *o. c.,* n. 3064.

[126] Si veda per es. il can. 334, §§ 2 e 3 e le sue fonti. Per la Chiesa Orientale si veda il Sinodo Siro di *Sciarfe* del 1888, il quale dà al Vescovo eletto il potere di costituirsi un Vicario Generale « ex quo canonice sedet videlicet ex quo Sedem canonice ingreditur etsi adhuc ordinem episcopalem non susceperit » (Synodus Sciarfensis Syrorum in Monte Libano

in senso pieno, anche a chi non ha ricevuto la consacrazione; non si vede quindi come e per quale motivo la giurisdizione dovrebbe essere data da Cristo: Dio non fa cose inutili.

Infine è detto nello schema *De Ecclesia* (pag. 64, rr. 29-32), che il Corpo Episcopale esercita nel Concilio Ecumenico il suo potere supremo e universale in modo solenne, e che questo potere è proprio del Collegio (pag. 64, r. 26), del quale ogni Vescovo e solo chi è Vescovo, è membro, in virtù della consacrazione (pag. 66, rr. 33-36). In modo analogo si esprime lo schema *De pastorali Episcoporum munere* a pag. 7, rr. 5-7. Invece il C.I.C. stabilisce che di diritto sono membri del Concilio, con suffragio deliberativo, i Vescovi residenziali anche non consacrati (can. 293, § 1, n. 2), mentre i Vescovi titolari, anche consacrati, non hanno questo diritto (can. 223, § 2). Vengono inoltre convocati, con suffragio decisivo, gli Abati e Prelati nullius, gli Abati Primati, gli Abati Superiori delle Congregazioni monastiche, i Superiori Moderatori delle religioni clericali esenti, anche se non sono Vescovi (can. 223, § 1, nn. 3-4).

Conviene quindi concludere: o che la disciplina della Chiesa universale, in materia di diritto divino, è in contrasto con esso; oppure che lo schema va modificato; e si deve aggiungere: o quanto è asserito nello schema a questo proposito è erroneo; oppure sono invalidi, o almeno dubbiamente validi, i Concili Ecumenici del passato, nei quali hanno esercitato il diritto del voto i Prelati non Vescovi o i Vescovi non ancora consacrati.

Se il Corpo episcopale sia soggetto di potestà suprema e universale. Negli schemi si trova un'altra grave affermazione, cioè: il Concilio Ecumenico non è altro che un modo, il più solenne, di esercizio di quel potere supremo e universale, di cui il Corpo episcopale per diritto divino è il soggetto (schema *De Ecclesia,* pag. 64, rr. 9-11; schema *De pastorali Episcoporum munere,* pag. 7, rr. 1-7).

Questa proposizione si fonda sul principio che la giurisdizione viene conferita immediatamente da Cristo nella consacrazione episcopale. Dimostrata, come si vedrà,[127] l'infondatezza di questo principio, cade anche l'affermazione conseguente. Contro di essa stanno inoltre le testimonianze dei Padri, degli antichi Scrittori Ecclesiastici, dei Romani Pontefici, dei Santi Dottori e dei Teologi che fanno derivare da Pietro ogni potere di giurisdizione. Si vedano in modo particolare, come diretti contro la opinione accolta nello schema, i testi del B. Gregorio X, di Bonifacio VIII, di Eugenio IV e di molti altri Pontefici,[128] di S. Alberto M.,[129] di S. Bonaventura,[130] di S. Roberto Bellarmino,[131] di S. Antonino di Firenze,[132] di Francesco Suarez.[133]

Gregorio XVI, nell'Epistola Apostolica del 17 settembre 1833, respinge, in-

---

celebrata a. 1888, p. 245, 4, II); e il Sinodo Armeno del 1911: « Electus in Episcopum et confirmatus rite exercet quae iurisdictionis sunt; quae autem ordinis episcopalis, non nisi post consecrationem » (*Acta et Decreta Concilii nationalis Armenorum,* Romae habiti, a. 1911, n. 243).

[127] Cf. pp. 609-610.

[128] Cf. *sopra,* pp. 591, 600-601.

[129] Cf. *sopra,* p. 596.

[130] Cf. *Breviloquium,* pars VI, c. XII; *De perfectione evangelica,* qu. IV, a. 3. Cf. *sopra,* p. 596.

[131] Cf. *De Concilio et Ecclesia,* c. XIV.

[132] Cf. *Summa Theologica,* tit. XXIII, *De Conc.,* cap. II, IV.

[133] Cf. *sopra,* pp. 598-599.

sieme con altre, la proposizione che fa risiedere in tutto l'Episcopato, e non nel solo Romano Pontefice, la potestà suprema di governo nella Chiesa.[134]

Il Concilio Vaticano I dice che i Vescovi sono veri pastori, ciascuno dei quali governa il singolo gregge a lui affidato.[135]

Leone XIII, nell'Epistola *Iampridem* del 6 gennaio 1886, ricorda ai Vescovi della Prussia che la questione sorta con le autorità civili di quel regno, a proposito dei Seminari, evade dalla loro competenza, che è quella delle singole diocesi ed entra nel novero delle altre, che sono proprie dell'autorità suprema e universale della Chiesa.[136]

Lo stesso Sommo Pontefice, nell'Encicl. *Sapientiae,* del 1° gennaio 1890, distingue la potestà universale del Romano Pontefice da quella dei Vescovi, ciascuno dei quali governa una Chiesa particolare.[137]

Ancora *Leone XIII,* nell'Enciclica *Satis cognitum,* del 29 giugno 1896, dichiara che solo a Pietro, Cristo ha dato il potere delle chiavi, cioè della suprema giurisdizione,[138] e aggiunge che la potestà del Romano Pontefice è somma, universale, e assolutamente indipendente; quella dei Vescovi è limitata e non del tutto indipendente.[139]

Pio XI, nell'Enciclica *Rerum Ecclesiae,* del 28 febbraio 1926, dice che, per disposizione divina, ogni Vescovo presiede alla propria parte del gregge di Cristo.[140]

Pio XII nell'Enciclica *Fidei donum* del 21 aprile 1957 ha il passo seguente: « Senza alcun dubbio, al solo Apostolo Pietro ed ai suoi successori, i Romani Pontefici, Gesù ha affidato la totalità del suo gregge: " Pasci i miei agnelli, pasci le mie pecore " (*Io.* 21, 15-17); ma, se ogni Vescovo è pastore proprio soltanto della porzione del gregge affidata alle sue cure, la sua qualità di legittimo successore degli Apostoli per istituzione divina lo rende solidamente responsabile della missione apostolica della Chiesa, secondo la parola di Cristo ai suoi Apostoli: " Come il Padre ha mandato me, così io mando voi " (*Io.* 20, 21). Questa missione, che deve abbracciare tutte le Nazioni e tutti i tempi (cf. *Mt.* 28, 19-20), non è cessata alla morte degli Apostoli, essa dura nella persona di tutti i Vescovi in comunione con il Vicario di Gesù Cristo ».[141]

Anche questo testo parte dal principio generale che non ammette « alcun dubbio », secondo il quale Cristo ha affidato « la totalità del suo gregge », quindi

---

[134] « Omnes episcopos, utpote apostolorum successores, parem, ac supremam Ecclesiae regendae potestatem a Christo accepisse, eamque non in solo Romano Pontifice, sed in toto episcopatu residere » (*Fontes, C. I. C.,* II, 755).

[135] « ... episcopi, tamquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt » (DENZ.-SCHÖN., *Ench.,* 3061).

[136] *Fontes, C. I. C.,* III, pp. 255-256.

[137] *Fontes, C. I. C.,* III, 337.

[138] Cf. *sopra,* nota 67.

[139] « Profecto cuius in potestate sunt claves regni, ei ius atque auctoritas est non tantum in provincias singulares, sed in universas simul: et quo modo episcopi in regione quisque sua non solum privato cuique, sed etiam communitati vera cum potestate praesunt, ita Pontifices romani, quorum potestas christianam rempublicam totam complectitur, omnes eius partes, etiam una collectas, subiectas atque obedientes habent potestati suae ... Sed romani Pontificis potestas summa est, universalis, planeque sui iuris; episcoporum vero certis circumscripta finibus, nec plane sui iuris » (*Fontes, C. I. C.,* III, pp. 492-493).

[140] Cf. nota 172.

[141] Cf. *A.A.S.* 49 (1957), pp. 236-237.

il suo potere universale, al solo Pietro ed ai Romani Pontefici. Il testo medesimo conferma poi che ogni Vescovo è pastore in senso proprio, cioè con potere di giurisdizione propria, solo dei fedeli affidati alle sue cure; è quindi escluso, per ogni Vescovo, l'universalità della giurisdizione. È però certo che ogni Vescovo deve promuovere nella propria diocesi gl'interessi della Chiesa universale, ordinando e subordinando ad essi quello particolare della propria diocesi; questa infatti è come il membro di un corpo e il bene o il male di un membro ridonda in bene o in male di tutto il Corpo Mistico di Cristo. In questo senso si può ben dire che ogni Vescovo governa direttamente solo la propria diocesi, ma indirettamente influisce, attraverso ad essa, sul governo della Chiesa universale.[142] In questo senso va inteso il resto del passo riferito dell'Enciclica.

Precisamente Pio XII ha più volte manifestato in proposito il suo pensiero, sia nell'Enc. *Mystici Corporis,*[143] sia nell'Enc. *Apostolorum Principis,*[144] sia nel discorso del 31 maggio 1954 in cui disse: « All'infuori dei legittimi successori degli Apostoli, cioè del Romano Pontefice per la Chiesa universale e dei Vescovi per i fedeli affidati alle loro cure (can. 1326), non esistono, per diritto divino, altri maestri »; [145] nell'Allocuzione ai Vescovi del 2 novembre 1954 determina quali sono i legittimi Pastori, cioè il Romano Pontefice per tutta la Chiesa, i Vescovi per i fedeli affidati alle loro cure.[146]

Teologi e Canonisti sono quasi unanimi nel proporre la stessa dottrina.[147]

Le Fonti e gli argomenti dello schema « De Ecclesia ».[148]

Le Fonti. Gian Vincenzo Bolgeni, all'inizio del secolo scorso, pubblicò in Roma un'opera dal titolo significativo: *L'Episcopato, ossia della Potestà di governare la Chiesa.*[149] Nel tomo II, a pag. 106, Bolgeni fa derivare la giurisdizione universale dei Vescovi dalla consacrazione, esprimendosi come segue: 1) « Ciascun Vescovo nell'atto, e in vigore della sua ordinazione, entra ad esser membro del Corpo Episcopale, e per conseguenza entra in diritto di governare, e ammaestrare tutta la Chiesa, quando sarà in unione con tutti gli altri, e formerà Corpo cogli altri. Questa è quella che io chiamo giurisdizione universale in ciascun Vescovo, e che è distinta onninamente dalla particolar giurisdizione sopra le Diocesi, e il popolo assegnato ».

Nello stesso tomo, a pagg. 103-6, Bolgeni asserisce che il Corpo episcopale ha potere supremo e universale nella Chiesa, nei seguenti termini: 2) « ... nei Vescovi, oltre la giurisdizione particolare sopra le loro Diocesi, deve considerarsi una giurisdizione universale sopra tutta la Chiesa. Mi spiego. I Vescovi considerati, non ciascuno da sé, ma uniti insieme, e sempre nell'unione, e sotto l'autorità del

[142] Cf. E. LOMBARDI (C. Sfondratus), *Regale Sacerdotium,* pp. 448-9, cit. da M.R. GAGNEBET, *art. cit.,* p. 491, nota 196.
[143] Cf. *sopra,* nota 69.
[144] Cf. *sopra,* nota 72.
[145] *Discorsi e Radiomessaggi di Pio XII,* vol. XVI, p. 42.
[146] « ... legitimi Pastores (scilicet Romanus Pontifex pro universa Ecclesia, Episcopi vero pro fidelibus suis curis commissis) » (*A.A.S.,* 46 [1954], p. 672).
[147] Cf. nota 112.
[148] Lo Schema *De pastorali Episcoporum munere* non cita, per le proposizioni qui esaminate, alcuna fonte, né reca argomenti: evidentemente presuppone, come validi, quelli addotti nello Schema *De Ecclesia.*
[149] L'opera ebbe più edizioni. Mi riferisco a quella del 1824.

Papa loro Capo, formano quello che si chiama Corpo Episcopale, il quale succede in tutto rigor de' termini al Collegio Apostolico, e il quale possiede l'Episcopato, in tutta la sua pienezza, universalità, e sovranità, come fu istituito, e conferito da Gesù Cristo. Infatti un Vescovo considerato da sé, benché sia giudice della fede, non è tuttavia infallibile nelle sue decisioni; e quantunque sia legislatore nella disciplina, nondimeno le sue leggi non hanno vigore, e non obbligano fuori della sua Diocesi. Ma quando si considera tutto il Corpo de' Vescovi o adunato legittimamente a general Concilio, o anche disperso per la Chiesa; allora le decisioni di fede emanate da questo Corpo sono decisioni infallibili, e le leggi di disciplina obbligano tutta la Chiesa ».

Ancora nello stesso volume, a pag. 109, Bolgeni riserva al Sommo Pontefice il potere di regolare o anche impedire l'esercizio della giurisdizione episcopale, con questa proposizione: 3) « Benché l'universal giurisdizione spiegata di sopra voglia dirsi che da Dio si conferisca ai Vescovi immediatamente; tuttavia la sovrana potestà della Chiesa può legittimamente impedirne l'esercizio ».[150]

Per suffragare questa tesi, Bolgeni adduce un testo di San Celestino I, in questo modo: 4) « ... ottimamente il Pontefice S. Celestino I disse, che tutti i Vescovi debbono eseguire quel comando di predicare la parola di Dio, che fu dato in comune a tutti gli Apostoli: Omnes etiam nos agere voluit (Christus) quod illis sic omnibus (Apostolis) *in commune* mandavit ».[151]

Prego sommessamente, ma insistentemente, di confrontare: il primo testo che ho riferito di Bolgeni, con la pag. 62, righe ultime dello schema *De Ecclesia*; il secondo testo di Bolgeni, con la pag. 64, righe 4-8 e 29-32 dello stesso schema; il terzo testo di Bolgeni, con la pag. 63, riga 1; pag. 64, in fine; pag. 71, righe 9-12 dello stesso schema; il quarto testo di Bolgeni con la pag. 66, righe 1-5 dello stesso schema.

A me sembra che le posizioni fondamentali di Bolgeni e quelle dello schema *De Ecclesia* siano sostanzialmente identiche. Se questa è la verità, si può anche affermare che si è verificato questo fatto: per quasi centoquarant'anni la unanimità morale dei Teologi e dei Canonisti ha respinto, in materia di diritto divino, una dottrina come inaccettabile, ed estranea alla sana tradizione della Chiesa; [152]

---

[150] Mi sembra innegabile l'affinità di queste proposizioni, con le seguenti, enunciate dai Vescovi-Deputati (che avevano aderito alla Costituzione Civile) a proposito della Costituzione Civile del Clero di Francia, votata il 12 luglio 1790: « Jésus-Christ a donné à ses Apôtres une mission universelle: le sacrement de l'ordre l'a transmise aux évêques avec la plénitude du sacerdoce. Ils ont mission et juridiction partout, parce qu'ils sont prêtres et évêques partout ». « L'Eglise est une, l'épiscopat est un, tous les évêques le possèdent solidairement » (Les évêques des Départements, *Accord des vrais principes de l'Eglise sur la Constitution civile du Clergé,* Paris 1791, pp. 116 e 119).

Anche laici, come Pierre-Toussaint Durand de Maillane, propugnarono allora gli stessi principi: « La consécration est proprement ce qui fait l'évêque ... Voilà son ordination dans laquelle et par laquelle il lui est conféré toute l'autorité que Jésus-Christ donna à ses Apôtres ... Ce qu'on a appelé, depuis, mission canonique, n'a pour objet que l'exercice des fonctions épiscopales » (P.T. DURAND DE MAILLANE, *Histoire apologétique du Comité ecclésiastique de l'Assemblée nationale,* Paris 1791, p. 141).

[151] G.V. BOLGENI, *o. c.,* tom. I, p. 84; tom. II, p. 104, nota 1.

[152] Cf. ad es. D. BOUIX, *Tractatus de Episcopo,* 2 ed., 1873, tom. I, pp. 85-86; G. WILMERS, *De Christi Ecclesia,* L. III, ed. 1897, pp. 366-370; C. LOMBARDI, *Iuris canonici privati Institutiones,* 2 ed., 1901, vol. I, pp. 232-233; D. PALMIERI, *Tractatus de Romano Pontifice,* 3 ed., 1902, p. 664; F. CAVAGNIS, *Institutiones iuris publici ecclesiastici,* 4 ed., 1906, vol. II,

durante questo periodo i Sommi Pontefici con le loro Encicliche, la legislazione della Chiesa, sia particolare che generale, con i suoi canoni, si sono espressi in termini contrastanti con le tesi di Bolgeni, e dopo centoquarant'anni, improvvisamente, le principali di queste tesi sono accolte come caposaldi in uno schema conciliare. Il fatto è, a mio povero avviso, almeno straordinariamente singolare.

Gli argomenti: 1) Per dimostrare che la giurisdizione viene conferita per mezzo della consacrazione, lo schema *De Ecclesia* fa appello alla tradizione, espressa specialmente dalla Liturgia, sia orientale che latina.[153]

Questo argomento è noto da secoli, e non ha impedito le dichiarazioni solenni dei Romani Pontefici e le norme canoniche che conosciamo.[154]

Gli Apostoli erano tali (*Mt.* 10, 1 ss.; *Lc* 6, 13) anche prima della loro consacrazione (*Lc* 22, 19; *Io.* 20, 23) e sono stati investiti dell'autorità apostolica (*Mt.* 16, 15-19; 18, 10 e 28, 19-20; *Mc.* 15, 15; *Io.* 20, 21-23; 21, 15-17) indipendentemente dalla consacrazione (*Lc.* 22, 19).

Secondo la Costituzione Apostolica *Ad Sacramentum Ordinis* del 30 novembre 1947, la Forma sacramentale, nella consacrazione episcopale consta essenzialmente di queste parole: « Comple in Sacerdote tuo ministerii tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructum caelestis unguenti rore sanctifica »: soltanto queste sono le parole richieste, per la validità della consacrazione medesima.[155] L'efficacia sacramentale in senso proprio, cioè « ex opere operato », si deve desumere da queste parole, che designano l'azione propria di Cristo; [156] l'efficacia delle altre non è propriamente sacramentale, ma « ex opere operantis Ecclesiae ».[157] Nelle parole sacramentali non si trova alcun accenno al conferimento della giurisdizione; dunque non si può dire che da Cristo, attraverso la consacrazione, viene concesso tale potere. Le altre preghiere e invocazioni, che operano « ex opere operantis Ecclesiae », sono simili a quelle colle quali si chiedono a Dio favori e concessioni che immediatamente dipendono dagli uomini (per es. per l'elezione del Sommo Pontefice, per la concordia, per la pace, per la cessazione di uno scisma, di una guerra ecc.).

Accettando infine la tesi fatta propria dallo schema, si dovrebbe concludere — e ciò sembra assurdo — che la consacrazione episcopale conferisce la giurisdizione a tutti i Vescovi consacrati, ma non al Sommo Pontefice: è certo infatti che

---

pp. 139-141; A. Straub, *De Ecclesia Christi,* 1912, pp. 157-161; J. Muncunill, *Tractatus de Ecclesia Christi,* 1914, p. 487; F.X. Wernz-P. Vidal, *Ius Canonicum,* 1928, tom. II, n. 380 che cita anche altri; J.B. Ferreres, *Institutiones canonicas,* 4 ed., 1934, n. 429 ss.

Altri autori cita M.R. Gagnebet, *art. cit.,* p. 444 ss.

[153] Le invocazioni liturgiche per il consacrando che lo Schema riproduce per i riti orientali, sono simili a quelle del Pontificale Romano, che sono le seguenti: « Episcopum oportet iudicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare et confirmare ... Da ei, Domine, claves regni caelorum, ut utatur, non glorietur, potestate, quam tribuis in aedificationem, non in destructionem. Quodcumque ligaverit super terram, sit ligatum et in caelis, et quodcumque solverit super terram, sit solutum et in caelis. Quorum retinuerit peccata, retenta sint, et quorum remiserit, tu remittas ... Tribuas ei, Domine, cathedram episcopalem, ad regendam Ecclesiam tuam, et plebem sibi commissam. Sis ei auctoritas, sis ei potestas, sis ei firmitas ».

[154] Cf. per es. J. Lainez, *Disputationes Tridentinae* (ed. H. Grisar), pp. 153, 220, 291; H. Van Laak, *Theologia fundamentalis,* 1921, p. 318.

[155] Constitutio Apostolica *Sacramentum Ordinis,* 30 nov. 1947 (*A.A.S.,* 40 [1948], p. 7).

[156] Enciclica *Mediator Dei* del 20 nov. 1947 (*A.A.S.,* 39 [1947], p. 532).

[157] *Ibid.*

questi ha l'autorità piena e suprema anche prima e indipendentemente dalla consacrazione.[158]

Lo schema precedente diceva — e giustamente tale inesattezza è stata omessa nel più recente — che la connessione tra la consacrazione e la potestà dei Vescovi nel Codice per la Chiesa Orientale, come nel diritto latino antico, è ancora più stretta che nel diritto latino vigente.

Come infatti si è visto, nel diritto latino vigente, tale connessione non esiste.[159] E neppure esisteva nel diritto latino precedente, tanto è vero che i Santi Padri, i Santi Dottori, i Teologi e Canonisti, hanno fatto derivare la giurisdizione episcopale immediatamente dal Romano Pontefice. Nel vecchio diritto canonico orientale, come già fu detto, il Sinodo Siro di Sciarfe, del 1888, attribuiva al Vescovo appena eletto il diritto di costituirsi un Vicario Generale per mezzo del quale amministrare la diocesi; [160] il Sinodo nazionale Armeno del 1911 diceva che il Vescovo eletto e confermato, anche se non consacrato, ha tutto il potere di giurisdizione.[161] Il diritto orientale vigente, nel can. 39 della nuova legge, è retto dal principio sancito nel can. 109 del C.I.C., secondo il quale la giurisdizione non deriva dalla consacrazione, ma dalla missione canonica,[162] la quale, a norma del can. 395 § 1 della stessa legislazione canonica orientale, può essere data solo dal Romano Pontefice.

Si potrà discutere se convenga attribuire al Vescovo la potestà di giurisdizione anche prima della consacrazione episcopale, o se convenga attendere che egli sia consacrato; ma qualunque sia la norma adottata, non si può, da una successione meramente temporale, arguire una necessità causale e di principio.

2) Lo schema sembra invocare, in appoggio alla sua tesi, i testi nei quali i SS. Padri chiamano il Vescovo come colui « che fa le veci di Cristo », « immagine di Cristo », « Vicario di Cristo » e simili espressioni (pag. 77, nota 22).

A questo argomento si può agevolmente rispondere che tali termini sono accettati anche da coloro i quali ritengono che la giurisdizione deriva ai Vescovi dal Sommo Pontefice, perché la fonte mediata di essa è certamente Cristo. Pio XII, che in tre Encicliche ha insegnato questa dottrina, designa i Vescovi colle stesse o con equivalenti espressioni.[163] L'ufficio episcopale è d'istituzione divina, di Cristo;

---

[158] Cf. *sopra,* nota 73. Papa Valentino (n. 827), ad esempio, era diacono (cf. *Liber Pontificalis,* ed. L. Duchesne, t. II, p. 72); così anche S. Nicolò I (a. 858) (cf. *Liber Pontificalis,* ed. cit., p. 151).

L'*Ordo Romanus IX* (MIGNE, *PL* 78, 1003-1008) al n. 5 riporta il rito della consacrazione del Romano Pontefice.

Come manifestazione della natura collegiale dell'Episcopato, lo Schema *De Ecclesia* (p. 63, r. 29-32) adduce la presenza di più vescovi consacranti; ma sembra dimenticare che il Romano Pontefice, per molti secoli, consacrava i Vescovi da solo (cf. *Breviatio Canonum,* can. 6: MIGNE, *PL* 67, 949. Cf. anche *ibid.,* 77, 1191).

[159] Cf. *sopra,* p. 603 ss.

[160] Cf. *sopra,* nota 126.

[161] *Ibid.*

[162] Cf. *sopra,* p. 603.

[163] « Ad propriam cuiusque dioecesim quod spectat, utpote veri pastores assignatos sibi greges singuli Christi nomine pascunt ac regunt; id tamen dum faciunt, non plane sui iuris sunt, sed sub debita Romani Pontificis auctoritate positi, quamvis ordinaria iurisdictionis potestate fruantur, immediate sibi ab eodem Pontifice Summo impertita. Quapropter ut Apostolorum ex divina institutione successores a populo venerandi sunt » (*A.A.S.,* 35 [1943], p. 211; DENZ.-SCHÖN., *Enchiridion,* n. 3804).

Cristo stesso ha voluto che l'ufficio episcopale (in senso pieno — can. 329 § 1 — cioè residenziale) fosse munito di un potere di giurisdizione; la giurisdizione è pertanto un'esigenza, fondata sulla volontà di Cristo, dell'ufficio episcopale; ma da questa esigenza non si può arguire che la giurisdizione deriva immediatamente ai Vescovi per diritto divino: si esige infatti ciò che non si possiede e a questa esigenza Cristo provvede a mezzo del Romano Pontefice. Poiché la giurisdizione compete ai Vescovi residenziali per ragione di un ufficio costituito da Cristo, tale giurisdizione è propria dei Vescovi, non del Romano Pontefice, e i Vescovi possono ben essere chiamati Vicari di Cristo, non Vicari del Papa.[164]

Non si vede pertanto che cosa giovino alla tesi esposta nello schema, questi testi che non riguardano affatto l'origine immediata della giurisdizione episcopale.

3) Come Bolgeni, anche lo schema *De Ecclesia* pare che attribuisca una particolare importanza a un passo della Lettera diretta da Celestino I nel 431 al Concilio di Efeso (pag. 66, righe 4-5). Il testo latino su cui Bolgeni si fonda, è il seguente: « ... ad omnes in commune domini sacerdotes mandatae praedicationis cura pervenit: haereditario in hanc solicitudinem iure constringimur, quicumque per diversa terrarum, eorum vice nomen domini praedicamus, dum illis dicitur: Ite, docete omnes gentes. Advertit vestra fraternitas, quia accepimus generale mandatum; omnes etiam nos id agere voluit, quod illis sic omnibus in commune mandavit ».[165]

In primo luogo si può osservare che la frase di questo testo: « Omnibus in commune mandavit », non comporta necessariamente un mandato che riguarda il Collegio come tale, ma può benissimo interpretarsi come un dovere generale.

In secondo luogo conviene riferirsi al testo,[166] che fu letto nel Concilio, e che letteralmente viene tradotto in modo diverso,[167] ma identico nella sostanza.

Il testo pertanto su cui faceva forza Bolgeni, è questo: « La fraternità vostra deve considerare che ha ricevuto un precetto generale e che Colui il quale l'impose

---

« Praeter Apostolorum autem legitimos successores, scilicet Romanum Pontificem pro universa Ecclesia, Episcopos vero pro fidelibus suis curis commissis (cf. can. 1326), alii magistri, iure divino, non habentur » (*Discorsi e Radiomessaggi di S. Santità Pio XII,* vol. XVI, p. 42), cf. anche *ibid.*, vol. IX, p. 313.

[164] Cf. *Seminarium,* 1964, pp. 247-248. Nota J. LAINEZ (*o. c.*, tom. I, p. 233, n. 196) che i Vescovi sono chiamati « fratres Pontificis ... ecclesiae columnae ... Vicarii Christi », ma aggiunge: « Licet enim Christi vicarii dicantur et sint, non tamen sunt vicarii generales super totam Ecclesiam, sed in suis tantum dioecesibus. Et ideo a generali Vicario creati sunt, qui solum a Christo potest praefici ».

[165] G.V. BOLGENI, *o. c.,* tom. II, p. 104.

[166] « Ακουέσθω ταῦτα παρὰ πάντων εἰς το κοινὸν, κύριοι ἀδελφοί· ἅ τῆς παρατεθείσης διδασκαλίας ἡ φροντὶς παρέπεμψε δικαίῳ κληρονομίας εἰς ἡμᾶς, εν ταύτῃ τῇ φροντίδι σφιγγόμεθα οἳ πανταχοῦ καὶ ἀνὰ πᾶσαν τῆν οἰκουμένην τῇ ἐκείνων διαδοχῇ τό ὄνομα τοῦ Κυρίου κηρύττομεν ὡς ἐκείνοις προς-τέτακται· πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη. Προσέχειν ἡ ὑμετέρα ἀδελφότης ὀφείλει ὂτι παρεδέξατο γενικὴν ἐντολὴν χαὶ ἡμᾶς αὐτοῦς πάντας τοῦτο πραττειν ἠθέλησεν ὅστις πᾶσιν ἐκείνοις περὶ τῆς κοινῆς ἐνετείλατο λειτουργίας » (*Fonti della Codificazione Canonica Orientale, Acta RR. Pontificum,* vol. I, 146).

[167] « Audiantur haec ab omnibus unanimiter, domini fratres: quae concrediti magisterii sollicitudo ad nos iure haereditatem transmisit. In hac sollicitudine arcte iungimur, nos qui ubique et per omnem terram, eorum successionis iure, nomen Domini praedicamus, prout illis (apostolis) iussum est: " Euntes, docete omnes gentes ". Meditari fraternitas vestra debet se recepisse generale praeceptum et nos ipsos omnes hoc peragere voluit Ille qui omnibus illis praecepit de communi officio (*Leitourgia*) ».

a tutti loro (gli Apostoli) come dovere comune, volle che anche noi tutti lo adempiamo ».

Si può tra l'altro quindi chiedere: un dovere comune o generale per tutti i suddiaconi, ad esempio, costituisce forse i suddiaconi in Collegio?

È poi così lontano dalla mente di S. Celestino I il concetto del collegio episcopale, come di un soggetto a cui competa una potestà di giurisdizione o di magistero universale e supremo per diritto divino, che proprio al Concilio di Efeso, al quale del resto erano presenti altri presbiteri, inviò tra i suoi Legati, con suffragio decisivo, il presbitero Filippo, il quale non mancò di esercitare in modo rilevante il potere commessogli; [168] non solo, ma agli stessi Legati, S. Celestino aveva dato ordine di non compromettere l'autorità della Sede Apostolica, mescolandosi alle discussioni come semplici Vescovi: essi dovevano giudicare e non lasciarsi giudicare da loro.[169] Lo stesso S. Celestino I, col nome di collegio, comprende anche i presbiteri o indica tutto il clero di una determinata chiesa,[170] mentre poi designa la comunità dei Vescovi col termine « cetus ».[171]

Il senso delle parole di Cristo, riportate nella lettera di S. Celestino I, sono interpretate da Pio XI nell'Enciclica *Rerum Ecclesiae* del 1926, come rivolte a tutti i fedeli. Al dovere di propagare la fede nessuno può sottrarsi, tanto meno i Vescovi, i quali, ciascuno per la sua parte, per istituzione divina, colla pienezza del sacerdozio, sono a capo del clero e del popolo cristiano.[172] In tal modo anche Pio XI contradice alla sentenza di Bolgeni e accolta nello schema, che attribuisce al Collegio Episcopale una potestà di magistero universale.

4) Come già Bolgeni, i Redattori degli schemi *De Ecclesia* e *De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia,* hanno ritenuto che il Primato del Romano Pontefice sia salvo, distinguendo la giurisdizione dal suo esercizio, e affermando che il Collegio dei Vescovi ha, per diritto divino, una giurisdizione universale e suprema, ma che l'esercizio di essa dipende dal Romano Pontefice.

In primo luogo si deve osservare che questa distinzione, benché nota da sempre, non veniva per l'innanzi applicata alla giurisdizione, rispetto al Primato del Romano Pontefice. Dove sono i testi, almeno della tradizione, sui quali si fonda tale distinzione nel presente problema? In secondo luogo: o la potestà del

---

[168] I.B. MANSI, *Conciliorum amplissima collectio,* IV, 1283, 1284, 1287, 1290, 1299.

[169] « Et auctoritatem sedis apostolicae custodiri debere mandamus ... Ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententiis iudicare debeatis, non subire certamen » (MANSI, *o. c.,* IV, 556; cf. anche *ibid.,* 1287).

[170] Cf. MIGNE, *PL* 50, 434.

[171] MIGNE, *PL* 50, 435.

[172] « Quandoquidem vero Christus hanc discipulorum suorum notam fore edixit peculiarem ac propriam ut diligerent inter se, numne maiorem insignioremque exhibeamus proximis nostris caritatem, quam si eos e superstitionis tenebris educendos germanaque Christi fide imbuendos curaverimus? ... Quodsi eiusmodi officium detrectare nullus e fidelium communitate queat, num clerus possit, qui sacerdotium et apostolatum Christi Domini, miro ipsius delectu ac concessu, participat: num vos, Venerabiles Fratres, possitis, qui pro vestra cuiusque parte, christiano clero et populo, sacerdotii plenitudine insignes, divinitus praeestis? Legimus equidem non uni Petro, cuius Cathedram obtinemus, sed omnibus Apostolis quorum vos in locum successistis, Iesum Christum praecepisse: Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae: unde liquet propagandae fidei curam ita ad Nos pertinere adesse, quantum singularis ac propria vestri perfunctio muneris sinit, sine ulla dubitatione ut in laborum societatem Nobiscum venire Nobisque hac in re debeatis » (*A.A.S.,* 18 [1926], pp. 68-69. Cf. anche PIO XII, Enc. cit. *sopra,* a p. 606 e Discorso cit. *sopra,* nota 163).

collegio episcopale è una potenza puramente passiva, e in questo caso non differisce dall'attitudine positiva e specifica alla giurisdizione che tutti ammettono nei Vescovi, ma che non è giurisdizione; o questa potestà è una potestà attiva, cioè vera giurisdizione, e allora, per sua stessa natura esige l'esercizio, così che il Romano Pontefice sarebbe obbligato, per diritto divino, a usare del Collegio Episcopale, o dei rappresentanti di esso, come veri compartecipi, sia pure subordinati, della sua suprema giurisdizione nel governo della Chiesa universale. Come si può concordare questo col Concilio Vaticano I, il quale dice: « Uni Simoni Petro contulit Iesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris iurisdictionem in totum suum ovile »? [173] Ancora: « Huic tam manifestae sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes negant, solum Petrum prae ceteris Apostolis sive seorsum singulis sive omnibus simul vero proprioque iurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum ».[174] E ancora: « Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere... tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis... anathema sit ».[175]

In contrasto con le stesse definizioni dottrinali viene a trovarsi, a me sembra, ogni opinione che concepisca l'Episcopato come un vero e permanente Collegio, e come tale soggetto, per diritto divino, di potere supremo e universale nella Chiesa, sia pure unito e sottoposto al Romano Pontefice: se questo infatti, nel Primato e nel suo esercizio, è intrinsecamente, costituzionalmente, unito al Collegio Episcopale, non può agire validamente se non collegialmente.[176]

È evidente lo sforzo che i Redattori dello schema hanno dovuto compiere nel cercare di limitare le conseguenze temute, ma questo stesso affannoso tentativo risulta una conferma della forza intrinseca del principio che essi hanno accolto e che invece necessariamente conserva, per la logica e la virtù propria dei principii, tutta la sua natura pericolosa.

La conclusione, logica e giuridica, sembra dunque chiara: se una cosa è data a uno solo, gli altri non possono averla se non da lui.

Se poi si volesse dire, contro la logica, che il Romano Pontefice non è tenuto a concedere ai Vescovi l'esercizio di questo potere universale e supremo, si dovrebbe in ogni caso concludere che questo potere, dato per diritto divino, sarebbe per ciò stesso inutile, tanto più che il Romano Pontefice può dare tanto questo potere quanto il suo esercizio.[177]

Come altri osservarono [178] a proposito della opinione di Bolgeni, così si deve notare in merito allo schema: una giurisdizione che, per sé, non possa

---

[173] DENZ.-SCHÖN., *o. c.*, n. 3053.

[174] DENZ.-SCHÖN., *o. c.*, n. 3054.

[175] DENZ.-SCHÖN., *o. c.*, n. 3064.

[176] Conseguentemente S.E. Mons. Paolo Rusch, Amministratore Apostolico di Innsbruck, nella Congregazione Generale dell'11 ottobre 1963, anche a nome di altri Vescovi, concluse che: « il concetto di collegialità contiene un elemento giuridico come radice in cui consiste, e cioè che nelle cause maggiori si richiede il Collegio ». Dunque il voto del Collegio è decisivo, iure divino.

[177] Cf. *sopra*, p. 604 s.

[178] Cf. per es. F. CAVAGNIS, *Institutiones Iuris publici ecclesiastici,* ed. 4, 1906, vol. II, pp. 139-141.

venire esercitata, è una contradizione in termini; la giurisdizione infatti è, per sua stessa natura, una « potestas agendi seu gubernandi »; una giurisdizione quindi, che manchi della « potestas agendi seu gubernandi », è inconcepibile. Tale è la giurisdizione dei Vescovi nello schema: un potere che, di per sé, per sua stessa natura, non può comandare, non può obbligare, non può nulla: un potere senza potere.

Anche per questo, una volta riconosciuto che il Corpo episcopale è, per diritto divino, soggetto di potere universale e supremo, la tentata limitazione del principio attraverso la distinzione tra la giurisdizione e il suo esercizio, sarebbe totalmente vana, appunto perché illogica e infondata.

Conclusioni.

1) Dagli elementi addotti, confrontati con quelli riferiti dagli schemi proposti, risulta estraneo alla dottrina cattolica tradizionale il concetto che fa derivare dalla consacrazione la giurisdizione episcopale.

I Padri e gli Scrittori Ecclesiastici dei primi secoli, quando parlano dell'origine dell'autorità, ossia della giurisdizione dei Vescovi, dicono che essa discende dal Successore di San Pietro; uguale dottrina è stata insegnata dai Romani Pontefici, dai Santi Dottori della Chiesa Universale, dai Concili Provinciali, dalla disciplina universale e secolare della Chiesa. Non si vede pertanto come possa essere accolto quanto, a questo proposito, stabilisce lo schema *De Ecclesia* a pag. 62, in fine (inoltre è bene togliere la possibilità dell'equivoco dalla pag. 71, righe 10-12) e quanto si legge nello schema *De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia,* a pag. 5, righe 21-24.

2) Col principio che fa discendere dal Capo, cioè dal Romano Pontefice, tutto il potere di giurisdizione nella Chiesa, in particolare tutta la giurisdizione dei Vescovi, capi subordinati che hanno solo una parte del potere di giurisdizione, le Fonti sopra indicate della certezza dottrinale, implicitamente o esplicitamente insegnano che la giurisdizione dei Vescovi, anche considerati collettivamente, sia nel Concilio, sia fuori di esso, discende sempre dalla stessa unica fonte, cioè dal Romano Pontefice.

L'opinione contraria, sotto qualsiasi forma si sia presentata, è stata costantemente rigettata e non ha mai fatto parte della dottrina più autorevole e comune.

Sembra dunque doversi respingere quanto dice lo schema *De Ecclesia* a pag. 64, riga 4 e ss., a pag. 72, righe 18-19 e lo schema *De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia,* a pag. 7, righe 6-7.

3) Conseguentemente sono da evitare le espressioni che lo schema *De Ecclesia* usa a pag. 64, righe 9-11 e righe 26-31, che attribuisce al Corpo Episcopale, per diritto divino, un potere supremo e universale nella Chiesa. Questo potere, oltre ad essere destituito di ogni solida prova e ad essere in contrasto con le Fonti indicate, coarterebbe la giurisdizione del Romano Pontefice, che è piena e totale.

Allo stesso modo vanno riveduti i nn. 3 e 4 dello schema *De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia.*

4) La limitazione del Primato Pontificio ad una azione moderatrice del semplice esercizio della giurisdizione dei Vescovi, è in contrasto con la lettera e con lo spirito delle Fonti sinora conosciute e riferite più sopra, è di data recente, non è stata accettata dalla dottrina nella sua massima parte, ed è anche intrinsecamente contraditt oria.

Non sembra che possa quindi approvarsi lo schema *De Ecclesia,* ove fonda su questa distinzione il sistema dei rapporti tra i Vescovi e il Romano Pontefice (cf. per es. pag. 71, riga 12); né lo schema *De pastorali Episcoporum munere* che parte dallo stesso presupposto: nn. 3 e 4.

Può essere che i Redattori degli schemi siano stati mossi dal desiderio di facilitare la via del ritorno ai fratelli dissidenti, ma sommessamente io credo che l'unico ponte per ricongiungerci ad essi sia quello della verità, e che questa vada insegnata con carità, ma non mutilata, né rinnegata, sia pure in parte. Nel problema particolare che riguarda l'autorità collegiale dei Vescovi, se posso manifestare un'opinione, questa è che nulla impedisce al Sommo Pontefice di partecipare ad altri, nel modo e nella misura che crede, la sua autorità universale. Una decisione generosa e libera dovrebbe ragionevolmente essere più apprezzata di una concessione obbligatoria.[179]

In ogni caso è certo che la presente questione non è semplicemente di ordine disciplinare, ma di diritto divino, così che la decisione di essa sembra, oltre tutto, in contrasto col voto, ripetutamente espresso, che nel presente Concilio Ecumenico si evitino decisioni dottrinali e dogmatiche.

Sembra quindi sotto ogni aspetto più opportuno lasciare che la presente materia venga regolata nel suo aspetto disciplinare dal Sommo Pontefice, al quale potranno in merito essere sottoposti i Voti dei Padri Conciliari.

Nel Concilio II di Lione del 1274, i dissidenti greci sottoscrissero la « Professio fidei » del B. Gregorio X, la quale dice che è proprio della pienezza del potere della Chiesa Romana, ammettere anche le altre Chiese a parte delle sue sollecitudini.[180]

7

Exc.mi PATRES CONFERENTIAE EPISCOPALIS ANGLIAE

In cap. I necesse est ut scopus actionis collegialis clarior fiat. Verbis praesentibus videtur magisterium ordinarium episcoporum excludi ex actione « collegiali ». Attamen cum hoc magisterium tutius est contra errores quam doctrina cuiuscumque singuli episcopi, exemplar quodam modo primarium actionis collegialis nobis quidem esse videatur.

In cap. II quaestio proponitur libertatis ab iurisdictione territoriali auctoritatis localis. Quamquam inesse utilitates in exercitio iurisdictionis personalis quoad nationes singulas aut addictos singularum professionum pateat, bonus ordo requirit ut huic principio finis certus et cautus assignetur.

---

[179] Se il motivo che ha ispirato le proposizioni controverse fosse stato di ordine pastorale e apostolico, l'ansia cioè di assicurare all'opera evangelizzatrice e salvifica della Chiesa una maggiore libertà, si può osservare che, per raggiungere questo scopo, non sono necessarie le enunciazioni dottrinali che abbiamo esaminato e che pensiamo debbano respingersi. Si può anche aggiungere l'invito a guardare serenamente la storia e lo sviluppo che le opere apostoliche hanno avuto dopo il dogma del Primato Pontificio, pur con tutte le difficoltà e le deficienze che sono proprie dell'attività umana, in tutta la terra.

[180] « Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit » (Denz.-Schön., *o. c.,* n. 861).

B - Durante tertia Concilii periodo.

1

EXC.MUS P. D. ANGELUS DELL'ACQUA
Archiepiscopus tit. Chalcedonensis

Ho letto le proposte, recentemente approvate da codesta commissione, per la relativa inserzione nello schema del decreto conciliare *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

In merito mi permetto sottoporre alla benevola considerazione dell'Em.za V. rev.ma se non sia il caso di aggiungere qualche parola di cortesia verso i governi al testo del II capoverso « Quapropter ad Ecclesiae libertatem... » del n. 18 ter (Libertas in episcoporum nominatione), poiché, a mio avviso, l'attuale stesura potrebbe, forse, esser giudicata troppo dura dalle autorità civili.

2

EXC.MUS P. D. IOANNES CARMELUS HEENAN
Archiepiscopus Westmonasteriensis

In pag. 33, n. 4, addantur verba (post « puerorum »): religiosam et moralem educationem.

3

EXC.MUS P. D. EMMANUEL LLOPIS IVORRA
Episcopus Cauriensis-Castrorum Caeciliorum

Pergratus nobis est toto corde sinceroque animo hoc laudare schema decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Attamen ut ordo et claritas simul elucescant, aliquam emendationem vobis proponimus. Sic in cap. II, par. 3, n. 2, art. 25, ex integro: « Inter praecipuos episcopi cooperatores in regimine pastorali dioecesis eminens in curia dioecesana est officium seu munus Vicarii generalis atque officium Vicarii episcopalis, quod Sancta haec Synodus instituere decrevit et instituit. Quoties rectum dioecesis regimen id requirat, constitui possunt ab episcopo unus vel plures Vicarii episcopales, qui nempe ipso iure in determinata dioecesis parte aut in certo negotiorum genere aut quoad fideles determinati ritus, ea gaudent potestate, quae vicario generali in universa dioecesi et quoad omnia negotia omnesque fideles competit. Libere ab episcopo dioecesano designentur et obligationibus iisdem tenentur quibus ligatur Vicarius generalis. Exspirat eorum iurisdictio iisdem modis, quibus cessat iurisdictio Vicarii generalis; in specie per Sedis episcopalis vacationem, nisi tamen episcopi auxiliaris munere fungantur.

Etiam inter episcopi cooperatores in regimine dioecesis, illi presbyteri numerari debent qui eius senatum consiliumve constituunt, ut sunt capitulum cathedrale, consultorum coetus vel alia consilia secundum diversorum locorum circumstantias vel indoles ».

Rationes, quibus innititur haec emendatio de Vicariorum episcopalium institutione sunt:

1. Hodie ingens est in Ecclesia locali — et etiam in universali — munus episcopi persaepe insufficientis ad illud rite exequendum. Sicque congruum immo necessarium est ut Vicarii episcopales creentur qui faveant pastori animarum eidemque consilia et monitiones praebeant ut regnum Christi in hominum consortiis instauretur.

2. Immo hodie sunt multae organizationes apostolicae (de quorum essentia est communicare cum episcopo), quibus opus est ut eorum actiones missionariae et terrestres vivificentur « spiritu novo » et apte cohaereant cum exigentiis et postulatis Evangelii. Ad haec igitur implenda et alia similia multum interest et iuvat ut Vicarii episcopales instaurentur iuxta exigentias et necessitates dioecesis.

3. Apostolus gentium: « Omnibus omnia factus sum ut omnes salvos facerem », ita efficit unico intentu: salvum facere quod perierat. Similiter episcopus ut successor apostolorum. Indiget igitur episcopus Vicariis episcopalibus qui, una secum, redemptionem omnium efficiant.

Quae omnia vestro superiori iudicio committo.

4

Exc.mus P. D. FRANCISCUS MONACO

Episcopus Calatanisiadensis

Super n. 18 ter et 29 schematis *de episcopis.*

Instanter rogo Patres commissionis « de episcopis et dioecesium regimine » ut omnino *tollatur ius patronatus* sive circa ius praesentationis, nominationis vel reservationis pro episcopis et parochis, sive etiam pro Canonicis Cathedralium vel Collegiatarum. Rationes:

1. Laici, quando ius patronatus est laicorum, et alii patroni respiciunt super bonum familiae vel gentis et non Ecclesiae.

2. Patroni praesentant ordinarie sacerdotes amicos et non est eorum de idoneitate sacerdotum quos praesentant.

3. Fere semper in praesentatione oritur gravis quaestio inter Patronum et episcopum, qui est solus qui iudicare potest de bono dioecesis vel alicuius Ecclesiae.

4. Sacerdotes ordinarie premunt Patronum ut eos praesentent.

5

Exc.mus P. D. AEMILIUS PIROLLEY

Episcopus Nanceiensis

Ad id quod spectat textum schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* pag. 17, par. 26: Sacerdotes dioecesani: optarem ut unitatis inter episcopum et sacerdotes fundamenta clarissime eluceantur, nempe *a*) communis participatio, quamvis diverso gradu, unico Christi sacerdotio; *b*) communis de aliqua gregis Domini parte cura, praesertim casu frequentiore in quo dioecesis principaliter determinatur a fidelium personis, scil. plus a populo cuius assumuntur sollicitudo spiritualis et aeterna salus, quam a certis territorii limitibus definitur.

Exinde facilius et firmius, meo sensu, deducerentur: et pastorale muneris tum episcoporum tum sacerdotum character, et natura inter illos relationum: tum fraternae caritatis, tum filialis obedientiae, tum fiducialis in apostolatu cooperationis.

Immo sic melius exhiberentur iura, officia et peculiaria sacerdotii praerogativa, comparative ad episcopatus iura, officia et peculiaria praerogativa, quoad praecipue respectivas missiones docendi, sanctificandi et pascendi, in vera iustaque connexione, auctoritatis ex una parte exercendae, praestandae altera ex parte subiectionis.

Fortiter asserere enim nunc oportet, et conditio et dignitas sacerdotis in Ecclesia, necnon, sub alio respectu, illud dependentiae presbyteratus Ecclesiae localis erga proprium episcopum ligamen, cum saepius, hodiernis diebus, resolutiones quorundam sacerdotum, in conventis gallice dictis « les équipes » libenter adunatorum, sacrae hierarchiae mandatis, tam in mente quam in praxi, facile praeferuntur.

Eo tandem modo strictior formiorque obtineretur concordantia inter istam allatam paragraphum et alia eiusdem schematis verba, aut ceterorum schematum textus, v. g. de sacerdotibus.

6

EXC.MUS P. D. MATTHIAS WEHR

Episcopus Trevirensis

Ad art. 24, pag. 16, linn. 9-13. Deleta alinea 2 dicatur: « Quodsi in litteris nominationis aliud provisum non fuerit, auxiliares tanquam episcopi dioecesani cooperatores, episcopali dignitate insigniti, iis facultatibus gaudent, quibus vicarii generales e iure communi praediti sunt. Insuper iis in regenda dioecesi curaque animarum promovenda peculiaria negotia ab episcopo dioecesano committi possunt. Penes vicarium autem generalem universum regimen administrativum totius dioecesis sit ». *Ratio*: quae in hac alinea de condicione et potestate episcoporum auxiliarium ponuntur, nullo modo congruunt cum iis quae in cap. III constitutionis *de Ecclesia* statuuntur de sacramentalitate consecrationis episcopalis ac de collegialitate Ordinis episcoporum:

1. Praescribitur quidem, ut auxiliares ab episcopo dioecesano ad minimum nominentur vicarii episcopales, sive pro determinata parte dioecesis, sive pro certo negotiorum genere constituantur, quo in munere gerendo a solo episcopo dioecesano, non vero a vicario generali dependeant necnon iisdem facultatibus gaudeant quibus vicarii generales a iure communi pro universa dioecesi praediti sunt. Praeterea in annotationibus ad art. 24 refertur hoc in nonnullis dioecesibus Galliae et Hispaniae iam in usu esse, ubi constituti sint « episcopi auxiliares residentes » (cf. pag. 40, alin. 2), ita ut opinio oriatur titulum vicarii episcopalis in ius introduci ad significandos episcopos auxiliares peculari munere in regenda dioecesi fungentes. At e contra in nota 17 (pag. 28), ubi nova periodus in art. 25 inserenda proponitur, clare ostenditur ad munus illud vicarii episcopalis etiam sacerdotes episcopali dignitate expertes constitui posse, ideoque terminum vicarii episcopalis non significare virum dignitate episcopali insignitum, sed solummodo virum ab episcopo dioecesano peculiari munere affectum. Hoc autem dignitati

episcopali auxiliarium omnino repugnat eorumque condicionem et auctoritatem in dioecesi nedum augeat, valde deminuit.

2. Episcopi auxiliares pari modo ac dioecesani membra corporis episcoporum sponsoresque Ecclesiae facti sunt « vi sacramentalis consecrationis et communionis cum collegii capite et membris » (cf. art. 22, const. *de Ecclesia,* cap. III, pag. 63, linn. 33-36; art. 3 decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* pag. 5, linn. 21-24), ipsique specialiter vocati sunt in partem sollicitudinis episcopi illius dioecesis, pro qua constituti sunt (cf. art. 23 decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* pag. 15, linn. 30-31; art. 24, pag. 16, lin. 8). Cum ergo auxiliares, salva condicione principali et superiore episcopi dioecesani salvaque unitate regiminis dioecesani necessario servanda et fovenda, episcopi dioecesani cooperatores sunt Ordinis episcopalis, qui cum eo, vi nominationis partem habent in regenda dioecesi necnon in ferenda responsabilitate, ipsis etiam praecipua post eum condicio et auctoritas in dioecesi convenit. Unde oportet ut iisdem facultatibus potiantur, quae vicariis generalibus a iure tribuuntur.

3. Ex ratione allata patet, non omnino quadrare ut auxiliares designentur vicarii episcopales, cum episcopi dioecesani cooperatores sint collegiales, scil. ad collegium episcoporum pertinentes, quibus munus convenit adiutrix, non vero *mere* vicarium. Quare, si proprius terminus pro auxiliaribus peculiare munus in regenda dioecesi exercentibus adhibeatur, potius *delegati* episcopales vocentur, ut eorum conditio specialis significetur.

4. Ut clare exhibeatur peculiarem condicionem vicarii generalis praecellenti auctoritate et potestate episcoporum auxiliarium nullo modo minui, opportunum videtur, ut expresse addatur eiusdem esse universam totius dioecesis administrationem moderari.

Ad art. 36, § 2, pag. 23, linn. 11-15. Deletis alineis 2 et 3 dicatur: « Iis omnibus competit suffragium deliberativum ». *Ratio*: Episcopis dioecesanis et coadiutoribus secundum alineam 2 textus impressi ipso iure in conferentiis episcoporum competit suffragium deliberativum; e contra secundum alineam 3, statutorum conferentiae erit decernere utrum auxiliares aliique episcopi titulares locum in conferentia habentes suffragio deliberativo gaudeant an consultativo tantum. Quae dispositio schematis dignitatis et condicionis auxiliarium sufficienter rationem non habet:

1. Auxiliares eodem modo ac episcopi dioecesani « vi sacramentalis consecrationis » membra corporis episcoporum constituti sunt (cf. const. *de Ecclesia,* cap. III, art. 22, pag. 63, linn. 33-36) et « sollicitudine pro universa Ecclesia... tenentur » (*ibid.,* art. 23, pag. 65, linn. 21-24). Auxiliares autem quasi episcopi inferioris ordinis exhiberentur, si in conferentiis episcoporum suffragio deliberativo privarentur, quo in Concilio Oecumenico gaudent.

2. Auxiliares « in partem sollicitudinis episcopi dioecesani vocati sunt » (art. 23, pag. 15, linn. 30-31). Ergo convenit ut cum iisdem partem eamque plenam habeant in conferentiis, ubi de communibus alicuius territorii dioecesium negotiis et exigentiis agendum et decernendum est, cum omnes eadem obligatione teneantur ad procurandum bonum tum dioecesium tum Ecclesiae universae.

3. Valde timendum est ne apud fideles admiratio oriatur, si episcopi auxiliares in aliis conferentiis suffragio deliberativo gaudeant, in aliis vero minime, maxime si forte in istis regionibus condiciones eaedem fere sint. Ergo convenit, ut a iure iis suffragium deliberativum tribuatur.

7

QUIDAM EXC.MI EPISCOPI ARGENTINI

Los obispos que suscriben adhieren a la intervención habida en el Aula Conciliar, en la LXXXVI Congregación general, por el exc.mo Sr. Rafael Gonzalez Moralejo, sobre el n. 18 bis y 18 ter, del cap. II del esquema de decreto sobre *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Asimismo reafirman su adhesión a las observaciones enviadas a la Secretaria General del Concilio en el mes de abril (Conclusiones approbadas por los Obispos reunidos en Pilar, Republica Argentina, 14-16 abril 1964) y que dicen así:

« Sobre la elección episcopal: *a*) Que la elección de un nuevo obispo, conforme a la tradición de la Iglesia, sea reconocida como un derecho del cuerpo episcopal de la nación o región al que es aggregado el electo, salvo los derechos del Primado Romano, y que en consecuencia se realice mediante un acto colegial de acuerdo a procedimientos establecidos; *b*) que la consulta de los presbiteros, de los Institutos religiosos y del laicado representativo de la sede vacante, sea requisito previo para proceder a la elección; *c*) que sea declarado nulo todo privilegio concedido a la autoridad civil o presumido por esta, para intervenir en la elección episcopal, lo mismo que en la elección y provisión de cualquier otro cargo eclesiastico; *d*) que se sugiera a los poderos juridicos internacionales sea reconocido el derecho de los miembros de cualquier sociedad religiosa de elegir libramente sus jefes, conforme a sus propias leyes, sin intervención alguna del Estado ».

IV
ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
CIRCA SCHEMA DECRETI DE OECUMENISMO
post diem 10 decembris 1963, ante diem 20 maii 1964 *

1

EM.MUS P. D. PETRUS TATSUO CARD. DOI
Archiepiscopus Tokyensis

[*Nomine episcoporum Iaponiae*].

Ad cap. IV. 1. *Titulus* cap. IV emendetur ita: « De catholicorum habitudine ad Iudaeos et ad ceteros non-christianos ».

2. In pag. 4, post lin. 10, addatur sequens nova paragraphus de habitudine catholicorum ad ceteros homines non-christianos, iuxta propositionem in interventu card. Doi in congregatione generali diei 18 novembris 1963 factam:

« Quod attinet vero ad ceteros homines non-christianos, Ecclesia imprimis aestimat animum religiosum, quem diversis sub formis manifestant, et bonam voluntatem qua legem moralem secundum dictamen suae conscientiae servare student.

Scit etiam Deum " qui omnes homines vult salvos fieri " (*1 Tim.* 2, 4), non longe esse ab unoquoque eorum (cf. *Act.* 17, 27), sed consiliis Suae Providentiae, quae attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter (cf. *Sap.* 8, 1), eos omnes amanter et misericorditer amplecti: Eiusque gratiam variis modis apud eos operari.

Libenter insuper agnoscit in eorum traditionibus religiosis, ethicis et culturalibus varia contineri germina veritatis, quibus ad altiorem cognitionem Dei, per Filium eius nobis datam, disponebantur.

Ecclesia, dum conscia est mandati Christi Evangelium humano generi alacri studio annuntiandi, simul debita aestimatione iudicat quidquid veri, boni et humani apud populos non-christianos reperitur.[1]

Pariter filios suos admonet ut magno animo cum omnibus hominibus bonae voluntatis cooperentur pro bono communi cuiusvis nationis et totius familiae humanae secundum normas a Papa Ioanne XXIII f. r. in Enc. *Pacem in terris* datas ».

Ad cap. V. In pag. 6, linn. 2-4, definitio vel descriptio boni communis, quae ita sonat: « seu ordini obiectivo iurium Dei Creatoris et Salvatoris et inalienabilium iurium et libertatum personae humanae », *omittatur. Rationes*:

1. Ad claritatem textus definitio necessaria non videtur.

---

* Cf. vol. III, pars II, p. 781 ss.

[1] Verba sumpta ex Sermone Papae Pauli VI, in initio Sessionis II. Cf. libellum pp. 34 et 41.

2. Etsi bonum commune certo connectatur cum ordine iurium Dei et personae humanae, non potest identificari cum hoc ordine, ut fit in schemate. Nam bonum commune, quod societas civilis iuxta finem suum proprium civibus procurare debet, limitatur ad ordinem temporalem neque comprehendit bonum individuale singulorum.

Consistit praecipue in tutela ordinis iuridici et libertatis singulorum et in suppletione multiplicium auxiliorum ad vitam humanam digne et prospere agendam.

In societate pluralistica mundi hodierni omnes cives, cuiusvis sint originis vel religionis etc., aequum ius habent ad fruitionem huius boni communis.

3. Definitio seu descriptio boni communis, quae in schemate proponitur, magnum damnum afferre potest in terris non-christianis, ut v. g. hic in Iaponia.

Nam impressionem creare potest quod secundum doctrinam Ecclesiae carentia religionis catholicae vel saltem christianae contradicat bono communi societatis civilis; et ita perveniretur ad negationem ipsius libertatis religiosae, quam schema in tuto ponere desiderat v. g. relate ad Buddhistas, qui non colunt Deum Creatorem et Salvatorem.

Nota: Pro casu quod quaedam definitio vel descriptio boni communis omnino facienda videatur, sequentes formulae ab episcopis Iaponiae proponuntur:

1. « seu illi prosperitati temporali, quam societas civilis iuxta proprium suum finem omnibus civibus aequo modo procurare debet » (card. Doi et octo episcopi);

2. « seu conditioni sociali ad dignam ac magis prosperam conviventiam humanam rite ordinatae » (arch. Nagasakiensis).

2

EM.MUS P. D. VALERIANUS CARD. GRACIAS
Archiepiscopus Bombayensis

I. *Fundamentalis idea* totius schematis de oecumenismo, in omnibus suis quinque capitibus, est clare ponderare duo puncta, scil.:

a) Catholicam Ecclesiam habere officium et missionem erga propria sua membra, erga dissidentes christianos et erga totum mundum asserendi suam vindicationem singularitatis, unitatis et visibilitatis, et non permittendi ut hoc quocumque modo obscuretur — sicuti est in clara et obligatoria Instructione S. Officii a. 1950. Schema affirmat et defendit hanc vindicationem in cap. I, sub nn. 1 et 2.

b) Ut obtineatur hoc propositum mediante nostro apostolatu — sit ille inter dissidentes christianos vel inter milliones non christianorum — necessarium esse ut meliorentur nostri modi accedendi ad ipsos; et sub hoc respectu schema facit plures commendationes. Quando quis legit et considerat omnes has commendationes, quarum plures in usum iam devenerunt, non potest non persentire hunc esse casum ponendi antiquum vinum in novis utribus.

In officialibus documentis Pii XII et Ioannis XXIII et nunc Pauli VI tales commendationes iam factae sunt. Et in decretis Nationalium Conciliorum, verbi causa, in Concilio Plenario Indiae, inveniuntur clarae dispositiones quae statuunt quousque possimus pervenire in nostra associatione cum non catholicis, cum de reli-

gione agitur, et qualis debeat esse nostri apostolatus modus erga non catholicos. Si circa hoc negligentes fuimus, non fuit ob carentiam scientiae sed ob carentiam bonae voluntatis. Hoc est vel complexus superioritatis, qui nos ducit ut cogitemus alios nihil habere quod possint nos docere, vel complexus inferioritatis qui timorem nobis incutit ne possimus, tali associatione, amittere nostram fidem, vel scandalum causare, vel, inviti, indifferentismum promovere. Et tamen ob temporum mutationem clariores et peculiares dispositiones requiruntur.

II. Post has praevias animadversiones venio ad cap. V. Et circa ipsum unam tantum volo proponere quaestionem membris Secretariatus Christianae Unitatis.

a) Caput agit in duobus numeris de universali missione Ecclesiae.

b) Ponderat in sex numeris iura seu postulata religiosae libertatis. Estne rationabilis proportio in propositionibus?

c) *Quidquid recipitur iuxta mentem recipientis recipitur.*

d) Nunc vero, inveniuntur milliones tum inter christianos tum praesertim inter non christianos, qui non admittant *singularitatem* religionis christianae; qui sincere credant omnes religiones esse aeque bonas et tantum diversas vias perveniendi ad eundem finem, sicut diversa flumina intrant idem mare; qui sint firmiter persuasi unumquemque debere semper esse in ea religione in qua natus sit, in religione, inquam, quae congruat suae genti et culturae, etc.; qui possint absorbere ea bona elementa quae inveniantur in aliis religionibus quin debeant propriam mutare: illi sunt eclectici.

Cum tali mente sint, quaero: quomodo hi milliones hoc schema recipient? Adhibebuntne hoc schema ad non permittendas conversiones, etiam legitimis mediis obtentas, et leges emittent ad hunc finem? Ego pertineo ad nationem in qua Constitutio dat nobis ius profitendi et propagandi nostram fidem; sed omnes sciunt ius eam propagandi advenisse nobis, ut ita dicam, modo indirecto et extraordinario. Siquidem militantes Hinduistae praeparaverant ducentas emendationes circa hoc verbum; et tantum eximia ars regendi rempublicam nostri magni nationalis Ducis obtinuit hoc ius pro nobis. Interdum, etiam in senatu reipublicae, haec quaestio suscitatur et responsio est sine dubio idonea; interdum officiales minores incommodant nos. Nunc vero, cum hoc schema vulgabitur talia gubernia legent in eo plura quam textus praestat et sic in suo intimo corde exoptabunt vitare conversiones, cum etiam diabolus possit proferre Scripturas ad suum proprium finem.

Hi qui reipublicae praesunt argumentum sumentes ex hoc schemate, cogentne nos, in nostris scholis, ubi tam magnus est numerus discipulorum non christianorum, ut provideamus suae religiosae instructioni, mediantibus propriis suis ministris, in nostro proprio aedificio? Possem ponere multas alias quaestiones sese referentes ad has possibilitates.

Non dico hoc schema non esse acceptabile vel debere mutari radicaliter. Sed aliqua additio vel conclusio deberet apponi ita ut non male adhiberetur ab his qui opportunitatem tantum exspectant ut possint suum propositum adipisci.

Quomodo potest hoc fieri? Hoc est aliquod studii punctum pro peritis. Quod feci fuit tantum aliis praebere occasionem cogitandi, quaerendo forsan plura quam etiam sapiens possit respondere.

3

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. LEFÈBVRE
Archiepiscopus Bituricensis

1. Cum sit ampla et sat implicata quaestio « de libertate religiosa » impossibile est de ea absolute tractari in brevi nostro schemate. Quapropter intentionem nostram recte delineare iam ab initio perutile videtur.

Loco primi paragraphi libenter verba sequentia ponerem: « Manifestum est hodie quemlibet hominem in re religiosa liberum fidei suae assensum et professionem sibi vindicare. Hac de re quae « signum temporis » aestimandam censet, Sacra Synodus aliqua voluit declarare, expectationi hominum hodiernorum responsura. Non tamen intendens tractare de libertate religiosa universim considerata, tantummodo exponit quid sentiat de libertate conscientiae in actu fidei personali, quid de libertate coetus religiosorum relate ad potestatem publicam ».

2. Punctum centrale totius expositionis est libertas conscientiae in actu fidei personali. In hoc adest periculum non amplius bene discernendi exigentias strictas veritatis obiectivae et incidendi in merum subiectivismum qui mox indifferentismum gignit.

Unde necessarium mihi videtur ut imperium absolutum affirmetur veritatis obiectivae quae, sine ulla coactione externa, tamen mentem hominis plane obligat. Hanc veritatem studiose quaerere eique inventae sese humiliter subiicere grave est hominis officium. Deo qui veritas est obsequium spiritale semper debetur quod, insuper, multum confert ipsi dignitati personae humanae. Etenim, intellectus creatus est ad hanc veritatem discernendam et amplectendam. Ditatur et decoratur ab ea, dum, e contrario, ab errore pauperatur et dedecoratur. Hoc praesertim dicendum est quando de rebus revelatis sermo est, quae ad religionem pertinent. In hoc casu, veritates pollentes cautione suprema auctoritatis divinae « Spiritus et vita sunt » et viam verae vitae aperientes, illuminationem et libertatem homini afferunt. Sed errores nihil eidem afferre possunt. In suis obscuritatibus et periculis eum relinquunt et, plus minusve, in servitutem redigunt ».

Haec, ad repellendas aequivocationes circa « libertatem religiosam » magni momenti mihi videntur. Quapropter, votum meum est ut melius appareant in schemate nostro.

3. Quando discipuli Christi (in pag. 4) ad diffundendam et defendendam fidem invitantur, additionem aliquorum verborum optarem quae ostenderint quomodo christiani spem suam in adiutorio Domini et gratia Spiritus Sancti primario ponere debent. Liceat mihi textum sequentem proponere: « Discipuli Christi cum officio veritatem annuntiandi et defendendi semper habent coniunctam obligationem amanter, prudenter et patienter agendi cum hominibus, cogitantes bonitatem Dei (*Sap.* 12, 22) imitantes mansuetudinem et longanimitatem eius, orantes pro omnibus, in sapientia ambulantes ad eos qui foris sunt (cf. *Col.* 4, 5). « In Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis » (*2 Cor.* 6, 6-7) testimonium perhibentes Christo qui animam suam pro amicis suis posuit et usque in finem dilexit eos », scientes vi mortis et resurrectionis Domini verbum veritatis virtutem propriam secum ferre; ita ut eius diffusio non mediis pure humanis sed testimonio evangelico et gratia Spiritus Sancti fulciatur. Numquam errori con-

sentire licet, sed personae humanae etsi errant circa fidem, semper aestimatione et amore dignae sunt, semper cum illa patientia considerandae quam inculcat Pater caelestis, respectum habens libertati humanae, laborans et sperans donec dies est ». Haec est ratio cur Ecclesia etc. ... (pag. 4, lin. 12).

4. Ne tamen ex hac « libertate religiosa » quae ad personam competit quae dictamen conscientiae suae sequitur, aliquis velit condemnationes excludere Ecclesiae, fortasse quaedam de hac re dicenda sunt, et haec libenter proponerem: « Libertas religiosa libertatem proprii ministerii pro Ecclesia catholica includit. Si ipsa defendat veritatem fidei pro fidelibus suis vel eis imponit quasdam prudentiae exigentias ad eamdem fidem in eis tuendam, non ex hoc de intolerantia accusanda est. Ecclesiae enim competit ius et libertas determinandi conditiones quibus persona respondere debet ut membrum sit societatis visibilis. Quod si hoc fecerit nullo modo coactionem exercet, nullam impugnat libertatem relate ad assensum fidei. Ceterum fideles suos invitat in commercio cum aliis ut humanissime tractent eos qui, dictante conscientia, auctoritatem Ecclesiae sese non obsequendos iudicaverint ».

4

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD

Archiepiscopus Burdigalensis

Hoc schema postulat alium titulum et alium ordinem.

I. *De titulo.* Quia hoc schema spectat non solum ad unitatem inter christianos, sed etiam debet respicere iudaeos, mahumetanos atque incredulos. Unde, nisi sensus vocabuli « oecumenismi » mutetur, alius titulus requiritur.

Ad exemplum propono: « De habitu catholicorum erga non catholicos ».

II. *De Ordine.* 1. Cap. V, de libertate religiosa debet advenire ut primum caput, et non manere ut ultimum.

Nam haec quaestio se habet ut principium generale relate ad cetera argumenta huius schematis. Sese praeberet optime ut quoddam praemium ad mentem dirigendam pro aliis disceptationibus in hac schematis materia. Attamen, ista res verum caput bene explanatum postulat, ratione habita de propositionibus infra allatis.

2. In secundo capite speciatim tractaretur de orthodoxis et de religionibus christianis orientalibus.

3. In tertio capite, dissertatio poneretur de christianis reformatis in genere, vel de protestantibus.

4. In quarto capite, praecisius quaestio esset de Anglicanis.

5. In quinto capite, aliquid diceretur de Mahumetanis, quia Christum, saltem ut prophetam, agnoscunt.

6. In sexto capite tantummodo veniret quaestio de Iudaismo. Iudaei cum christianis uniuntur in Veteris Testamenti veneratione. Sed Mahumetani, de quibus antea ageretur, non possent arguere de hoc secundo loco pro Iudaeis.

7. In octavo capite, tractaretur speciatim de monotheistis extra Mahumetanos ac Iudaeos, de spiritualistis in genere et de atheistis; et forsan aliqua principia maxime utilia proferrentur de materialistis.

III. *De libertate religiosa.* Istud caput maximi momenti est: 1. erga Protestantes qui exspectant nostram mentem in hac re; 2. erga relationes status civilis cum Ecclesia.

Forsan eius titulus sic mutandus est: « De libertate in materia religiosa ».

In universum textus propositus admitti potest, ratione habita de expositione excellentis relatoris.

Praeterea sunt quaedam puncta quae expostulant rectam vigilantiam:

1. Caveamus incidere in liberum examen.

2. Quando agitur de bono communi (pag. 5, § 5 in fine), occasione iurium civitatis civilis quoad exercitium libertatis religiosae, definitio accurata istius boni communis stricte exigitur. Secus, omnes abusus nationalismi immoderati admitterentur. Unde, in hac materia, notandum est quod solummodo in nomine boni communi potest refrenari quidquid contra ius naturale oppositum est.

Etenim difficile est arguere pro libertate religiosa si praebeatur ut libertas fidei. Sed potius utile est loqui de libertate et de dignitate personae humanae.

In hoc textu, ampliores recursus ad Scripturam Sacram exoptantur.

5

Exc.mus P. D. IOANNES AMBROSIUS ABASOLO Y LECUE

Episcopus Vijayapuramensis

Cap. V. In hoc capite sermo est de libertate religiosa recte consideranda, et materia in eo tractata respicit omnes et singulos homines, cuiuscumque religionis sint, atque in eo affirmatur Ecclesiam defendere et vindicare libertatem religiosam quamdiu quis in errore invincibili versetur.

Opinor in re tanti momenti, qualis est haec, Ecclesiae doctrinam enucleatius esse proponendam, ad quod sequentia principia oportet prae oculis habere.

1. Singuli homines tenentur aliquam religionem profiteri, quod ostenditur ex eo quod Deus ius strictum habet ut ab homine revereatur et colatur; ex eo quod quilibet tenetur ultimum finem adipisci; ex eo quod omnes gentes unanimiter consentiant in admittenda religionis necessitas, et ex pravis consectariis quae sequerentur sublata religione.

2. Religio quam singuli homines tenentur profiteri non est nisi *vera* religio, quod patet. Secus Deus aequo modo se haberet circa cultum verum et falsum, quo nihil absurdius.

3. Vera religio est *unica,* nam inter religiones sibi invicem oppositas et contradictorias una tantum potest esse vera.

4. Unica vera religio est illa quam Ecclesia catholica profitetur, ad quam iure divino positivo omnes tenentur pertinere.

5. Nemo excusatur ab ea amplectenda nisi impotentia vel ignorantia invincibili.

6. Ecclesia ius et mandatum habet ut ubique diffundatur et ut omnes ex quacumque tribu, lingua, populo et natione in suum sinum colligat.

His principiis admissis, quomodo se gerere debet Ecclesia in opere adducendi homines, qui extra eam versantur, ad veram fidem? In textu nobis proposito dicitur omnino esse vitandam coactionem externam. De hoc nullum est dubium, id

enim ipsa natura adsensus fidei postulat. « Credere, ait S. Augustinus, non potest nisi volens ».

Supposita hac coactione externa, atque etiam suppositis oratione, paenitentia, exemplo bonae vitae et alia huiusmodi, quaeri potest quid amplius permittatur ut attrahantur ad amplexandam fidem illi qui extranei sunt ei. In schemate, pag. 4, n. 2, versus finem secundae paragraphi affirmatur: « In annunciatione veritatis ab omni coactione abstinendum est. Error reiiciendus est, veritas praedicanda, persona errantis circa fidem ad veritatem allicienda ». Mea humili sententia hoc videtur nimis vagum.

Existimo hic distinctionem esse statuendam inter personas et personas alienas Ecclesiae catholicae. Pro nostro scopo quatuor sunt categoriae ad quas reduci possent.

a) Christiani non-catholici, illi nempe qui bona fide extra veram Ecclesiam versantes honestam ducunt vitam, sequendo articulos et praecepta communitatis christianae in qua nati et educati sunt.

b) Non-christiani qui veritates et officia ad Deum in ordine naturali colendum spectantia cognoscunt et pro posse observare satagunt ea quae iuxta dictamina propriae conscientiae observanda censent.

c) Non-christiani qui inculpabiliter clara notitia Supremi Numinis carent et cultum superstitiosum ei exhibent.

d) Catholici qui fidem, quam professi sunt, amiserunt.

Si prae oculis habeantur hae quatuor classes personarum, puto sequentia licere ut, sine laesione iurium hominis, errantes circa veram fidem ad eam adigantur.

Sub *a*) et *b*) inclusis, videlicet, christianis non-catholicis in bona fide et non christianis, qui legem naturalem observant, suadere licet, cum tactu quidem, humaniter et opportune, ut amplectentur fidem catholicam.

Erga sub *c*) enumeratos, i. e. erga non christianos qui non habent veram notitiam Dei et cultum superstitiosum ei exhibent, videtur magis licere, quamvis ignorantia invincibili laborent, agitur enim de ignorantia iuris naturae in re maximi momenti.

Praecepto naturali tenemur subvenire proximo sive corporaliter sive spiritualiter indigenti. Nunc vero, memorati infideles sunt in gravissima necessitate spirituali qui, licet versentur in ignorantia invincibili, instruendi sunt etsi de efficacia instructionis dubitare liceat, agitur enim de ignorantia eorum quae respiciunt ius naturae et quae sunt necessaria necessitate medii.

Igitur, erga tales licet directe alloqui eos et exponere, prudenter quidem, falsitatem doctrinae quam tenent et cultus quem profitentur, etc.

Demum erga illos qui fuerunt ex nobis et iam non sunt ex nobis licet praedicare verbum, instare opportune et importune, arguere, obsecrare et imprecare in omni patientia et caritate atque in sana doctrina, sunt enim in mala fide, nam iuxta communem doctrinam defectio fidelis catholici ab Ecclesia et fide catholica non est sine ipsius gravi culpa. Deus non deserit nisi voluntarie deseratur. (Idem dici posset circa omnes illos qui mala fide extra Ecclesiam catholicam, quae est « unica salutis arca » [Pius IX], manent, cuiuscumque furfuris sint). Non erit abs re hic in mentem revocare illa verba S. Thomae: « Sicut vovere est voluntatis, reddere autem necessitatis, ita accipere fidem est voluntatis, sed tenere eam acceptam est necessitatis. Et ideo haeretici sunt compellendi, ut fidem teneant » (II-II, q. 10, a. 8 ad 3).

Concludo proponendo ut in hoc capite de libertate religiosa, stylo praeciso, statuantur concretae normae circa modum quo catholici se gerere debent in materia religiosa iuxta diversas classes hominum cum quibus agunt.

Faxit Deus ut quod haec Sacrosancta Synodus hac in re declaret non sit impedimento missionariis in suo labore et ut non aperiatur via seminatoribus zizaniae ibi ubi catholici vitam pacificam traducunt.

Omnia cedant ad aedificationem et augmentum Corporis mystici Christi.

6

EXC.MUS P. D. ANTONIUS ALBERS
Episcopus Malangensis

I. Substantiam doctrinae in hoc capite contentae approbo.

II. Quamquam res latius pateat quam Oecumenismus, opto ut hoc caput locum suum in Decreto de Oecumenismo servet. Etenim res magni urgentisque momenti est in re oecumenica. Intolerantia enim a parte catholicorum, quae in historia etiam recenti nonnumquam apparet, colloquio confidenti magnopere nocet, quia fratres separati apud nos duplicitatem suspicantur, et apud ipsam Ecclesiam cupiditatem dominandi.

Alibi locum opportunum haec quaestio non inveniet, nisi in schemate XVII. Dubium autem est, utrum schema illud possit absolvi. Insuper in nostro schemate quaestio tractari potest secundum proprium eius nucleum, scil. tamquam problema de relatione inter religiones diversas; in schemate autem XVII vix poterit tractari nisi simul cum quaestione de officiis Statuum in re religiosa, quae quaestio infinitas suscitabit disputationes.

III. Nonnullam emendationem postulant.

1. Ad n. 3, a pag. 4, lin. 31 ad pag. 5, lin. 19. Totus hic passus, praesertim inde a pag. 4 lin. 38, est potius professoralis quam conciliaris. Quapropter apte omittetur vel ad essentialia reducetur. Qua in re haec sunt animadvertenda:

In contextu hic passus non omnino quadrat. Dum enim contextus agit de libertate religiosa in specie, hic agitur de libertate conscientiae in genere. Iamvero haec non possunt omnino aequiparari. Ius enim ad libertatem in relatione ad Deum est magis absolutum quam in ceteris rebus moralibus, quia agnitio Dei veri per definitionem fieri non potest nisi actu libero.

Expressio *iura Dei* (pag. 5, lin. 3) sensum incertum habet. Deus enim in campum relationum humanarum non proprie intrat tamquam subiectum iurium. Iura Dei non videntur esse alia quam iura personarum humanarum in sua relatione ad Deum, ius scil. ut quis secundum conscientiam suam Deum audiat eique oboediat, et praecipue ius illorum qui se ad evangelium praedicandum a Deo mandatos credunt.

Verba « nec ulla humana potestas ius habet sese huic conscientiae substituendi a. v. in ipsam coercitionem exercendi » (pag. 5, linn. 17 s.) non videntur esse indubie vera. Si enim agitur de legibus fundamentalibus, quibus relationes interhumanae reguntur et sine quibus conviventia humana est impossibilis, quaedam coactio iustificari posset videtur (Status potest prohibere cannibalismum, polyga-

miam etc.). Ius ad libertatem in re stricte religiosa est magis absolutum quam in ceteris rebus moralibus.

2. Ad n. 5, pag. 6, linn. 2-4. Verba « nisi contradicat bono communi seu ordini obiectivo iurium Creatoris et Salvatoris » sunt ambigua propter rationem supra allatam. Ianuam insuper, historia teste, aperire possunt omnimodae intolerantiae. Forte melius scriberetur fere sic: « Ideo in vita publica exercitium externum libertatis conscientiae in re religiosa limitari non potest, nisi offendat inviolabili iuri ceterarum personarum ut Dei verbum audiant eique oboediant ».

3. Ad n. 5, pag. 26, linn. 6 s. Haec sententia de discriminatione raciali etc., etsi omnino vera ac laudanda, nimis exulat a materia huius decreti.

[*Subscripserunt etiam*] H. Djajasepoetra, arch. Djakarta; P. van Diepen, praef. ap. Manokwariensis; J. M. Romeijn, ep. Samarindaensis.

7

Exc.mus P. D. ALOISIUS ALONSO MUÑOYERRO
Archiepiscopus tit. Sionensis

De libertate religiosa.

I. *In genere.* Doctrina huius capitis, etsi conformis substantialiter cum doctrina a catholicis tradita, involuta est tamen conceptibus non bene claris et distinctis, abundans repetitionibus circa ius conscientiae ad libertatem in re religiosa, et locutionibus, quibus confusionismus gignitur et periculum erroris oritur in materia adeo difficili maximique momenti.

Ex altera parte, schema hoc, inopinate Patribus praesentatum, prope finem sess. II Concilii Vaticani II, celeriter confectum videtur, sine classificatione materiae, et distributione rerum, in Concilio consuetis. Ideo, non dubito quin novum schema conficiendum sit, maxime attentis emendationibus a Patribus commissioni oblatis. In hunc finem aliqua dicenda sunt.

II. *Ius conscientiae nimis extollitur.* In prooemio, pag. 3, dicitur quod attendendum sit... « ad iura et officia personarum seu subiectorum quibus veritati adhaerendum est ». Hic agitur implicite de libertate conscientiae in ordine ad veritates religiosas, tanquam de *iure* quodam absoluto, « ad Sacra et absoluta Dei iura » contraposito.

Pag. 4, n. 2. Iterum, *officiis* erga verbum divinum respondent *iura* conscientiae...

Pag. 4, n. 2, lin. 15. Fit sermo de *plena libertate...*

Pag. 4, lin. 20. « Libertas religiosa » (sine ullo addito) dicitur *vindicata* ab Ecclesia.

Pag. 4, n. 3. Libertas religiosa verbis absolutis praecipitur ut *observetur* ab omnibus.

Pag. 5, A lin. 10 et in ss. *ius* conscientiae personalis, sub conditionibus valde inconcretis, asseritur, repetitis paragraphis, elevando dictamina conscientiae ad categoriam illorum, quae « ut suprema et sacratissima apparent ».

Pag. 5, n. 4. Officia hominis erga Deum pendent a *conscientia* (recta vel non, non dicitur). Iterumque libertas conscientiae personalis et socialis affirmatur.

Pag. 5, n. 5. Statim, quasi unquam dictum fuerit, illa libertas iterum asseritur.

Pag. 6, n. 5, par. 4. Nimis absolute affirmatur quod « potestas humana debet iustitiam et aequitatem observare erga omnes qui in re religiosa dictamina suae conscientiae oboediunt ». (Quomodo constare possit potestati sociali rectitudo huius conscientiae, non curatur).

Pag. 6, lin. 7. Verbis solemnioribus asseritur ius conscientiae ad libertatem religiosam.

Pag. 6, lin. 8. Iterum atque iterum, et hac vice verbo imperativo, libertas religiosa *urgenda* dicitur.

Ante hanc verborum magnificentiam in extollendo iure conscientiae in re religiosa, conditiones restrictivae valde leves et moderatae sunt.

Pag. 4, n. 3, lin. 2. Loquitur de iudicio conscientiae *prudenter* efformando.

Pag. 5, n. 3, lin. 4. Sermo est de « adhibitis mediis informationis » et de « ratione habita iurium aliorum ». Quae limitationes multa ambiguitate laborant.

Pag. 5, n. 5. Apponuntur ut limites conscientiae « iura aliorum », « sicut bono communi exigitur ». Intelligentibus, et bona voluntate praeditis, sufficerent; sed non sufficient maioritati hominum, in quorum animis ius conscientiae tantum inculcatur.

Pag. 6, nn. 1-2. Verba sunt quae clariora videntur. Tamen, pro hominibus sensu irreligioso vel liberali infectis, facile erunt praetermissa, quia exaggeratio in iure conscientiae defendendo, veritatem occultaret.

III. *Iustae limitationes libertati religiosae.* Quoniam agitur de re, quae recognoscitur difficillima, et quae multa mala saluti animarum attulit, propter principia liberalia, contra quae Romani Pontifices multis documentis veram doctrinam docuerunt, non decet adeo libertatem extollere, vindicare, proclamare, imponere et urgere, sine certis ac determinatis limitibus, clare expositis, quibus veritas pateat et praetextus inimicis Ecclesiae tollatur, ei et cum eius verbis bellum indicendi. Nisi hoc fiat, plures abusus irrepere possunt:

a) Ecclesia posset haberi tanquam fautrix personalismi humanistici et aliorum errorum.

b) Educatio puerorum et iuventutis videbitur iis, qui errore « rousoniano » sunt infecti, coactio conscientiae educandorum.

c) « Moralitas situationis », quae ut res conscientiae habetur, argumenta sumeret ex doctrina indeficienter exposita in schemate.

d) Communismus conquereretur de prohibitionibus contra ipsum prolatis, quia pro communistis quasi religio est...

e) Iure conscientiae freti, auctoritati praecipienti, paternae et sociali, civili et ecclesiasticae, si ius conscientiae extollitur, possent multi oboedientiam denegare.

f) Posset Ecclesia poenis comminari vel eas imponere quin de coactione contra conscientiam accusari valeat? Verbum ergo « coactio » non adhibeatur sine addito v. g. « iniusta, illegitima etc. ».

g) Verba praesentia habeamus Pii XII, qui in allocutione 2 nov. 1954 (*A.A.S.*, 46, 1954, pag. 666) errorem damnat illorum qui « volunt existimari et tractari ut adulti... qui sibi statuant quid faciendum quidve omittendum quibuslibet in adiunctis rerum ». Ecclesia enim, aiunt, « sinat suo quemque fidelem iudicio et conscientia se gerere ».

IV. *Limites libertatis conscientiae.* Inspecta libertate individuali, sub hoc aspectu *personali,* haec quaestio est moralis, fori interni, quae ad ethicam et theologiam moralem pertinet. Tamen non inopportunam aestimo paragraphum pag. 5, quae incipit « In omni actu morali », dummodo clarius et expressius agatur de obligatione personae humanae inquirendi de Deo quae inquirere fas est (*Sap.* 1, 13; ad *Rom.* 1, 18 ss.).

In ordine *sociali,* cum error malum sit personae quae ipsum patitur, et periculum personis quibuscum convivere debet; non licet transitum facere ex ordine subiectivo ad obiectivum, ex interno et privato ad externum publicum, et affirmare ius personae ad errorem exterius publice profitendum, quin limites apponantur. Ita fit in n. 5 schematis, sed valde opportunum est, ne dicam necessarium, ut de bono communi agatur, iuxta Enc. *Pacem in terris,* parte II (*A.A.S.,* 55, 11 aprilis 1963, pp. 269 ss.). De limitibus conscientiae in proiectione externa, Ioannes XXIII in praedicta Encyclica docet. Equidem, inter iura hominis numerat « ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri » (*A.A.S.,* 55, 1963, p. 260). Verumtamen limitationes huius iuris recognosci debent:

a) Ex natura omnium iurium personae humanae, quae recoli possunt in ipsa Encyclica, cessant quando obstant bono communi societatis, ut accidit v. g. in iure ad vitam, quod variis de causis limitatur vel cessat, et tamen primum est inter iura personalia.

b) Ius hominis est ut libere possit verum inquirere, et, morali ordine communique omnium utilitate servatis, opinionem suam declarare, vulgare (pag. 260). Libertas expressionis, i. e. proselytismus, ut videre est in praecitatis verbis, constringitur intra limites *ordinis moralis et boni communis.* Hic... autem proselytismus est praecipuum desideratum v. g. a protestantibus. Et cultus publicus, quid est nisi forma proselytismi?

c) In pag. 273 Encyclicae invenimus quod rei publicae rectores ad bonum commune spectent idoneis viis gradibusque assequendum. Nunc vero, haec referentia *ad vias et gradus* opportunos, quid est nisi invocare prudentiam in harmonia iurium personarum? Ergo iura humana non sunt quid absolutum.

d) Tandem, recolenda et bene ponderanda sunt verba praecitatae Encyclicae, pag. 31: « Neminem enim praeterea oportet, Ecclesiae ius itemque officium esse, non solum fidei morumque doctrinam tutari, sed etiam auctoritatem suam apud filios suos in regione rerum externarum interponere, cum diiudicare opus est quomodo doctrina eidem sit ad effectum deducenda ».

Unde eadem doctrina, i. e. eadem principia, non semper eodem modo *ad effectum* debent applicari.

Iuxta hanc mentem, em.mus card. Bea, de Oecumenismo loquens, bis exposuit Patribus aliud esse principia, aliud eorum applicationem, quae circumstantiis locorum, temporum et personarum accommodari debent.

Liceat mihi rogare ut illa verba loco opportuno inserantur in novo schemate. Ecclesia sic defenditur contra accusationem « machiavelismi » et plura problemata in hac re iustam solutionem obtinent, inter alia, problema hispanicum, problema utique superficiale, animo hostili creatum. Ecclesia hanc semper regulam habuit in Concordatis faciendis cum Nationibus. Eodem modo solvendum est problema, v. g. in Germania et in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, ubi pluralitas datur religionum et sectarum, ac in Hispania ubi Protestantes vix numeran-

tur 30.000 contra immensam maioritatem catholicorum? Protestantes ex natione hispanica (inclusis Testibus Jehova) vix perveniunt ad 15.000.

V. *Bonum commune Ecclesiae.* Aliqui abutuntur quibusdam verbis Pii XII in Allocutione ad iuristas italos 6 decembris 1953 (*A.A.S.,* pp. 794-802). Summus Pontifex admittit in theoria quod Ecclesia in casibus particularibus potest determinari propter *bonum commune* Ecclesiae Universalis. Sed non agit de solvendo aliquo tunc casu, nec manifestat suam voluntatem esse ut in posterum libertas religiosa in omnibus locis aequaliter praefiniatur. Apud ipsum quaestio non est de facto.

Nunc, in casu Hispaniae, saepissime audivi hanc normam vigere et urgendam esse. Quidam Pastor extraneus, postquam Hispaniam visitavit, scriptum misit Secretariatui pro Unione, et pervenit ad conclusionem circa necessitatem exigendi libertatem in hac catholica Natione *propter bonum commune* ipsius Ecclesiae. Non invenit alium titulum iuris.

Sed, in primis, improbatum est quod in aliquo Statu conditio Ecclesiae facta fuerit in peius propter unitatem catholicam in aliqua natione. Tamen constat quod Gubernia ducuntur vel ideologiis vel ex convenientiis nationis; ita ut, quod ad Ecclesiam attinet, vel est victima persecutionis propter ideologiam adversam imperantem, vel si bene illi est, hoc ad suam doctrinam et opera, cum auxilio Dei, attribuendum sit.

Sed admittamus quod Ecclesia in Concilio libertatem aequalem statuit, ut videtur proponi in par. 8, pag. 6 schematis. Ecclesia compromissum adquireret in facie mundi, et tenebitur hac lege, quae est doctrinalis et aequivaleret denuntiationi Concordatorum. Quaeritur, ubi est organizatio vel entitas quae respondeat Ecclesiae de adimpletione muneris circa ipsius Ecclesiae libertatem in toto mundo? Nullo modo quiescendum est in O.N.U. quia nullam auctoritatem habet hac in re.

Habebimus igitur quod Ecclesia, ubi ipsa praevalet, admittere tenebitur religiones, sectas, errores cuiusvis generis, et tamen persecutionem pati posset ubi inimici potestate publica potiantur. Semper erit verum quod « regnavit a ligno Deus ».

De casu Hispaniae non agam ex professo. Loquar in Concilio, si casus ferat.

Conclusiones. 1. Thesis cap. V *de libertate religiosa* approbanda est, et quidem opportuna aestimanda, ad hoc ut inter catholicos iam non sint in re tanti momenti discussiones.

2. Iura conscientiae in relationibus ad Deum non sunt maxime ponderanda, graves accusationes excusandi causa (subiectivismi, personalismi humanistici, indifferentismi etc.).

3. Conditiones quae libertatem moderantur, iuxta doctrinam Encyclicae *Pacem in terris,* antea citatam, stabiliendae sunt.

4. Par. 7 et 8, pag. 6 schematis deleri oportet, quia nimis exaggerant ius conscientiae, in terminis quae inimicis inservient ad dimicandum contra Ecclesiam veram Iesu Christi. Saltem, aliter et quidem suavius, doctrina, quae admitti possit, exponatur. Necessariae non sunt hae paragraphus, quia ius conscientiae iam antea recognitum fuit.

5. Nihil de *bono communi generali* agatur. Insistat commissio in necessitate applicandi principia ad circumstantias locorum etc.

Faxit Deus ut cap. V bene excultum sit, doctrinae catholicae plene conforme, ut ab omnibus Patribus approbationem mereatur.

8

EXC.MUS P. D. CAROLUS IOSEPH ALTER
Archiepiscopus Cincinnatensis

De libertate religiosa.

I. *Introductio.* In hac interventione loquor non tantum in nomine meo sed etiam in nomine plurimorum episcoporum (plus quam nonaginta) de Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis. Loquor non de libertate qualicumque vel indeterminata, sed praecise de iure personae humanae ad immunitatem in re religiosa ab omni externa coactione a potestate publica inducta. Exc.mus relator hanc distinctionem inter veram libertatem religiosam et alia genera falsae libertatis religiosae iam in lucem bene posuit. Schema *de Oecumenismo* quoad cap. V nobis maxime placet. Quaestio an sit tractandum in alio schemate vel in alio loco eiusdem schematis hic non attingitur.

II. *Argumenta in favorem libertatis religiosae.* 1. Apud multos tum catholicos tum non-catholicos dubia adhuc existunt, num Ecclesia catholica agnoscat plenam libertatem religiosam pro omnibus civibus. Quaeritur, enim, utrum libertas Deum colendi tum privatim tum publice, tum in coetibus coadunatis tum singulatim, iuxta rectam singulorum conscientiam, agnoscatur pro catholicis tantum vel etiam pro aliis. Haec dubia evitare oportet, ut unitas christiana promoveatur, caritas vero fraterna et bonae relationes inter catholicos et non-catholicos in dies augeantur.

2. In memoriam redigendum est quod non desunt qui exprobant catholicos, in re religiosa se gerere ratione quadam ambigua et invidiosa. Nam, aiunt, ubi catholici minoritatem politicam constituunt, ibi ius ad plenam libertatem in religione sibi vindicant, ubi vero maioritatem politicam constituunt, ibi ceteris ius non agnoscunt ad plenam libertatem in re religiosa exercendam.

3. Mutationes plures et magni momenti quoad structuram et competentiam potestatis civilis cursu temporis factae sunt. Aetate nostra, enim, fons omnis Reipublicae auctoritatis in principe quodam non colligitur, sed in omnibus civibus simul sumptis. Publica auctoritas insuper hodiernis temporibus non amplius de bonis spiritualibus iudicat atque decernit. Hodie, fere ubique, cives praesertim in re religiosa, ius iudicandi independenter a potestate publica sibi vindicant et hac in re competentiam Status denegant; et merito quidem, quia, si ratio spectetur qua Reipublicae auctoritas exercetur, clare apparet quod ipsa non est apta ad iudicia *pro merito* ferenda in re religiosa; huiusmodi enim auctoritas exercetur per suffragium civium et quidem principio maioritatis. Omnino igitur incongruum erit si veritas et valor doctrinae divinae et disciplinae Ecclesiae subicienda sit suffragationi maioritatis civium.

4. Clare et praecise distinguendum est inter duas diversas notiones, scil. inter societatem civilem ex una parte, et statum civilem, i. e., gubernium qua tale, ex altera parte. Non sunt eaedem, nec una cum altera confundenda est quoad iura et obligationes. In lege fundamentali Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis solemniter statutum est ius decernendi in re religiosa esse ius praecipuum quod competit societati ipsae, seu civibus tum singulatim tum in coetibus coadunatis; e contra, gubernium ipsum stricte prohibetur ne in quaestionibus religiosis ullo modo sese immisceatur. Si cives catholici igitur plenam libertatem religiosam

non agnoscunt, cives non-catholici conclamare poterint quod catholici non sunt leales nec confidentiae digni, imo officia publica eis concredere non esset permittendum.

5. Declarationes solemnes Romanorum Pontificum, ab excellentissimo relatore iam citatae, clare manifestant mentem Ecclesiae quoad ius personae ad libertatem religiosam in adiunctis hodiernis. Valde mirandum esset si mens et positio Concilii Vaticani II verbis Summorum Pontificum non essent consonae.

6. Apud sic dictas « Nationes Unitas » declaratio solemnis de universalibus hominis iuribus approbata est; in articulo decimo octavo huius declarationis ius personae humanae ad plenam libertatem in re religiosa vindicatur. Valde mirandum esset si in hoc Oecumenico Concilio nihil diceretur de hoc iure vel obscuris verbis tractaretur, eo magis quod agitur de iure a Summo Pontifice Pio XII claris verbis iam citatis in relatione vindicato. Summus Pontifex Paulus VI etiam in allocutione nuper die 29 septembris huius anni habita collocavit ius ad libertatem religiosam inter praecipua iura hominis.

7. In memoriam etiam redigendum est quod Dominus Noster Iesus Christus numquam invocavit vim vel compulsionem aliquam, nec exemplo nec verbis, ad fidem alliciendam. Codex Iuris Canonici etiam statuit: « Ad amplectendam fidem catholicam nemo invitus cogatur » (can. n. 1351). Nobis maxime placet quod dicitur de natura actus fidei in schemate *de Oecumenismo* et de iure conscientiae ratione legis naturalis. Numquam nec ullo modo asseritur quod personae humanae competit lege naturali ius diffundendi errorem. E contra dicitur quod Status seu potestas civilis nulla competentia gaudeat ad decernendam veritatem divinam, et merito quidem quia non est instrumentum aptum, nec ratione sui nec ratione principii maioritatis suffragiorum adhibiti. Asseritur tantum quod persona humana immunis sit in re religiosa ab externa coactione potestate civili inducta, quod est aliquid aliud.

III. *Conclusio.* Ius personae ad libertatem in re religiosa ab omnibus quidem agnoscendum est, sed a potestatibus reipublicae non tantum colendum, tutandum sed etiam mediis aptis promovendum. Nam finis reipublicae est defensionem et promotionem boni communis inservire tum regionalis tum universalis. Maxime igitur bonum commune adiuvare, pacem promovere et ordinem internationalem humanum inservire poterit si Sancta Synodus vocem suam levaret in defensione eiusdem iuris.

9

Exc.mus P. D. GARABED AMADOUNI

Episcopus tit. Amathusius in Cypro

In cap. I schematis *de Oecumenismo,* in par. sub n. 1, exponitur mysterium unitatis Ecclesiae, sub luce exemplaris supremi et principii unitatis praefiguratae in unitate SS.mae Trinitatis: Filius missus a Patre effundit Spiritum suum Sanctum per quem populus Dei N. Foederis in unitatem fidei, spei et caritatis congregatur.

Hic populus Dei est Ecclesia, quae est concredita curae pastorali duodecim apostolorum, cum munere docendi, regendi, sanctificandi et pascendi « in perfecta unitate », sub Petro capite collegii apostolorum.

Ita, in hac I paragrapho, unitas Ecclesiae praesentatur sub aspectu, si fas est, dicerem *statico,* absque allusione ulla ad suum aspectum *pneumaticum,* scil. actus unitivi communionis, positi sub influxu Spiritus Sancti ab apostolis et eorum successoribus, unitis in collegio cum Petro et eius successoribus.

Iste aspectus quidem supponitur in schemate, quoniam in paragraphis sub nn. 2 et 3 eiusdem capitis sexies sermo fit, sub forma negativa, de separatione a communione fratrum baptizatorum (cf. pag. 8, linn. 16, 18-19, 30-31; pag. 9, linn. 12-13; pag. 10, linn. 9-10, 13-14), contra in par. 1 nihil dicitur de communione hac tanquam *elementum constitutivum* unitatis Ecclesiae. Cur sub forma negativa tantum et non sub forma affirmativa, positiva?

Unitas Ecclesiae, una ex quatuor notis eius, intacta tuetur ope actus *communionis membrorum inter se et cum hierarchia,* scil. prius cum proprio episcopo ac per ipsum cum aliis episcopis et eorum fidelibus, usque ad pastorem seu episcopum supremum, successorem Petri qui praesidet caritati in collegio episcoporum.

Cum stylus vel indoles huius schematis sit potius pastoralis et oecumenicus quam dogmaticus, pro fine oecumenismi obtinendi opportunius videtur, ponere accentum de ista necessitate communionis inter successores collegii apostolorum et fidelium cum collegio. Hic accentus desideratur in paragrapho 1 eo vel magis quod in paragraphis sequentibus, 2 et 3, iam pluries sermo fit de separatione a communione seu de defectu communionis quo schismata oriuntur. Si in par. 1 explicaretur latius natura huius communionis, oppositio evidentior evaderet inter communionem et separationem et conceptus unitatis Ecclesiae melius eluceret.

Censeo quod hoc modo procedendi melius explicaretur etiam cur et qua ratione Unitas Ecclesiae, nota eius et obiectum fidei « Credo in unam Ecclesiam », possit manere inalterabilis, sub influxu Spiritus, quoad suam naturam, etiam post tot schismata orta in sinu Ecclesiae. Etenim separationes membrorum per schismata tangunt existentiam unitatis Ecclesiae in membris quibusdam, quantum ad extensionem unitatis in membris, quae augetur vel diminuitur secundum augmentum numericum communionis vel eius diminutionem. Hoc sensu licet uti expressione « obscurari », per separationes, unitatem Ecclesiae, per privationem membrorum quorumdam ab unitate. Unitas existentialis tantummodo obscuratur quando manifestatio eius visibilis coarctatur per separationes, manente semper *centro communionis,* in collegio apostolorum, Petro praesente et praesidente. Sic refutatur ipso facto, absque sensu dominationis, positio Protestantium qui concipiunt saepe Ecclesiam Christi, existentem in nostro saeculo, divisam in plurima fragmenta, esse irriconoscibilem; inde necessarium esse, per conatus humanos, restituere ipsi prius suam unitatem amissam.

Tractando de unitate Ecclesiae sub aspectu communionis, melius elucet cur debeat actio libera et personalis intervenire ut verificetur reapse separatio formalis aut proprie dicta.

Nam ex divina institutione, processus communionis incipit et tuetur mediantibus pastoribus qui sunt Ecclesiarum capita particularium; pariter, relaxatio nexus communionis et eius cessatio fiunt saepe saepius, quando attingunt coetum aliquem ecclesialem, ope pastorum.

Genesis separationum, praesertim apud Ecclesias Orientales, locum habuit per actus rupturae positis a pastoribus. Coetus fidelium remansit seiunctus ab unitate Ecclesiae visibili, quousque non fuit dissociatus, aliquo actu personali, a communione cum suo pastore facto schismatico.

Talis status separationis communitariae facilis est vi normae generalis oboedientiae a Christo Domino positae, qua singulus fidelis normaliter tenetur audire pastorem proprium tanquam vicarium Christi. Inde fit ut talis oboedientia, in se ipsa res bona, in casu schismatis pastoris sui, facit ut coetus fidelium separetur a communione visibili Ecclesiae Christi, manente tamen vinculo communionis invisibili, contracto per baptisma et fidem professam, cum rectitudine animi, in oboedientia pastori, facto schismatico.

Non est dicendum quod sit hic vera ratio cur in Ecclesiis separatis, ideo « extra visibilia saepta Ecclesiae catholicae », possint adhuc existere « vita gratiae, aliaque interiora Spiritus Sancti bona, fides, spes et caritas etc. » prouti asserit schema huius constitutionis? Ecclesia distribuit bona sua, intuitu fidelium, recto animo nexum communionis invisibilem conservantium.

Mihi videtur ergo quod explanatione theologiae unitatis Ecclesiae, sub aspectu pneumatico et existentiali communionis, theologia ipsa habitudinis Fratrum separatorum ad Ecclesiam catholicam, principia ac normae quae Oecumenismum dirigunt, melius explicarentur. Etenim:

a) Clare percipitur cur, post separationem quorundam membrorum, unitas Ecclesiae non labefactetur quoad suam essentiam; nec frangatur in plurimas partes aequipollentes prouti autumant auctores heterodoxi.

b) In lucem ponitur differentia substantialis inter separationem per aliquem actum personalem et illam quae fit sub forma communitaria, absque actu personali, ideo passive recepta, externe, per errores vel peccata Pastorum.

c) Item melius explicatur quo pacto in coetibus quibusdam Fratrum separatorum possit adhuc conservari vinculum communionis, licet imperfectae, cum Ecclesia Christi; et consequenter frui vita gratiae etc.

d) Et quod maximi momenti esse videtur, principia Oecumenismi in hoc schemate exposita, non amplius apparent tanquam effectus laxismi vel falsi irenismi, imperati a rationibus opportunitatis vel sentimentalismi. Sed authentica expressio realitatum theologiae catholicae.

Certe meandria humanae conscientiae sunt nimis complexa, scrutabilia solummodo ab oculis Dei. Attamen id quod indubium videtur, est sequens principium: Non posse admitti quod tot baptizati, tot signati Spiritu Sancto, qui bona fide perseverant praestare propriam adhaesionem pastoribus suis separatis ab Ecclesia, ratione solius carentiae visibilis communionis, habitae suo inscio, maneant *prorsus privati a gratia Spiritus Sancti.*

e) Ultimum momentum huius methodi erit: Recognitio meritorum episcoporum et Ecclesiarum particularium qui, decursu saeculorum, nisi sunt omnibus viribus ne unitas Ecclesiae labefactaretur per schismata. Certe, sub hoc aspectu, Ecclesiae particulares occidentis habent merita propria; item, illae parvae Ecclesiae vel individui patriarchae vel episcopi orientis qui, post schismata, conati sunt adhuc conservare aliquod vinculum unionis cum centro unitatis, cum Sede Romana.

Conclusio. Propter has rationes pastorales et oecumenicas, redactio paragraphi sub n. 1 et sequentibus, cap. I, perfici deberet, prae oculis habito potius aspectu pneumatico et existentiali unitatis Ecclesiae, scil. communionis inter Ecclesias particulares seu episcopos successores apostolorum.

Ceterum quid et conformius doctrinae Evangelii et immunis ab accusatione despotismi, cum « *le point de départ* » argumentationis nostrae incipit a doctrina catholica Unitatis hierarchicae elucentis in exemplo communionis duodecim apo-

stolorum et fidelium cum ipso, seu collegii apostolici, tanquam in prototypo, ut perveniatur in dogma Primatus in sinu collegii successorum apostolorum? Et finis principalis obtinetur, explanatio doctrinae Primatus Petri coryphaei apostolorum, et quidem modo conformiori stylo evangelico et traditionis apostolicae, ideo fini Oecumenismi catholici.

10

Exc.mus P. D. CAROLUS BUSWELL

Episcopus Pueblensis

Cap. V, de libertate religiosa. Commendatur enixe ab episcopo Pueblensi in Statu Colorado, S.F.A.S., ut principia de iuribus individuorum perspicue exponantur et vindicentur ita ut cap. V schematis in toto accipiatur. Sequentes observationes et additamenta proponit:

Ius est inalienabile uniuscuiusque personae humanae, cuiusque originis, religionis, coloris vel sanguinis, sive catholica sit, sive non catholica, baptizata vel non baptizata, ne ab aliis impediatur in exercitio iudicii conscientiae eiusque dictamen exsequendo.

Itaque, principia exposita in par. 3, 4 et 5 cap. V schematis, a Concilio Vaticano II absque exceptione et absolute asserantur et tueantur.

Ad pag. 6, in art. 5, quae passim dicuntur de discriminatione quae homini obvenit propter convictionem religiosam, propter originem, colorem vel sanguinem, amplificentur ita ut sine ambiguitate lamentabiles huius aetatis conditiones et iniurias reprobet Ecclesia.

Principia ad hoc pertinentia in articulo proprio et separatim exponantur eorumque ad praxim reductio illucidetur.

Discriminationis tolerantia ne amplius palliativis rationibus excusetur quasi ut in futurum reducantur rectae rationis applicationes ordine publico quandoque exigatur.

Parimodo, libertas in manifestatione opinionum vindicetur pro fidelibus etiam catholicis, dummodo serventur servanda de sinceritate, de maturo iudicio et de dispositione auctoris quoad iudicium peritorum et docendi missione Ecclesiae.

Officium enim est Ecclesiae Dei ut opportunitas detur unoquoque fidelium ut sincere respondeat et absque iniusto impedimento invitamento evangelii Christi, quod quidem requirat ut nullius impediatur iudicium et dictamen conscientiae.

11

Exc.mus P. D. ALOISIUS CABRERA CRUZ

Episcopus S. Ludovici Potosiensis

Es conveniente que en el esquema de l'Ecumenismo se indiquen concretamente las actuaciones y medios que los católicos han de tener en cuenta al procurar la unión y trato de los hermanos separados protestantes. En México así como en otros países de la América Latina, hay tres clases de protestantes: *a*) Los que están de buena fe y son respetuosos de las creencias católicas, aun cuando alguna

intranquilidad seguramente les venga al conocer lo que es la Iglesia Romana. *b*) Los que sin estar completamente convencidos, han hecho del protestantismo un medio económico de vivir, por el sueldo que les pagan las sectas protestantes de los Estados Unidos de Nte. América y gratificaciones que reciben según la cantidad de propaganda que distribuyen y número de prosélitos que conquistan. *c*) Los que descienden de familias que ya desde antes eran protestantes, en lo general de las clases trabajadoras, siendo natural que aumenten al aumentarse esas mismas familias.

Muchos de estos son obstinados por espíritu de soberbia y rebeldía contra la autoridad de la Iglesia y del Papa; se aferran en su manera de ser, estimulados por los auxilios y servicios que reciben de alimentos, instrucción, medicinas, etc. Más aún, por cierta libertad espiritual que creen tener al no sentir el deber de la confesión sacramental ni la observancia de las leyes del matrimonio.

En las dos últimas clases que agrupan mayor número, hay pastores tratan de aprovechar para sus sectas, la invitación, liberalidad del Papa y del Concilio, anunciando que ya se les reconoce su personalidad religiosa, como que están en el mismo plano con las demás religiones y con la Iglesia, como queriendo llevar el pensamiento de los incautos al concepto de que todos son gratos y servidores de Cristo. Algún astuto busca hablar públicamente con el sacerdote y luego dice a los fieles: ya ven, somos amigos y trabajamos por la misma causa. Lo que puede inducir desorientación en algunos, y aun con peligro de que crean que la Iglesia puede cambiar en sus verdades fundamentales.

No faltan ministros protestantes de amplia preparación teológica y escrituraria, que si llegaran a convertirse, serían un buen ejemplo para que otros protestantes de menos categoría hicieran lo mismo.

De allí la necesidad de que en el Esquema de Ecumenismo se subraye la prudencia en los medios con que los fieles se acerquen a los protestantes, según las distintas circunstancias antes especificadas, a fin de que con verdad y con eficacia, sin peligro de resultados contrarios, se obtenga la unión de los hermanos separados, conforme al ideal de Cristo, que sea uno el redil y uno el Pastor.

12

Exc.mus P. D. FRANCISCUS COGONI

Episcopus Octeriensis

Ad faciliorem reddendam unionem fratrum orientalium seiunctorum, haec humiliter proponam:

Ex orientalibus seiunctis, qui de unitate Ecclesiae restauranda bene solliciti sint, ne quaeratur abiuratio errorum, sed potius quaeratur professio fidei omnium veritatum (implicite et globatim sumptarum) quas docet et semper docuit Sancta Mater Ecclesia.

Relinquatur futuro tempori, post accurata studia peritorum sub ductu et auctoritate Ecclesiae Romanae laborantium, formulatio et explicatio earum veritatum ad quas acceptandas in ea formulatione quam adhibet eadem Romana Ecclesia, minus videntur hodie dispositi Fratres separati.

13

EXC.MUS P. D. THOMAS COORAY
Archiepiscopus Columbiensis in Ceylon

Ad cap. V, de libertate religiosa. Nemo non videt momentum maximum huius quaestionis, nostris praesertim diebus. Ab omnibus proinde expectatur declaratio hac de re claris ac praecisis verbis ab Ecclesia danda.

Tum e schemate ipso tum e relatione super schema patet laudabiliter et absque ulla tergiversatione conatos esse auctores ut immutabilis Ecclesiae doctrina ad casum concretum nostri aevi fideliter ac sapienter applicetur. Verumtamen omnino cavendum est in tanta re ne ullus detur locus errori vel erroneae interpretationi cum hodiernae tendentiae ac exigentiae affirmentur veritati tum revelatae tum naturalis rationis consentaneae eo in fine ut pastoralis foveatur intuitus ac modus ad casum accedendi. Summopere refert ut declaratio ab Ecclesia emanat: at textus praesentis schematis ulterius cribrari debet antequam absolute recipiatur. Sequentia, inter alia curanda videntur:

1. *In « relatione »,* ad pag. 27, circa finem seu ad tres ultimas lineas: dicitur « Magna confusio oriretur si ab aliquibus Patribus huic formulae verborum alius sensus tribueretur quam ille qui intenditur in textu ».

Ut ita praecaveatur, clarificatio fieri debet in ipso textu schematis et non tantum in « relatione ».

2. *In schemate,* pag. 6, linn. 3-4 (cf. etiam « Relatio », pag. 29, lin. 5: pag. 33, lin. 9 et lin. 20). Textus fert: « nisi contradicat... ordini obiectivo iurium Dei Creatoris et Salvatoris ».

At tunc quid pro iis qui (ut Marxistae) *Deum* negant vel (ut Buddhistae) ipsum ignotum inagnoscibilem putant vel saltem in praxi non considerant. Nihil proficiemus si cum talibus iura divina invocemus. Quum haec iura divina non admittant, vindicationem horum iurium damnant ut irrationabilem ex parte nostra « retroactionem », intolerantiam, desiderium dominandi ac civilis ordinis subversionem.

3. Passim. Quid de obligatione morali ad omnem cooperationem vitandam in actibus malis et de obligatione errorem dissipandi et malum impediendi? V. g., quid in sequentibus casibus:

a) Numquid ita tolerandi sunt acatholici ut ipsis nullo modo externo impediatur ne sermonibus, scriptorum diffusione, spectaculis, donis aliisque modernae « propagationis » mediis incautos, imperitos, vacillantes — uno verbo, « expositos » — inter catholicos et catechumenos nostros in errorem circa fidem vel mores inducant.

b) Casus sumatur apostasiae a fide. Communiter admittitur neminem fidem amittere sine propria culpa. Erga talem tenemurne tolerantiam ostendere, ita « libertatem conscientiae » concedens, ut nullo modo extrinseco manifestemus reprobationem apostasiae ipsius.

In praxi, si aliquis iuvenis catholicus Ecclesiam deserens, Buddhismo adhaeret, extra Ecclesiam cum Buddhista « matrimonium » contrahit, numquid parentes ipsius, quia ille gaudet libertate conscientiae, vetantur ne actione aliqua externa

talem desertionem ac tale pseudo-matrimonium impediant? Numquid ad meram denegationiem consensus vel ad suasiones verbales coarctantur. Numquid possint, sicut pro matrimonio alicuius propinqui in Buddhismo nati « libertatem personalem » istius apostatae considerantes, humanitatem erga ipsum manifestare per praesentiam socialem in caeremoniis pseudo-matrimonii, praesertim si coram ministro acatholico et iuxta ritus acatholicos matrimonium celebratur.

4. *In « relatione »*, pag. 31, lin. 17, textus fert: « opiniones a suis diversas de re politica ». Numquid, tenetur libertatem opinionis concedere iis qui in re politica diverse a nobis sentiunt adhaerendo marxismo seu communismo. Intenditne id Summus Pontifex in loco citato. Etenim qui communismo adhaerent fatentur se debita libertate opinionis politicae uti; imo catholici qui communismo favent profitentur se ita agere sine desertione Ecclesiae vel fidei. His allatis exemplis ad attentionem commissionis dirigendam, velim quaedam ulterior animadvertere:

Iure merito textus libertatem religiosam fundat in dignitate personae humanae ac libertate personali: at dignitas ac libertas personae in ultima analysi fundantur in hoc quod homo factus est ad imaginem Dei, creatus est propter Deum et ad Deum tamquam ad finem suum ultimum directe ordinatur. Haec vero argumenta, ut iam dixi, non valent pro iis qui negant, vel positive ignorando non considerant existentiam Dei. Consequenter, etsi scopus huius schematis est potius « pastoralis » necesse est ut argumenta finaliter innitantur ex una parte in moralitate obiectiva cum iuribus suis et ex altera parte in moralitate subiectiva cum restrictione tolerantiae. Ambae vero in veritate obiectiva fundandae sunt.

Ne dicatur talem locutionem nimis rigorem scholasticum sapere.

Re quidem vera, ipse Dominus in ultima quasi analysi professus est se venisse « ut testimonium » perhiberet « veritati » (*Io.* 18, 37). Pro Pilato autem haec erat quaestio verborum vel conceptuum philosophicorum de quibus libere inter scholas disputari poterat, certe sine poena mortis condemnatoriae. « Quid est veritas » quaerit dedignanter, quasi diceret: « Quae cura pro veritate? Num creditis me, Romanum, capitis quemquam damnare talem ob causam ». « Ego nullam invenio in eo causa » (*Io.* 18, 38).

Dominus vero ad mortem usque ad veritatem tenebat — pro veritate mori paratus quia pro veritate vivebat — « ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati ». Et propter testimonium istud veritatis (bonam confessionem coram Pontio Pilato confessus) mortem accepit ac mortem in Cruce subiens, Veritatem proprio Sanguine testificatus est.

Crux totius quaestionis praesentis in hoc videtur consistere: hucusque theologi nimis, si haud exclusive, in actibus humanis iura considerare consueverunt moralitatis obiectivae, praetermittentes forsitan iura moralitatis subiectivae. Nunc vero (iure merito) pluris habentur iura moralitatis subiectivae in actibus humanis diiudicandis, praesertim quando quaestio oritur de libertate humana. Attamen cavendum est ne e violenti « reactione » contra intransigentiam praeteritam in alterum extremum versi, moralitatem subiectivam plus aequo exaltemus. Ratio ponderata ac prudens ambo conciliari debet. Iura subiectiva tuentes, debemus simul argumentis validis et aptis monstrare limites his iuribus imponi et ipsa ratione humana. Hoc punctum in lucem a peritis melius ponetur oportet, ut schema contra interpretationes falsas ac damnosas monitum in tuto sit acceptabile.

14

Exc.mus P. D. PIUS CRIVELLARI
Episcopus Triventinus

Ad n. 17. Dum sexdecim primi numeri magna cum prudentia exprimuntur, n. 17 videtur tali prudentia carere. Huius expressionibus orientales abuti possent.

Occidens in suo « methodo ad divina cognoscenda et confitenda » semper usus est doctrina Patrum orientalium necnon Conciliorum in oriente celebratorum; nulla unquam in occidente facta est distinctio aut minor data est auctoritas Patribus aut Conciliis orientalibus quam occidentalibus.

Nec auderem ita absolute et universaliter affirmare « variae illae theologicae formulae potius inter se compleri dicendae sint quam discrepare ». Vultne Concilium declarare omnia quae ab Ecclesiis orientalibus separatis tenentur, eo ipso esse revelationi conformia? Possunt quidem singulae veritates examinari et probari; posset pro singulis declarari orientalium formulationem esse complementum potius quam discrepantiam. Sed hoc ita absolute et universaliter declarare periculosum videtur pro Fide.

Ad nn. 19-23. Haec pars ab alia manu contexta videtur: caret illa luciditate, etiam linguae, qua prima pars huius cap. III pollet. Ex nn. 19-23, insuper (secus ac ex nn. 12-18) alia conclusio prodire non videtur nisi quod pag. 25 lin. 6 dicitur de illis qui baptismum non recipiunt: « illos praeterire nolumus ». Quod videtur paucum, imo insufficiens pro Concilio Oecumenico.

N. 22, lin. 28: quid significat: « incorporationem in salutis institutum ». Estne in Ecclesiam Christi? quare non proprio nomine vocatur?

Quid est « integram et completam in " communionem eucharisticam " insertionem »? In *Act.* 2, 42, quod citatur nota 11, dicitur tantum quod neo-conversi « erant perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus ». Quid autem significat insertio « in communionem eucharisticam »? Nisi verbis alia significatio quam usualis tribuenda sit (communio eucharistica = S. Communionis sacramenti receptio) non videtur quid significet « insertio » in communionem eucharisticam. Forsan vult dicere « in *vitam* eucharisticam insertionem »?

Ad cap. V, de libertate religiosa. Ad Prooemium, lin. 14: quaenam sunt iura personarum coram Deo? Admitterem textum qui loco « etiam ad iura et officia personarum seu subiectorum » diceret: « etiam rationem habeant personarum seu subiectorum ».

Linn. 15-17: « Haec omnia Dei dona... accedant ». Non intelligo quid hoc in hoc loco significare debeat.

Pag. 4, lin. 10: item delenda videntur verba « iura et ». Deus enim nemini tribuit « ius » ad veritatem reiciendam! Ad « mensuram gratiae » utique attendendum est.

Ad n. 3: recte extollitur libertas qua omnis homo gaudet, et quam nemini unquam licet violare. Attamen, insufficienter exprimitur obligatio hominis gravissima qua, etsi ultimatim propriam conscientiam etiam erroneam sequi tenetur, conformare tamen debet hanc suam conscientiam ad normam obiectivam moralitatis et veritatis.

Pag. 6, linn. 10-14: non bene intelligitur quomodo repressio cuiuslibet religionis « manifestissime et gravissime » laedat « iura » Creatoris et Salvatoris hominum. Iura Creatoris et Salvatoris laeduntur solummodo in repressione religionis catholicae. Melius intelligeretur quod laedat iura sacratissima conscientiae et *proinde* (indirecte) iura Creatoris, in quantum laesio conscientiae est laesio iuris Dei.

Linn. 26-27: quamvis discriminationis razzialis damnatio expedire videatur, non est locus huius in capite de libertate *religiosa.*

Ad n. 5: in toto hoc numero deest unitas contextus: videntur in ea iuxtaposita et inserta quaecumque dicenda erant. De libertate civili non tollenda ob motiva religiosa, diversimode, pluries agitur.

Ad n. 6: prout hic formulatur, non quadrat in capitulo *de libertate religiosa.*

Ad n. 7: non bene intelligitur, nisi revera significare velit normas quae cum tanta insistentia usque nunc inculcatae sunt, non esse nimis urgendas, non esse unicam et supremam normam considerandas!...

15

Exc.mus P. D. PAULUS DALMAIS

Archiepiscopus Arcis Lamy

In nomine 6 episcoporum Africae Aequatorialis et multorum totius Africae et Madagascar.

I - *Super schemate in genere.* Hoc schema in genere mihi valde placet quia, in re tam maximi momenti, veritati et caritati satisfacere laudabiliter conatus est. Gratias agere debemus Secretariatui pro Unitate Christianorum quod tali documento, et quidem solemni modo, spiritum oecumenismi in Ecclesia catholica instauraverit. Si, ut speramus, substantia huius tam ponderosi schematis a Patribus conciliaribus approbatur, via late aperietur ad dialogum prosequendum cum fratribus christianis a nobis separatis. Aliquas animadversiones proponere velim.

a) *De titulo « De Oecumenismo ».* Nonnulli patres impugnaverunt vocabulum « Oecumenismum » hic usurpatum arguendo de eius ambiguitate, cum involvere possit varios sensus, i. e. catholicum sensum in expressione « Concilium Oecumenicum » et non catholicum in expressione « Motus Oecumenicus ». Censeo, e contra, hoc vocabulum usurpatum esse legitime a catholicis in expressione « Dialogus Oecumenicus » et aliis. Si repudiare deberemus tale vocabulum quia intelligi posset in sensibus diversis, simili modo repudiare deberemus et vocabulum « Ecclesia » qui non in eodem contextu intelligitur a catholicis et non catholicis, et multa alia vocabula, unde nullus dialogus iam fieri posset cum fratribus nostris separatis.

b) *De sic dicto « Motu Oecumenico ».* Schema bene illustrat elementa christiana positiva quae cum gaudio nos catholici agnoscere possumus apud fratres nostros separatos. Inter haec elementa, mentio fit per allusionem sic dicti « Motus Oecumenici » et piae emulationis ad unionem fovendam, quae, Dei gratia, tanta sumpsit incrementa his temporibus inter fratres nostros separatos. Doleo tamen quod in schemate nostro non clarior mentio facta sit huius « Motus Oecumenici » et nihil dicatur de doctrina et positione Ecclesiae catholicae relate ad « Consilium Mundiale Ecclesiarum ». Optarem ut explicite laudetur in textu Conciliari labor

iam a multis annis effectus in sic dicto « Consilio », sub impulsu certo Spiritus Sancti etiamsi Ecclesia catholica qua talis huic « Consilio » aggregari non possit. Talis declaratio esset ex nostra parte actus sincerus iustitiae et caritatis.

c) *De opportunitate rerum tractatarum in schemate.* Ad mentem multorum episcoporum, insertio in schemate capituli I de « Catholicorum habitudine ad non christianos et praesertim ad iudaeos » mihi non placet, utpote inopportuna. Talis declaratio « de Iudaeis » quamvis intrinsece legitima et iusta, hic locum non habet, cum agatur « de Oecumenismo », scil. de Unione fovenda inter christianos. Locum melius invenire posset in schemate *de Ecclesia* quando tractatur de historia salutis et de relationibus inter Vetus et Novum Testamentum. De non christianis tractare deberemus in alio loco, verbi gratia in schemate *de praesentia Ecclesiae in mundo hodierno.* Et insuper, liceat mihi enixe rogare ut non pari passu loquatur de Iudaeis, de Mahometanis et de sic dictis simpliciter paganis. Religiones quae multa profitentur a revelatione Mosaica derivata, non sunt ibidem collocanda ac paganismus. Ut dicitur gallice: « Il ne faut pas mettre tout le monde dans le même sac ».

II. *Super cap. I, de oecumenismi catholici principiis.*

a) *De expressione « fratres separati ».* Schema utitur passim verbis « fratres separati » praesertim in hoc capitulo, pag. 8 et 9, ad designandos omnes christianos a nobis de facto seiunctos. Quando tractatur de omnibus christianis a nobis seiunctis in genere et non specie, difficile est alia verba invenire. Aliqui patres censuerunt melius esse dicendum « fratres a nobis separati ». Sed haec verba, sub respectu euphoniae, non tam bene sonant in textu, etiamsi peropportune monstrant nostrum schema non praeiudicare velle de historica responsabilitate in divisionibus et schismatibus. Puto nos servare posse verba « fratres separati », ea conditione ut haec verba adhibeamus cum aliqua explanatione seu declaratione intentionis. Nihil prohibet quin pag. 8, sub n. 2, post verba « Ecclesiae catholicae seiunctae » (lin. 16), quaedam declaratio addatur super vocabulo « separati » intellecto in sensu mutuae divisionis inter omnes christianos: fratres christiani sunt a nobis separati et nos ab ipsis. Exemplum talis declarationis postea tradam Concilii Secretariatui.

b) *Animadversiones super paragrapho secunda.* Pag. 1, linn. 22-23. Dicitur: « ex elementis seu bonis quibus ipsa Ecclesia constituitur... *quaedam* exstare possunt extra visibilia eius saepta ». Cum hic sermo fit generatim de omnibus Ecclesiis et Communitatibus, quorum habitudines ad Ecclesiam Christi non eodem pondere perpendere possumus, vocabulum « quaedam » mihi videtur insufficiens. Etenim multa plus quam « quaedam » ex his elementis seu bonis exstare possunt apud fratres nostros separatos: v. g. praeter fidem, spem et caritatem et alia dona spiritualia, vitam sacramentalem per baptismum et eucharistiam, sacerdotium et episcopatum. Haec non sunt aliqua tantum sed multa et essentialia. Ideoque textum sic emendari velim ad lin. 22: « ex elementis seu bonis quibus simul sumptis ipsa Ecclesia constituitur et vivificatur, multa exstare possunt... etc. ».

Pag. 8, linn. 37-38, dicitur: « Communitates et Ecclesiae eorum, *illa unitate* non fruuntur quam Iesus Christus iis omnibus dilargiri voluit ». Censeo hanc sententiam claritate deficere, cum de qua unitate agatur perspicue non demonstret. Optarem ut notae verae et perfectae unitatis, internae et externae, melius exponatur. Defectus unitatis provenire certo potest a defectu Communionis visibilis cum Petro eiusque successoribus, quae communio est simul signum et conditio necessaria perfectae unitatis. Sed altius est investiganda ratio ultima unitatis

quam non omnino reiecerunt fratres christiani a nobis separati. Res significata ab ipso signo communionis visibilis cum Petro nihil aliud est quam communio oboedientiae et gratiae cum Christo, et insuper fraterna et mutua communio christianorum inter se ipsos. Haec communio gratiae per Spiritum Sanctum efficitur et ad fundamentum unitatis nos revocat. Cum videmus etiam fratres nostros separatos, v. g. orthodoxos, sibi vindicare unitatem, de unitate tractare debemus cum omni qua par est claritate et praecisione, distinguendo simul et iungendo in conceptu unitatis perfectae signum et rem (cf. Declaratio S. B. Patriarchae Athenagoras in colloquio panorthodoxo Rhodiensi sept. 1963). Insuper meminisse iuvet proh dolor multos inter catholicos ea unitate deficere per peccatum quae christianos cum Christo et inter se ipsos coniungit. Meminisse etiam iuvet responsabilitatem lamentabilis divisionis quae decurrente tempore, inter christianos orta est, non reiiciendam esse tantummodo in partem fratrum nostrorum separatorum. Ecclesia catholica culpas suas profiteri debet, ut insinuavit S. Pater Paulus VI in sua oratione inaugurali 29 sept. 1963. Censeo praesens schema locum faciendum esse solemni declarationi contritionis pro parte quam catholici habuerunt in peccato schismatis.

Pag. 9, lin. 40, sub n. 3, dicitur: « *Vestigia* Christi et dona Spiritus Sancti in vita aliorum agnoscere aequum et salutare est ». Haec mihi videntur minus recte dici. Plene assentio sententiae eorum qui proponunt vocabulum « praesentia Christi » loco « vestigia Christi ». Etenim vocabulum « vestigia » male sonat auribus modernis. In lingua gallica, verbum « vestiges » significat monumenta quae supersunt ex tempore peracto et mortuo, non connotat realitatem vivam. Timeo ne fiat aliqua confusio in usu huius vocabuli, cum fratres separati in commercio cum lingua latina non tam facile versentur. Quae agnoscere possumus apud multos fratres christianos separatos non sunt mera vestigia sed realitates magnas et vivas, in primis Fides integra in mysterium Sanctae Trinitatis, et in mysterium Christi Salvatoris, Sacramentum Eucharistiae, etc.

III. *Super cap. II, de oecumenismi exercitio.* Sub n. 7, pag. 16, lin. 25, tractatur « de communibus precationibus habendis ». Dicitur « Communes precationes in eiusmodis adiunctis, remota quavis communicatione in cultu officiali, habendae sunt... ». Propono ut simpliciter supprimentur verba « remota quavis communicatione in cultu officiali ».

1. Quia expressio « cultus officialis » nihil significat. Omnis cultus est actus officialis Ecclesiae. Non sunt duplicia genera cultus, altera privata, et altera officialia.

2. Quia quaestio difficilior *communicationis in sacris,* sic non potest furtim absolvi ab ista parenthesi. Est quaestio quidem gravissima, et neminem fugit praeteritis saeculis (in XVII et XVIII saec. in oriente) disciplinam Ecclesiae aliam esse ac tempore hodierno. Etiam nunc in peculiaribus casibus Sancta Sedes permittit aliquam fieri communicationem in sacris, ita ut prudenter alumni non catholici nostrarum scholarum possint sacram communionem recipere in nostris sacellis. Si textus propositus cum hac parenthesi a Concilio simpliciter retineretur, viam feliciter apertam sic clauderetur et hoc proh dolor. Censeo melius esse de hac quaestione, si non est sat matura, nihil in praesenti schemate tractare et rem ad competentes congregationes vel ad Secretariatum pro Unitate remittere. Quod ad me attinet, mallem rem in Concilio tractari cum prudentia et debita amplitudine et non per parenthesim.

IV. *Super cap. III, de christianis ab Ecclesia catholica seiunctis.* Laudandum est schema tractasse de Ecclesiarum orientalium peculiari consideratione, et hoc capitulum in duas partes dividisse. Attamen super secunda parte quae attinet ad communitates inde a saec. XVI exortas, hanc animadversionem facere vellem: Non est secundum veritatem historicam et theologicam de Ecclesia sic dicta « Anglicana » tractare eodem loco et eodem pondere quam Communitates Protestantes. Omnes scimus Ecclesiam anglicanam in honorem habere multa elementa vitae ecclesiasticae quae protestantes respuerunt: v. g. Sacramentum Eucharistiae, Sacrificium S. Missae, presbyteratum et episcopatum etc. Ideoque propono ut *de Anglicanis* loquatur in loco proprio.

[*Adhaeserunt etiam*] Ioseph Cucherousset, arch. Bangui; Alfonsus Baud, ep. Berberati; Adolfus Moesmer, ep. Ambanja; Armandus Hubert, ep. tit. Sais; Georgius Guibert, ep. Réunion; Andreas van den Bronk, ep. tit. Tubune de Numidia; Aemilius Verhille, ep. Fort Rousset; Franciscus Cléret de Langavant, ep. Mactaris; Leo de Saint Pierre du Champ Chambon, praef. ap. Bossangoa; Hermenegild de Losenstein, praef. ap. Kiamusze (Sinae).

16

REV.MUS P. D. GODEFRIDUS DAYEZ

Praeses Congregationis Belgicae O.S.B.

Au moment où le Concile marque son approbation pour une attitude œcuménique — attitude mise en relief par le voyage de Sa Sainteté le Pape Paul VI en Palestine — nous souhaiterions qu'une fête liturgique marque les fondements de la fraternité qui réunit les chrétiens, les juifs et les musulmans.

Tous se disent les Fils d'Abraham dans la foi et adorent le Dieu d'Abraham.

Il existe déjà un office liturgique de saint Abraham, qui pourrait être étendu à l'Eglise entière comme signe tangible de l'attitude de fraternité qui doit régner entre les chrétiens, les juifs et les musulmans.

Le texte de l'épitre pourrait être: *Gen.* 12, 1-8.

Le martyrologe mentionne saint Abraham au 9 octobre. Des pourparlers avec les autorités compétentes juives et islamiques pourraient amener leurs communautés à honorer Abraham à la même date que les chrétiens, c'est-à-dire à celle du 9 octobre, ou à toute autre date convenant aux différentes communautés.

En remerciant les Membres du Secrétariat de l'Unité pour l'attention qu'ils voudront bien apporter à la suggestion ci-dessus, je les prie de daigner recevoir l'expression de mes sentiments très profondément respectueux en Notre-Seigneur Jésus-Christ.

Bibliographie: DALMAIS, *Saint Abraham dans la liturgie, Bible et Terre sainte,* n. 17, p. 13; *Abraham dans la Liturgie juive, Bible et Terre sainte,* n. 26, p. 3; MOUBARAC, *Abraham et l'Islam, Bible et Terre sainte,* n. 26, p. 8 et 9; *Abraham dans le Coran et la naissance de l'Islam,* Paris, Vrin.

17

EXC.MUS P. D. IOANNES DE CAMBOURG

Episcopus tit. Eutymensis, aux. Bituricensis

Cap. V, de Oecumenismo, scil. *de libertate religiosa.* Prooemium statum quaestionis ponit et videtur eam restringere iis qui « omnia studia sua convertant ad defendendum honorem Dei et dignitatem personae humanae ab eo creatae et redemptae » (pag. 3, linn. 7-8). Sed restrictio illa estne opportuna, cum fuerunt et adhuc sunt multi homines qui religionem suam profitentur quin sub hac ratione collocari possint? Immo, fuerunt et adhuc sunt qui verum Deum ignorant et falsos deos colunt, et propter religionem quam profitentur, quandoque actus omnino reprehensibiles ponunt contra « veritates et obiecta quae semper observanda sunt » (pag. 3, lin. 13), puta homicidia sub religionis specie perpetrata, quae certe tolerari nequeunt.

Aliunde homo liber est et dominium habet actuum suorum. « Deus ab initio constituit hominem et reliquit eum in manu consilii sui » (*Eccl.* 15, 14) — en textum ad quem persaepe appellat Aquitanus quando liberum arbitrium vult statuere. Et remanet liber etiam sub gratia, et debet libere Deum colere. Sed « obiectum movens voluntatem est bonum conveniens apprehensum » (*de Malo,* qu. VI, art. unicum); unde sequitur quod, quando pro debilitate conditionis suae homo apprehendat ut bonum sibi conveniens pessimum quid, istud facere debet in conscientia, dummodo conscientia eius certa sit. Sic oritur nova quaestio: Utrum, pro libertate eius servanda, exercitium religionis, in specie externa actio, erroneo et pessimo praescripto religioso consentanea, toleranda sit, seu non impedienda?

Denique, ne, ob libertatem religiosam quam Sacra Synodus censuerit admittendam, in indifferentismi periculo fideles inducantur et in eis zelus verae religionis minuetur, opportunum videtur veritatem fidei catholicae extollere tanquam obiectivam vitae abundantius participatae conditionem.

His attentis, cap. V de libertate religiosa sic evolvi posset:

1. Constaret brevi *prooemio,* ubi libertas hominis affirmaretur tanquam honor et decus eius; ubi etiam affirmaretur libertas eius sub gratia, qua Deus ad veritatem et vitam suaviter omnes attrahit, « qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 1-4).

2. Ea quae pag. 3, sub n. 1, ponuntur, sic enuntiari possent: « Quapropter, innixa in hac spe, Ecclesia catholica mandatum divinum docendi omnes gentes infatigabili cura prosequitur et omnes filios suos adhortatur ut, in sapientia ambulantes ad eos, qui foris sunt, " in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis " (*2 Cor.* 6, 6-7) lumen vitae diffundere satagant mediis naturae et gratiae quibus ipse Dominus usus est, praedicatione nempe doctrinae, exemplo vitae et testimonium perhibendo veritati (cf. *Io.* 18, 37) usque ad proprii sanguinis effusionem.

Suos admonet ut persuasum habeant quod " qui manent in sermone eius, vere discipuli eius erunt, et cognoscunt veritatem et veritas liberabit eos " (*Io.* 8, 32) et quod Christus Dominus venit in terra " ut vitam habeant et abundantius habeant " (*Io.* 10, 10) ».

3. Postea devenitur ad obiectum n. 2 (pag. 4), quod respicit ad libertatem

electionis servandam in eo qui ad fidem venit. Nemo potest extraneus cogi ad fidem amplectandam. Esset violentia, esset contrarium natura actus fidei. Unde responsio facilis; sed textus abbreviari posset. Sic: « Cum tamen homo a Salvatore redemptus et " in adoptionem filiorum per Iesum Christum " (*Eph.* 1, 5) vocatus, revelationi divinae adhaerere non potest nisi ex una parte Pater traxerit eum (cf. *Io.* 6, 44) et ex altera parte rationabile ac liberum Deo praestiterit fidei obsequium, filios suos monet Ecclesia ut veritatem facientes in caritate (cf. *Eph.* 4, 15), dum homines ad fidem veram adducere conantur, semper curet ut ab ipsis assensus ne detur nisi cum plena libertate. Ideo in annuntiatione veritatis ab omni coactione abstinendum est; error reiiciendus est, veritas praedicanda; persona errantis circa fidem allicienda; et dum Deus deprecatur ut lumen veritatis largiri dignetur, cum patientia, longanimitate et caritate semper agendum est, quia persona humana in se ipsa aestimatione digna est et ad vitam divinam vocata ».

4. Stabilita libertate interna electionis etiam in re religiosa, quae certa dignitati et naturae hominis competit, nunc oritur quaestio utrum quodlibet exercitium externum religionis tolerandum sit.

Certe, omni iuri respondet, ex parte aliorum et status, obligationem illud agnoscendi, necnon sine ratione impediendi externas eius manifestationes, sine quibus ius illud vix sistere posset. Hoc maxime valet de libertatis religiosae iure, cum sit praecipuum inter iura humanae personae.

Sed omnis actio externa moralitatem et ambitum accipit ex elementis aliis quae in actu pure interno non interferunt. Argumentatio sub numero tertio posita (pag. 4-5) de his elementis silet. Remanet in eadem visione ac in n. 2, argumentando scil. ex eo quod « nulla humana potestas sese ipsi substituere valet » (pag. 5, lin. 14). Unde argumentatio non est convincens vel cogens; ideo nec stat conclusio, scil. quod intolerantia religiosa summo gradu odiosa est (pag. 5, lin. 20).

Insuper quae dicuntur non plene concordant cum his quae Ioannes XXIII, f. m., scripsit in *Pacem in terris,* ubi expresse restringit usum libertatis, dicendo « morali ordine communique omnium utilitate servatis ».

Unde, meo iudicio, n. 3 de toto reficiendus est.

Optarem ut nova redactio omnino brevis sit. Sufficeret, meo iudicio, ut affirmaretur, v. g. utendo textum primae paragraphi n. 5, cum quibusdam mutationibus. Sic: « Sed libertas personalis realiter et effective non agnoscitur si in activitate externa et publica implicari non potest. Quare in humana conviventia et in societate civili nemo externo exercitio suae libertatis privari potest, dummodo moralis ordo publicus communisque omnium utilitas non destruetur ».

Quodsi textus ille brevior videretur, huic addi posset: « Cum inter iura quae humanae dignitati competunt, exercitium libertatis religiosae emineat, ne impediatur nisi hoc absolute necessarium appareat, respectu ad moralem ordinem publicum et communem omnium utilitatem habito ».

5. In n. 4 (pag. 5), duae ideae evolvuntur, quarum prima non videtur retinenda (linn. 25-29): non concordat cum possibilitate vel necessitate restrictionis in usu externo libertatis religiosae, uti supra exposui ex natura actus externi, necnon ex factis horrendis, quae decursu saeculorum ob erroneam conceptionem religiosam perpetrata sunt. Nec dici potest quod expressio « erga Deum » has difficultates eliminet, cum Christus Dominus ipse apostolos suos monet: « Venit hora, ut omnis qui interfecerit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo » (*Io.* 16, 12).

Sed in secunda parte huius numeri quarti, extenditur manifestatio externa li-

bertatis religiosae *coetibus* hominum, quod est idea certe retinenda et affirmanda. Sufficeret aliquibus verbis indicare hanc affirmationem valere in linea eorum quae sub novo numero tertio dicuntur, v. g.: « In his praeditis conditionibus, Ecclesia catholica affirmat... etc. » (linn. 31-34).

6. Quaedam ex n. 5 desumpta opportune servarentur tanquam conclusiones indicativae, magni tamen momenti. Dici posset: « Propterea haec Sacra Synodus declarat " et inculcat " ... » et sub hoc collocarentur:

Fortasse: Par. 2, in pag. 6, quae incipit: « pro omnibus civibus... ».

Certo: Par. 4, pag. 6, quae incipit: « potestas publica nequit... »; par. 5, pag. 6, quae incipit: « haec libertas religiosa... »; par. 6, pag. 6, quae incipit: « reprobanda quoque... ».

7. Mihi melius videretur quod *conclusio* huius cap. V in eadem idearum linea remaneret. Unde, omissis nn. 6-7, proponerem aliquid huiusmodi: « Ex his quae de libertate religiosa statuere decrevit, haec Sancta Synodus vehementer sperat ut in nostris temporibus, ubi in dies frequentiores fiunt relationes quibus homines disparis cultus et diversae religionis inter se connectuntur, pacifica conviventia facilius exoritur inter homines et cives. Insuper exoptat ut filii Ecclesiae catholicae, in honorem Dei strenue adlaborantes in caritate, propter libertatem quam agnoscunt in his qui foris sunt, eos qui ad imaginem Dei creati sunt, facilius attrahent ad veritatem quae eos liberabit ».

Notae. Critica litteralis textus propositi non feci; tantum notarem:

1. Ad lin. 7, pag. 3: « *defendendum* » melius exprimeretur, dicendo: ad *procurandum* honorem Dei et dignitatem etc... *promovendam.*

2. Ad lin. 16, pag. 4: recursus ad *1 Io.* 3, 21 non aequo modo fit, quia in hoc loco scopus S. Ioannis multum abest ab eo qui in hac paragrapho intenditur.

18

Exc.mus P. D. GERALDUS DE PROENÇA SIGAUD

Archiepiscopus Adamantinus

Ad cap. V, de libertate religiosa. I. Locus doctrinae Ecclesiae « de libertate religiosa », seu melius « de libertate conscientiae » tradendae proprius videtur non esse schema « de oecumenismo », sed illud « de praesentia Ecclesiae in mundo ». *Ratio.* « De oecumenismo » schema principia et normas statuere intendit quibus iter ad unitatem christianorum in vera religione obtinendam facilius reddatur; quaestio, autem, de libertate religiosa habitudinem potius respicit Ecclesiae ad mundum hodiernum pluribus confessionibus religiosis divisum.

II. Ad rem quod attinet, schema non videtur satis attendere ad principia inconcussa, et quibusdam notionibus uti, quin consideret earum deformationes quas passae sunt ex influxu Liberalismi. Inde assertiones proponit quas Concilium suas facere nequit.

A. *Principia ad quae schema non videtur satis attendere.* 1. Primum principium, quod a schemate non videtur satis perpendi, verbis Pii XII enuntiari potest: « Quod veritati vel normae moralitatis non respondet, obiective, nullum ius habet, nec ut sit, nec ut propagetur, nec ut agat — ciò che non risponde alla verità e alla norma morale, non ha oggettivamente alcun diritto né all'esistenza, né alla

propaganda, né all'azione (All. *Ci riesce* ai giuristi cattolici italiani, 6 dic. 1953: *Discorsi e Radiomessaggi,* XV, pag. 488).

Et revera, notio iuris, a iustitia derivata, fundamentum habet in naturae humanae exigentiis ut ad finem proprium rationabiliter pervenire possit. Finis, autem, proprius naturae humanae est verum et bonum, ad quae pondere suo rationali ordinatur. Homo, ergo, habet ius ut veritati adhaereat, et ut bonum operetur, quia, aliter scil., si facultate adhaerendi vero et operandi bonum privaretur, eius natura frustraretur, quod esset contra ordinationem Creatoris. E contra, cum nec error, nec malum morale proprium sit naturae rationalis, homo nullum ad errorem, vel ad malum morale ius habet.

Inde sequitur quod homo a nullo impediri potest quominus veritati adhaereat et bonum faciat; e contra, de se, non potest dici rationabiliter invitus, vel iniuriam passus, si ab errore asserendo vel a peccato faciendo impeditur. Nullum, enim, ius habet sive ad errorem sive ad peccatum.

Attamen, in praesenti naturae humanae conditione, accidere potest ut homo invincibiliter, ergo sine culpa, falso adhaereat; ex quo non sequitur ius ad errorem in homine adesse. Sequitur, tamen, quod nemo eum cogere potest ut veritati assentiat; non quidem ex iure quod ipse ad errandum, dico, errandum haberet, sed ex eo quod actus internus, quo homo sive veritati vel errori, sive bono vel malo morali adhaeret, non potest ad extrinseco imponi. Deus, enim, forum conscientiae inviolabile vult ab ulla potestate humana. Homo libere se determinare debet in electione finis sui ultimi.

Haec libertas interna ius creat ut homo a nemine cogatur ad profitendam hanc vel illam ideologiam. Et hoc tantum. Libertas adhaesionis errori vel malo ulterius nullum aliud ius creat.

De se, ergo, in conviventia sociali, externa manifestatio assensus errori potest, et per se, debet impediri; cum, primo, error sit contra naturam humanam, utpote rationalem, et, secundo, manifestatio erroris, speciatim religiosi, aliis noceat, quia scandalum eis praebere potest. Per accidens, tamen, tolerari potest, et interdum debet.

Haec omnia a Pio XII docetur in memorata allocutione, *Ci riesce,* in ipso contextu loci supra citati. Prosequitur, enim, allocutio: « Il non impedirlo (scil., quod veritati vel normae moralitatis non respondet) per mezzo di leggi statali e di disposizioni coercitive *può* nondimeno essere giustificato nell'interesse di un bene superiore e più vasto » (*ibid.,* pp. 488-9, sublineatio nostra).

Attente consideranti duo hic asserit Pontifex: *a*) Per se, leges civiles debent coercitive errorem et malum morale impedire; *b*) per accidens, tamen, in casu exceptionis, qui semper demonstrandus est, ut omnes exceptiones, permissio mali moralis et erroris potest iustificari.

Notandum est Pium XII in hac allocutione, data opera, quaestionem sibi solvendam proposuisse de habitudine status ad religionem, cum de communitate populorum agitur, in qua catholici et non catholici vivere tenentur (cf. *Discorsi e Radiomessaggi,* XV, pag. 486).

Ut patet, Pontifex loquitur semper de errore qui opponitur veritati religiosae, non autem de errore scientifico ut dicitur.

2. Sola religio catholica vera est, atque omnes homines tenentur eam amplecti. Deus, autem, ex voluntate sua omnes homines salvandi, omnibus gratiam

sufficientem praebet ut ad veram religionem perveniant, ita ut nemo, sine culpa, damnetur.

3. Societas civilis veram religionem agnoscere debet, Deumque colere secundum hanc religionem: « Homines enim communi societate coniuncti, nihilo sunt minus in Dei potestate, quam singuli; neque minorem quam singuli gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cuius nutu conservatur, cuius beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit. Qua propter sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere... eodem modo civitates non possunt, citra scelus, gerere se tanquam si Deus non esset; ... omninoque debent eum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle (Leo XIII, Litt Enc. *Immortale Dei,* §§ 12, 13) ».

4. Actus internus fidei est omnino liber. Nequit, ergo, obiectum esse coercitionis, sive agatur de actu fidei verae, sive de actu fidei falsae, culpabili vel inculpabili. Manifestatio, autem, publica falsae fidei impediri potest, et de se debet, utpote, quatenus error, obiective nullum ius habet. Eius ergo tolerantia non ut postulatum iuridicum, validum pro semper, considerari potest, sed tantum ut permissio ob minus malum (cf. All. Pii XII, *Ci riesce* supra citata).

B. *Notiones deformatae quibus utitur schema.* 1. *Notio libertatis.* Schema videtur essentiam libertatis considerare illam possibilitatem quam, ob debilitatem humanae voluntatis, habent homines bonum malumve eligendi. Dum vera libertas intime cum veritate connectitur, secundum illud Evangelii « veritas liberabit vos »; electio, enim, mali seu peccati, sicut adhaesio errori potius ut servitus habenda est: « qui facit peccatum, servus est peccati ».

Inde sequitur quod non eodem modo diiudicandum sit de adhaesione veritati et bono, ac de admissione erroris vel peccati, etiamsi de personis agatur bona fide errantibus. Obiective, maxima adest differentia inter illum qui vero ac bono adhaeret, et illum qui malum vel errorem admittit. Non possunt, ergo, eadem iura uni et alteri agnosci. Qui adhaeret veritati obiective naturam humanam in se perficit; dum qui errorem sequitur, eam potius deformat. In conviventia sociali huius differentiae ratio habenda est.

2. *Notio dignitatis personae humanae.* Dignitas personae humanae unice ex ipsa natura hominis rationali, quae verum et bonum ut obiecta propria habet, deducenda est. Ita, dignitas personae perficitur adhaesione vero et bono, et, quamvis essentialiter servetur, minuitur tamen cum homo a vero vel a bono discedit.

Cum vero notio dignitatis relationem ad ordinem moralem magis quam ad intellectualem dicat, sine dubio, specialis consideratio debetur erranti bonae fidei. Ipse, enim, voluntarie suam naturam non deformat, imo eius actus potest esse bonus et meritorius; at obiective excellentiam naturae humanae minuit. Tamen, ob rationem modo allatam, de eo specialiter valet quod generatim affirmat Ioannes XXIII in Litt. Enc. *Pacem in terris,* scil., hominem ad errorem lapsum iam non humanitate instructum esse desinere, atque proinde, dignitatem personae non amittere (*A.A.S.,* 55, pag. 299). Et revera, fundamentum dignitatis humanae in ipsa natura rationali invenitur, quod fundamentum permanet etiamsi usus rationis amittatur, aut malus sit. At, sicut qui morbo mentali laborant, ne iura aliorum violent, a pleno exercitio suae libertatis etiam inviti impediri possunt, quamvis dignitatem personae conservent; sic, bona fide errantes, quamvis iura fundamentalia personae conservent, tamen impediri inviti possunt a manifestatione, et a fortiori, a propagatione sui erroris, ne aliis nocumentum sint.

3. *Notio boni communis.* Notio boni communis quae in schemate supponitur, minus recta videtur. Schema, enim, de bono communi loquitur non satis ad finem supernaturalem hominis attendens. Dum societas civilis huiusmodi finem non solum ignorare nequeat, sed etiam positive promovere debeat. Haec doctrina explicite traditur in Litt. Enc. *Pacem in terris*: « homines, utpote qui ex corpore et animo immortali constent, intra mortalem hanc vitam neque suas explere necessitates, neque perfectam adipisci felicitatem possunt. Quocirca commune bonum eiusmodi viis atque rationibus parandum est, quibus non modo aeternae hominum saluti non officiatur, sed etiam eidem serviatur (cf. Pii XI, Litt. Enc. *Quadragesimo Anno*: *A.A.S.,* 23 [1931], pag. 215; Enc. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55, pag. 273; cf. etiam pag. 296, initio partis V).

4. *Notio libertatis religiosae.* Haec notio, prout a schemate assumitur, melius diceretur tolerantia religiosa, cum libertas vera non detur ad malum faciendum, sed tantum ad bonum ponendum. Malum et error permitti possunt, ut res quae potius per accidens in natura humana inveniuntur in praesenti statu viae, non autem ut corollarium necessario dimanans ex natura libertatis.

C. *Propositiones quae non videntur probandae.* 1. « Sacra Synodus solemniter affirmat ius ad libertatem conscientiae in re religiosa externe exercendam, salvo bono communi, semper et ubique valere et ab omnibus agnoscendum esse » (n. 5 versus finem).

Ex principiis supra allatis, non potest admitti ius ad libertatem conscientiae prout schema illud intelligit, nempe conscientiae etiam invincibiliter erroneae, semper et ubique valere.

Primo, quidem, quia non datur ius in sensu stricto, docente Pio XII tantum veritatem vera iura creare posse (All. *Ci riesce* supra citata); secundo, quia dictamina conscientiae erroneae in vita publica, in conviventia sociali, per se impediri debent, utpote, ex malo exemplo quod aliis darent, nociva per se essent. Ergo, nonnisi ex alia ratione, nempe ex maiori malo vitando, interdum permitti possunt. Etenim, omnes ius habent ut a conviventia sociali ad bonum et verum inducantur. In conviventia, enim, sociali ea quaerunt homines quibus indigent ad perfectionem vitae et quae sibi a semetipsis comparare non valent. Inter haec inveniuntur etiam, imo ut praecipua, ea quibus indigent ad perpoliendum tum intellectum tum voluntatem. Intellectus autem a vero, voluntas a bono tantum perficiuntur. Conviventia, ergo, socialis non potest per se admittere ea quae homines potius a vero et a bono avertunt, ut esset agnitio veri iuris pro manifestatione publica religionis falsae. Conviventia socialis iam non posset dici positive homines ad salvationem aeternam iuvare, sicut deberet prout doctrina Litt. Enc. *Pacem in terris* postulat, ut supra vidimus.

Ergo, tolerantia manifestationis publicae falsae convictionis religiosae permittatur non semper et ubique, sed ubi concretae circumstantiae id postulent.

Doctrina, quae sententia modo memorata continetur, dicitur desumpta ex Ioannis XXIII Litt. Enc. *Pacem in terris,* ex loco nempe qui sic sonat: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri (*A.A.S.,* 55, pag. 260, pag. 7 nota 1).

Iamvero, hic textus non videtur intelligi posse de conscientia invincibiliter erronea, sicut proponit auctor schematis, sed tantum de conscientia quae veritati conformis est. Etenim, contextus in quo textus ille invenitur id suadere videtur.

Ioannes XXIII, enim, suam propositionem demonstrare conatur ex duobus textibus, alio Lactantii, altero Leonis XIII. Lactantius vero loquitur de iure, quo homines inde a nativitate acquirunt Deo iusta et debita obsequia praebendi. Potest, ergo, intelligi de obsequiis iustis et debitis obiective, seu de obsequiis quae Deus ipse ab hominibus postulat eisque imperat. Non habet verbum ullum quo indicet se loqui de conscientia invincibiliter erronea prout opponitur conscientiae verae.

Leo, autem, XIII agit de libertate conscientiae quam constanter vindicarunt apostoli, sanxerunt apologetae, sanguine suo consecraverunt martyres. Sed, et apostoli, et apologetae, et praesertim martyres semper pro libertate verae religionis dimicarunt, non autem pro falsa quadam, etiamsi ex bona fide promanante. Praeterea, Leo XIII, in Litt. Enc. *Immortale Dei* non agnoscit illud ius absolutum libertatis religiosae prout schema intelligit huiusmodi libertatem religiosam. Declarat, enim, quod societas civilis Deum colere debet more modoque quo coli se Deus ipse demonstravit velle (§ 13), non autem modo quem conscientia civium, etiamsi invincibiliter erronea, dictaret.

Insuper, Ioannes XXIII, in iisdem Litt. Enc. *Pacem in terris,* inde a titulo, ut fundamentum pacis et rectae ordinationis civitatis proponit in primo loco, veritatem; unde, libertas — quam etiam pro fundamento ordinationis civilis proponit — non libertas qualiscumque intelligi debet, sed illa quae veritati non contradicat. Aliter contradictionem in mente Pontificis admitteremus. Veritas enim est aliquod obiectivum et universale, cui actiones a libera voluntate hominum etiam obiective respondere debent ut pax et ordinatio civitatis obtineatur.

Concluditur oportet textum Ioannis XXIII de sola conscientia vera intelligi posse.

Credit auctor schematis doctrinam, quam amplectitur et Ioannis XXIII esse arbitratur, confirmationem accipere ab allocutione qua Paulus VI, feliciter regnans, aperuit secundam periodum Conc. Oec. Vat. II. Verba, autem, Pauli VI non videntur rem evincere. Loquitur, enim, Pontifex de libertate religiosa quae in quibusdam territoriis opprimitur, sicut et alia praecipua hominis iura. Non significat tamen se loqui velle de illa libertate religiosa qua et error gaudeat, dummodo bona fide admittatur. Cum, autem, constet et errorem ius obiective non posse creare (cf. all. Pii XII, *Ci riesce,* supra citata) et errantem potius captivitatem quandam pati quam libertate vera uti, verba Pontificis, nisi aliud constet, de libertate pro verae religionis professione intelligenda sunt.

Nec auctorem schematis iuvant alia eiusdem Pauli VI verba eiusdem allocutionis quae citantur. Ibi, enim, Pontifex suum dolorem manifestat eo quod iniurias quamplurimas patiantur multi qui religionem suam honeste et libere profiteri volunt. Respicit ergo Summus Pontifex factum aliquod, quin indicet se loqui de iure absoluto, an de tolerantia in casu concreto permittenda.

Praeterea, clare apparet Paulum VI prae oculis habere populos sub tyrannide communistarum gementes. Communismus autem ipsa rudimenta religionis — quae et in falsis religionibus inveniuntur, quatenus affirmationem alicuius supremi numinis, hominumque ab eo dependentiae continent — destruere vult, et propterea eius modi agendi reprobandus est veramque iniustitiam continet, etiam cum religiones falsas destruere conatur. Populi, ergo, qui sic a communistis opprimuntur revera iniuriam patiuntur. In iure, enim, professionis verae fidei, continetur primarium ius naturale professionis religionis naturalis. Imo, haec est una ex rationibus cur bonae fidei errantibus professio publica religionis interdum toleretur.

Inde, tamen, non sequitur verum ius quod religiones falsae haberent semper et ubique ut aperte et publice exercerentur.

Auctor schematis experitur se novitatem quandam proponere, atque proinde conatur ostendere huiusmodi novitatem nihil aliud esse quam evolutionem eiusdem doctrinae aliter propositae temporibus elapsis propter alias circumstantias historicas et ideologicas.

Verum quidem est doctrinam revelatam, quamvis semper eandem, posse tamen, quod eius cognitionem, evolutionem quandam pati. Ita, autem, ut semper idem maneat sensus, eadem sit sententia. Porro, haec regula aurea Lirinensis non videtur in schemate salvari.

Secundum auctorem schematis, doctrina quae semper eadem manet est quae respicit dignitatem personae humanae, et sollicitudinem pro hominis libertate. Enucleatio istius doctrinae habita esset ex introductione duplicis distinctionis, nempe, inter falsas ideologias et incepta atque instituta quae ab illis ideologiis originem ducunt, primo, et secundo, inter errores religiosos et iura illorum qui bona fide errant.

Conclusio, autem, ad quam devenit auctor revera novam et a Traditione alienam continet doctrinam. Etenim, concludit ad vera iura falsae religionis ut publice manifestetur, et ad absolutam incapacitatem status in re religiosa, utpote iure in foro conscientiae destituti. Doctrina, autem, traditionalis, constans et independens a circumstantiis temporis et spatii, quia ab ipsa natura et a Revelatione desumpta, affirmat *a*) errorem nunquam verum ius in civitate creare posse, quia iura hominis ab eius natura ad verum aptata procedunt; *b*) societatem eo quod a Deo et ipsa procedit, verum Deum agnoscere debet, eique servire in modo quo ipse se coli velle demonstravit.

Quoad distinctionem a Ioanne XXIII in Litt. Enc. *Pacem in terris* propositam, inter ideologias et incepta quae ab illis originem ducunt, caute loquitur Pontifex ne huiusmodi incepta approbentur *quatenus* ab illis ideologiis falsis procedunt. Cum autem, iam animadvertebat Sanctus Thomas, in omni errore inveniri est proclivitas essentialis mentis ad verum, sic incepta quae et quamvis ab ideologiis falsis procedant, possunt tamen in se quaedam bona et naturae conformia prosequi. Tantum in hac parte, inquantum ab ideologiis separari possunt, et digna sunt ut approbentur et admittantur.

Quoad alteram Ioannis XXIII distinctionem, nihil concludit inde Pontifex nisi permanentiam dignitatis humanae in errante bonae fidei. Inde autem perperam deducitur ius falsae religionis ut publice recognoscatur.

Quoad cetera documenta pontificia in schemate allata ut eius doctrinae fundamentum praeberet, in crisi aliarum schematis propositionum quid videatur dicetur. Sunt enim et aliae propositiones schematis quae ob easdem rationes non videntur probandae.

2. « Quamdiu in errore invincibili versatur, persona humana aestimatione digna est atque eius libertas religiosa ab Ecclesia agnoscitur et vindicatur » (pag. 4, n. 2, linn. 18-20).

Pro hac thesi citatur Pius XII, in All. *Vous avez voulu*, 7 sept. 1955. Pontifex autem loquitur de libertate ad fidem amplexandam, quae res est ad forum conscientiae pertinens; et convictiones illorum qui fidem nondum habent, ut rationem proponit, quamvis non praecipuam, cur tolerentur. Nihil dicit Pius XII de iure ad libertatem religiosam, prout in schemate haec locutio adhibetur, scil., de iure

ut publice manifestetur convictio religiosa erronea ex bona fide. Imo, cum dicatur rationem adesse cur toleretur, satis significatur quaestionem esse non de vero iure. Tolerantur enim quae iura vindicare nequeunt.

3. « Eadem libertas religiosa non tantum a christianis, sed ab omnibus et singulis hominibus et a communi hominum conviventia observanda est » (pag. 4, n. 3 initio).

Pro hac thesi citantur textus ultimorum Pontificum, scil. Ioannis XXIII, Pii XII, Pii XI et Leonis XIII. Textum Litt. Enc. *Pacem in terris* iam examini subiecimus ex expositione rationum ob quas respuimus propositionem quam consideravimus sub n. 1.

Pius XII, in nuntio radiophonico 24 dec. 1942, loquitur de iure fundamentali personae Deo cultum exhibendi privatim et publice. Non explicat autem se loqui velle de cultu etiam falso, dummodo ex bona fide procedat. Potest, ergo, et debet intelligi de cultu vero et proprio, nempe de illo quem Deus hominibus imposuit creatione Ecclesiae, in quam omnes homines ingredi debent; eo vel magis quod Pius XII erroribus vera iura non agnoscit: « ciò che non risponde alla verità e alla norma morale, non ha oggettivamente alcun diritto né all'esistenza, né alla propaganda, né all'azione » (All. *Ci riesce,* 6 dec. 1953; *Discorsi e Radiomessaggi,* XV, pag. 488).

Pius XI, cum dicit fidelem ius, quod abalienari non potest, habere agnoscendi et ad praxim reducendi fidem suam, leges autem huic iuri contradicentes esse contra ius naturale, loquitur de vera fide, non autem de falsa, etsi inculpabili, ut patet ex totius expositionis Litt. Enc. *Mit Brennender Sorge* in quibus sollicite agit Pontifex de genuina fide in Deum, impossibili sine fide in Iesu Christo quam solide sustinet una Ecclesia catholica.

Leo XIII loquitur de libertate conscientiae ut Dei voluntatem sequatur homo et iussa operetur. Quae omnia bene intelliguntur de voluntate Dei obiectiva, non autem de voluntate quae erronee divina supponitur, ex eo quod Pontifex loquatur etiam de « iussis »; mandata autem Dei sunt obiectiva aut non sunt. Non potest dari obligatio sequendi iussum Domini inexistens. Conscientia autem invincibiliter erronea illa est quae credit adesse ubi non adest obiectivum mandatum Domini.

4. « Ecclesia catholica intolerantiam religiosam summo gradu odiosam atque offensivam erga personam humanam esse declarat. Ipsa, enim, homo privatur libertate sua in observandis iis dictaminibus conscientiae suae quae ipsi etiam bona fide erranti ut suprema et sacratissima apparent » (pag. 5, n. 3 sub fine).

Pro hac assertione citantur Ioannes XXIII, in Litt. Enc. *Pacem in terris* et Pius XII, in Nuntio radiophonico 1 iunii 1941.

Tum Ioannes XXIII, tum Pius XII loquuntur de officio quod habent homines agnoscendi ac reverendi iura aliorum. Hoc officium supponit, ut patet, quod de veris agatur iuribus. Libertatem autem religiosam, quam intelligit schema, verum ius non creare supra vidimus, cum error minime ius obiective fundare possit.

Ad rem quod attinet, modo generali, non potest affirmari intolerantia religiosa summo gradu odiosa, atque personae humanae offensiva. Cum, enim, de republica agatur ubi unitas religiosa habetur in vera fide, bonum commune in tali Natione postulat ut haec unitas non perturbetur ex manifestatione publica falsae religionis. In tali republica, ergo, falsus cultus non potest sine peccato tolerari (cf. *supra,* doctrina Pii XII in analysi propositionis sub n. 1).

Nec dici potest similis intolerantia offensiva erga personam humanam, cum

in conviventia sociali bonum commune eam postulare possit. Tandem, quamvis erranti bonae fidei dictamina conscientiae sacratissima apparere possint, tamen obiective illa dictamina veritati non sunt conformia, ius ergo obiective non creat, nec in aliis officium.

5. « In materia religiosa praedicta externae coactionis exclusio ab Ecclesia catholica vindicatur... ut vera " libertas religiosa " seu ius personae ne ab aliis impediatur quominus observet et proclamet officia sua publica et privata erga Deum et erga homines, singulariter vel collective sumptos, prout conscientia manifestantur. Ecclesia catholica affirmat talem libertatem religiosam competere tum singulis personis humanis tum coetibus hominum, qui exigentiis suae conscientiae adducuntur ut collatis viribus vitam religiosam ducant vel promoveant » (pag. 5, n. 4).

Pro hac thesi afferuntur textus Ioannis XXIII in Litt. Enc. *Pacem in terris* et Leonis XIII in Litt. Enc. *Sapientiae christianae,* e quibus textibus concludit auctor schematis: « Agitur igitur ultra vires, et rem sacram, quae homo est, maxime violat potestas publica, quando sese regimini animorum vel curae animarum immiscet » (pag. 10 nota 7).

Locus Litt. Enc. *Pacem in terris* quo Ioannes XXIII commemorat morem scripto consignandi iura civium in rebuspublicis hodiernis, unum intendit, nempe, ostendere quomodo homines hodie maiorem acquisierint conscientiam propriae dignitatis (*A.A.S.,* 55, pag. 279). Nihil amplius.

Locus, vero, ubi Ioannes XXIII assignat potestati civili officium agnoscendi honestos libertatis fines eiusque iura sarta tecta servandi (*ibid.,* pag. 286), nihil ad rem facit, cum, ut vidimus, error verum ius non potest creare.

Textus autem Leonis XIII non continet conclusionem auctoris schematis. Pontifex, enim, loquitur de competentia status in re religiosa. Haec, in praesenti historico statu generis humani, uni Ecclesiae concredita est. Perperam inde concluditur posse iam statum ignorare quaenam sit vera religio, et propterea omnium religionum cultum permittere. Vidimus supra eundem Pontificem, Leonem, scil. XIII, affirmantem societatem civilem veram religionem agnoscere debere, et in colendo numine morem usurpare teneri quo Deus coli se ipse demonstravit velle (Litt. Enc. *Immortale Dei,* § 13).

Praeterea, intra ambitum boni communis — cuius cura societati civili concredita est — docet Ioannes XXIII invenitur officium illud parandi ut saluti aeternae hominum inserviat. Potestas ergo civilis veram religionem et agnoscere debet et fovere.

Sententia, ergo, prout a schemate proponitur, videtur simpliciter erronea. Ecclesia catholica non potest ius agnoscere publicae professionis, ac propagationis falsae religionis sive a singulis hominibus exercitum, sive a coetibus e pluribus eundem errorem profitentibus compositis. Et ratio est tum quia verum non adest ius, tum quia per se, huiusmodi professio et propagatio est contra bonum commune, utpote scandalum creantes hominibus eosque a vera religione avertentes. Unice quod Ecclesia postulat est ut, quibusdam exstantibus circumstantiis, illa professio publica falsae religionis toleretur.

6. « Potestas publica nequit imponere civibus professionem determinatae religionis tamquam conditionem ut pleno et integro iure vitae nationali et civili participare valeant. Potestas humana debet iustitiam et aequitatem observare erga omnes qui in re religiosa dictamini suae conscientiae obediunt » (pag. 6, n. 5, linn. 15-19).

Nimis patet propositio. Verum est potestatem publicam imponere non posse

civibus professionem determinatae religionis tanquam conditionem ut bono vitae socialis gaudeat, cum professio religiosa sit actus internus uniuscuiusque hominis, et potestas publica non potest de internis iudicare. At potest professionem verae fidei imponere ut cives quaedam munera exercere queant: bonum, enim, commune id postulare potest.

Ultima pars propositionis vera est dummodo ad publicam professionem falsae religionis non extendatur, cum falsa religio verum ius non habeat (cf. All. Pii XII *Ci riesce,* supra citata), nec eius publica professio innocua aliis hominibus dicenda est.

7. « Haec libertas religiosa pariter offenditur praeprimis damnatione mortis propter rationes religiosas, sed praeterea religionis causa peractis spoliatione bonorum, privatione eorum quae ad vitam decentem requiruntur, abnegatione aequalitatis socialis vel civilis, nationalitatis, competentiae ad actus civiles, exercitii eorum iurium fundamentalium quae concorditer a nationibus agnoscuntur » (pag. 6, n. 5, linn. 20-25).

Etiam haec propositio nimis patet. Primo, quidem, non distinguit eos qui bona ab iis qui mala fide professionem religionis falsae faciunt; secundo, libertas religiosa prout amplectitur etiam falsam religionem distingui debet a libertate professionis verae fidei. Professio enim falsae religionis potest ita conviventiae sociali nociva esse, ut cohiberi possit ac debeat poenis contumacibus inflictis, quae sint magis vel minus graves secundum gradum nocivitatis ac pervicaciae.

Documentum, autem, quo thesis creditur commendari, rem non evincit. Ioannes XXIII, enim, in loco ex Litt. Enc. *Pacem in terris* citato, laudat tantum solemnem agnitionem humanae personae dignitatis. Remanet demonstrandum dignitatem humanam postulare libertatem conscientiae ut et errorem publice profiteatur.

8. « Nostris temporibus ubique terrarum libertas religiosa speciali modo urgenda est quia in dies frequentiores fiunt relationes quibus homines disparis cultus et diversae religionis inter se connectuntur » (pag. 6, n. 5 sub fine).

Prout sonat, propositio non videtur probanda. Etenim, rationem pro libertate professionis publicae erroris dat « frequentiores relationes » inter homines disparis cultus et diversae religionis. Haec ratio, autem, non videtur sufficiens ut, unitas forte existens verae fidei in una republica destructioni exponatur, propter relationes cum hominibus alius falsae religionis. Numquam sunt facienda mala ut eveniant bona, a fortiori, si bonum quod speratur, potius minus malum dicendum est.

Aliud prorsus videtur proponendum, scil., ut omnia media licita adhibeantur ne unitas verae fidei labefactetur propter relationes frequentiores cum hominibus falsae religionis.

Documentum pontificium allatum, in primo loco, nempe, allocutio Pii XII ad Praelatos auditores ceterosque officiales administros Tribunalis S. Romanae Rotae, 6 oct. 1946, non agit de universali tolerantia religiosa, sed tantum de tolerantia cum « entro i confini di un medesimo popolo », promiscue diversae inveniuntur confessiones religiosae. Scil., cum haec circumstantia verificatur (« in tali circostanze »), tunc tolerantia civilis et socialis videtur necessaria.

Allocutio, autem, *Ci riesce* 6 dec. 1963, etiam pro thesi citata, prout ab auctore schematis intelligitur nimis probare videtur. Etenim, ad litteram, haec habet: « Nell'interno del suo territorio e per i suoi cittadini ogni Stato regolerà gli affari religiosi e morali con una propria legge ». Id est, Respublica aliqua,

mahumetana, v. g., ad Communitatem Nationum aggregata, intra territorium proprium pro suis subditis posset ita regulare quaestiones religiosas ut omnibus civibus professionem mahumetanismi imponeret. Secundum auctorem schematis, Pius XII permittit ut « cives catholici et Status catholici moderatores ex conscientia eiusmodi legi consentiant » (pag. 11, n. 11 sub fine). A. v., in tali Republica, catholici et Ecclesia tuta conscientia renuntiarent oboedire mandato Domini ut Evangelium omni creaturae praedicaretur.

Nimis festinanter videtur auctor schematis concludere. Revera conclusionem auctoris renuit admittere Pontifex. Verba ab auctore schematis citata continent probabile decretum quo res religiosa componeretur in Communitate Nationum diversarum religionum. Pius XII autem huiusmodi legale statutum quod probabile iudicat minime approbat. Paulo infra, enim, in eadem allocutione, in tuto ponit iura indeclinabilia veritatis in omni republica, his verbis: « Innanzi tutto occorre affermare chiaramente: che nessuna autorità umana, nessuno Stato, nessuna Comunità di Stati, qualunque sia il loro carattere religioso, possono dare un mandato positivo o una positiva autorizzazione d'insegnare o di fare ciò che sarebbe contrario alla verità religiosa o al bene morale. Un mandato o una autorizzazione di questo genere non avrebbero forza obbligatoria e resterebbero inefficaci. Nessuna autorità potrebbe darli, perché è contro natura di obbligare lo spirito e la volontà dell'uomo all'errore ed al male o a considerare l'uno e l'altro come indifferenti » (*Discorsi e Radiomessaggi*, XV, pag. 487).

Propositio. Caput « de libertate religiosa » funditus retractetur. Potius « de libertate conscientiae » tituletur, et doctrinam traditionalem exponat de iuribus veritatis, de obligatione ingrediendi in Ecclesiam catholicam, et de tolerantia religiosa.

[*Subscripsit etiam*] Antonius de Castro Mayer, ep. Camposinus.

20

Exc.mus P. D. CLAUDIUS DUPUY
Archiepiscopus Albiensis

In par. 4 cap. II schematis *de Oecumenismo* de renovatione interiore Ecclesiae agitur, et paragraphus sequens « de conversione cordis » fortius inculcat hanc priorem renovationem interiorem. Et merito quidem. Quia nulla exterior mutatio admittenda nec efficax erit, nisi procedens de vera et priore interna renovatione. In Evangelio Christus Dominus apostolos docet primum attendere ad dispositiones cordis (v. g. *Mt.* 15, 16 s.). Forti animo speramus interiorem renovationem causam efficacem esse decisionum renovationis etiam exterioris Ecclesiae.

Haec exterior renovatio est pars integrans huius « aggiornamento » a Summo Pontifice assignati ut scopi huius Concilii. Itaque *magnopere exoptabile* est ut in par. 4 mentio facta sit renovationis non solum interioris, sed etiam exterioris Ecclesiae.

Haec mentio et ordinatio necessaria est non solum per semetipsa, quia Ecclesia semper debet esse talis qualis Christus Dominus vult, sed etiam ad fovendam unionem omnium christianorum, et conversio eorum qui Christum agnoscunt:

plerique enim homines de Ecclesia iudicant, non secundum eius essentiam, sed species externas et agendi modos eorum qui membra sunt Ecclesiae.

Haec renovatio externa, per meliores adaptiones structurarum Ecclesiae, in omnibus quae de essentia Ecclesiae non sunt, sicut a Christo Domino constituta fuit. Multae structurae non sunt ex iure divino, sed tantum ecclesiastico, et frequenter derivatae ex humanis mere moribus temporis revoluti. Sicut patet in quibusdam caeremoniis, in modo vivendi clericorum, speciatim in hierarchia constitutorum, in organisatione et modo procedendi Curiae romanae, et agendi quarundam religiosarum familiarum, in scholastico et negativo et abstractivo praesentandi catholicam doctrinam, in laicorum statu et activitate in Ecclesia, in statu inferiori foeminae in societate et in Ecclesia, etc.

Ut exemplum addatur speciatim eloquens huius renovationis etiam exterioris Ecclesiae momenti, sufficit evocare Ioannem XXIII, cuius simplicitas et bonitas, comprehensio et misericordia et humilitas, tam profundius commoverunt omnes homines totius mundi ex omni natione aut religione, etiam incredulos, et oculos atque corda omnium vertit ad Ecclesiam.

Nullus dubitare potest hanc renovationem exteriorem ex profundiore et interiore renovatione saliens, si facta erit, realiter et certe, invito traditionum humanarum pondere, faciliorem reddere unionem omnium christianorum et omnium hominum bonae voluntatis conversionem.

Ergo opto ut expressa mentio fiat de hac necessaria renovatione exteriore Ecclesiae in par. 4 cap. II *de Oecumenismo.*

21

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Macarscensis

Deberetur ulterius progredi in via distinctionis inter lineam sic dictam doctrinae et lineam tacticae seu pastoralem lineam sicuti iam feliciter incoeptum est in hoc schemate. Tali modo multae difficultates ex utraque parte concilii Patrum caderent. Sed hoc oporteret sincere et aperte in introductione schematis dicere. Ex mea enim humili opinione « oecumenismus catholicus » nihil aliud esse videtur nisi ars tactica seu pastoralis praesentandi doctrinam catholicam non solum sub aspectu logico sed potius sub aspectu psychologico illis hominibus qui extra Ecclesiam catholicam sive sint christiani sive non christiani sed credentes in Deum sive sint non credentes. In hoc sensu oecumenismus comprehenderet omnes homines quia non significaret nostram doctrinam sed nostram methodum explicandi doctrinam. Et revera alia significatio oecumenismi quae omnibus Patribus satisfaciat mihi possibilis non esse videtur. Nostram enim doctrinam non possumus mutare ut christianos et non christianos facilius ad nos perducamus. Tantummodo possumus in novos modos eam explicandi semper inquirere facilioribusque expressionibus atque comprehensibilioribus captui nostri temporis hominum eam proponere, etc.

Proinde *proposuerim ut oecumenismus definiretur sicut supra proposueram.* Deinde proposuerim ut aperte diceretur, quando agitur de variis speciebus oecumenismi, puta de oecumenismo erga protestantes vel erga orthodoxos etc. doctrinam catholicam esse talem vel talem sed proponendam esse protestantibus vel

orthodoxis etc. tali vel tali modo. Ut concrete loquar. In schemate dicitur: « ... officium Romanae Sedis cuius est praesidere in caritate ». Qua propositione multi Patres in Concilio offensi sunt praecise quia non distinxerant inter tacticam pastoralem et inter puram doctrinam, proinde oporteret aperte dicere nos hic velle loqui de modo proponendi doctrinam catholicam de primatu iurisdictionis Romani Pontificis orthodoxis et proinde per illam propositionem nos velle tantummodo bene incipere nostram expositionem de primatu orthodoxis, quia illam propositionem orthodoxi agnoscunt etc. Tunc esset omnibus clarum minime nos velle aliquid minuere vel negare vel reticere de nostra doctrina, sed docere in animo habemus sacerdotes nostros et fideles modum seu tacticam loquendi cum orthodoxis etc. Idem quoque oporteret dicere Ecclesiam catholicam omnem veritatem habere, etsi in variis religionibus immo et in variis philosophiis atheis quaedam veritates inveniuntur. Nam prima regula et amoris et omnis bonae pugnae est cognoscere fratrem seu inimicum eique agnoscere quidquid boni apud ipsum habeatur.

Votum de atheismo. 1. In toto schemate *de Oecumenismo* athei videntur omnino ab eo excludi, immo de ipsis proferuntur tam amara verba, ut admiratus sim ea prolata esse ab hominibus oecumenistis. Certe tali modo atheos et materialistas numquam convertemur. Proinde etiam problema atheismi moderni aggredi debemus sed methodo magis positiva atque extollere quidquid boni et veri inveniatur in variis systematibus atheismi moderni.

Negare tamen non debemus nec reticere quidem errores atheismi moderni, sed istos describere debemus modo paterno, quia et athei sunt fratres nostri.

Etiam libertatem conscientiae pro atheis tractare debemus et ex mea humili opinione libertas illa ex principio tolerantiae deducenda est.

2. Proinde propono ut speciale caput de atheismo moderno conscribatur. Athei enim fratres nostri sunt qui a nobis vere separantur et ubique terrarum inveniuntur. Atheismus modernus est totius orbis problema et quidem primi ordinis quod a Concilio praetermitti nequit.

3. Propono ut instituatur secretariatus specialis vel specialis sectio pro atheismo in congregatione quadam. Nam istud problema atheismi moderni solvi nequit aliquo schemate vel capite in eo incluso, sed oportet ut instituatur centrum stabile quod atheismo studeat, experientias atheorum atque virorum qui in apostolatu cum eis excellunt colligat necnon consiliis nobis praesto sint qui quotidie versamur inter atheos et proh dolor sumus omnes episcopi et occidentis et orientis septemtrionis et aquilonis. De cetero hoc centrum pallida imago esset centri atheismi moderni organizati. Saltem in Concilio non debemus admittere ut filii tenebrarum semper sint prudentiores filiis lucis.

Centrum hoc pro atheismo vel secretariatus vel sectio distingui debet a secretariatu pro communitatibus religiosis non christianis, quia athei toto caelo differunt ab hominibus religionem aliquatenus in Deum profitentibus et proinde merentur speciale studium atque speciale centrum.

4. Nec dicatur hoc centrum obfuturum esse illis catholicis qui sub communismo vivunt. Nam centrum hoc deberet esse pro quocumque atheismo atque fundatum in spiritu oecumenico.

Ad cap. IV. Assentio illis Patribus qui in Concilio dixerunt huius capitis locum esse in schemate *de Oecumenismo,* praesertim si oecumenismus in sensu largiori sumatur. Si autem oecumenismus sumatur non in sensu largiori, sed in sensu strictiori scil. de solis christianis non catholicis tunc oportet facere schema

speciale scil.: *De habitudine Ecclesiae catholicae erga credentes et non credentes.*

Puto rationes quibus impugnabatur in aula conciliari hoc caput fundamento non carere. Ideo revera debemus describere habitudinem Ecclesiae erga homines qui in Deum credunt et ad varias religiones pertinent, puta habitudinem Ecclesiae erga Iudaeos, musulmanos, buddhistas, confucianistas etc. In tali capite vel capitibus deberemus regulas praebere principales de modo seu de tactica pastorali proponendi veritates nostras illis hominibus non christianis sed credentibus.

Iudaei vero specialem locum obtinent in oeconomia salutis, sed de ipsis caute loquendum est, nam:

a) Hodie minor pars Iudaeorum, uti dicitur, credit in Messiam venturum, imo maior pars eorum fertur nec credere quidem amplius in Deum Creatorem. Proinde quae nos dicimus laudabiliter de Iudaeis non solum a musulmanis et aliis hominibus verum etiam ab ipsis Iudaeis non credentibus in sensum politicum convertetur.

b) Iudaei omnes simul sumpti exigua sunt pars comparati cum magnis illis communitatibus variarum religionum.

c) Iudaei quoque uti populus culpam habent pro morte Filii Dei. Hoc est eorum, uti dicitur, peccatum nationale, pro quo debuerunt decursu saeculorum terribiles poenas luere, inflictas iis ab hominibus iniquis sed a Deo praedispositis. Haec est doctrina S. Scripturae, traditionis et Summorum Pontificum. Sed hoc non debemus in schemate dicere, quia agitur de nostra tactica pastorali erga Iudaeos et proinde quaedam licitum est nobis tacere. Sed non possumus negare veritatem de culpabilitate Iudaeorum erga mortem Filii Dei.

Ad cap. V. 1. Placet quod in schemate *de Oecumenismo* sermo fit de libertate religiosa, quia libertas quae mutuo agnoscitur est fundamentum necessarium ad rectam aestimationem mutuam, ad mutuam plenam cognitionem et ad fructuosum colloquium oecumenicum.

Propter easdem rationes in capitibus, in alio capite vel in hoc nostro, ubi agetur de aliis religionibus non christianis vel de atheis sermo institui debebitur de libertate religiosa vel de libertate humana.

2. Non placent tamen illae formulationes in art. 4, pag. 5, quia:

a) Error eadem iura habere non potest sicut veritas.

b) Ratio et conscientia data est homini ad veritatem quaerendam et profitendam, proinde error seu falsa religio ius naturale habere non possunt ad suipsius divulgationem. Proinde per se ius et officium habet auctoritas publica coercendi errorem falsamque religionem, modis tamen homine dignis.

c) Secundum illas formulationes etiam athei deberent gaudere libertate profitendi suas opiniones atheisticas easque divulgandi sicut accidit in nostris regionibus ubi materialismus dialecticus in omnibus scholis officialiter docetur. Tamen haec conclusio valde logica secundum principia art. 4 non habetur in sequenti art. 5. Immo in isto articulo principium de libertate religiosa in praecedenti articulo enuntiatum, essentialiter limitatur novo principio « boni communis » seu « ordinis obiectivi » « iurium Dei Creatoris et Salvatoris et inalienabilium iurium et libertatum personae humanae ». Quo vero principio revera destruitur primum principium de « libertate conscientiae », quod autem clare perspicitur praesertim ex art. 6, in quo terribiliter impugnatur materialismus hodiernus quo « fundamenta omnis religionis et societatis corrodantur » et ita patet, ob limitationem libertatis conscientiae bono communi materialistas non debere frui libertate profitendi et

divulgandi propriam doctrinam, quae evidenter est contraria bono communi atque ordini obiectivo iurium Dei Creatoris.

d) Sed secundum doctrinam de limitatione libertatis conscientiae bono communi nec christianae communitates non catholicae nec variae communitates religiosae non christianae habere possunt libertatem illimitatam profitendi atque divulgandi doctrinas erroneas, quia istae doctrinae erroneae sive sint christianae sive non christianae contrariae sunt ordini obiectivo iurium Dei Creatoris et Salvatoris. E. g. negare praesentiam realem Christi in Eucharistia significat negare ius Salvatoris nostri ad adorationem ex parte hominum quam homines Christo in Eucharistia vere praesenti secundum iustitiam tribuere debent.

Conclusiones. 1. Doctrina capitis habet finem nobilissimum, quem vero non obtinet. 2. Doctrina capitis de libertate religiosa innititur duobus principiis scil. dignitate personae humanae et bono communi, nempe principio individualistico et sociali. Inter haec duo principia via media in capite non est inventa ideoque doctrina est contradictoria. 3. Propono igitur ut tota doctrina de libertate religiosa, immo et de libertate humana fundetur in principio traditionali de « tolerantia » ob bonum commune. Nam revera conditiones vitae modernae tales sunt, ut libertas religiosa dari debet a Statibus modernis omnibus communitatibus religiosis sive christianis sive non christianis, immo et societatibus atheis nisi forte excipiamus illas organizationes quae et in quantum suas ideas vi propagare velint.

22

Exc.mus P. D. DOMINICUS SENYEMON FUKAHORI

Episcopus Fukuokaensis

Cap. IV: de catholicorum habitudine ad non christianos et maxime ad Iudaeos. Etsi titulus habeat verba: « De catholicorum habitudine ad non christianos », nihil de non catholicis, seu potius de non christianis, in hoc capite, Iudaeis exceptis, invenitur. Quapropter, aliquid desideratur. Infra, propono textum qui potest promovere mutuam comprehensionem non tantum inter religiones non-christianas et religionem catholicam, sed etiam inter nationes non-christianas et Ecclesiam catholicam.

L'Eglise catholique, reconnaissait que tout ce qu'il y a de bon dans l'univers et de noble dans le cœur de tout homme, à quelque continent, pays, race ou couleur qu'il appartienne, est toujours une participation de la bonté, de la beauté et de l'amour infinis de Dieu (*Iac.* 1, 17; *S. Th.* I, q. 6, a. 4), Père de tous les hommes (*Mt.* 6, 9; *Lc.* 11, 2), a toujours respecté les droits inviolables de la personne humaine (*Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 55 [1963], p. 259), et a manifesté un profond respect pour toutes les valeurs religieuses, morales, intellectuelles et sociales, ainsi que pour les cultures innombrables, variées et riches qui sont en honneur dans le monde, comme en font foi son enseignement séculaire.

A l'exemple de son Divin Fondateur, qui est venu sur cette terre, non pas pour détruire, mais pour parfaire (*Mt.* 5, 17), elle a toujours reconnu et accepté les vestiges de la Révélation Primitive contenues dans les religions non-chrétiennes.

Qu'il suffise de rappeler ici la pensée de S. S. Pie XII sur ce sujet, telle que

formulée dans l'encyclique *Summi Pontificatus* (*A.A.S.*, 1939, p. 429), et reprise dans l'encyclique *Evangelii Praecones* (*A.A.S.*, 43 [1951], pp. 522-523).

Summi Pontificatus: « Quidquid in populorum moribus indissolubili vinculo superstitionibus erroribusque non adstipulatur, benevole nullo non tempore perpenditur ac, si potest, sartum tectumque servatur ».

Evangelii Praecones: « Humana natura, quamvis ob miserum Adae casum hereditaria labe infecta sit, tamen in se habet naturaliter christianum »; « Quamobrem catholica Ecclesia ethnicorum doctrinas neque despexit neque respuit »; « Ita pariter eorum ingenuas artes ac liberales disciplinas, quae iam ad tam excelsum fastigium alicubi pervenerunt, ipsa benigne excepit ».

Plus récemment, ce respect pour tout ce qui est bon dans la civilisation des peuples fut réaffirmé avec encore plus de vigueur par S. S. Jean XXIII, dans l'encyclique *Princeps Pastorum* (*A.A.S.*, 51 [1959], p. 844): « Quotiescumque auctiora verique nominis incrementa, ad liberales artes ingenuasque disciplinas quod spectat, possunt humanae familiae cultum ditare, Ecclesia eiusmodi ingenii nisus fovet et adiuvat ». « Ecclesia, utpote quae iuventute polleat perpetuoque Sancti Spiritus afflatu renovetur, nullo non tempore ea omnia agnoscit libenterque in se recipit, quin immo actuose excitat, quae humanae menti animoque honori vertant ».

Comme on le voit, l'Eglise catholique, suivant en cela l'exemple de son Divin Fondateur, ne fait point acception de personnes (*Rom.* 2, 11; *Eph.* 6, 9; *Col.* 3, 25). Au contraire, elle aime tous les hommes d'un amour égal, et elle les invite tous à écouter et à recevoir la « Bonne Nouvelle du Salut » (*Eph.* 1, 13).

C'est pourquoi, les Pères du II Concile du Vatican, pleinement conscients de leurs responsabilités vis-à-vis de tous les non-chrétiens de l'univers, prient instamment tous les catholiques de manifester beaucoup de sympathie, de respect et de compréhension pour toutes les manifestations religieuses justes, les sentiments et les aspirations nobles, la droiture, la générosité, la sincérité, en un mot, pour tout ce qui est bon dans le cœur des non-chrétiens et dans leurs civilisations. Car ce sont autant de « pierres d'attente » dont Dieu, qui « veut que tous les hommes parviennent à la connaissance de la vérité » (*1 Tim.* 2, 4), se sert pour guider mystérieusement, parfois laborieusement, mais toujours sûrement, les âmes de bonne volonté (*Lc.* 1, 14) vers la vérité (*Io.* 14, 6), et leur révéler à eux aussi, au jour fixé par sa Divine Providence, le Mystère du Salut enveloppé de silence aux siècles éternels (*Rom.* 16, 27).

Pour promouvoir cette compréhension, il est à souhaiter qu'on intensifie l'étude des religions non-chrétiennes et des cultures propres aux pays où elles sont en honneur, afin d'en découvrir toutes les valeurs qui y sont enfouies, comme autant de pierres précieuses (*Mt.* 13, 45).

Enfin, qu'on se rappelle en faisant toutes ces recherches, que « omnes homines communi consortio et originis, et christianae Redemptionis, et superni finis intercopulantur et ad unam coniungendam christianam familiam vocantur » (S. S. Ioannes XXIII, Litt. Enc. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 [1963], p. 289).

N. B. Ratio cur in praecedenti textu loquimur non tantum de valoribus « religiosis » sed etiam de « cultura » populorum, est quia in non-christianis regionibus, saepe intime commixtuntur.

Cap. V: *de libertate religiosa.* In pag. 6, linn. 2-4. Verba: « seu ordini obiectivo iurium Dei Creatoris et Salvatoris et inalienabilium iurium et libertatem

personae humanae »; *vel*: simpliciter omittantur, quia non bene describunt naturam boni communis; quia saltem verbum « Salvatoris » male interpretari potest in regionibus non-christianis; *vel*: eorum loco scribatur: *sive*: « nisi contradicat quodam elemento seu valori essentiali boni communis »; *sive*: « nisi contradicat quodam elemento quo essentialiter bonum commune constituitur, scil. agnitione iurium fundamentalium personarum »; *sive*: « nisi contradicat bono communi quod complectitur essentialiter non tantummodo elementis materialibus et iuridicis, sed etiam moralibus et religiosis ».

De hoc consuli possunt: Mgr GUERRY, *La Doctrine Sociale de l'Eglise,* Bonne Presse; G. DUCOIN, *Pour une économie du bien commun selon la doctrine sociale de l'Eglise,* Lethielleux; Comité Théologique de Lyon, *Notes Doctrinales à l'usage des prêtres du ministère*: *Le bien commun et ses exigences actuelles.*

In pag. 6, in finem ultimae lineae n. 5. Post verba « inter se connectuntur », forsitan melius esset addere: « et etiam quia in nonnullis locis haec libertas violatur ».

23

EXC.MUS P. D. ANASTASIUS GRANADOS GARCIA

Episcopus tit. Cidramenus, aux. Toletanus

Votum circa schema decreti de libertate religiosa. Thesis, quam schema proponit, sic exprimitur in n. 5, pag. 6: « Sacra Synodus solemniter affirmat ius ad libertatem conscientiae in re religiosa externe exercendam, salvo bono communi, semper et ubique valere et ab omnibus agnoscendum esse ».

Nunc vero: Thesis ita proposita, gravibus laborat defectibus, qui eam non tantum parum firmam efficiunt, sed etiam forsan non veram produnt. Liceant ergo quaedam animadversiones.

1. *Schema libertatem religiosam non satis definit.* Hanc, quam exponimus obiectionem, praevenire vult exc.mus relator, qui totus est in excludendo conceptu minus recto, cui ansam praebere potest ambiguus dicendi modus schematis. « Formula verborum « Libertas religiosa » — ita relator in pag. 27 — in nostro textu determinatum sensum habet. In nostra disceptatione magna confusio oriretur, si ab aliquibus Patribus huic formulae verborum alius sensus tribueretur quam ille qui intenditur in textu ».

Hoc autem vere vitium methodologicum existimatur. Non enim in redactione schematis adhibendae sunt formulae ambiguae, quae, cum varios ferant sensus, a relatore extra textum interpretari opus sit; sed potius verbis ipsis textus sensus clarus, univocus, interpretatione non egens, exprimi debet in re adeo gravi.

Ad rem nostram quod attinet, desideratur in schemate definitio positiva, clara et indubia libertatis religiosae:

1) In schemate offertur libertas religiosa sub aspectu stricte negativo: « Immunitas ab externa coactione » (n. 2, pag. 4); « Ius personae ne ab aliis impediatur quominus observet et proclamet officia sua publica et privata erga Deum et erga homines, singulariter vel collective sumptos, prout conscientia manifestantur » (n. 4, pag. 5).

Equidem in relatione — non in textu schematis — libertas religiosa consideratur sub aspectu positivo et negativo: « *Positive* loquendo, libertas religiosa

est ius personae humanae ad liberum exercitium religionis iuxta dictamina conscientiae suae. *Negative* loquendo, libertas religiosa est immunitas ab omni externa coactione in personalibus cum Deo relationibus, quas hominis conscientia sibi vindicat » (pag. 28).

Proponimus ergo ut haec libertas religiosa definiatur: « Ius tribuendi Deo cultum debitum ».

2) Deficit quoque definitio in schemate tradita in eo quod libertatem religiosam restringit ad libertatem conscientiae, et quidem plura non eiusdem valoris simul miscendo.

In definitione tradita duplex quaestio confuse implicatur:

a) Ius hominis ad amplectendam religionem, quae sibi vera appareat;

b) Ius ne ab aliis impediatur in exercitio externo suae religionis.

Evidens est utramque quaestionem non coincidere, neque eamdem aeque simplicem admittere solutionem.

Primum problema, stricte religiosum, ita proponitur: « Utrum homo extrinsece cogi possit ad fidem amplectendam ». Hoc vero problema facile solvitur, et quidem negative (cf. *C.I.C.,* can. 1351).

Secundum problema, longe difficilius, nec stricte religiosum sed religioso-politicum, nequit simpliciter solvi asserendo ius hominis, quum apud omnes compertum sit conscientiam erroneam posse quandoque *legitime* impediri in exercitio externo actionis, etiam religiosae, quum id exigat bonum commune. Quod implicite ipsum schema admittere videtur in n. 5, pag. 6. Si enim, ut ibi dicitur, « nemo externo exercitio suae libertatis privari potest, *dummodo,* sicut bono communi exigitur, iura quoque aliorum salva remaneant », logice eruitur homines « externo exercitio suae libertatis privari posse, *quum,* sicut bono communi exigitur, iura aliorum salva *non* remaneant ».

Ob has ergo rationes definitio libertatis religiosae, utpote deficiens, non placet.

2. *Schema parem videtur statuere condicionem catholicorum et acatholicorum.* Doctrina Concilii Vaticani I clara est: « Minime par est condicio eorum qui per caeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum qui, ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur » (DENZ.-SCHÖN. 3014, 3036).

Iamvero, si ius personae colendi Deum iuxta dictamen propriae conscientiae rectae uti fundamentum proponitur libertatis religiosae, in quo differret condicio catholici et acatholici, utroque propriam conscientiam rectam *aequo iure* sectante?

3. *Doctrina schematis non satis consonat cum doctrina Ecclesiae.* Exc.mus relator animadvertere satagit in pag. 28: « Decretum nostrum... sedulo totam quaestionem removere conabitur ab illo mundo abstractionum, qui saec. XIX tam carus fuit ».

Tamen, venia relatoris, nulli dubium quin « mundus abstractionum », scil. principia doctrinalia, vere mundum concretum regere debeat. Ceteroquin, nec schema caret principiis doctrinalibus, et certe nostra quidem sententia non satis firmis.

Principium totum schema pervadens sic exponi posset: « Homo habet ius naturale libere exercendi religionem iuxta dictamen propriae conscientiae rectae ».

Ex quo principio, ita sine debitis distinctionibus statuto, non levia sequuntur consectaria et incommoda. En aliqua:

1) *Aequo iure* potest exerceri religio iuxta dictamen conscientiae *verae* et

conscientiae *falsae,* dummodo utraque *recta* inveniatur. Hoc autem nonne logice ad subiectivismum duceret? Longe aliter opinabatur S. Augustinus scribens: « Quae peior mors animae, quam libertas erroris? » (*Ep.* 104, c. 2, par. 10 ad Donatistas; *PL* 33, 400).

2) Si libertas conscientiae est *ius naturale* personae humanae, a nulla humana auctoritate ullo modo limitari potest, sed tantum definiri et tueri.

Haec nostra conclusio ostenditur logica ex ipso Leone XIII: « Ex dictis consequitur, nequaquam licere posse petere, defendere, largiri cogitandi, scribendi, docendi itemque promiscuam religionum libertatem, veluti *iura* totidem, quae homini *natura* dederit. Nam si vere natura dedisset, imperium Dei detrectari ius esset *nec ulla temperari lege libertas humana posset* » (Enc. *Libertas,* apud Castro, p. 409).[1]

Hoc existimatum ius naturale ad libertatem conscientiae, sic expositum sine debitis distinctionibus, potius oppositum videtur doctrinae Ecclesiae.

Sed priusquam asserti nostri demonstrationem aggrediamur, quaedam praenotare liceat *de pisce extra aquam natante.*

Felix haec est formula clarissimi relatoris: « Sed quaeso, venerabiles Patres, ne faciatis textus loqui extra contextum historicum et doctrinalem, nec faciatis piscem natare extra aquam » (pag. 36).

Nisi fallimur, in mente relatoris « pisces » sunt principia a Romanis Pontificibus proclamata; « aqua » vero « circumstantiae historicae vel contextus doctrinalis ».

Circa quae pauca animadvertere liceat: *a*) sunt doctrinae de rebus specificis et concretis, quae aliis rebus omnino convenire nequeunt — pisces pro aliqua aqua; *b*) sunt principia occasione quadam historica proclamata, quae tamen vim habent independenter ab omni historica circumstantia — pisces natantes in qualibet aqua; *c*) haec autem principia quandoque per accidens applicari nequeunt — pisces natantes in qualibet aqua, sed quibus deficit aqua.

Ut rem illustremus aliquo exemplo, Maternitas divina B.mae Virginis proclamata est occasione erroris nestoriani. Ecquis auderet dicere Mariam esse *theotocon* tantum tempore Concilii Ephesini?

His prae oculis habitis, mirari liceat levitatem qua in schemate proponuntur, sine debitis distinctionibus, principia directe opposita doctrinis iamdiu a Summis Pontificibus proclamatis, occasione forte priscorum errorum, sed quae sunt per se verae in omni tempore et eventu.

Exemplum ipsum examini subiicimus, quod affert relatio in pag. 32, ex Encyclica *Quanta cura* Pii IX desumptum: « Ex qua omnino falsa socialis regiminis idea (scil. " naturalismi ") haud timent erroneam illam fovere opinionem, catholicae Ecclesiae animarumque saluti maxime exitialem, a rec. mem. Gregorio XVI praedecessore nostro " deliramentum " appellatam, nimirum libertatem conscientiae et cultuum esse proprium cuiuscumque hominis ius, quod lege proclamari et asseri debet in omni recte constituta societate » (*A.S.S.,* 3 [1867], pag. 162).

Iuxta relatoris exegesim, « damnatur libertas ista conscientiae propter ideologiam quam praedicaverunt rationalismi fautores, hoc fundamento innixi, quod

[1] Dr. Manuel de Castro, *S. S. León XIII: Collección completa de todas sus Encíclicas, en latín y castellano,* Valladolid.

individua conscientia ex-lex est, ut nullis sit normis obnoxia divinitus traditis » (pag. 33).

Venia tamen relatoris, liceat obiicere in Enc. *Quanta cura* damnari naturalismum politicum et socialem, inter alia, quia fovet principium falsum libertatis omnimodae religiosae: « haud timent *erroneam* illam fovere *opinionem* ». Illa ergo « opinio », quam naturalismus *fovet,* iam existebat et « erronea » erat.

Inde sequitur: Sic dicta « libertas conscientiae » a Pio IX damnatur, *non quia naturalismo nititur*; sed potius naturalismus damnatur, inter alias rationes, quia sic dictam *libertatem conscientiae* — in se falsam et « deliramentum » — *fovet.*

Ipsum sensum fidei ut iudicem invocemus, ut perspiciat quantum inter se differant sequentia:

Pius IX	*Schema*
« Haud timent *erroneam* illam fovere opinionem, catholicae Ecclesiae animarumque saluti maxime *exitialem,* a rec. mem. Gregorio XVI praedecessore nostro *deliramentum* appellatam, nimirum *libertatem conscientiae* et cultuum esse *proprium cuiusque hominis ius,* quod lege proclamari et asseri debet in omni recte constituta societate ».	Sacra Synodus *solemniter* affirmat *ius* ad *libertatem conscientiae* in re religiosa externe exercendam, salvo bono communi, *semper* et *ubique* valere et ab omnibus agnoscendum esse » (n. 5, pag. 6).

Leo XIII subtiliter asseruit Gregorium XVI anathemate confixisse sentientes « integrum singulis esse, quod malint, de religione iudicare, *solam* cuique *suam* esse *conscientiam iudicem* (*Immortale Dei,* apud Castro, pag. 317).

Valde timemus redactionem schematis affinitatem non levem prodere cum erroribus olim tam acriter damnatis.

Sit pro nobis omnibus, quaeso, via et lucis semita doctrina Leonis XIII sic dicentis: « In opinando quidem, quaecumque Pontifices Romani tradiderint vel tradituri sunt, singula necesse est tenere *iudicio stabili comprehensa,* et palam, quoties res postulaverit, *profiteri.* Ac nominatim de iis, quas *libertates* vocant novissimo tempore quaesitas, oportet *Apostolicae Sedis stare iudicio, et quod Ipsa senserit, idem sentire singulos* » (*Immortale Dei,* apud Castro, pag. 320).

4. *Schema doctrinam moralem de conscientia invincibiliter erronea non recte applicat.* Problema proponitur hoc modo in prooemio schematis: « Quod spectat ea in quibus unanimis consensus nodum attingitur, non tantummodo attendant ad Sacra et absoluta Dei iura necnon ad veritates seu obiecta, *quae semper observanda sunt,* sed etiam ad iura et officia personarum seu subiectorum quibus veritati adhaerendum est ».

Recte quidem: utrumque elementum — obiectivum et subiectivum — perpendendum et conciliandum est.

In nota 1, pag. 7, casus iam consideratur personae bona fide errantis circa religionem et status quaestionis presse definitur: « Distinguendum est inter *errores* religiosos et *personam humanam* bona fide errantem ». Et solutio datur equidem recta et vera: « Ut iura quae ad dignitatem libertatemque humanam perti-

neant adhuc agnosci et coli debeant, illis (iuribus) ipsis erroribus immutabiliter denegatis » (cf. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 [1963], pp. 299-300).

In n. 2 schematis, pag. 4, doctrina quasi thetice sic enunciatur: « Error *reiiciendus est*, veritas praedicanda, persona errantis circa fidem ad veritatem alliciendа. Attamen, quamdiu in errore invincibili versatur, haec persona humana *aestimatione digna est* atque *eius libertas religiosa ab Ecclesia agnoscitur et vindicatur* ».

Quid dicendum? Non omnia quae simul enunciantur eumdem valorem habent, neque idem ius ut admittantur.

Libenter admittimus: *a*) Errorem reiiciendum esse; quia, doctrinae Romanorum Pontificum inhaerendo, error nullum ius habet. « Ciò che non risponde alla verità e alla norma morale, non ha oggettivamente alcun diritto né all'esistenza, né alla propaganda, né all'azione » (PIUS XII, *Ci riesce*: *A.A.S.*, 45, 1953). Vel, iuxta modum dicendi Ioannis XXIII, « illis (iuribus) ipsis erroribus immutabiliter denegatis » (*Pacem in terris*).

b) Personam humanam, etsi bona fide errantem, aestimatione dignam esse et iuribus personae humanae propriis non esse destitutam.

Iis non obstantibus, *firmiter adversamur* postremo asserto: « atque eius libertas religiosa (nimirum conscientiae erroneae) ab Ecclesia agnoscitur et vindicatur ».

Ut enim ex asserta agnitione dignitatis personae humanae logice erui posset agnitio ab Ecclesia libertatis religiosae conscientiae erroneae, constare deberet libertatem eiusmodi, nempe libertatem religiosam conscientiae erroneae, esse *ius naturale personae*; quod longe distat a vero.

Nos autem a mente Leonis XIII aberrare nolumus, qui sic clare loquitur: « Omnis enim libertas legitima putanda, quatenus rerum honestarum maiorem facultatem afferat, *praeterea nunquam* » (Enc. *Libertas*). Et ibidem: « Sicut errare posse reque ipsa errare vitium est, quod mentem non omni parte perfectam arguit, eodem modo arripere fallax fictumque bonum, esto indicium liberi arbitrii, sicut aegritudo vitae, est tamen *vitium quoddam libertatis* ». Et adhuc de conceptu libertatis: « Est enim facultas moralis, quam, ut diximus saepiusque est dicendum, *absurdum* est existimare *veritati* et *mendacio*, honestati et turpitudini promiscue et communiter *a natura* datam » (Enc. *Libertas*, l. c., pag. 395).

Doctrina de conscientia invincibiliter erronea sic comprehensivo modo exponi posset:

1) Casus conscientiae erroneae, quantum fieri potest, *evitandus* est; quia est casus « per accidens », anormalis, continens errorem.

2) In casu conscientiae erroneae adest veluti conflictus inter ordinem formalem-personalem et ordinem materialem-obiectivum. Sub aspectu moralitatis formalis-personalis errans agit *recte per se, male per accidens*; sub aspectu vero moralitatis materialis-obiectivae agit *male per se, recte per accidens*.

3) Si attenditur ad *actum* qui ponitur, primatus competit ordini materiali-obiectivo; si autem attenditur ad personalem *positionem* actus, primatus competit conscientiae personali.

4) In casu conscientiae invincibiliter erroneae concedendum est ius *personale* vitam ducendi secundum propriam conscientiam, non autem ius *reale* quoad ipsam actionem externam.

Illud vero ius *personale* non est illimitatum, sed limitatur iuribus aliorum; et ideo actus externus iura aliorum impediens vel laedens impediri potest et debet.

Ius enim aliorum, in veritate fundatum, *praevalet* iuri sequendi conscientiam per actum, quem quis ut licitum vel etiam ut obligatorium habeat.

5) Reverenda est conscientia personalis proximi et eius vita secundum conscientiam, etsi invincibiliter erroneam. Errans, qui sequitur conscientiam suam certam, ius habet subiectivum *ne ut malus habeatur.* Errans vero non potest expectare ut error suus *ab aliis agnoscatur*: veritas enim stat in indivisibili.

6) Unde conscientia erronea non fundat ius illimitatum publicandi errores, sicuti non fundat ius vendendi libros moraliter perniciosos; haec enim sunt *obiective nociva* proximo vel bono communi, ideoque *iniusta.* Talis autem *obiectiva iniustitia actus* non tollitur eo quod agens hos actus forsitan ut licitos habeat.

Datur consequenter *ius impediendi* hos actus obiective nocivos et iniustos.

Ex dictis liquido apparet hoc principium: « Error invincibilis excusat a peccato, immo cohonestat actionem humanam; non ideo tamen confert ius ad organisationem publicam constituendam et conservandam ».

His prae oculis habitis, mirari liceat schema promiscue usurpare voces « libertas religiosa » et « libertas conscientiae », et modo vere inusitato in voces erumpere: « Sacra Synodus solemniter affirmat ius ad libertatem conscientiae in re religiosa *externe* exercendam, salvo bono communi, *semper* et *ubique* valere et *ab omnibus agnoscendam esse* » (n. 5, pag. 6). Consulatur FUCHS: *Theologia Moralis Generalis.*

5. *Schema proponit doctrinam de tolerantia a mente Romanorum Pontificum alienam.* Textus schematis sic ait: « Ecclesia catholica intolerantiam religiosam summo gradu *odiosam* atque *offensivam* erga personam humanam esse declarat. Ipsa enim homo privatur libertate sua in observandis iis dictaminibus conscientiae suae, quae ipsi etiam bona fide erranti ut suprema et sacratissima apparent » (n. 3, pag. 5).

Si haec vera sint, Ecclesia catholica tolerantiam religiosam ut *amabilem* et pro persona humana *proficuam* libenter declarare deberet et debuisset; tolerantia enim in tuto poneretur ius naturale hominis observandi dictamina propriae conscientiae, etsi errantis. Estne talis mens Romanorum Pontificum?

Circa tolerantiam religiosam duo principia iugiter ab Ecclesia proclamata sunt: 1. Quod veritati ac normae morali non respondet, nullum ius habet; 2. tamen propter maius bonum potest hoc non impediri, seu tolerari.

Doctrinam Leonis XIII clare his verbis exprimitur: « Nihilominus materno iudicio Ecclesiae aestimat grave pondus infirmitatis humanae, et qualis hic sit, quo nostra vehitur aetas, animorum rerumque cursus, non ignorat. His de causis, *nihil quidem impertiens iuris nisi iis quae vera quaeque honesta sint,* non recusat quominus quidpiam a veritate iustitiaque alienum *ferat* tamen publica potestas, scil. *maius* aliquod vel *vitandi* causa *malum,* vel *adipiscendi* aut *conservandi bonum* » (Enc. *Libertas,* apud Castro, pag. 406).

Pius XII in notissima Allocutione *Ci riesce* hoc modo principia supra enunciata proclamat: 1. « Ciò che non risponde alla verità e alla norma morale, non ha oggettivamente alcun diritto né all'esistenza, né alla propaganda, né all'azione »; 2. « Il non impedirlo per mezzo di leggi statali e di disposizioni coercitive può nondimeno essere giustificato nell'interesse di un bene superiore e più vasto ».

Amplius autem mentem evolvit circa utrumque principium:

Quoad primum: « Nessuna autorità umana, nessuno Stato, nessuna comunità di Stati, qualunque sia il suo carattere religioso, possono dare un mandato

positivo o una *positiva autorizzazione* d'insegnare o di fare ciò che sarebbe contrario alla verità religiosa o al bene morale... Nessuna autorità potrebbe darli, perché è contro natura di obbligare lo spirito e la volontà dell'uomo all'errore o al male, o a considerare l'uno e l'altro come indifferenti. Neppure Dio potrebbe dare un tale positivo mandato o una tale positiva autorizzazione, perché sarebbe in contradizione con la Sua assoluta veridicità e santità ».

Quoad secundum: « Il dovere di *reprimere* le deviazioni morali e religiose non può quindi essere una ultima norma di azione. Esso deve essere subordinato a più alte e più generali norme, le quali *in alcune circostanze* permettono, ed anzi fanno forse apparire come il partito migliore, il non impedire l'errore, per *promuovere un bene maggiore* » (*A.A.S.*, 45 [1953], pp. 798 ss.).

Perpendamus ergo quantum intercedat inter doctrinam Romanorum Pontificum et asserta schematis. Hic « intolerantia » summo gradu odiosa dicitur; in documentis pontificiis « tolerantia » admittitur « in determinate circostanze ». In ceteris vero quid remanet nisi *intolerantia erroris,* qui per se « non ha alcun diritto né all'esistenza, né alla propaganda, né all'azione? ».

In pag. 35 relationis affertur ut exemplum regulae progressus textus Pii XII in nuntio radiophonico 24 decembris 1942, ubi Summus Pontifex inter iura personae humanae enumerat « il diritto al culto di Dio privato e pubblico, compresa l'azione caritativa religiosa ».

Quae libenti animo accipimus; sed talia verba quaestionem nostram non tangunt, siquidem ius ad reddendum Deo cultum omnino respondet officio hominis talem cultum reddendi, equidem cultum qui Deum deceat. Sed nihil de conscientia erronea et de tolerantia innuitur.

Nec menti aliorum Romanorum Pontificum contradicit Papa Ioannes XXIII, a relatore adductus ut culmen historicae evolutionis doctrinalis circa libertatem religiosam.

Verba Enc. *Pacem in terris* rem nostram attingentia sic sonant: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut Deum *ad rectam conscientiae suae normam* venerari possit, et religionem privatim publice profiteri » (*A.A.S.,* 55 [1963], pp. 260-261).

Fatendum quidem est formulam « ad rectam conscientiae suae normam » obscuritate non carere; quapropter aliter et aliter interpretata est.

Sunt enim qui teneant Romanum Pontificem, vestigia sequendo Divi Thomae, quem in Encyclica citat in nota 27 (nimirum *Summ. Theol.* 1-2, q. 19, a. 4; cf. etiam a. 9), sub formula « ad rectam normam conscientiae » intelligere dictamen conscientiae *verae.* Angelicus enim Doctor ut synonyma habet conscientiam rectam et conscientiam veram. Neque absonum hoc putandum, quum talis sit quoque loquendi modus S. Alphonsi M. de Ligorio (*Theol. Mor.* lib. I, tract. 1), aliorumque auctorum, et ex ipsa natura rei *rectitudo iudicii* sit *veritas*: conscientia autem est *iudicium* practicum.

Alii e contra pro inconcusso habent Romanum Pontificem loquutum fuisse de conscientia recta, *sive vera sit sive invincibiliter erronea.*

Audere tamen nobis liceat ita rem interpretari: Dato, non concesso, hunc alterum sensum formulae pontificiae convenire, schema ex illis verbis deductiones aequo longiores eruere conatur, cum in pag. 31 relationis asseritur: « In materia libertatis religiosae documentum princeps est Encyclica *Pacem in terris,* in quo Papa Ioannes XXIII praecipue haec duo capita doctrinae evolvit: Primo, iure

naturae persona humana ius habet ad liberum in societate exercitium religionis iuxta dictamina conscientiae rectae, sive *vera* sit conscientia sive *errore* veritatis aut impari rerum sacrarum cognitione capta (cf. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 [1963], pag. 299). Secundo, huic iuri respondet officium, quod et aliis hominibus et potestati publicae incumbit, officium nempe illud ius hoc modo agnoscendi atque colendi ut persona humana in societate servetur immunis ab omni cuiusvis generis coactione » (*ibid.*, pag. 264, et pp. 273-274).

In ipso quoque schemate, nota 1, pag. 8, dicitur: « Collocant enim (Romani Pontifices) inter *iura hominis praecipua* ius ad *liberum exercitium* religionis *in societate,* iuxta dictamina conscientiae *rectae,* sive *vera* sit conscientia sive *errore* veritatis aut impari rerum sacrarum cognitione bona fide capta » (cf. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 [1963], pag. 299).

Si vera esset haec adeo ampla interpretatio verborum Ioannis XXIII, haec sequerentur incommoda:

a) Non apparet ratio adducendi in textu Lactantium et Leonem XIII, qui non de quolibet cultu, sed de *vero* cultu Deo reddendo loquuti sunt, nimirum de illo cuius « libertatem sibi constanter vindicavere apostoli, sanxere scriptis apologetae, martyres ingenti numero sanguine suo consecravere »;

b) Valde mirandum priores Romanos Pontifices ignorasse *ius naturale,* inter *praecipua* numerandum, libere exercendi in societate cultum non solum verum, sed etiam falsum. Nam, omnibus consentientibus, priores Pontifices religioni falsae nullum ius, sed tantum, *in quibusdam circumstantiis,* tolerantiam concesserunt.

c) Ipsis principiis Enc. *Pacem in terris* contradiceret: Ioannes XXIII ad instar axiomatis statuit: « Quodvis praecipuum hominis *ius* vim auctoritatemque suam a *naturali lege* repetit, quae illud tribuit et conveniens iniungit officium » (*ibid.*, pag. 264).

Ecquis auderet talem opinionem Ioanni XXIII tribuere, sc. *a lege naturali oriri ius erroris,* in societate agnoscendum?

Nisi fallimur, fundamentum aequivocitatis stat in munere assignando *personae humanae.* Estne revera persona humana adaequatum fundamentum iurium hominis? Enc. *Pacem in terris* sic loquitur: « Illud principium pro fundamento ponendum est, omnem hominem personae induere proprietatem; hoc est, naturam esse intelligentia et voluntatis libertate praeditam; atque adeo, ipsum per se iura et officia *habere,* a sua ipsius *natura* directo et una simul profluentia ».

Hinc, persona humana est *subiectum* iurium et officiorum; horum vero *fundamentum* est natura rationalis, qua talis, scil. intelligentia et voluntate praedita, *cum inexcusabili exigentia veri et boni* sibi a Deo indita.

De cetero, Ioannes XXIII illam controversam libertatem religiosam conscientiae rectae, etsi erroneae, tantum admitteret, salvo bono communi. « Quocirca commune bonum eiusmodi viis atque rationibus parandum est, quibus non modo *aeternae hominum saluti non officiatur, sed eidem serviatur* » (*A.A.S.*, 55 [1953], pag. 274).

Nemo autem est qui non videat errorem religiosum hominum aeternae saluti plurimum officere; quapropter nemo Leonem XIII arguet de peccato, eo quod asserere non erubuerit: « Peccata licentis ingenii, quae sane in *oppressionem* cadunt *multitudinis imperitae,* rectum est auctoritate legum *non minus* coerceri quam illatas per vim imbecilioribus iniurias » (Enc. *Libertas,* apud Castro, pag. 403).

Liceat ergo concludere schema longius processisse quam Romani Pontifices, immo doctrinam in quibusdam protulisse omni fundamento destitutam.

Extollamus quidem iura personae humanae; libertatem « praestantissimum naturae donum » observemus; prae oculis tamen semper habeamus sapientissima Leonis XIII verba: « Sed confitendum est, si vere iudicari velit, quanto plus in civitate mali tolerari pernecesse sit, tanto magis *distare* id genus civitatis *ab optimo!* (Enc. *Libertas,* apud Castro, pag. 407).

6. *Schema non levi verborum impraecisione laborat.* Duplex tantum afferamus exemplum, de substitutione conscientiae, et de lege continuitatis et progressus.

1. Bis sermo fit *de substitutione conscientiae*: « Ex natura rei in hoc problemate solvendo nec ullus alius homo, nec ulla humana potestas sese ipsi substituere valet ».

« Quae cum ita sint, si, non obstantibus omnibus conatibus ad recte videndum quid Deus in concreto problemate ab ipso petat, persona humana erroneam solutionem admittit, nec ullus homo, nec ulla humana potestas ius habet sese huic conscientiae erranti substituendi a. v. in ipsam coercitionem exercendi » (pag. 5).

Quae verba falso nituntur supposito. Duplex enim excogitari potest sic dicta « substitutio conscientiae ». Alia *proprie dicta,* qua quis intenderet mentem propriam ingerere intra alius mentem. Haec certe substitutio *iniusta* esset; sed a nemine sanae mentis intenderetur, quia impossibilis est et absurda.

Alia est *improprie dicta, metaphorica,* quatenus conscientia bene formata sollicitudinem suam *extrinsecus* « substituit » sollicitudini quam conscientia erronea habere *deberet* et non habet. Si pater educationem filiorum negligit, etsi bona fide, cogi potest ad talem educationem praebendam. Qui filium e manibus patris eriperet filium volentis trucidare, licet bona fide ageret, hoc sensu « substitueret » suam sollicitudinem sollicitudini paternae circa filium. Qui matrem impediret filiam suam prostituere, etiam sollicitudinem impiae matris substitueret. Quis vero tales actiones « substitutivas » improperare auderet?

Si doctrinam catholicam sartam tectam servare volumus, nullatenus admittendum genus aliquod libertatis religiosae independens a normis materialibus obiectivis vel ab influxu auctoritatis legitimae.

Ad auctoritatem quod attinet, equidem auctoritates externae substituere nequeunt dictamen conscientiae. Sed, praecise quia munus conscientiae est dictare verum, non datur obiective libertas conscientiae contra veram auctoritatem. Nam conscientia dictare semper debet oboedientiam, nisi agatur de praecepta re illicita aut excusatio legitima habeatur.

Quum homo certe ius personale habeat ne impediatur ei formatio conscientiae secundum veritatem, *iniustum* esset docere vel propagare errorem, secundum quem alius formabit iudicium conscientiae et consequenter geret vitam suam.

Auctoritatis publicae proinde *certo* est — quin ideo substituat conscientiam — 1. informare errantes per propagationem veritatis; 2. impedire, quantum fieri potest, propagationem erroris; 3. impedire, si necesse sit, nocentes, etiam mediante vi physica (cf. FUCHS, *Theologia moralis generalis,* pp. 190-3).

His prae oculis habitis, clare apparet sophisticus procedendi modus, quum ex imaginaria *substitutione conscientiae* difficultas deducitur adversus confessionalismum Status.

In Allocutione Pii XII *Vous avez voulu,* diei 7 septembris 1955, clare et

distincte dicitur: « L'Eglise ne dissimule pas qu'elle considère en principe cette collaboration comme normale, et qu'elle regarde *comme un idéal l'unité du peuple dans la vraie religion* et l'unanimité d'action entre elle et l'Etat ».

Nunc ergo: In populo tali dono caelesti « unitatis catholicae » praedito Status iure catholicus esse debet, quin ideo iudex conscientiarum vel doctrinae religiosae constituatur.

Ecclesia iudicat de vera religione; Status profitetur religionem quam veram esse ab Ecclesia didicit quamque cives profitentur.

Status ergo *non facit religionem,* sed *exequitur iustitiam.* « Id et civibus debent quibus praesunt », ut ait Leo XIII in Enc. *Immortale Dei* (apud Castro, pag. 309).

Hanc doctrinam, vere catholicam, nuper proclamavit Dux Hispaniae in nuntio radiophonico his verbis: « Es para nosotros una grata satisfacción moral la de reafirmarnos en el carácter católico de nuestro Estado... No significa ello confusión alguna. Somos conscientes de que tanto la Iglesia como el Estado son dos sociedades perfectas, cada una en su orden, con sus propios fines, una en lo espiritual y otra en lo temporal, y, por tanto, independientes y possedoras de sus respectivas soberanías. Pero ambas ejercen su acción sobre un ambiente humano común, y ello implica necesariamente unas relaciones habituales entre ambos poderes »... « Nuestra unidad católica, *la más preciosa joya moral de nuestro pueblo,* es, por tanto, una realidad públicamente proclamada, y así tenía que ser, pues el Estado en un país católico *tiene el deber de mantener y profesar públicamente la religión de sus ciudadanos.* Ello no significa que la Iglesia esté en nada *limitada* en su *sagrada libertad.* Nuestro Estado se comporta como un Estado cristiano y católico en todas las clases de sus actividades y, naturalmente, en la de sus relaciones con la Iglesia, y no solamente la ayuda materialmente a resolver en las materias mixtas, como el matrimonio y la enseñanza, de acuerdo con la doctrina de la Iglesia, sino que además lleva este espíritu a su organización jurídica y política » (die 30 decembris 1963).

2. In evolvenda sic dicta lege *continuitatis et progressus* exc.mus relator, dum ex una parte immunis non remanet a vitio transferendi doctrinam Pontificiam « ab uno in alium sensum » (a *tolerantia* seu permissione erroris in *ius* profitendi errorem), ex alia vero Documenta quaedam Pontificia modo incompleto affert, cum periculo falsae interpretationis eorumdem.

Ut aliquod exemplum efferamus, in relatione, pag. 35, adducitur textus Allocutionis Pii XII *Ci riesce* ut exemplum « summi momenti » quoad limitationem Status « quod spectat ad errores in societate reprimendos ».

Dolendum tamen, quod clarissimus relator praetermittat assertiones vere fundamentales, quasi theticas, eiusdem Allocutionis.

Doctrina huius praeclarae Allocutionis, uti supra vidimus, haec est: *a*) Error nullum ius habet; *b*) nulla auctoritas positivam licentiam concedere potest docendi vel faciendi quod veritati religiosae aut bono morali opponitur; *c*) propter maius bonum *quandoque* haec *tolerari* possunt.

Sed quid novi, quaesumus, haec doctrina addit doctrinae de tolerantia iamdiu a Leone XIII proclamatae, e. g. in Enc. *Libertas,* prout in pag. 7 retulimus?

Circa sic dictam « legem continuitatis et progressus » hoc, ni fallor, sentiendum est:

In re religiosa, de qua est sermo, duo concilianda sunt: *a*) libertas humana; *b*) auctoritas promovens bonum commune.

Quum veritas et bonum partes sint integrantes boni communis, coincidit officium et ius personae et auctoritatis in vero et bono promovendo, sed aliter et aliter.

De facto autem error et malum adsunt in mundo; immo libertas personalis errantis directe opprimi nequit: hinc *quaestiones de tolerantia.*

Romani Pontifices, iuxta temporum exigentias, unum alterumve aspectum doctrinae exponunt *in recto,* alium *in obliquo.* Sic, e. g. Pius IX et Leo XIII officia Status erga religionem in recto considerant, in obliquo autem libertatem personalem. Ioannes Papa XXIII potius, sic postulante necessitate hodierna, in recto considerat libertatem humanam, in obliquo autem officia Status.

Ergo non sunt duae doctrinae, sed *una eademque sub diverso aspectu* considerata.

His omnibus bene perpensis, schema propositum: *de libertate religiosa, non placet.*

Pars positiva. Quum libertas religiosa super labili fundamento subiectivae conscientiae rectae — verae aut falsae — extrui nequeat, alia via procedere conamur. Hanc aliam tutiorem viam sic proponimus:

Praesuppositum doctrinale. Libenter admittimus sapienter dicta a quodam scriptore hispanice: « Mi derecho es, en el fondo, el derecho a cumplir mi deber moral; y, al contrario, es, por eso, mi deber garantizar mi derecho » (RADBRUCH, *Filosofía del Derecho,* « Revista de Derecho Privado », Madrid 1952, pag. 63).

Iamvero 1. Homo gravissimo tenetur officio colendi Deum: « Ex omnibus hominum officiis illud est sine dubitatione maximum ac sanctissimum, quo pie religioseque Deum colere homines iubemur » (Enc. *Libertas,* apud Castro, pag. 402).

2. Hoc officium est inviolabile. Religio, qua interior et exterior cultus Deo debitus praebetur, ad mentem Doctoris Angelici (2-2, q. 80, a. 1), ad iustitiam pertinet, certe uti pars potentialis, quum nunquam ad aequalitatem Deo reddere possimus quod debemus.

3. Hoc officium nostrum erga Deum a ceteris agnosci debet: quod vere creat *nostrum ius* nostramque *libertatem religiosam.*

Libertas conscientiae ergo in eo est, quod « homini *ex conscientia officii,* Dei voluntatem sequi et iussa facere, *nulla re impediente,* in civitate liceat. Haec quidem *vera,* haec *digna* filiis Dei *libertas,* quae *humanae dignitatem personae* honestissime *tuetur, est omni vi iniuriaque maior*; eademque Ecclesiae semper optata ac praecipue cara.

Huius generis libertatem sibi constanter vindicavere apostoli, sanxere scriptis apologetae, martyres ingenti numero sanguine suo consecravere. Et merito quidem; propterea quod maximam iustissimamque Dei in homines potestatem vicissimque hominum adversus Deum princeps maximumque officium libertas haec christiana testatur (Enc. *Libertas,* apud Castro, pag. 406).

4. Hoc officium eique ius religiosum correspondens intelligitur de vera religione: Deus enim ius habet ut colatur modo sibi placito.

Ad rem Leo XIII: « Sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere, officiumque est maximum amplecti et animo et moribus religionem, nec *quam quisque maluerit,* sed *quam Deus iusserit,* quamque certius minimeque dubitandis indiciis unam ex omnibus veram esse constiterit: eodem modo civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abiicere, aut adsciscere de pluribus generibus

indifferenter quod libeat, *omninoque debent eum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle* » (Enc. *Immortale Dei,* apud Castro, pag. 309).

4. Quaerentes autem veram religionem haud pauci — proh dolor! — totam veritatem non attingunt, et ideo firmiter adhaerent religioni falsae, in qua tamen veritas apparens aut veritas authentica sed incompleta invenitur.

Propter suam adhaesionem firmam veritati partiali vel apparenti incapaces evadunt, hic et nunc, intelligendi veritatem plenam non ibi sed alibi inveniri: *casus conscientiae erroneae.*

Homines, sic inculpabiliter errantes, ex una parte nostram aestimationem merentur; obligari nequeunt, donec aliter videant, ad suam religionem derelinquendam; in illa veritate incompleta Deum colunt; illa veritas, quam incomplete possident, natura sua ad plenam veritatem ordinatur. Ex alia vero parte, illa conscientia erronea, quae motivum aliquod potest esse — licet non praecipuum — tolerantiae, verum ius non fundat; ideoque libertas religiosa exinde orta est *precaria, per accidens,* donec illis errantibus plena lux affulgeat.

Uti clare apparet, iuxta S. Thomam (2-2, q. 10, a. 11) fundamentum libertatis non est *conscientia,* sed *veritas,* licet imperfecte possessa; ratio vero tolerantiae nunquam est error, sed bonum, sc. malum aliquod vitandum, pax servanda, et similia.

Haec, quae diximus, omnino conformia sunt menti Pii XII, uti videre est in Allocutione *Vous avez voulu*: « Qu'on n'objecte pas que l'Eglise elle-même méprise les convictions personnelles de ceux qui ne pensent pas comme elle. L'Eglise considérait et considère l'abandon volontaire de la vraie foi comme une faute... Aux non catholiques, l'Eglise applique le principe repris dans le Code de Droit Canonique: " Ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur ", et estime que *leurs convictions* constituent un *motif, mais non toutefois le principal,* de *tolérance.* Nous avons traité déjà ce sujet dans Notre Allocution du 6 décembre 1953 aux Juristes catholiques d'Italie ».

Conclusio. Ex dictis liquet: 1. Fundamentum libertatis religiosae non est persona humana aut conscientia, sed Deus.

2. Ideo sana libertas religiosa, innixa officio reddendi Deo cultum debitum, inviolabilis est.

3. Error circa modum reddendi Deo cultum debitum stare potest cum sincera simul voluntate honorandi Deum. In tali casu persona, sic decepta et tamen recta, non peccat, immo cohonestat actionem et honorat Deum sequendo propriam conscientiam. In externa autem actione Dei iura, iura aliorum et bonum commune perpendenda sunt, ut talis agendi modus tolerari possit necne.

Hoc modo intellecta libertas religiosa omnino cohaeret cum principio Enc. *Pacem in terris*: « Quodvis praecipuum hominis ius vim auctoritatemque suam *a naturali lege repetit,* quae illud tribuit, et conveniens iniungit officium » (*A.A.S.,* pag. 264).

24

Exc.mus P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

De libertate religiosa.

A. *Animadversiones in genere.* 1. Textus, ex stylo et modo loquendi, redactus esse videtur ut inserviat utique oecumenismo, sed satis respicere non videtur ad indolem pastoralem fovendam pro universo populo christiano. Etenim, etsi, ex una parte, multum sollicitum se praebeat in unione probabiliter fovenda cum fratribus separatis, nihil fere attendit ad gravissima fidei et caritatis pericula, certo invehenda, fidelibus catholicis. Unde, etsi ex una tantum parte respondeat spiritui et mentalitati earum regionum quae olim vocabantur « protestantes », attamen omnino oblivioni mandat spiritum et mentalitatem regionum et nationum, quorum longe maior pars est catholica. Quod praesertim valere dicendum est pro regionibus et nationibus Americae Latinae, *in qua ante finem saeculi huius, pars media Ecclesiae catholicae erit.*

2. Textus, rem difficilem aggressus, etsi quoad doctrinam procedat recte, attamen eius modus loquendi pluries est obscurus, ambiguitatibus plenus, ansam facilem praebens multis et gravibus aequivocationibus et sophismis. Quod iam facile est videre in ipsa relatione « galeata » clarissimi relatoris. Non ergo est sufficiens quod clariss. relator loquatur de *intentione* textus; sed omnino requiritur ut textus ipse semetipsum prodat, ut, non tantum recte intelligi possit, sed etiam ut neque modis contortis intelligi possit.

3. Textus etiam, rem volens laudabiliter tradens novis accommodatus temporibus, forse ad elementum « novitatis » potius attendit quam ad elementum traditionis. Unde de facto « aequilibrium » minime servat inter continuitatem et progressum. Itaque fit saltus nimis repentinus ac periculis plenum.

Ex his autem tribus, alia etiam vitia minora procedunt, quorum principaliora sunt:

1. Mentem *de facto* prodere excessive individualisticam, subiectivisticam, liberalem.

2. Haec autem mens « revolutionem », non paulatinam evolutionem in rebus gravissimis foveret in mundo et in Ecclesia.

3. Conceptus libertatis religiosae semper exponitur ut « mera liberatio a coactione externa ». Iam vero, hic conceptus libertatis neque est rectus, neque est germanus catholicus conceptus. Nihil ergo mirum quod clariss. relator instantissime rogaverit ut *intentionem* textus omnes animadverterent; quia si accipiantur verba prout sonant, conceptus libertatis praebent ambiguitatibus obnoxium.

4. Hic insuper conceptus libertatis, satis imperfectus et obscurus, magnis deinde laudibus exornatur, immo solemniter definitum apparet. Liberalismum tot olim vicibus damnatum ab Ecclesia, nunc solemniter approbatum dixeris. Neque haec omnia minime temperantur aliis verbis in quibus libertatis exercitium et excessivae laudes melius intelligi possint. Non ita processit Encyclica *Pacem in terris,* in qua non tantum « *iura* », verum etiam « *officia* » libertatis simul coniunguntur.

5. Ipsa etiam « libertas religiosa » pluries confunditur et aequiparatur cum

« libertate conscientiae », transitum illegitimum faciendo ex ordine interno, individuali et subiectivo, ad ordinem externum, socialem et obiectivum. Et, quod peius est, *ex situatione erronea invincibiliter subiectiva, ad normam vere obiectivam stabiliendam.*

6. Textus praeterea conceptum exponit libertatis qui non respondet verae « Historiae salutis », quam exhibent Paulus et Ioannes: homo enim ad imaginem Dei factus, servus peccati effectus, veram libertatem iam non consequitur nisi « in Christo et per Christum », Ecclesia una catholica mediante. Haec enim omnia textum efficerent vel redderent vere « catholicum », et non tantum pure naturalisticum.

7. Textus Patribus traditus « habet intentionem » consociandi regulam continuitatis cum regula progressus (cf. relationem); haec tamen *de facto* non apparet.

Sunt etiam aliqua principalissima doctrinae capita praetermissa: 1. Causae, quae hominis libertatem, non ex Dei institutione, minuunt, non auferunt.

2. Doctrina catholica de vera et unica libertate in Christo et in Ecclesia.

3. Necessitas educandi libertatem ut rectam sibi efformet conscientiam; deque Ecclesiae catholicae ad hoc sibi commisso officio a Deo.

4. Clara doctrina de *bono communi* intellecta intra verum ordinem rerum obiectivum; non iam in sensu liberalistico, ut « bonum individui ».

Est insuper et praeprimis doctrina « de iure personae errantis », *quae non recte exprimi videtur.* 1. De facto etenim, cum loquitur de libertate « conscientiae », fere numquam fit clara distinctio inter « rectam » et simpliciter « erroneam ». Ita ut in quadam ambiguitate semper versetur, non distinguendo inter « indifferentismum religiosum » et veram libertatem conscientiae rectae.

2. Nihil dicitur de necessaria distinctione, in hac re gravissima, inter catholicos et non catholicos (cf. DENZ. 1793-1794; PIUS XII, *Ecco che già un anno,* 6 oct. 1946: *A.A.S.,* 38 [1946], pp. 391-397).

3. Nihil dicitur de obligatione uniuscuiusque hominis sese formandi conscientiam rectam; neque de iure et officio Ecclesiae catholicae ad conscientias hominum educandas et dirigendas auctoritativa ratione (cf. PIUS XII, *La famiglia,* 23 mart. 1952: *A.A.S.,* 44 [1952], pp. 270-278).

Doctrina catholica autem de hac re, ita se habet: 1. Conscientia, ideo est norma moralitatis in subiecto, quia participatur norma obiectiva et ultima quae est lex Dei aeterna, in corde hominum sculpta, et positivo deinde modo revelata et authentice interpretata in Ecclesia catholica. Haec conscientia recte dicitur « recta », et sola verum habet ius fundatum in ordine iustitiae veri et boni. Sic egregie Leo XIII: « Est enim *ius* facultas moralis, quam, ut diximus saepiusque est dicendum, absurdum est existimare, veritati et mendacio, honestati et turpitudini promiscue et communiter a natura datam » (*Libertas praestantissimum*).

2. Conscientia invincibiliter erronea (de qua sola est quaestio) *ius* habere nequit, quia ordinem obiectivum iustitiae non tenet, etsi hoc fiat inculpabiliter. Unde subiectiva tantum esse potest norma moralis agendi; et hoc « per accidens », ut rectissime loquuntur moralistae catholici; i. e.: usquedum liberetur ab errore.

3. Status tamen illius personae, seu subiecti, qui in errore invincibili versatur, honorem et reverentiam meretur (quod est aliquid omnino distinctum ac *ius* habere ad...). Hoc etenim fundatur in ipsa dignitate personae humanae quatenus est « libera », i. e., « sui compos »; hoc autem iam non pertinet ad personam « ut

errantem », sed ad personam, ut talem. Ideo cum bonum commune salvare debeat hoc semper bonum personae, ideo ratione boni communis, subiecta legis errantia, non tantummodo « tolerantur », verum etiam honore et reverentia affici debent.

Haec est doctrina vere catholica ab omnibus Pontificibus agnita: Leo XIII, Pius X, Pius XII, Ioannes XXIII. Iam vero satis est dolendum quod textus propositus loquatur adeo obscure de hac re gravissima.

B. *Animadversiones in specie. N. B.* Textus habet 11 paginas; praeter introductionem et notas, habet numeros 7; nulla est facta distributio in lineis. Nos citamus paginam et lineas.

De titulo capitis. Titulus (« libertas religiosa ») aptus non videtur, quia: *a*) historiam quaestionis contemplatur in luce doctrinae liberalismi; *b*) quia res satis diversas in unum quasi confunduntur uti sunt: libertas *conscientiae,* libertas *religiosa,* libertas « socialis », relationes inter Ecclesiam et Statum, etc.; *c*) iam ipsa quaestionis positio perperam fit; et sola restat via « negativa », i. e., ea secundum quam, cum agitur de libertate religiosa, tantum agitur de « libertate a coactione externa, praesertim ab auctoritate civili ». De facto, textus propositus, pedissequendo satis serviliter, documenta, sive WCC, sive ONU, non aliam adinvenire potuit viam quam pure negativam, i. e., adhuc « in linea individualistica liberali ». « La difficulté majeure — ait quidam clariss. peritus — que fait ce chapitre vient de ce qu'il porte un titre (on ne voit guère d'ailleurs qu'il puisse en porter un autre) qui dépasse de beaucoup son contenu et ses propos ».

Si autem argumentum tractetur sub titulo positivo: *de iure ad religionem,* et quidem intra caput constitutionis *de Ecclesiae praesentia...* tunc omnes difficultates tituli evanescunt.

Pag. 3, linn. 1-4: exhibent « prologum » in quo momentum et necessitas argumenti. Necessarium etiam esset exponere qua ratione Ecclesia catholica non nova intendat proponere principia, sed tantum noviter accommodata. Hac quippe ratione iam obviam fit obiectioni « opportunismi ».

Pag. 3, linn. 5-17: agitur de quadam paraenetica invitatione, cuius locus aptissimus esset in cap. II « de oecumenismi exercitio ».

Paragraphus autem: « Sed insimul... accedant », mutanda esset ita: « Sed insimul, quod spectat ea in quibus consensus non habetur, simul observare curent Dei ordinem obiectivum et personarum subiectivas dispositiones, quibus caritate, prudentia et suavitate ad verum et bonum libere amplectendum, invitantur ». *Ratio* est, quia in textu proposito adest falsa contrapositio inter iura obiectiva Dei et (supposita) iura hominum. Seu — ut dicit quidam clarissimus peritus — « modifier l'opposition apparente entre droits de Dieu et droits de la personne en affirmant que léser ces derniers, c'est porter atteinte grave aux premiers ». Alius etiam clarissimus peritus ait: « Oppositio inter sacra et absoluta Dei iura et iura personarum non convenit, quia non datur ».

Pag. 3, linn. 17-32: totus hic numerus esset transferendus in cap. II decreti *de oecumenismo.*

Pag. 4, linn. 1-11: Haec paragraphus est repetitio non necessaria eorum quae iam habentur in pag. 3, linn. 6-17. Haec insuper notentur:

a) Explicatio loci *Mt.* 24, 3-15 est valde obscura. Cf. S. THOMAM: *I-II,* 87, 1; *II-II,* 10, 8, ad 1; 3, ad 3; q. 62, 2.

b) In linn. 9-11 iterum habetur falsa contrapositio inter « officia » evan-

gelizandi et *iura* (supposititia) subiectorum quibus evangelizatur. Et — quod peius est — inter « officium evangelizandi » et ipsam gratiam Dei. Haec omnia sunt maxime confusa.

Pag. 4, linn. 12-28: In hac paragrapho quae est complenda cum his quae immediate dicuntur (pag. 4, linn. 29-37) agitur de natura et fundamentis libertatis religiosae, ex quibus tres eruuntur conclusiones: *a*) abstinendum ab omni coactione; *b*) libertas religiosa universaliter proclamanda; *c*) « intolerantia » est damnanda.

Libertas autem religiosa definitur: « immunitas ab externa coactione » (lin. 21). Fundamenta sunt: dignitas hominis, imaginis Dei, et natura actus fidei. Ratio autem universalis proclamationis datur: « homo qui conscientiae suae recte sincere oboedit, ipsi Deo... oboedire intendit ».

Cum haec omnia, vel non recte sint dicta, vel etiam forsitan quaedam falsa contineant in re gravissima, sequentia proponimus:

Pag. 4, linn. 16-17: Duo distincta confunduntur: « *assensus fidei* » et « *annuntiatio fidei* ». Primum enim, cum sit aliquid omnino interius, a sola libera voluntate pendet; ideoque omnis « coactio » est necessario « iniusta ». Alterum autem, cum res sit omnino externa, cumque Ecclesia verum habeat ius et officium evangelizandi, admittit « actionem » possibilem et legitime iustam, etiam externam. Quaestio famosa erat olim apud Iurispublicistas catholicos de hoc iure Ecclesiae. « Hoc dico — ait quidam clarissimus peritus — quia actualiter satis fortis est tendentia accusandi tempora praeterita de culpis quae forsitan in contextu historico non possunt considerari culpae, sed aliquando virtutes ».

Unde vox « *coactio* » est omnino impropria: vel debet excludi, vel debet recte determinari; *aliter multis videre possit omne mandatum, etsi a legitima auctoritate datum, esse coactionem conscientiae* ».

Quod vitium Ecclesiae catholicae multi vertunt.

Praeterea, hac in re, inutile quid minime videretur in memoriam revocare doctrinam catholicam de impari conditione catholicorum et non catholicorum respectu defectionis a fide (DENZ. 1793-3014).

Unde, in textu, adici debet « iniusta » ad verbum « coactionis ». Quod ceteroquin fuit factum in primaeva elaboratione textus. Vel, si mavis, melius adhuc dicatur: « ab omni iniusta actione ».

Pag. 4, linn. 18-20: minus recte dicuntur; quia — ut ex supra dictis patet — id quod ab Ecclesia agnoscitur et vindicatur in persona errante, non est « libertas religiosa », sed « dignitas humana ». Ita iam quidam clarissimus peritus dicit ad rem: « modifier la phrase de telle façon que le sujet du droit soit bien établi et que soit évité le terme " libertas religiosa " appliqué à quelqu'un qui dans sa conscience serait *justement sans religion* ».

Pag. 4, linn. 21-22: definitio libertatis religiosae adhibita est pure negativa, pure iuridica, est summe insufficiens. Ita dicendum est: « Et revera, personae humanae facultas Deum libere colendi, ab ipso actu fidei, non tantum supponitur, verum etiam, adiuvante gratia, excitatur atque fovetur » (ceteris omnibus suppressis).

Pag. 4, linn. 29-30: modus loquendi non consentaneus: nimis violentus (triumphalisticus).

Pag. 4, linn. 31-37: haec sunt iam dicta in n. 2. Repetitio non necessaria.

Pag. 4, linn. 38-39 et pag. 5, linn. 1-19: haec quaedam sunt « theologica »

consideratio ab hoc documento omnino exulans. Ad rem quidam clarissimus peritus: « Analysis actus fidei moralis est insufficiens, scholastica et inutilis ».

Pag. 5, linn. 20-24: modus dicendi nimis violentus. Vox etiam « intolerantia » adhibetur, quae, historia teste, maximis ambiguitatibus laborat. Ita ad rem, quidam clarissimus peritus: « ... la dernière phrase, certainement exacte dans ses termes, pourrait facilement *être étendue par certains* et justifier le refus d'influence ou de moyens de persuasion qui pourraient être légitimement employés ». Praeterea, ut omnis confusio arceatur, ad vocem « conscientiae », sive hic, sive in pag. 4, lin. 35, addatur « rectae ».

Pag. 5, linn. 25-34: Haec paragraphus est optima. Ut autem clarior reddatur, haec animadvertenda putamus: *a*) aliquo modo explicito dicatur: religionem non esse unum inter alios valores personae humanae, sive singularis sive socialis consideratae; sed omnino specificus, omnesque alios transcendens atque ordinans; *b*) vocibus « conscientiae » semper addatur « rectae »; *c*) modus negativus definiendi libertatem religiosam, mutetur in positivum, ita: « 4. Religionis autem expedita facultas, contra quam omnis iniusta actuatio damnatur, ab Ecclesia catholica semper fuit agnita, non ut mera " hominum opinio ", neque ut mera libertas adimplendi ritus religiosos, sed ut vera potestas Deum colendi privatim publice (*Pacem in terris*) ad rectam conscientiae normam, sive personalis singulis, sive consociatis. Religio enim non unus inter alios est valor personae humanae, sed omnino specificus, omnesque alios transcendens atque ordinans, dicente Domino: " quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? " (*Mt.* 16, 26) ».

Pag. 5, linn. 35-39 et pag. 6, linn. 1-9: hae tres paragraphi unum atque idem dicunt. In unum possent reduci, cum mentione speciali boni communis, ita: « Haec religionis expedita facultas, ius primarium personae humanae constituens, non est ita absolutum, ut obtemperare non debeat, sive Legi Dei aeternae, sive etiam aliis iuribus hominum, sive tandem *bono* communi, quod " summam complectitur earum vitae socialis conditionem, quibus homines suam ipsorum perfectionem integralem possint plenius atque expeditius consequi " » (*Mater et Magistra, Pacem in terris*: *A.A.S.*, 53 [1961], pag. 417; *A.A.S.*, 55 [1963], pag. 273).

Pag. 6, linn. 10-14, linn. 15-19, linn. 20-25: hae tres paragraphi « abusus » spectant potestatis civilis in re religiosa. At vehementer timemus ne hic modus dicendi « violentus » (triumphalisticus) adversus potestates civiles « quae a Deo sunt ordinatae », effectus contrarios obtineat. Haec ergo animadvertenda censemus: *a*) doctrina catholica de hac re est ante omnia « positiva », nec anathematibus contrahitur; *b*) unde ipse modus dicendi sit praeprimis etiam positivus. Ita iam: « Ideo, cum haec hominis omnium excellentissima dos boni communis principem partem constituat, Sancta Synodus Vaticana II, potestates civiles, quae a Deo sunt ordinatae (*Rom.* 13, 1) ad commune omnium bonum servandum (Doctrina Magisterii) humanissime exhortatur ut ipsam protegant, custodiant, foveant; nihil umquam prosequendo dignitati personae humanae contrarium ».

Pag. 6, linn. 26-27: haec non pertinent ad argumentum. Excludantur, vel melius transferantur ad suum proprium locum in constitutione « De Ecclesiae praesentia... ».

Pag. 6, linn. 28-30: « Haec quasi solemnis et definitiva definitio " libertatis conscientiae " est summe inconveniens; et certo certius esset perperam interpre-

tanda. Praeterquam quod, in intentione atque scopo huius Concilii, non est talia definire ». *Supprimatur.*

Pag. 6, linn. 31-33: haec paragraphus vagat extra locum; collocanda esset in cap. II de oecumenismi exercitio. *Ab ipsa subcommissione fuit suppressa.*

Pag. 6, linn. 34-39 et pag. 7, linn. 1-2: paragraphus haec minus recte procedit in proponendo motivo unionis. Etenim: *a*) sola ratio negativa (« grassante materialismo ») non sufficit. Homines revera nunquam veram efficiunt unionem in solis negativis rationibus fundatam; tunc etenim unio esset pure « tactica » a qua cordati homines abhorrent; *b*) textus, satis inepte, homines etiam « nullam religionem habentes » invitat ad unionem, quasi fuerit possibile dignitatem personae humanae servare absque religione. Ss. D. N. Paulus VI, haec tantum dixit: « Catholica Ecclesia... oculos suos dirigit et ad alias religiones respicit, quae servant sensum et notionem Dei unius, creatoris, providentis, summi et rerum naturam transcendentis; quae Dei cultum exercent sincerae pietatis actibus... » (Allocutio *Salvete Fratres*). Unde quidam clarissimus peritus aiebat apposite: « le terme " homines bonae voluntatis " devrait *suffire* sans l'incise qui suit. On ne voit guère le Concile établissant un quasi-*status* des " nullam religionem habentes " ».

Pag. 7, linn. 3-11: Haec paragraphus est quaedam quasi animadversio « criteriologica », qua mediante, Ecclesia catholica declarat se habere altiores normas quam pure humanas ad ordinem, vel humanum instaurandum. Haec ergo idea est omnino retinenda. Attamen in conclusione textus desideratur brevis exhortatio in qua: *a*) homines invitentur ad veram libertatem « interiorem », a peccato immunem assequendam, ut etiam veram libertatem exteriorem habeant; *b*) dicatur aperte quod germanae libertatis authenticum exercitium esse positum in caritate et servitio erga alios homines; *c*) haec vera libertas, eiusque rectus usus, haberi non potest nisi Dei adiutorio in Christo et in Ecclesia catholica (cf. infra textum emendatum quem proponimus in hac re).

IX. *Textus emendatus proponitur.* N. B. Textum modo emendatum proponimus, qui, Scriptura, magisterio, stylo et regula servata simul continuitatis et progressus, commendaretur.

De iure personae humanae ad religionem.

(*Introductio*). Libertas praestantissimum donum Dei est,[1] quo homo ad imaginem Creatoris sui factus (*Gen.* 1, 27), potestate expedita ac larga ad legis aeternae normam agendi gaudet, in quo ipso posita est digna homine utilisque civitati libertas.[2]

Verumtamen eiusmodi dignitas plurimum interest qua ratione geratur, quia sicut summa bona, ita et summa mala ex libertatis usu gignuntur.[3]

Quamobrem, Ecclesiae sollicitudo materna, divinoque semper obtemperans mandato (*Mt.* 26, 19-20), cum doctrinam de personae humanae dignitate eiusque iure ad Deum colendum privatim publice,[4] eniti et contendere numquam destiterit; cumque perspectam habeat rationem temporum, neque repudianda aetatis

---

[1] Leo XIII, *Libertas praestantiss.*, 20 iun. 1888: *A.S.S.*, 20 (1887), p. 593.

[2] Leo XIII, *Annum ingressi*, 19 mart. 1902: *A.S.S.*, 34 (1901-2), p. 503.

[3] Leo XIII, *Libertas praestantiss.*, *ibidem.*

[4] Ioannes XXIII, *Pacem in terris*, 11 apr. 1963: *A.A.S.*, 55 (1963), pp. 260-61. Pius XII, Nuntius radiophonicus, 24 dec. 1942: *A.A.S.*, 35 (1943), p. 19.

nostrae honesta atque utilia incrementa putet, sed rerum publicarum tutiora ab offensionibus itinera ac firmiora fundamenta velit idque incolumi populorum germana libertate,[5] nunc, in Concilio Vaticano II congregata, et novis accedentibus temporum necessitatibus, non nova sed noviter,[6] eadem semper immutabilia principia proponenda putavit.[7]

1. (*Natura et fundamenta*). Hoc quippe divino dono, ad verum et bonum a Creatore ei collato,[8] homo male utens, ita factus est servus peccati (*Io.* 8, 34), ut iam quod vult bonum faciat, sed quod non vult malum, hoc agat (*Rom.* 7, 19); et, quamvis liberum hominis arbitrium peccato minime sit extinctum, viribus licet extenuatum,[9] suiipsius tamen perfectam liberationem non obtinet nisi Dei adiuvante gratia per D. N. I. Christum (*Rom.* 7, 25).

Et, revera, personae humanae nobilissima facultas Deum libere colendi, ab ipso fidei actu et supponitur,[10] et gratia ipsa adiuvante, excitatur atque fovetur (*Io.* 6, 44).[11] Ad hanc ergo veram hominis et christiani dignissimam libertatem (*Gal.* 4, 31; *Io.* 8, 36) assequendam, custodiendam et fovendam, Ecclesia a Deo est Mater et Magistra constituta [12] ideo, superne edocta, fidem esse dixit Dei donum quo homo liberam praestat ipsi Deo oboedientiam gratiae eius; [13] hisque de causis praecipit ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur.[14]

2. (*Libertatis internae seu conscientiae, recta exsecutio*). Hominis enim conscientia, ad rectam normam agens,[15] cum Legis aeternae sit participatio,[16] in corde scripta (*Rom.* 2, 15) ab Ecclesia agnoscitur et vindicatur; [17] non ita accipi potest, ut suo cuique arbitratu aeque liceat Deum colere, non colere; sed ut homini ex conscientia officii, Dei voluntatem sequi et iussa facere, nulla re impediente, in civitate liceat. Haec quidem vera, haec digna filiis Dei libertas quae humanam dignitatem honestissime tuetur, est omni vi iniuriaque maior: eademque Ecclesia semper optata ac praecipue cara.[18]

---

[5] LEO XIII, *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.,* 18 (1885), pp. 175-176.

[6] PIUS XII, *Si diligis... pasce,* 31 maii 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 313-317.

[7] In egregiis multis documentis Magisterii Pontificum, a Gregorio XVI ad Ioannem XXIII, de hac re agentibus, sunt multa quae utique sunt interpretanda iuxta temporum circumstantias. Numquam tamen ita ut principia catholica ab eis certe exposita et errores damnati aliter possint esse, vel exposita vel damnati, quam ab ipsis fuerunt exposita et damnata. Unde continuitas in progressu, in hac re non aliter intelligi potest quam in alia quacumque doctrina catholica.

[8] LEO XIII, *Libertas praestantiss.,* 20 iun. 1888: *A.S.S.,* 20 (1887). « Ciò che non risponde alla verità e alla norma morale, non ha oggettivamente alcun diritto né all'esistenza né alla propaganda, né all'azione ». PIUS XII, *Ci riesce,* 6 dec. 1953: *A.A.S.,* 45 (1953), p. 799.

[9] CONCILIUM TRID., *De Iustif.* cap. I: cf. DENZ. 793-815; 776.

[10] CONC. TRID., *ibid.* cap. 4-7: DENZ. 797-800. CONC. VAT. I, cap. 3, *de fide*: DENZ. 1789-1791.

[11] LEO XIII, *Libertas praestantiss., ibid.*

[12] CONC. VAT. I, *de fide,* cap. 3: DENZ. 1791.

[13] PIUS XII, *La famiglia,* 23 mart. 1952: *A.A.S.,* 44 (1952), pp. 270-278. *Soyez les bienvenues,* 18 apr. 1952, pp. 13 ss. Cf. Instructionem Sancti Officii *Contra doctrinam moralem,* 2 febr. 1956: *A.A.S.,* 48 (1956), pp. 144-145.

[14] *C.I.C.,* 1351. PIUS XII ad Tribunal S. Rom. Rotae, 6 oct. 1946: *A.A.S.,* 38 (1946), p. 394. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 243. *Vous avez voulu,* 7 oct. 1955: *A.A.S.,* 47 (1955), p. 679.

[15] IOANNES XXIII, *Pacem in terris, ibid.,* pp. 260-261.

[16] IOANNES XXIII, *ibid.,* p. 258.

[17] PIUS XI, *Mit brennender Sorge,* 14 mart. 1937: *A.A.S.,* 29 (1937), p. 160. LEO XIII, *Libertas praestantiss.,* 20 iun. 1888: *A.S.S.,* 18 (1888), pp. 237-8.

[18] LEO XIII, *Libertas praestantiss., ibid.*

Cum autem persona humana a veritate inculpabiliter declinat, ab Ecclesia catholica non tantum honore et reverentia afficitur,[19] nam omne quod non est ex fide peccatum est (*Rom.* 14, 23) verum etiam caritate, prudentia et suavitate ad verum et bonum libere amplectendum, ipsam invitat.

3. (*Libertatis externae, seu socialis recta exsecutio*). Religionis autem expedita facultas, contra quam omnis iniusta actio damnatur, ab Ecclesia catholica semper fuit agnita, non ut mera hominum opinio, neque ut mera libertas adimplendi religiosos ritus, sed ut vera facultas atque ius Deum colendi ad rectam conscientiae normam,[20] sive personis singulis, sive consociatis. Religio enim non unus inter alios est computandus valor personae humanae, sed omnino specificus, omnesque transcendens atque ordinans, dicente Domino: « quid prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? » (*Mt.* 16, 26).

Haec tamen religionis expedita facultas, ius primarium licet personae humanae constituens, non est ita absoluta, ut obtemperare non debeat, sive Legi Dei aeternae, sive aliis etiam iuribus hominum, sive tandem societatis bono communi: quod summam complectitur earum vitae socialis conditionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem possent plenius atque expeditius consequi.[21]

Sic illa quidlibet sentiendi litterarumque formis quidlibet exprimendi facultas, omni moderatione posthabita, non quoddam sed propria vi sua bonum, quo societas humana iure laetetur: sed multorum malorum fons et origo.[22]

4. (*Potestatis civilis ius et officium*). Qua propter, cum haec omnium excellentissima dignitas, boni communis principem partem constituat,[23] Sancta Synodus Vaticana II, potestates civiles, a Deo constitutas (*Rom.* 13, 1) ad commune bonum servandum,[24] humanissime hortatur ut ipsam custodiant, protegant atque foveant; nihil unquam prosequendo dignitati personae humanae, ab ipso Deo creatae et redemptae, contrarium.[25]

5. (*Exhortatio ad exercitium rectum germanae libertatis*). Ecclesia ergo catholica, omnes et singulos homines, qui a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei sunt vocati (*Rom.* 8, 21), amantissime exhortatur ut, in praesentibus iam culturae humanae incrementis, omni reiecta discordia, eaque etiam quae retro sunt obliviscendo (*Phil.* 3, 13),[26] omnia studia sua convertant ad defendendum Dei honorem et dignitatem personae humanae, ut omnes unanimes uno ore honorificent Deum et Patrem D. N. I. Christi (*Rom.* 15, 6). Ut omnes testimonium perhibeant veritatis (*Io.* 18, 37), in qua una liberi esse possint (*Io.* 8, 32-36); in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis ambulando (*2 Cor.* 6, 6-7) (*Eph.* 4, 15); ita, ut in exercitio huius excellentissimae facultatis, unusquisque fratrum suorum aemulator existat (*1 Cor.* 12, 31). Vos enim, ait Apostolus

---

[19] IOANNES XXIII, *Pacem in terris, ibid.*, pp. 299-300.

[20] IOANNES XXIII, *ibid.*, pp. 260-261. PIUS XII, Nuntius radiophonicus, 24 dec. 1942: *A.A.S.*, 35 (1943), p. 19.

[21] IOANNES XXIII, *Pacem in terris, ibid.*, p. 273, repetens verba « Mater et Magistra ».

[22] LEO XIII, *Immortale Dei*, 1 nov. 1885: *A.S.S.*, 18 (1885), p. 172.

[23] IOANNES XXIII, *Pacem in terris, ibid.*, pp. 272-273.

[24] IOANNES XXIII, *ibid.*, p. 263, cum citatione ex PIO XII.

[25] Ut satis notum est, Pontifices ultimi varia dederunt documenta gravissima contra modernos excessus Status hodierni.

[26] PAULUS VI, *Allocutio ad Observatores*, 17 oct. 1963: *A.A.S.*, 55 (1963), p. 880.

Paulus, in libertatem vocati estis; tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem Spiritus servite invicem (*Gal.* 5, 13).

Ecclesia quippe, dum maxime dolet de hac nostris diebus non semel neglecta dignitate, libentissime agnoscit, laudat, incitat clarissimorum virorum illustria tentamina qui ubique terrarum ac praesertim inefficaci praesentia in Organizationibus Internationalibus, operam navant ut haec hominis dignitas Deum colendi, amandi et serviendi, defendatur, roboretur, foveatur.[27]

Ipsa vero Ecclesia catholica, omnibus humiliter et confidenter se praebet, veluti signum levatum in nationes (*Is.* 11, 12), quod, et ad se invitat qui nondum in ipsa crediderunt, et filios suos certiores faciat firmissima niti fundamento fidem quam profitentur.[28]

Conclusiones generales. Considerando: *a*) gravitatem argumenti, *b*) eius intimam difficultatem ac complexitatem, *c*) eius doctrinae maximum momentum, *d*) postquam crisi accuratissime subiecerimus documentum confectum a Secretariatu pro Unione; *petimus*: 1. ut hoc documentum, iterum et fundamentaliter revisioni mandetur; 2. ut haec revisio fiat in commissione mixta; 3. ut argumentum suum proprium locum habeat in schemate 17 constitutionis *de Ecclesiae praesentia...*; 4. sicut opportunum est necessarium argumentum de libertate religiosa, ita non minus opportunum et necessarium videtur argumentum *de auctoritate et oboedientia in Ecclesia.*

* * *

Adnotationes quaedam ad cap. V, de religiosa libertate. Ad n. 1. Schema, immo ipsa doctrina pontificia, in qua illud fulcitur, irenicum, opportunismo redolens, traditionali magisterio pontificio, praesertim Gregorii XVI et Leonis XIII, contrarium iudicabitur. Et revera praesens fratres aversos alliciendi propositum, necessitas communismo neganti libertatem contradicendi, apparens pontificiae doctrinae liberalismum damnanti oppositio, tali opinioni favere possunt. Quapropter, inter numerum primum et praecedentia opportunum videtur demonstrare, sicut coram Patribus fecit Mons. De Smedt in schematis praesentatione, vel saltem affirmare eamdem esse doctrinam, quae, labente tempore, diversis erroribus vel historicis circumstantiis opponitur et applicatur.

Si autem notae schematis, quae haec omnia demonstrant, in eo includuntur, mea propositio non habet locum.

Praeterea, forse utilis erit revisio Sacrae Scripturae textuum, utrum necne opportune accurateque allati sint, ne mereamur iudicium, nisi fallor, em.mi card. Bea in aula hac de re.

In hoc denique numero affirmatur officium Ecclesiae annunciandi Evangelium omni creaturae. Nonne conveniret affirmare quoque huius in praxi officii limitationem ex principio in numero quinto pro omnibus religionibus statuto?

Ad n. 2. Adnotatio novissima valet, nisi sufficientia iudicentur verba huius numeri « Respiciendum igitur... ».

Principia hic statuta pro fidei defensione ac propagatione maximam transcendentiam habent.

Forse conveniret melior aut latior explicatio horum verborum « Praeterea ab ipsis agnoscendus et admittendus est modus progressivus et humanus quo Deus

---

[27] IOANNES XXIII, *Pacem in terris, ibid.*, pp. 295-296.

[28] CONC. VAT. I, *de fide*, cap. 3: DENZ. 1794.

homines ad suam veritatem et suum amorem allicit ». Item expressionis « mensuram gratiae ».

Loco verborum « Haec est ratio... » paragraphi secundae huius numeri scriberem « Itaque Ecclesia hortatur... », quia vera ratio sequentium, meo iudicio, in ipsa actus fidei natura est posita.

Animadverto quoque hic negativam definitionem religiosae libertatis: immunitas ab externa coactione, dum in numero quarto positiva affertur: ius... Nonne conveniret unam solam adhibere vel unam ex altera derivare?

Idea expressa in paragrapho sic incipienti « Et revera haec libertas... » aliquantulum obscura videtur. Malo explicationem episcopi D. Cantero: « Adhaesio catholicae fidei actus adeo personalis ac intimus est ut quaecumque externa coactio ipsam actus fidei naturam contradicat, qui est rationabile ac liberum intellectus obsequium Deo et divinum donum, cuius receptionem Deus ipse reliquit libero hominis arbitrio, salutis vel damnationis capacis ».

Ad n. 3. Quoad verba seu expressionem, meliorem huius numeri desiderarem praesentationem, in quo ponitur ac probatur thesis unde fluit corollarium ultimis verbis relatum: « Ecclesia catholica intolerantiam... ». Argumentatio, tota quanta, sistitur in humana dignitate, omnem coactionem externam vetanti, cuius immunitas est religiosa libertas, prout in numero praecedenti definitur.

Dignitas humana, de qua loquitur, absque dubio est illa moralis, qua homo, suam conscientiam sequens, et quidem libere ex Dei voluntate, gaudet. Sed facile confundetur cum naturali in ipsa hominis natura, ut imagine Creatoris, innixa. Aliis verbis, numerus ansam dat, meo iudicio, confusioni inter psychologicam et moralem libertatem. Qua de causa verba « Ex natura rei... » impropria mihi videntur, quia ex ipsa actus moralis natura sequitur « nullam humanam potestatem sese ipsi substituere valere », non autem « nullam humanam potestatem ius habere sese huic conscientiae erranti substituendi ». Hoc e contra fluit ex humana dignitate.

Ad n. 4. Hoc et sequens numerum omnium difficillima sunt, praesertim cum de principiis applicandis agatur. Ex individuali ac privato quaestionis respectu ad socialem et publicum transitur. Sermo hic est de iure proclamandi officia sua publica et privata.

Quid sibi vult in textu verbum « proclamare »? Quid implicat ius proclamandi? Meram manifestationem publicam religiosarum opinionum, sentimentorum officiorumque aut insuper ius apostolatus seu quaerendi proselytos omnibus diffusionis mediis? Quinam gaudent tali iure? Omnes homines et coetus sine ulla distinctione?

Ad n. 5. Initio conveniret rationem afferre, qua haec personalis libertas realiter et effective non agnoscatur. Ratio est socialis hominis natura. Itaque paragraphum sic inciperet: « Haec libertas personalis, cum humana persona ex sua natura socialis sit, realiter... ».

In hoc numero principium religiosae libertatis limitativum statuitur: bonum commune. Sed cuiusnam? Ecclesiae, uniuscuiusque Status, internationalis Communitatis, Humanitatis? Materiale, spirituale aut utrumque?

Alia ex parte, cuinam competit ius iudicandi communis boni exigentias hac in re? Supremis ac civilibus magistratibus? In hac hypothesi pericula non pauca pro catholica Ecclesia in multis regionibus. Nonne erit possibilis omnibus magistratibus extendere, etiam acatholicis mutatis mutandis, normam catholicis datam

a Pio XII, quae quoad rem sic sonat: « In religiosis quaestionibus moralibusque, (catholicus magistratus) debet Ecclesiae iudicium petere. In qua, si de rebus vitam internationalem respicientibus agatur, solus est competens qui a Christo officium totam pascendi Ecclesiam accepit, Romanus Pontifex ».

Quoad reliqua nihil notandum.

25

EXC.MUS P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET

Episcopus tit. Doritanus, prael. null. Cluniensis

Ad cap. V: De libertate religiosa. Votum: numerentur in margine lineae totius cap. V, et quidem numeratione propria uniuscuiusque paginae. *Rationes*: *a*) Quia ita factum est in omnibus schematibus conciliaribus; *b*) quia numeratio linearum valde utilis est, experientia teste, ad citationes textus, sive in votis scriptis sive in dissertationibus in aula conciliari.

Ad titulum. Votum: mutetur titulus capitis; et loco « de libertate religiosa » ponatur « *de iure personae humanae ad religionem* ». *Rationes*: *a*) Sic titulus sensum vere positivum haberet, et nullam daret ansam confusioni et minus rectae interpretationi.

E contrario, titulus « de libertate religiosa » sensum habet negativum, improprium documenti conciliaris. De facto, hanc viam negativam sequitur et ipsum caput, cum praesertim respiciat argumentum de *libertate a coactione externa, in primis ab auctoritate civili*; et sic datur expositio dimidiata doctrinae catholicae circa libertatem, et via aperitur deviationibus.

b) Haec est norma quam docet Ioannes XXIII in Encyclica *Pacem in terris*: « In hominis iuribus, ait, hoc quoque numerandum est, ut et Deum ad rectam conscientiae suae normam venerari possit, et religionem privatim publice profiteri » (n. 14).

c) Titulus « de iure personae humanae ad religionem », iam ab initio, omnem sensum politicum, omnem politicam interpretationem vitaret, quas, ex sola enuntiatione tituli, folia periodica ubique terrarum proclamaverunt et huic capiti attribuerunt. Non decet quod Patres conciliares videantur coacti vel allecti hodiernis doctrinis politicis; Concilium, enim, posthabita omni opportunistica accommodatione politica, doctrinam Ecclesiae libere explicare debet.

d) Redactor schematis clare videtur prae oculis habuisse, et nimis ad litteram secutum fuisse documenta a Foederatarum Nationum Coetu (ONU) constituta (Professio Universalis iurium humanorum) atque a Conventione Europaea (Pactum de servandis iuribus humanis et libertatibus fundamentalibus: 4-11-1950). Textus vero schematis videtur potius negativus, in linea individualistica liberali.

e) Quia titulus « de libertate religiosa » iam videtur considerare historiam quaestionis de libertate sub luce doctrinae liberalismi.

f) Quia hoc titulo res omnino diversae in unum quasi confunduntur: scil., libertas conscientiae, libertas religiosa, libertas socialis, habitudo inter Ecclesiam et Statum civilem, etc.

Si argumentum tractaretur sub titulo positivo « de iure personae humanae ad religionem », tunc illae difficultates, quae ex titulo originem ducunt, omnino evanescerent.

Ad prooemium. Votum: Iam ab initio cap. V, in ipso prologo, necessarium est dicere quod Concilium non *nova* intendit proponere principia, sed tantum *noviter* accommodata.

Hanc propono formulam, quasi prooemium seu introductionem cap. V: « Libertas praestantissimum donum Dei est,[1] qua homo, ad imaginem Creatoris sui factus,[2] gaudet potestate expedita ac larga agendi ad legis aeternae normam; in quo posita est digna homini, utilisque civitati libertas.[3]

Verumtamen, plurimum interest qua ratione geratur eiusmodi dignitas, quia sicut summa bona, ita et summa mala ex libertatis usu gignuntur.[4]

Quam ob rem, Ecclesia, sollicitudine materna, divino semper obtemperans mandato,[5] cum doctrinam de personae humanae dignitate eiusque iure ad Deum colendum privatim et publice,[6] tueri et propugnare nunquam destiterit; cumque perspectam habere debeat rationem temporum; nunc, in Concilio Vaticano II congregata, novis accedentibus temporum necessitatibus, non nova sed noviter[7] eadem semper immutabilia principia proponenda putavit, ut germanam tum individuorum tum populorum libertatem tueatur,[8] ut viam demonstret qua homines pacifice convivant, et tandem ut respondeat motioni oecumenicae, quae, veluti potens Spiritus Sancti afflatus, totum fere pervasit orbem ». *Rationes*: a) Concilium ita debet doctrinam proponere, ut nullum det locum confusioni et ambiguitati. Sed haec de facto iam habentur, tum apud ecclesiasticos tum apud laicos. Multi enim opinantur Ecclesiam hodie, in quaestione de libertate religiosa, promptam esse ad novas aggrediendas vias doctrinales: eamque sperant nunc cessuram esse temporibus et indoli democraticae nostrae aetatis, dum respuit illam, quam putant traditionem, mentem rigorismi et intolerantiae. Quae non parvi facienda sunt.

b) Ut aperte constet, ex doctrina conciliari, et non tantum ex verbis relatoris, quod Ecclesia, dum regulam progressus sequitur a regula continuitatis non deflectit, sed fideliter servat doctrinam, mandata et spiritum, quae a Iesu Christo accepit.

c) Ne Ecclesia facile « opportunismi » arguatur.

d) Ut non detur locus, iam ab initio, falsis interpretationibus eorum qui non sunt christiani vel extra Ecclesiam commorantur.

e) Quia sacrorum pastorum vera et fundamentalis obligatio est non praebere scandalum fidelibus, nec eorum conscientiam — licet praeter intentionem — turbare. Cavendum est ne hodie videamur approbare quod Ecclesia olim damnavit et partes favere inimicorum Ecclesiae; perinde ac si Ecclesia fundamenta quaedam doctrinae vel actionis pastoralis innovaret.

Non nova, sed noviter. Ecclesia a traditione non deflectit, sed doctrinam receptam perficit, dum eam adaptat necessitatibus fidelium et cuiuscumque aetatis.

Ad pag. 3, linn. 5-17. *Votum*: Paragraphus prooemii, quae supradictis lineis

---

[1] LEO XIII, Enc. *Libertas praestantiss.*, 20 iun. 1888: *A.S.S.*, 20 (1887), p. 593.
[2] *Gen.* 1, 27.
[3] LEO XIII, *Annum ingressi*, 19 mart. 1902: *A.S.S.*, 34 (1901-2), p. 503.
[4] LEO XIII, *Libertas praestantiss.*, *ibid.*
[5] *Mt.* 28, 19-20.
[6] IOANNES XXIII, Enc. *Pacem in terris*, 11 april. 1963: *A.A.S.*, 55 (1963), pp. 260-1. PIUS XII, Nuntius radiophonicus, 24 dec. 1942: *A.A.S.*, 35 (1943), p. 19.
[7] PIUS XII, *Si diligis... pasce*, 31 maii 1954: *A.A.S.*, 46 (1954), pp. 313-317.
[8] LEO XIII, *Immortale Dei*, 1 nov. 1885: *A.S.S.*, 18 (1885), pp. 175-176.

continetur, auferatur a cap. V « de libertate religiosa », et inseratur cap. II, « de oecumenismi exercitio ».

Verba autem « Sed insimul... libere accedant », ad hanc novam formam redigantur: « Sed insimul, quod spectat ad ea in quibus consensus non habetur, observare curent Dei ordinem obiectivum et personarum subiectivam mentem, quibus omnes caritate, prudentia et suavitate, ad verum et bonum libere amplectendum invitantur ». *Rationes*: *a*) Quia omnia illa verba solummodo exprimunt exhortationem et paraeneticam invitationem, cuius locus aptus invenitur in cap. II « de oecumenismi exercitio ». Locus proprius non est hic.

b) Quia in nova redactione proposita vitatur falsa illa contrapositio inter iura obiectiva Dei et (supposita) iura hominum. Talis enim oppositio inter absoluta Dei iura et iura personarum non datur. Vitentur ergo in textu illa verba quae obscurum quid secum involvunt. Mens Concilii omnino clara appareat, et nullum det locum falsis interpretationibus.

Ad pag. 3, linn. 17-32. *Votum*: Omittatur in cap. V tota par. 1, quae verbis incipit « Ecclesia catholica » et finitur « sanguinis effusionem ». *Rationes*: *a*) Quia paragraphus agit de iure et officio evangelizandi, quod Ecclesiae competit, iuxta Christi mandatum; commendat catholicorum orationem et actionem apostolicam, media scil. naturae et gratiae, quibus Iesus usus est, ut testimonium perhibeamus veritati.

b) Prima pars paragraphi, nempe « Ecclesia catholica... » usque ad « Patrem Domini nostri Iesu Christi » aptiori loco huius capitis inseratur. Altera pars, « Hac de causa... » usque ad « sanguinis effusionem » transferenda est ad cap. II schematis *de Oecumenismo*.

Ad pag. 4, linn. 1-11. *Votum*: De novo redigatur et refundatur haec paragraphus, prae oculis habendo quae sequuntur:

a) Vitetur innecessaria repetitio eorum quae dicta sunt in pag. 3, linn. 6-17.

b) Vitentur vel rectius explicentur: 1. Interpretatio loci *Mt.* 24, 3-15 est valde obscura (cf. S. THOMAM, *I-II,* 87, 1; *II-II,* 10-8, ad 1; 11, 3, ad 3; q. 62, 2). 2. In linn. 9-11 iterum habetur falsa contrapositio inter « officium » evangelizandi et « iura » subiectorum quibus evangelizatur; immo — quod peius est — inter officium evangelizandi et ipsam gratiam Dei.

Ad pag. 4, linn. 12-28. *Votum*: Funditus refundatur paragraphus, ita ut, *a*) mutetur modus seu forma loquendi; *b*) quaedam verba, praesertim « assensus fidei » et « coactio » iuxta proprium et rectum sensum explicanda et usurpanda sunt. Secus, in textu continerentur quaedam obscura, non recte dicta, et forsitan etiam falsa in re gravissima. *Rationes*: *a*) Ex tenore huius paragraphi crederetur Concilium graviter admonere ipsos catholicos, quasi ipsi in Evangelio praedicando et fide catholica propaganda, media coactiva, quae iura personae humanae laederent, olim vel hodie usurparent. At notandum est quod actualiter satis fortis est tendentia accusandi Ecclesiam de culpis praeteritis, quae forsan in contextu historico non possunt considerari culpae, sed aliquando virtutes. Praeterea, facta historica, quibus Ecclesia inculpari solet ab inimicis eius, non nisi errores personales catholicorum sunt, quos reprobabant Romani Pontifices, prout tempora postulabant. Non ergo appareat Ecclesia in Concilio adunata quasi noverca vexans proprios filios; nec iustificet iniustas accusationes hostili animo contra catholicismum evulgatas.

b) In textu clare distinguere oportet inter « assensum fidei » et « annuntiatio fidei » (pag. 4, linn. 16-17).

Assensus fidei, cum sit aliquid omnino interius, a sola libera voluntate pendet et gratia divina, ideoque omnis coactio in assensum est necessario iniusta.

Annuntiatio fidei, cum sit res omnino externa et Ecclesia verum habeat ius et officium evangelizandi, admittit « actionem » possibilem et legitime iustam, etiam externam, quae non est coactio.

Unde « coactio » hic est vox impropria, quae saltem debet recte determinari. Aliter videri posset omne mandatum, etiam legitima auctoritate datum, esse coactionem conscientiae. Quod de facto multi in vitium Ecclesiae catholicae vertunt. Addatur ergo in textu verbum « iniustae » ad verbum « coactionis », sicut fuit in primaeva elaboratione textus; vel melius dicatur: « ab omni iniusta actione abstinendum est ».

Ad pag. 4, linn. 18-20. *Votum*: Textus iterum refundatur, quia, saltem modo quo proponitur, non respondet veritati. *Rationes*: Iuxta textum allatum, « quamdiu in errore invincibili versatur, haec persona humana aestimatione digna est atque eius *libertas religiosa* ab Ecclesia agnoscitur et vindicatur ».

Sed textus aequivocus est et determinatione aliqua indiget ut veritati omnino respondeat.

a) Documentum S. P. Pii XII, quod citatur ad calcem, affirmat, iuxta leges canonicas, quod nemo invitus cogendus est ad amplexandam fidem; et quod « convictiones » religiosae aliorum pro catholicis dignae sunt tolerantiae, i. e., reverentiae et caritatis christianae.

Certe quidem Ecclesia agnovit et vindicavit semper *libertatem conscientiae,* minime vero *libertatem religiosam,* in sensu in quo haec verba usurpari solent ab inimicis Ecclesiae. « Tolerantia » et « libertas religiosa » non idem sonant in usu ecclesiastico.

b) Id quod ab Ecclesia re vera agnoscitur et vindicatur in persona errante non est « libertas religiosa », sed « dignitas humana » errantis; ex qua dignitate oritur ius ad colendum Deum iuxta dictamen conscientiae rectae.

Textus ergo non plane respondet doctrinae allatae Pii XII nec normae agendi quam Ecclesia servat et docet circa libertatem conscientiae acatholicorum.

Ad pag. 4, linn. 21-28. *Votum*: Refundatur textus, ita ut dicat: « Et revera personae humanae facultas Deum libere colendi, ab ipso actu fidei, non tantum supponitur, verum etiam, adiuvante gratia, excitatur atque fovetur ». *Rationes*: *a*) In textu allato libertas religiosa sic definitur: « immunitas ab externa coactione ». Sed haec definitio est pure negativa, iuridica et plane insufficiens. Libertas non est solutio ab omni vinculo extrasubiectivo.

b) Cetera verba, a lin. 22 ad 28, supprimantur cum hanc quaestionem non explicent, immo et nova problemata inducant.

Ad pag. 4, linn. 29-30. *Votum*: Textus his lineis comprehensus non placet, et iterum refundendus est eo sensu, ut aptetur modo loquendi documentorum pontificium, quae citantur ad calcem. *Rationes*: *a*) Textus propositus dicit: « Eadem libertas religiosa, non tantum a christianis, sed ab omnibus et singulis hominibus et a communi hominum conviventia observanda est ».

Sed hic modus loquendi imperativus et violentus, non est consentaneus nec proprius documento conciliari. Eadem dici possent mitiore forma, praesertim cum

Concilium ad non christianos adloquitur. Haec forma absoluta et quasi triumphalistica non placet.

b) Textus propositus ornatur plurimis citationibus Summorum Pontificum, qui rem tractaverunt. Sed Summi Pontifices mitiori ac digniori modo locuti sunt, quem servare oportet.

Ad pag. 4, linn. 31-37. *Votum*: Haec omitti possunt, et non placent. *Rationes*: *a*) Sunt iam dicta in par. 2, et repetitio non est necessaria, nec conveniens brevitati et perspicuitati.

b) Non est proprium documenti conciliaris haec eadem instare et urgere.

c) Quae linn. 35-37 leguntur, non satis clare explicata sunt et in errorem inducere possent.

Ad pag. 4, linn. 38-39; pag. 5, linn. 1-19. *Votum*: Supprimantur omnia haec. *Rationes*: *a*) Quia agitur de consideratione theologica actus moralis relate ad fidem, quae non venit ad rem, nec pertinet ad hoc documentum conciliare.

b) Quia *analysis actus fidei moralis* est insufficiens, nimis scholastica et inutilis.

c) Quae dicuntur de iuribus Dei et de libero arbitrio, alio loco, si placet, dicenda essent.

d) In multis notatur illa vehementia dicendi, quae non est consentanea nec propria documenti conciliaris: v. g. « nec ullus alius homo, nec ulla humana potestas sese ipsi substituere valet » (linn. 13-14); « nec ullus homo, nec ulla humana potestas ius habet sese huic conscientiae erranti substituendi a. v. in ipsam coercitionem exercendi » (linn. 17-19). Ne quid nimis!

Ad pag. 5, linn. 20-24. *Votum*: Non placet textus, quia modus dicendi nimis vehemens est et in confusionem inducere potest. *Rationes*: *a*) Non placet hic modus violentus loquendi. Tamquam exemplar dicendi de his quaestionibus, sumantur verba Ioannis XXIII et Pii XII, quae ad calcem referuntur (nota 6).

b) Verbum « intolerantia », historia teste, maximis ambiguitatibus laborat. Quamvis Ecclesia nullo modo intolerantiam approbat nec approbavit, ea quae hic leguntur ultra proprios terminos a nonnullis protrahi possent, ut omnia persuasionis media impedirent, etiam legitima.

c) Ne inducatur confusio, verbo « conscientiae » verbum « rectae » addatur (lin. 23). Idem in pag. 4, lin. 35.

Ad pag. 5, linn. 25-34. *Votum*: Haec paragraphus est optima, sed aliquo modo complenda et perficienda videtur. *Rationes*: *a*) Ut sensus clarior reddatur, convenit ut aliquo modo explicite dicatur: religionem non esse unum inter alios valores personae humanae, sive singularis sive socialis consideratae; sed valor omnino specificus omnesque « alios transcendens atque ordinans ».

b) Vocibus « conscientiae » semper addatur « rectae ».

c) Modus negativus definiendi libertatem religiosam mutetur in positivum.

Conclusio: Textus ita redigi posset: « 4. Religionis autem expedita facultas, contra quam omnis iniusta actio damnatur, ab Ecclesia catholica semper fuit agnita non ut mera " hominum opinio ", neque ut mera " libertas adimplendi ritus religiosos ", sed ut " vera potestas Deum colendi privatim publice " (*Pacem in terris*) ad rectam conscientiae normam, sive ab hominibus singulis sive consociatis. Religio enim non unus inter alios est valor personae humanae, sed omnino specificus, omnesque alios transcendens atque ordinans, dicente Domino: " Quid

prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? " (*Mt.* 16, 26) ».

Ad pag. 5, linn. 35-39; pag. 6, linn. 1-9. *Votum*: Hae tres paragraphi unum atque idem dicunt. Ideoque in unum reduci possent, addita mentione speciali de bono communi.

Textus ergo sic se haberet: « 5. Haec religionis expedita facultas, ius primarium personae humanae constituens, non est ita absolutum, ut obtemperare non debeat, sive Legi Dei aeternae, sive etiam aliis iuribus hominum, sive tandem bono communi, quod " summam complectitur earum vitae socialis conditionem, quibus homines suam ipsorum perfectionem integralem possint plenius atque expeditius consequi " (*Mater et Magistra, Pacem in terris*: *A.A.S.*, 53 [1961], pag. 417; *A.A.S.*, 55 [1963], pag. 273) ».

Ad pag. 6, linn. 10-25. *Votum*: Tres paragraphi, quae his lineis comprehenduntur, de novo redigantur et refundantur, si placet, sequenti modo: « Ideo, cum haec hominum libertas — omnium excellentissima dos — boni communis principalem partem constituat, haec Sancta Synodus potestates civiles, quae a Deo sunt ordinatae (*Rom.* 13, 1), ad commune omnium bonum servandum humanissime hortatur ut ipsam protegant, custodiant, foveant; nihil unquam prosequendo dignitati personae humanae contrarium ». *Rationes*: *a*) Quia textus propositus in illis tribus paragraphis exhibet modum loquendi violentum et plenum damnationibus. Sed si in aliis schematibus curavimus ut quidquid violentum, negativum et condemnatorium esset, expungeretur, cur hanc faceremus exceptionem?

b) Doctrina catholica de libertate est praesertim positiva, nec anathematibus contrahitur. Oportet ergo ut et modus loquendi sit praeprimis positivus.

c) Cavendum est ne modus loquendi vehemens et triumphalisticus adversus potestates civiles « quae a Deo sunt ordinatae », effectus contrarios obtineret. Quod sedulo vitare debemus.

Ad pag. 6, linn. 28-30. *Votum*: Omittatur solemnis et definitiva formula circa libertatem conscientiae. *Rationes*: *a*) Quia Concilium non intendit talia definire; *b*) quia talis declaratio, solemnis et definitoria (= « semper et ubique ») videtur summe inconveniens; *c*) quia certo certius perperam esset interpretanda.

Ad pag. 6, linn. 31-33. *Votum*: Supprimatur haec paragraphus. *Rationes*: *a*) Quia vagat extra locum; *b*) quia refertur ad cap. II « de Oecumenismi exercitio »; *c*) quia ab ipsa subcommissione fuit suppressa, et non debet iterum introduci, cum non sit consentanea nec huic loco conveniens.

Ad pag. 6, linn. 34-39; pag. 7, linn. 1-2. *Votum*: Placet, cum sequentibus mutationibus: *a*) Proponantur alia motiva unionis, quae non sint mere negativa (« grassante materialismo »). Homines revera nunquam efficiunt stabilem unionem solis negativis causis fundatam; talis enim unio esset pure « tactica », a qua cordati homines abhorrent.

b) Supprimantur verba « sive credentes sive nullam religionem profitentes », quia 1. sufficit ut dicatur « homines bonae voluntatis »; 2. Concilium non debet agnoscere quasi statum « nullam religionem profitentium »; 3. quia homines nullam religionem profitentes satis inepte invitantur ad unionem, tamquam si possibile esset servare dignitatem personae humanae absque religione; 4. longe aliter Paulus VI adloquitur: « Catholica Ecclesia, ait, ... oculos suos dirigit et ad alias religiones respicit, quae servant sensum et notionem Dei unius, creatoris, providentis, summi, et rerum naturam transcendentis; quae Dei cultum exercent sin-

cerae pietatis actibus... » (Allocutio *Salvete Fratres* ad Concilium Vaticanum II, 29-9-64).

Ad pag. 7, linn. 3-11. *Votum*: Placet textus, sed in conclusione desideratur brevis exhortatio, qua *a*) homines invitentur ad veram libertatem « interiorem », a peccato immunem, assequendam, ut etiam veram libertatem exteriorem habeant; *b*) dicatur aperte quod authenticum exercitium verae libertatis positum est in caritate et servitio erga alios homines; *c*) haec vera libertas, eiusque rectus usus, haberi non potest nisi Dei adiutorio in Christo et in Ecclesia catholica.

Ad cap. V. Votum: Proponitur novus ordo et nova redactio.

Praeambulum. Lineamenta fundamentalia, quibus determinatur argumentum Decreti conciliaris de libertate religiosa, ad haec tria reduci possunt; eius entitas, quantitas et qualitas.

Entitas, i. e., quod Ecclesia *dicat ea quae dicere debet* in his temporibus, ut suum munus adimpleat divinum et historicum tamquam magistra et interpres iuris naturalis et divini.

Quantitas, i. e., ut Ecclesia *dicat ea tantum quae dicere debet,* nec plus nec minus, ita ut documentum sit breve, exactum et clarum. Ne quid nimis!

Qualitas, i. e., ut Ecclesia ea omnia *dicat modo apto et opportuno quo dici debent*. Etiam modus dicendi magni faciendus est. Oportet enim *adaptari* temporibus, non vero *trahi* hodierno sermone philosophico non christiano neque factionibus politicis hodie vigentibus.

Haec prae oculis habens, novum ordinem novamque formam textus pro cap. V proponere audeo, si quae utilitatis sit. Singulas paragraphos explicatio aliqua praecedit.

1. *Titulus* debet ea continere et exprimere quae dicere volumus, quin detur locus falsis interpretationibus, dubiis et ambiguitatibus. Quam ob causam, sic immutandum puto; *de iure personae humanae ad religionem.*

2. Ab initio agnoscere oportet libertatem esse praestantissimum Dei munus: a Deo Creatore hominis venit, et essentialiter refertur ad Legem aeternam. Sic stabilitur fundamentum unicum verae libertatis moralis, quae sola digna est personae humanae et conveniens societati recte ordinatae.

Introductio ergo sic se habet: « Libertas praestantissimum donum Dei est,[1] quo homo, ad imaginem Creatoris sui factus (*Gen.* 1, 27), potestate expedita ac larga agendi gaudet ad normam Legis aeternae. In hac potestate posita est digna libertas pro homine, et utilis et benefica pro civitate ».[2]

3. Non omittendum est quod libertate recte vel male uti possumus, quamvis illa ex se dignitatem humanam amplificet. Unde: « Plurimum vero interest qua ratione talis dignitas exerceatur, quia sicut summa bona, ita et summa mala ex libertatis usu gignuntur ».[3]

4. Hac de causa Ecclesia, quae a Domino facta est Mater et Magistra hominum, sicut fecit praeteritis saeculis, sic hodie pro munere tenetur vindicare et confirmare doctrinam de dignitate personae humanae et de iure hominis ad Deum colendum sive publice sive privatim, prout postulant temporis adiuncta, hodier-

---

[1] Leo XIII, *Libertas praest.,* 20 iun. 1888: *A.S.S.,* 20 (1887), p. 593.
[2] Leo XIII, *Annum ingressi,* 19 mart. 1902: *A.S.S.*, 34 (1901-2), p. 503.
[3] Leo XIII, *Libertas praest., ibid.*

nus progressus, atque iniuriae seu coactionis periculum. Sic ergo textum: « Quamobrem, Ecclesia, in hac Synodo congregata, obtemperans divino mandato (*Mt.* 18, 19-20) et materna sollicitudine compulsa, principia immutabilia de dignitate personae humanae et de iure hominis ad Deum colendum privatim publiceque,[4] non nova sed noviter docens,[5] prout tempora postulant, iterum proponenda putavit ».[6]

5. Ad rectum usum libertatis, homo, tali dono divino praeditus, sed vulneratus peccato originali, divinae gratiae auxilio indiget: « Libertatis quippe divino dono — a Creatore collato ad verum et bonum [7] — male utens, homo, ita factus est servus peccati (*Io.* 8, 34), ut iam non quod vult bonum faciat, sed quod non vult malum, hoc agat (*Rom.* 7, 19); et quamvis liberum hominis arbitrium peccato minime sit extinctum, sed viribus tantum attenuatum,[8] homo tamen sui ipsius perfectam liberationem non obtinet, nisi adiuvante gratia per Dominum Nostrum Iesum Christum (*Rom.* 7, 25) ».

6. Ordo logicus expostulat ut nunc exponatur quaenam pars Dei quaenam hominis in actu fidei concurrit, vera nempe libertas et gratia divina: « Nobilissima personae humanae facultas Deum libere colendi, ab ipso actu fidei requiritur et supponitur,[9] et gratia divina excitatur atque fovetur (*Io.* 6, 44) ».[10]

7. Quae quidem opportune complenda sunt, asserendo, prout Ecclesia semper docuit, fidem esse donum divinum, cui homo libere submittitur; unde Ecclesia lege sancivit quod « ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur ». Textus ergo erit: « Ad hanc ergo veram et dignissimam libertatem (*Gal.* 4, 31; *Io.* 8, 36) assequendam, custodiendam et fovendam, Ecclesia, superne edocta, fidem esse dicit Dei donum, cui homo liberam debet praestare oboedientiam, gratia divina adiuvante;[11] quapropter sapientissime praescriptum est: " ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur " ».[12]

8. Logice nunc Ecclesia vindicabit libertatem conscientiae, huius libertatis rectum sensum explanabit, et omnem coactionem physicam vel moralem, quae libertati obsistat, aperte damnabit: « Hominis enim conscientia, ad rectam normam

---

[4] IOANNES XXIII, *Pacem in terris,* 11 april. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 260. PIUS XII, Nuntius radioph., 24 dec. 1942: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 19.

[5] PIUS XII, *Si diligis... pasce,* 31 maii 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 313-317.

[6] In multis documentis Magisterii Pontificii, a Gregorio XVI ad Ioannem XXIII, de hac re agentibus, multa sunt utique interpretanda iuxta temporum circumstantias. Numquam tamen ita ut principia catholica ab eis certo exposita et errores damnati aliter possint esse exposita vel damnata. Unde continuitas in progressu hac in re habetur qualis in alia quacumque doctrina catholica.

[7] LEO XIII, *Libertas praest., ibid.*; « Ciò che non risponde alla verità e alla norma morale, non ha oggettivamente alcun diritto né all'esistenza né alla propaganda né all'azione »: PIUS XII, *Ci riesce,* 6 dec. 1953: *A.A.S.,* 45 (1953), p. 799.

[8] CONCILIUM TRIDENTINUM: *de iustificatione,* cap. I: DENZ. 793-815; 776.

[9] CONCILIUM TRIDENTINUM, *ibid.,* cap. 7-7: DENZ. 797-800. CONCILIUM VATICANUM I, cap. 3, *de fide*: DENZ. 1789-1791.

[10] LEO XIII, *Libertas praest., ibid.*

[11] PIUS XII, *La famiglia,* 23 mart. 1952: *A.A.S.,* 44 (1952), pp. 270-278. *Soyez les bienvenues,* 18 apr. 1952: *A.A.S.,* 44 (1952), pp. 13 ss. Cf. Instructionem Sancti Officii *Contra doctrinam moralem,* 2 febr. 1956: *A.A.S.,* 48 (1956), pp. 144-145.

[12] *C.I.C.,* 1351. PIUS XII, *Ad Tribunal S. Rom. Rotae,* 6 oct. 1946: *A.A.S.,* 38 (1946), p. 394. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 243. *Vous avez voulu,* 7 oct. 1955: *A.A.S.,* 47 (1955), p. 679.

agens,[13] cum sit Legis aeternae participatio [14] in corde scripta (*Rom.* 2, 15), ab Ecclesia agnoscitur et vindicatur.[15] Haec est enim libertas quam " sibi constanter vindicavere apostoli, sanxere scriptis apologetae, et martyres ingenti numero sanguine suo consecravere ".[16]

Non tamen libertas eo sensu accipi debet, ut suo cuique arbitrio aeque liceat Deum colere vel non colere, sed ita ut homini ex conscientia agente, Dei voluntatem sequi et iussa facere etiam in civitate ius sit. Haec vera et digna filiis Dei libertas — quae humanae personae dignitatem honestissime tuetur — est omni vi iniuriaque maior eademque Ecclesiae semper optata ac praecipue cara ».[17]

9. Postquam libertatis moralis notio et iura, et quaenam sit Ecclesiae mens erga eam dixerimus, oportet sensum et iura huius libertatis determinare erga ceteros homines et erga societatem, ita ut in honore ponatur eius specifica dignitas transcendens et ordinans vitam humanam. Sic textus propositus: « Religionis autem expedita facultas — contra quam omnis iniusta actio damnatur — ab Ecclesia catholica semper fuit agnita non ut mera opinio, neque ut mera libertas adimplendi religiosos ritus, sed ut vera facultas atque ius Deum colendi ad rectam conscientiae normam,[18] sive personis singulis sive consociatis. Religio enim non unus inter alios computandus est valor personae humanae, sed omnino specificus omnesque transcendens atque ordinans, dicente Domino: Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? (*Mt.* 16, 26) ».

10. Iam vero declarari oportet libertatem, qua homo a Deo insignitus est, nullo modo esse ius absolutum, absque termino seu limitatione. Hac de re luculenter scripsit Ioannes XXIII, et eius doctrina prae oculis habenda est. Quinam ergo limites libertatis? Sic respondendum putamus, iuxta mentem et verba ipsa praefati Pontificis: « Haec tamen religionis expedita facultas, licet sit ius primarium personae humanae, non est ita absoluta ut obtemperare non debeat Legi Dei aeternae et aliis iuribus hominum vel etiam societatis bono communi, quod " summam complectitur earum vitae socialis conditionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem possent plenius atque expeditius consequi " ».[19]

11. Nec tacendum est falsam saepe propugnari libertatem socialem, quae nulla unquam bona, sed multa quidem mala secum affert. De his luculenter tractavit pluries magisterium Pontificium, quod silentio praetermitti non licet. Textus: « Sic illa facultas quidlibet sentiendi litterarumque formis quidlibet exprimendi, omni moderatione posthabita, non est bonum quoddam, ex propria sua vi, de quo societas humana laetari possit, sed multorum malorum origo et fons ».[20]

12. Dicendum hic tandem erit quaenam sit missio potestatis civilis, quaenam iura et officia relate ad libertatem in omni societate recte constituta: « Quapropter, cum haec omnium excellentissima dignitas personae humanae, quae in libertate

---

[13] IOANNES XXIII, *Pacem in terris, ibid.,* pp. 260-261.

[14] IOANNES XIII, *ibid.,* p. 258.

[15] PIUS XI, *Mit brennender sorge,* 14 mart. 1937: *A.A.S.,* 29 (1937), p. 160. LEO XIII, *Libertas praest., ibid.,* pp. 377-8.

[16] LEO XIII, *Libertas praest., ibid.*

[17] LEO XIII, *Libertas praest., ibid.*

[18] IOANNES XXIII, *Pacem in terris, ibid.,* pp. 260-261. PIUS XII, Nuntius radioph., 24 dec. 1942: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 19.

[19] IOANNES XXIII, *Pacem in terris, ibid.,* p. 273, repetens verba « Mater et Magistra ».

[20] LEO XIII, *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.,* 18 (1885), p. 172.

reponitur, boni communis principem partem constituat,[21] haec Sancta Synodus Vaticana II potestates civiles, a Deo constitutas (*Rom.* 13, 1) ad commune bonum servandum,[22] humanissime hortatur ut illam custodiant, foveant atque protegant, nihil unquam prosequendo, quod dignitati personae humanae, ab ipso Deo creatae et redemptae, sit contrarium ».[23]

13. Exhortationes et monita circa rectum usum libertatis finem documento imponere consentaneum esset. En textus: « Ecclesia ergo catholica omnes et singulos homines, qui a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei sunt vocati (*Rom.* 8, 21), amantissime hortatur ut, in praesentibus culturae humanae incrementis, omni reiecta discordia et etiam quae retro sunt obliviscendo (*Phil.* 3, 13),[24] omnia studia convertant ad defendendum Dei honorem et humanae personae dignitatem;

Ut unanimes, uno ore, honorificent Deum et Patrem Domini Nostri Iesu Christi (*Rom.* 15, 6);

Ut testimonium perhibeant veritatis (*Io.* 18, 37), in qua una liberi esse possunt (*Io.* 8, 32-36), in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis ambulantes (*2 Cor.* 6, 6-7; *Eph.* 4, 15);

Ut in exercitio huius excellentissimae facultatis, unusquisque fratrum suorum aemulator existat (*1 Cor.* 12, 31), apostolo Paulo docente: " Vos enim in libertate vocati estis, fratres: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem Spiritus servite invicem " (*Gal.* 5, 13) ».

14. Ecclesia dolet de libertate non semel oppressa, et honore prosequitur et laudat omnes homines bonae voluntatis qui pro dignitate humana et vera libertate adlaborant sive singulatim sive consociatis viribus. Unde sic textus: « Ecclesia enim, dum maxime dolet de hac dignitate nostris diebus non semel neglecta, libentissime agnoscit, laudat et incitat clarissimorum virorum illustria tentamina, qui ubique terrarum, praesertim efficaciter laborantes in organizationibus internationalibus, operam navant ut haec hominis dignitas et facultas Deum colendi, amandi et serviendi, defendatur, roboretur, foveatur ».[25]

15. Ecclesia tandem, divinae missionis propriae conscia, omnibus humiliter exhibetur tamquam signum levatum in nationes (*Is.* 11, 12), a Deo positum, ut viam libertatis et salutis mundo demonstret. En textus: « Ecclesia catholica, divino mandato edocta et prae oculis habens omnium hominum angustias, humiliter et confidenter omnibus se praebet veluti signum levatum in nationes (*Is.* 11, 12), invitans ad se eos qui nondum in ipsam crediderunt, et filios proprios certiores faciens de firmissimo fundamento in quo fides catholica nititur et roboratur ».[26]

Conclusio voti. His igitur verbis, ut mihi videtur, Ecclesia in hodiernis historicis adiunctis, missionem suam luculenter adimpleret, dicens: quidquid ab ipsa dicendum est; id solum quod dicendum est; eo modo quo dicendum est.

Si quid aliud insuper de hac quaestione dici oporteret, ratione temporum vel locorum, id Summo Pontifici vel locorum episcopis relinquendum esset.

---

[21] IOANNES XXIII, *Pacem in terris, ibid.*, pp. 272-3.

[22] IOANNES XXIII, *ibid.*, p. 263, cum citatione e Pio XII

[23] Ut satis notum est, Pontifices ultimi varia dederunt documenta gravissima contra modernos excessus Status hodierni.

[24] PAULUS VI, *Allocutio ad Observatores*, 17 oct. 1963: *A.A.S.*, 55 (1963), p. 88.

[25] IOANNES XXIII, *Pacem in terris, ibid.*, pp. 295-6.

[26] CONCILIUM VATICANUM I, *de fide*, cap. 3: DENZ. 1794.

Quae omnia pro conscientia scripsi et Commissionis Conciliaris iudicio humiliter trado.

* * *

Ad totum caput V. Votum: *a*) Hoc documentum iterum et fundamentaliter revisioni mandetur; *b*) revisio fiat a commissione mixta; *c*) hoc argumentum proprium locum habeat, non hic, sed in schemate constitutionis *de Ecclesiae praesentia...*; *d*) eodem modo quo opportunum et necessarium est agere de libertate religiosa, ita non minus necessarium est et opportunum tractare de auctoritate et oboedientia in Ecclesia. *Rationes*:

1. Textus cap. V « de libertate religiosa », Patribus conciliaribus traditus, vitium seu defectum originis habet: ex eo quod praeparatus et exaratus fuit tantummodo a Secretariatu pro Unione.

Hac de causa textus respicit quaestionem de libertate sub uno adspectu, scil., prae oculis habendo quae ad christianos separatos spectant. Sic etiam fit ut documentum non parum discedat a mente, dicendi forma et modo agendi traditionali in Ecclesia.

Regula progressus extollitur, sed regula continuitatis vix apparet. Unde documentum de libertate religiosa videtur insolita novitas, consuetudinis eversio, non vero veritatis receptae incrementum et evolutio vitalis, de qua egregie scripsit S. Vincentius Lerinensis.

2. Magisterium et traditio ecclesiastica sensum proprium determinarunt verborum, « libertatis religiosae »; iuxta quem sensum fideles catholici mentem et criteria practica informaverunt. Sed in textu proposito multa leguntur quae mentem et conscientiam christifidelium vulnerant vel turbant.

3. Documentum secum fert aliquid hostilitatis et reprehensionis erga ipsos catholicos, dum mulcere videtur acatholicos et ipsos non credentes. Ex hac doctrina optimum argumentum desumi posset ad vituperandos eos omnes qui hucusque Magisterio ecclesiastico oboedierunt.

4. Contentiones, bella et mala omnia, quae temporibus praeteritis exortae sunt ob intolerantiae religiosae causam, nequaquam Ecclesiae acatholicae adscribi possunt, sicut videtur facere textus schematis.

Historia luculenter testatur coactiones et abusus, religionis causa patratos, generatim ortos esse ex intolerantia acatholicorum; et si quando apud catholicos abusus contra libertatem irrepserunt, ab ipsa hierarchia catholica moderati vel reprobati sunt, prout in illis temporis adiunctis fieri poterat. Leges « catholicae » quorundam Regum, quae nunc iure vituperandae censentur, reapse leges « politicae » erant, quae si aliquando a Romanis Pontificibus et Magisterio ecclesiastico tolerari visa sunt, nunquam tamen fuerunt leges ecclesiasticae.

Optima quidem est humilitas et laudanda propriarum culparum confessio, iuxta evangelicam doctrinam; sed non ultra modum, sub specie oecumenismi, procedendum est, praesertim si ex nostra agendi ratione populus in suspicionem inducatur quod dissidentium a fide catholica facta vel dicta nunc tandem ab Ecclesia quasi approbanda sunt.

Certo certius oportet nos a fratribus separatis indulgentiam implorare; vere ad eos non nisi humiliter accedere debemus; nec dubium est quod imprimis quaerenda sunt quae nos cum illis coniungunt, et quod vitanda erunt quae separant; verbis caritate et humanitate plenis ad eos alloqui opus est; errores

catholicorum, quibus auspicatissima unionis via impediri vel retardari posset, agnoscere consentaneum, immo necessarium est.

Attamen unio efficienda est vera et non falsa quadam caritate, quae domesticos gravet culpis non admissis. Ad unionem eamus per viam caritatis, sed unionem struamus super fundamentum veritatis.

5. Historia item testatur opiniones et adiuncta omnia uniuscuiusque aetatis magnopere influxisse vel influere tentasse in ipsa Concilia. Memoria revocanda sunt actiones Imperatorum Romanorum, dum in Conciliis priorum saeculorum agitabantur quaestiones theologicae; postea, Medio Aevo, orta est illa gravissima quaestio de « investitionibus » contra civiles potestates; non alio modo despotismus illustratus, quem vocabant, rationalismus et laicismus olim, et nostris diebus totalitarismus rebus religiosis intervenire enixe conati sunt.

Nunc periculum adest ne hodiernus democratismus, plus minusve recte ordinatus, ita nostris consiliis interveniat, ut Concilium inclinet in determinatam viam; et hodiernarum opinionum clamore, aequam, serenam et saeculari sapientia plenam Ecclesiae vocem turbent.

6. Textus propositus de libertate religiosa nimis vehemens est, nimia videtur exaratus necessitudine cum doctrinis politicis quae in mundo hodierno fervent. Sed documentum quo Concilium iura hominum proclamet ad Deum colendum iuxta testimonium conscientiae, signaculo muniri debet perennis Ecclesiae Christi, quae in hac aetate vivens, transcendit tempora omnia.

7. Praeterea, locus proprius huius quaestionis de libertate religiosa, ille est in quo tractentur iura fundamentalia hominis. Sed haec tractatio est pars schematis « de Ecclesiae praesentia in mundo hodierno ».

Sic in Encyclica *Pacem in terris* libertas conscientiae inter iura personae humanae recensetur; sic etiam in omnibus professionibus et declarationibus de iuribus hominum, quae facta sunt a nationibus singulis et a consociationibus internationalibus.

Ad quid haec nostra festinatio? Cur extra locum quaestionem anticipare debemus?

Redactores et propugnatores textus propositi, mea humillima opinione, forsan inscii, studio et influxu rerum politicarum moventur. Absit tamen ut documentum conciliare potius mundo videatur apologia politica.

8. In hoc cap. V aliquid invenio notatu dignum: contemptum et diffidentiam erga auctoritatem et potestatem publicam in genere, dum e contra de limitationibus humanorum iurium coram Deo, Ecclesia et societate vix sermo habetur. Itemque de oboedientia, quae in doctrina Ecclesiae principem locum semper habuit, altum silentium servatur.

Forsitan responderi posset haec argumenta in aliis locis tractari, et in hoc capite opportune omitti posse. Ego vero necessarium censeo iura humana insimul cum eorum limitationibus tractari, et nequaquam oportere ut iura hominis extollantur, officia autem correlativa silentio premantur.

Ita factum est in Declaratione Revolutionis Gallicae de Humanis Iuribus. Initio quidem haec iura fere absolute proclamata sunt; decursu vero temporis, limitationes apponendas esse necessarium apparuit.

Sedulo examinetur art. 29 « Professionis Universalis Iurium Humanorum a Foederatarum Nationum Coetu adoptatae » (die 10 dec. 1948), ubi plures limitationes determinantur humanis iuribus imponendae: officia, v. g., personae hu-

manae erga societatem, observantia legum, reverentia erga libertatem et iura aliena; limitationes ex ethica, ordine publico et bono communi... (cf. art. 29, 1 et 2; art. 30).

9. Eodem modo iura et libertas individui limitationibus temperantur in « Conventione de Humanis Iuribus et Fundamentalibus Libertatibus tuendis » a Consilio Europaeo exarata die 4 nov. 1950. En eius verba: « Harum libertatum exercitium, cum officia et responsabilitatem secum ferat, determinatis formalitatibus, condicionibus, restrictionibus aut sanctionibus subiacere potest a lege statutis, quarum auxilio in societate democratica nationalis securitas, territorialis integritas, tranquillitas et ordo civicus incolumes serventur, crimina praecaveantur; salus civium et boni mores, aliorum iura et fama protegantur, confidentialium informationum divulgatio impediatur, potestatis iudicialis auctoritas et iusta immunitas salva conservetur » (art. X, 2).

10. Cur in cap. V de libertate religiosa animus apparet diffidentiae plenus erga auctoritatem, statum, administrationem in genere?

Cur in diversis locis lex aeterna et ordo moralis obiectivus quasi data opera silentio praetereuntur? Itemque omittuntur aliorum iura et boni communis privilegia; dum e contra iura individui modo, ut ita dicam, violento extolluntur.

Nonne in nostro cap. V forsitan roussonianus influxus aut quaedam liberi examinis luterani species inconscie latere potest?

11. His de causis necessarium et opportunum existimo non solum de libertate religiosa, verum etiam de auctoritate et oboedientia in Ecclesia agere; nam si hominis iura ab abusibus et criminibus moderni totalitarismi civilis defendenda sunt, tamen pari ratione cetera quae rectus ordo civicus postulat, defendere oportet: potestatis abusus et auctoritatis defectus libertati et bono communi pariter nocent.

Conclusio. Moderatio, temperatus animus et iustum medium in capite de libertate religiosa desiderantur.

Funditus igitur et ex integro textus revisioni mandetur; et haec revisio fiat a Commissione mixta.

Addatur argumentum de auctoritate et oboedientia in Ecclesia.

26

EXC.MUS P. D. IOSEPH HOWARD HODGES

Episcopus Vhelingensis

Secretariatum ad unionem christianorum promovendam pro documento tam clare et univoce libertatem religiosam considerando sincere gratulo. Quamvis, uti omnia documenta originalia, perfectibile est, illud ut basim discussionis in proxima Concilii sessione certo approbo.

Veritas evidens et fundamentale est Deum hominem fecisse liberum. Ipsa dignitas personae humanae maxima in parte ab hac libertate pendet. Nisi haec libertas contra iura aliorum vel bonum commune exerceatur, nulla exstat auctoritas quae sine iniuria contra ipsam personam humanam illam restringere potest. Haec libertas ergo negari nequit in re religiosa, tanti momenti in vita hominis.

Multae rationes urgenter suadent ut Concilium clare cumque auctoritate de libertate religiosa proclamet:

Primo, simpliciter quia verum est hominem esse liberum in re religiosa, et veritati inserviendum est. Speciatim talis veritas, magni momenti pro hodierno mundo, exprimi debet. Homo revera liber est et nos id dicere debemus.

Secundo quia temporibus praeteritis ecclesia errores impugnans hanc libertatem religiosam negare videbatur. Item, e. g., ecclesia frequenter accusata est utendi etiam potestatibus civilibus ad compellendam acceptationem fidei rectae et impediendum exercitium libertatis religiosae. Haec et similia in quasi omnibus acatholicis et in aliquibus catholicis falsas notiones de vera doctrina hac in re genuerunt. Multum urget has notiones corrigere ut ecclesia et doctrina Christi coram mundo clare eluceant. Clara expressio de libertate religiosa a Concilio tales notiones evertere potest. Ne dicam quidem quomodo causae oecumenismi tam feliciter iam inceptae inserviret.

Tertio totus mundus actiones et verba Concilii avide expectat. Libertas — humana et religiosa — pro nostro mundo maxime importat, uti evidens est ab interesse omnium in praesentatione praeliminaria huius documenti de libertate religiosa. Nunc si nihil de hac re a Concilio dicatur, periculum est omnia alia Concilii facta in oculis mundi pro nihilo haberi fore.

Homo revera de Dei dispositione libertate religiosa gaudet. Multum habemus beneficiendum, nihil timendum, ab unambigua proclamatione huius veritatis. Obligatio amplectendi veram fidem manet intacta, sed homo libere secundum rectam conscientiam eam amplecti debet. Secus nihil prodest. Forte verbum Dei purius et intensius praedicare debebimus; sed haec difficultas et labor nequeunt impedire quominus veritatem agnoscamus.

Ioannes XXIII doctrinam catholicam de libertate religiosa sine timore vel ambiguitate publice iam expressit. Totus mundus hanc expressionem plausit. Oportet nunc ut Concilium eandem veritatem coram mundo solemniter confirmet.

Vehementer urgeo ut constanter laboretis ad hoc documentum Concilio praestandum.

27

EXC.MUS P. D. ALBERTUS LEMÉNAGER
Episcopus Yarmuthensis

Cap. IV, de Iudaeis, linn. 25, 26, 27. Condonatio peccatorum quae fuerunt causa passionis Christi non impedit quominus « Iudaei » Iesum crucifixerunt. Illogice ergo proscribitur vox « gens deicida » eo quod Christus crimen principum Iudaeorum morte sua luit sicut et alia mundi crimina. Dicendum est potius: « vel gens deicida, quia mors Christi a non toto populo tunc vivente, et multo minus ab hodierno populo addicta est ».

28

EXC.MUS P. D. IOSEPH LÓPIZ ORTIZ
Episcopus Tudensis-Vicensis

De momento et opportunitate cuiusdam declarationis a S. Concilio factae circa iura hominum ad religionem libere exercendam plene conscius, existimo tamen caput quod ad deliberationem Sacri Concilii proponitur nullo modo esse quod a tam venerabili Synodo expectatur.

1. Quia theoriis iusnaturalisticis fulcitus, parum vel nihil a revelatione eruit, et magisterium ecclesiasticum, verbis ad minus contradicit, tum e contra pedissequo modo aptatur declarationibus sic dictis, a coetibus politicis prolatis.

2. Quia unitate doctrinae, ordine perspicuo et dignitate sermonis omnino caret.

Ad tutamen conscientiae etiam erroneae, quando recte omnia media adhibita sunt ad Deum eiusque voluntatem cognoscendam, Ecclesia diversis modis provisit, praecipue tolerantiam admittendo vel etiam suadendo. Hac in linea, progressus in doctrina et comprobantur et expectari licet, et hoc videtur munus Concilii.

E contra conceptus et locutio adhibetur « libertas religiosa » quo non modo alienum a magisterio ecclesiastico, sed etiam quandoque, ad minus quoad verbum reprobatum est.

Deductivo modo, quo proceditur in schemate etiam libertas et ius ad atheismum, proclamare deberemus; quod quidem alienissimum est a textu ex Litteris Encyclicis *Pacem in terris,* per quam iterato modo allegatur.

Quibus de causis humiliter deprecor, ut novum caput redigatur, collatis consiliis, cum his qui diversa proponenda iudicant.

Si tamen textus capitis servetur et ad disceptationem Concilii proponatur, haec emendare proponam:

1. Quoad titulum, et locutionem indesinenter iteratam « libertas religiosa », vel aliis in locis « libertas conscientiae ». Titulum capitis substitui debet « Ius ad religionem libere profitendam », vel potius silendo de quaestione iuris, simpliciter: « Religio libere profitenda ».

Quoad textum: In eo locutio libertas religiosa 9 vicibus adhibetur; libertas conscientiae 2. In omnibus epithetum supervacaneum est; sensus perspicuus manet sine talibus epithetis, quorum iteratio innecessaria speciem vanam offerre *liberalismi* videtur.

2. Paragraphum introductoriam supprimendam existimo, quippe quae in ea dicuntur, postea iterantur. De momento tractationis otiosa videtur commendatio. Et inter iura Dei et iura hominum oppositio quaedam videtur stabiliri, omnino aliena a doctrinis iusnaturalisticis christianis.

3. In par. 2, pag. 4, linn. 2-3 loco verbi habebunt, dicatur habent. In lin. 20 epithetum religiosa, omnino pleonasticum est; auferatur. Lin. 21 incipere debet a « Immunitas... » secus appareret intentio definiendi libertatem religiosam, et quidem definitio iteratur et mutatur pag. 5 linn. 27 ss.

4. Par. 3 omnino omittendus, est etenim disceptatio scholastica apologetico modo instructa, parum perspicuis verbis, potius, principiis et omnino reiectis fundamentis adhibitis et expolitis a iure naturali catholico. Incisum finale, pag. 5 linn. 20-24 sine necessitate damnat modos loquendi frequentissime ab Ecclesia adhibitos.

5. In pag. 5, par. 4 ita incipi potest: « Circa religionem externae coactionis exclusio ab Ecclesia catholica vindicatur ut ius hominum, ne ab aliis impediantur quominus observent... » et ab iis substituantur linn. 25-28.

6. Omittatur epithetus « personalis » in par. 5, pag. 5, lin. 35 et ita mundetur schema a prodigalitate adiectivorum. In pag. 6 omnia omittatur a linea

prima ad par. 6, nam vere iterata et nunc sermone rethorico amplificata, vel consectaria sunt ex dictis et quae satis clare eruuntur sine ampliori expositione.

7. Par. 6 a lin. 35 ad finem omittatur, nam ad argumentum non pertinet de quo agitur.

8. Etiam par. 7, pag. 7 ob eamdem rationem.

29

EXC.MUS P. D. IOANNES IOSEPH McELENEY

Episcopus Kingstonensis

Pag. 8, cap. I, sectio 2, lin. 21. Fratres autem qui in Christo credunt et baptismum rite receperunt, sed perfecta Ecclesiae communione non fruuntur, quadam tamen communione nobiscum coniuncti sunt. Baptizati enim in Christo Iesu, christiano nomine iure decorantur, eosque ut filios Ecclesia agnoscit. Praeterea cariores et propinquiores sibi Ecclesia semper considerat illos filios (orientales praesertim), qui praeter Baptismum, Corpus et Sanguinem Domini etiam sumunt, sacrificium Eucharistiae quotidie litant, omnia aliaque Sacramenta a Christo instituta valide et fructuose suscipiunt. Insuper Ecclesia semper meminit quod, quandocumque contractus matrimonialis valide fiat inter baptizatos, uterque coniux verum sacramentum matrimonii et confert et accipit. *Ratio emendationis.* Si sermo sit de habitudine fratrum separatorum ad Ecclesiam catholicam (vide titulum huius sectionis), oportet enumerare *omnia* vincula sacramentalia quae vigent inter fratres separatos et nos.

Pag. 9, cap. I, art. 3, lin. 38. *Emendatio*: « Ex altera autem parte necessarium est catholicos cum gaudio agnoscere et aestimare bona vere christiana, quae apud fratres separatos inveniuntur, quaeque et ipsis catholicis in restaurata unione nonnihil emolumenti spiritualis afferunt, praesertim in liturgia eiusque semper christiana internae devotionis expressione magis spontanea. Vestigia enim Christi et dona Spiritus Sancti in vita aliorum agnoscere aequum et salutare est. Deus enim semper mirabilis et mirandus est in operibus suis ». *Ratio*: Ex psychologia religiosa necnon et vere christiana, eo magis in fratribus separatis motivum unionis restaurandae inculcatur et speratur, quo ipsi nonnihil catholicis, quam catholici omne ipsis, magis habentur conferre.

Pag. 9, cap. I, sectio 3, lin. 40. Ex altera parte necessarium est catholicos cum gaudio agnoscere et aestimare bona vere christiana, quae apud fratres separatos inveniuntur. *Caritatem* (loco « vestigia ») enim Christi et dona Spiritus Sancti in vita aliorum agnoscere aequum et salutare est. *Ratio emendationis. Vestigia* est nimis ambiguum, et *caritatem* cum sententia praecedente magis consonat.

Pag. 10, cap. I, sectio 3, linn. 9-18. Attamen divisionibus christianorum splendor vultus Christi in Ecclesia *magnopere* (loco « aliquantum ») obscuratur et regni divini incrementum funeste retardatur. Huiusmodi enim separationes impedimento Ecclesiae sunt, quominus ad effectum deducat plenitudinem catholicitatis sibi propriam in iis filiis, qui sibi quidem baptismate appositi, sed ab ecclesiastica communione seiuncti sunt. Immo et pro ipsa Ecclesia *impossibile* (loco « difficilius ») fit plenitudinem catholicitatis sub omni respectu in ipsa vitae realitate exprimere. *Ratio duarum emendationum.* Clare, candide Sancta Synodus

debet confiteri quod, ad splendorem catholicitatis adipiscendum et exprimendum, Ecclesia vere *eget* subsidiis cunctarum nationum, linguarum, culturarum, immo, uti videtur, coetuum religiosorum. Ecclesia, templum Dei in terra, flagranter desiderat locupletari illis bonis spiritualibus quae, apud fratres separatos, Spiritus Sanctus indesinenter diffundit.

Pag. 10, cap. I, art. 3, lin. 25. *Emendatio*: « Hac de causa Sancta Synodus omnes catholicos hortatur, ut abstineant a verbis, iudiciis et operibus quae fratrum separatorum condicioni secundum aequitatem et veritatem non respondent, ideoque mutuas cum ipsis rationes difficiliores reddunt. Deinde una cum illis efficaciter inquirant quomodo se melius mutuo cognoscere valeant, aestimare et adiuvare, adprecando et cooperando, ad Christi voluntatem fidelius exequendam. Porro cum quis olim acatholicus bona fide ad communionem catholicam, pro conscientia sua, aditum petit, ne ut " convertens " vel " conversus " aut corde aut voce habeatur, sed potius ut " neo-communicans " ». *Ratio*: Vocabularium « conversionis » in linguis popularibus adhibitum sive illam biblicam radicalem ad Christum metanoian, quae in hoc olim acatholico bona fide iam adesse prorsus censeri debet, sive saltem eiusdem acatholici spiritum reapse christianum ita parvi aestimari irrepsit, ut nomen « fratris separati » quasi pro minimo habeatur.

Statim ad praecedentia: *Emendatio*: « Hac de causa... sed potius ut " neo-communicans ". Insuper cum idem hic acatholicus sub condicione rebaptizatur, ob dubium solidum quoad praevii eius baptismi validitatem, ne imponatur ei obligatio legis positivae, praeter divinam, integralem omnium peractae vitae peccatorum confessionem sacramentalem faciendi ». *Ratio*: Quidquid sit de quaestione theologica relate ad obligationis legis divinae possibilitatem, a qua praescinditur, ex obligatione autem positiva his diebus sat late vigente ita grave quoddam onus et conscientiae incommodum ipsi « neo-communicanti » imponitur, ut eius ingressus in communionem catholicam tardior et difficilior reddatur.

Pag. 16, cap. II, sectio 7, lin. 22. Praesens expressio: « *In quibusdam peculiaribus rerum adiunctis cuiusmodi sunt* » deleri debet, et caput incipit, « *In supplicationibus* quae pro unitate indicuntur atque in oecumenicis conventibus, licitum, immo et opportunum est catholicos viros cum fratribus separatis in oratione consociari. *Ratio emendationis.* Christianis semper orandum est, et « in quibusdam peculiaribus rerum adiunctis » est nimia restrictio de consociatione in oratione. Debet esse generalis exhortatio ut christiani in oratione quam plurimum consocientur, « remota quavis communicatione in cultu officiali », qua clausula in linn. 26-27 nunc apparet.

Pag. 18, cap. II, sectio 11, lin. 6. Praesens expressio: « sive in doctrina sociali Ecclesiae promovenda » debet verti in: « sive in sana doctrina sociali promovenda ». *Ratio emendationis.* Phrasis « doctrina sociali *Ecclesiae* » sonat, ut ita dicam, paroecialis, clericalis, factionalis, partium ecclesiasticarum studiosa.

Pag. 18, cap. II, nota 2. Haec nota omittenda est. *Ratio emendationis.* Vix ad oecumenismum et ad spiritum totius schematis conducit ut hanc instructionem citemus. Cur orationes in conventu oecumenico recitatae approbandae sunt?

Pag. 23, cap. III, sectio 2, linn. 26-28. Immo obliviscendum non est, in occidentis quoque regionibus adesse Communitates quae etiam mediis salutis, e sacerdotio valido promanantibus, gaudent. *Omittenda est. Ratio emendationis.* Declaratio diversitatis inter factiones Protestantes propter validitatem ordinum aliquorum ministrorum ad oecumenismum non conducit. Attamen, animadversio

fiat de genuina pietate aliquorum Protestantium in cultu communionis propter eorum inquisitionem caritatis inter homines et cum Deo quam multi Protestantes in cultu communionis exprimunt. Minime nostra doctrina de Eucharistia compromittenda est.

Pag. 24, cap. III, sectio 22, lin. 30. Baptismus igitur vinculum sacramentale constituit vigens inter omnes qui hoc regenerationis sacramentum acceperunt. Attamen baptismus per se dumtaxat initium et exordium est, quippe qui totus tendit in plenitudinem vitae in Christo ulterius acquirendum. Itaque baptismus expostulat integram fidei professionem, integram etiam incorporationem in salutis institutum, prout ipse Christus illud voluit, integram et completam denique in communionem eucharisticam insertionem. Hoc minime intendit autem ut omnes Communitates inde a saec. XVI exortae ad amplectendum ritum latinum adigentur. Salvis sacris dogmatibus, morum principiis, validitate ordinum, valida administratione sacramentorum, et essentiali tum christiana tum clericali disciplina, benigne et indulgenter concedatur quidquid ad unitatem redeuntibus velint retinere ex suis traditionibus religiosis. Itaque in ipsorum disciplina, cultu, externo apparatu et regimine ecclesiastico, tolerarentur omnia, quae absque divinarum sanctionum laesione tolerari possunt. *Ratio emendationis.* Sancta Synodus aperte declarare debet quod reunio, uti aiunt, corporata (scil., reunio totius sectae Protestantium cum Ecclesia catholica) est et possibilis et optabilis; quod existentia ritus, e. g., Anglicani in Ecclesia catholica nullam praebet difficultatem insuperabilem.

In votis est ut sive in hoc schemate sive in alio sequens emendatio sit contenta: Antiqua patriarchalium sedium privilegia renovans, Sancta Synodus declarat, ut post Romanum Pontificem et ante S. R. E. Cardinales, Patriarchae Orientales primos locos obtineant. Declarat insuper quod iidem Patriarchae suas partes, cum Cardinalibus, habeant in electione Summi Pontificis.

30

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI
Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Chap. V. Remarque générale. Le chapitre sur « la liberté religieuse », qui est appelé à constituer le cinquième chapitre du schema du Décret de Oecumenismo, appelle, me semble-t-il, les remarques suivantes:

Je ne suis pas pour l'insertion de ce chapitre dans le schema de Oecumenismo. Il trouverait mieux sa place dans *le schema de l'Eglise devant le monde,* pour les raisons suivantes:

1. la plus grande généralité de ce dernier schéma que celui sur l'Œcuménisme;

2. la liberté religieuse atteint aussi bien les croyants que les non-croyants, gouvernés par le *dictamen conscientiae*;

3. la liberté religieuse touche aussi bien au domaine philosophique (valeur de la raison) qu'au domaine théologique. L'Œcuménisme, au contraire, est une question proprement théologique;

4. la liberté religieuse est une valeur qui ne concerne pas seulement l'Œcuménisme, mais la personne humaine, en tant que telle.

Remarques particulières: a) Le chapitre sur la liberté religieuse, tel que nous l'avons entre les mains, laisse beaucoup à désirer. Il exige beaucoup de précisions, pour ne pas encourir les condamnations du libéralisme doctrinal, portées par Grégoire XVI (DENZ. 1613-1616) et par Pie IX (DENZ. 1708, 1715-1718): DENZ. 1613: « Alteram nunc persequimur causam malorum uberrimam... indifferentismum scilicet, seu pravam illam opinionem... qualibet fidei professione aeternum posse animae salutem comparari, si mores ad recti honestique normam exigantur... ». DENZ. 1715: « Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit » etc., etc.

b) *Exemples d'imprécisions*: 1. On insiste (p. 4, 16-20) sur la « libertas a coactione », donc liberté de toute contrainte extérieure. Mais l'on n'insiste pas aussi sur le devoir qu'a tout homme d'obéir intérieurement à une conscience droite, constamment rectifiée, et mise sous l'éclairage de Dieu.

2. On parle souvent (p. 5, par. 5) de l'exercice extérieur de la liberté. On semble oublier le côté intérieur.

3. On parle de l'erreur invincible (p. 4, 19) dans laquelle se trouve la personne humaine, mais l'on suppose trop facilement que l'homme est enclin naturellement vers la vérité et qu'il la veut de tout son cœur. Il faudrait repenser ici aux textes suivants: « Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua... » (*Gen.* 6, 5); « Reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, ac miserebitur tui, et rursum congregabit te de cunctis populis, in quod te ante dispersit... Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, ut possis vivere... » (*Deut.* 30, 3-8). Dieu seul peut faire la circoncision du cœur. Or, l'on n'a pas suffisamment l'impression, dans ce chapitre sur la liberté religieuse, d'évoluer dans un monde grâce (cf. *Ps.* 50, 12; *Ps.* 118, 10, 32-37, 132-133, 135, etc.; *Jér.* 4, 4; *Lév.* 26, 41; *Deut.* 6, 4-9, etc.).

c) *Exemples d'omissions*: 1. Est absente de ce chapitre toute allusion à la Mission confiée par le Christ à l'Eglise, d'évangéliser le monde entier et de porter la vérité auprès de toutes les consciences. L'Eglise reconnaît la liberté religieuse des individus et des groupes (p. 5, par. 4): son devoir se réduit-il à cela? Dans ce par. n'aurait-on pas dû ajouter que, reconnaissant cette liberté religieuse, l'Eglise n'oublie pas, cependant, sa première obligation divine: de dire la Vérité aux hommes.

Evidemment, on ne peut pas dire tout à propos de tout; mais certaines omissions sont dommageables dans leur contexte.

L'on pourrait ajouter dans ce par. ce qui suit: « Cum Ecclesia, mandato Christi Domini verbum salutis communicandi attenta, conscientias omnium hominum vocat ad illud verbum amplectendum... », aut similia.

2. Certes, le texte dit que l'homme doit chercher, personnellement, sous la lumière de Dieu et dans le respect des droits des autres, à voir ce que la volonté de Dieu exige de lui pour le faire (p. 5, 10-14): mais en passant. C'est ce texte qui devrait être le leit-motiv du chapitre.

3. De plus, à la page 6, lignes 6 et 7, on insiste pour que l'« autonomia essentialis humanae personae » demeure intacte. On a raison, étant donnée la définition qu'on a donnée de la liberté religieuse: « libertas a coactione externa ».

Mais n'aurait-on pas dû prévenir les kantiens de nos jours qui affirmeraient que la grâce divine constitue une hétérogénéité, et donc, elle serait à refuser. N'aurait-on pas dû prévenir certains pélagiens d'aujourd'hui qui affirment que la conscience est à elle-même et en elle-même l'Absolu, et qu'il n'y a pas de vérités qui s'imposeraient à elle « de l'extérieur », cet extérieur fût-il Dieu.

On aurait dû donc dire quelque chose comme suit: « Libertas religiosa, cum sit externae coactionis exclusio, nedum obligationem divinam credendi — quae immanens ei est et essentialis — consideret, eam potius supponit et exigit ut ipsamet prorsus existat ».

d) *Exemples de répétitions*: 1. Le texte, p. 5, 15-19, reprend celui de la page 8, 18-20.

2. Le texte de la page 6, 28-30, reprend celui de la page 5, 35-39.

e) *Des points à louer*: 1. Le chapitre veut parler de la « recta libertatis religiosae consideratio », p. 3, 2. Nous avons vu, plus haut, comment le point de vue des auteurs de ce chapitre doit être redressé pour que ses considérations soient *rectae*.

2. Le chapitre fait bien d'insister sur la « dignitas personae humanae », p. 3, 8.

3. Il fait bien de parler aussi des « iura et officia personarum seu subiectorum quibus veritati adhaerendum est » (p. 3, 14).

4. Il fait bien de parler des « iura et mensura gratiae quae a Deo tribuitur personae ad fidem admittendam » (p. 4, 16-20).

5. Enfin il fait bien d'ajouter à la fin que le chrétien ne peut pas, ne doit pas se suffire des valeurs morales à instaurer. Il a aussi à travailler pour la foi et la charité (p. 7, 3-11).

f) *Un point à supprimer*. L'on parle, dans ce chapitre, de la liberté religieuse, donc d'une affaire de conscience. Que vient faire la discrimination faite à cause du sang, de la couleur ou de l'origine (p. 6, 26-27)? Cela serait à développer dans un autre contexte.

g) *Souhait*. Qu'on introduise davantage, dans le chapitre sur la liberté religieuse, l'esprit de la Relation de S. E. Monseigneur de Smedt, dans laquelle il en exposait le contenu aux PP. du Concile, et dans laquelle aussi il répondait, par avance, aux objections d'indifférentisme ou de libéralisme auxquelles le chapitre prêterait le flanc.

31

EXC.MUS P. D. CASIMIRUS MORCILLO GONZALEZ

Archiepiscopus Caesaraugustanus

Pars I - *Synthesis principiorum doctrinalium.*

Hic exponuntur principia doctrinalia quae prae oculis habenda sunt in problemate « de libertate religiosa » solvendo.

Cap. I. La libertad civil de religión y la persona.

Prenotandos. 1. *Límites de la cuestión.* El tema de la llamada « libertad religiosa » puede ser estudiado en planos muy diversos. Por ejemplo en el plano teológico-moral (como elemento constitutivo del acto humano religioso); en el

plano eclesiástico (dentro del ordenamiento canónico); en el plano civil (dentro del ordenamiento jurídico del Estado); etc.

Aquí nos ocupamos tan sólo del último plano señalado: el civil.

2. *Terminología empleada.* A) No pocas veces empleamos como sinónimos las palabras « Estado » y « Derecho » y « Ordenamiento Jurídico », pues en terminología moderna al *conjunto de leyes* suele llamarse *en sentido estático, Ordenamiento Jurídico o Derecho* y en *sentido dinámico, Estado.*

B) Para mejor intelección de este trabajo, ofrecemos aquí la terminología que en el mismo empleamos; según las diversas acciones que pone la persona, a saber: unas en su mundo interior; otras en el mundo exterior, en el cual unas son a solas, otras en presencia de los demás, otras con los demás y otras para los demás; y las que pone con los demás, en grupo y como tal, son o para el grupo mismo o actuando el grupo para los demás. Según eso, tenemos:

Acciones:	*Derechos correspondientes*:
a) *La persona*	
— acciones en su interior	Derecho de *libertad de las conciencias* o la intimidad interior.
— acciones exteriores:	
— a solas	Derecho a la *intimidad exterior.*
— en presencia de otros: « *coram aliis* »	Derecho de *libertad individual.*
— en compañia de otros: « *cum aliis* »	Derecho de *libertad inter-individual.*
— para con otros, hacia otros: « *erga alios* »	Derecho de *libertad social.*
b) *El grupo*: « *coetus* »	
— para sí mismo: « *coram societate* », « *coetus ad intra* »	Derecho de *libertad comunitaria.*
— para con otros grupos, hacia otros: « *erga alios* », « *coetus ad extra* ».	Derecho de *libertad societaria.*

I. *Libertad personal.*

1. *Libertad interior y derecho de intimidad interior de la persona* (« libertas conscientiarum »). La persona es un ser social, que para alcanzar su perfección se proyecta en sociedad, vive en sociedad. No es la intimidad misma de lo personal lo que se proyecta en sociedad, sino sus manifestaciones exteriores. Estas manifestaciones, en cuanto relacionadas con los demás, constituyen lo social. Solamente ellas pueden caer bajo la regulación social, que es preciso imponer para que las personas se comuniquen ordenadamente.

En consecuencia la intimidad misma personal, por su misma naturaleza, no puede caer bajo la regulación social o Derecho, no es materia de Derecho. En otros términos: la naturaleza misma del Derecho encuentra sus límites en la intimidad propia de cada una de las personas. El Derecho reconoce estos sus límites de naturaleza; y este reconocimiento de no poder entrar en la intimidad

de la persona es precisamente garantía y tutela de un ámbito en el que cada persona es propietaria, dueña.

El Derecho reconoce en consecuencia a cada persona el derecho a moverse en su intimidad.

Se comprende así que el problema de la libertad de la conciencia es un caso concreto dentro del problema general de la intimidad personal; y que la garantía que se debe dar a la libertad de la conciencia no es sino un caso concreto de la garantía que se debe dar a las libertades personales.

Conviene añadir que la peculiaridad del fenómeno religioso exige, por suponer decisión personal y por la naturaleza del acto de fe bajo la gracia, que el Derecho, aunque por un imposible pudiera entrar en la intimidad de lo personal, tenga que detenerse ante la libérrima decisión religiosa.

En consecuencia; por la naturaleza misma de lo jurídico, del acto de la fe bajo la gracia, « nemo invitus ad amplexandam quamcumque fidem cogatur ».

2. *Libertad exterior y derecho de actividad exterior de la persona.* El hombre tiende por exigencia de su naturaleza a poner actos exteriores, que expansionan su intimidad interior. Lo mismo ocurre con la conciencia religiosa, que tiende a poner actos religiosos exteriores.

Ahora bien, tales actos exteriores pueden ser de diversa naturaleza respecto a la socialidad: hay actos puramente personales sin proyección alguna social y hay actos que son sociales por implicar una relación social.

a) *Derecho a la intimidad externa.* Los actos que siendo exteriores no tienen proyección alguna social (p. ej. la actuación de una persona completamente a solas) precisamente por carecer de ella no pueden entrar en la regulación social-jurídica. Es manifestación exterior de la intimidad interior y pertenece por tanto a la intimidad personal. Constituye límite intrínseco, de naturaleza, del ordenamiento jurídico; el cual debe reconocerlo.

Este principio vale también para toda clase de actos aún cuando sean religiosos.

b) *Libertad exterior.* Pero todo acto, aun cuando sea religioso, que pone la persona en sus relaciones con los demás entra bajo regulación jurídica. El problema está en ver la naturaleza de estos actos religiosos para discenir el comportamiento efectivo del Derecho.

A la persona corresponde, entre otros, el valor religioso, que es el supremo e imperativo sobre todos los demás valores y a la persona pertenece la vida social. Es preciso por tanto que *alguna* manifestación social religiosa sea garantizada y fomentada por el ordenamiento jurídico. De ahí los siguientes principios absolutos que valen siempre y para todos los Ordenamientos jurídicos: « *Nemo invitus ab omni professione fidei arceatur* »; « *Omni homini aliqua professio fidei recognoscatur* ».

Supuesto, como dijimos, que el Derecho no puede entrar en el mundo interior o de la conciencia ni en el ámbito exterior de lo puramente individual, el problema aquí es que clase de profesión exterior social debe ser permitida por el Ordenamiento jurídico. Es preciso distinguir entre tres clases diversas de conducta *exterior* de la persona.

Hay unas acciones que las personas ponen en orden a su propia perfección personal; y otras en orden a perfeccionar a los demás. Esta distinción es funda-

mental, porque son de naturaleza diversa y en virtud de esta diversidad es también diverso el trato jurídico que merecen.

En el primer caso —acción para procurar la propia perfección personal— la persona pone una acción *para sí ante los demás; coram aliis, coram societate.*

En el segundo caso —en el que se busca con una acción la perfección de los demás—, pone una acción *para los demás y hacia los demás; erga alios, erga societatem.*

En la primera clase, la acción es personal con efectos sociales; en la segunda, la acción es en sí misma social; en la primera clase, la acción entra bajo el ordenamiento jurídico por sus efectos sociales; en la segunda entra por sí misma.

Esa distinción se dá también en los diversos actos religiosos que pone la persona en su vida en la sociedad: unos para su propia perfección religiosa (orar, recibir formación religiosa...) y actos para lograr o fomentar la vida religiosa de otros (predicación, propaganda religiosa).

1. *Derechos individuales*: *coram aliis, coram societate.* Los actos que realiza la persona son siempre personales por su origen o causa. Pero si tales acciones son para sí mismas y no para el bien de los demás, tienen por destino y fin la propia persona. La acción es puesta, por tanto, en el ámbito de lo personal; pero al ser la acción de persona que vive en sociedad, tiene una repercusión o efectos sociales, unos efectos de ejemplaridad o influencia consecuente en los demás.

Esa acción, por tanto, *en cuanto encerrada* en el ámbito de lo personal, no es materia de Derecho. El Derecho debe respetar ese ámbito, en el que nadie tiene derecho a entrar ya que por definición es dominio exclusivo de la persona que el Derecho debe tutelar de intromisiones ajenas.

El derecho a la intimidad personal es, pues, el *primero y más fundamental* derecho del hombre. Y por lo tanto la *primera y suprema obligación* es respetar la intimidad ajena.

Sin embargo *en virtud de sus efectos sociales* y en tanto en cuanto los tiene es materia de Derecho. De ahí que el derecho de lo personal tiene siempre que respetar en sus efectos los derechos de los demás, y por tanto puede tener sus límites o limitaciones según la calidad de sus efectos y por sus efectos.

Estos criterios tienen también su aplicación cuando se trata de lo religioso y moral, en cuanto que las manifestaciones religiosas pueden ser limitadas o incluso prohibidas por sus efectos sociales. Estos efectos son el *unico* criterio de limitación.

2. *Derechos interindividuales*: *cum aliis.* La persona es ser social y busca su complemento para una mutua edificación o perfeccionamiento, en y con los demás que tienen los mismos intereses. Al hacerlo se desenvuelven en la esfera de lo personal mutuamente comunicado.

En cuanto actividad desarrollada en esa esfera de lo personal mutuo, el Ordenamiento jurídico deberá respetarlo, pero en cuanto tiene efectos sociales deberá intervenir conforme a los criterios enunciados al hablar de los derechos individuales.

3. *Derechos sociales*: « *erga alios* », « *erga societatem* ». La acción, en cambio, que se proyecta hacia los demás entra en el Ordenamiento jurídico por sí misma, por su naturaleza propia, por ser relación social.

En otros términos, tiene que respetar por sí misma y no solamente como en el caso anterior, por sus efectos, la intimidad personal de los demás.

Podemos proyectar una acción nuestra hacia los demás en una doble vertiente: 1. para *exigir* de otros una prestación de determinadas actividades; y 2. para *imponer* a los demás que sufran un influjo nuestro.

1) *Exigir.* En materia religiosa ninguna persona ni tampoco el Ordenamiento jurídico tiene derecho a exigir de otro que acepte una fé (como dijimos ya antes hablando de la intimidad interior); pero ni tampoco a exigirle que haga manifestación alguna de cualquier fé. Al contrario el Derecho debe garantizar que « *Nemo ad profitendam quamcumque fidem invitus cogatur* », ya que el profesar o no una determinada fé o ninguna, pertenece primaria y esencialmente a la decisión de ámbito personal.

La acción, pues, hacia otros es un derecho en tanto en cuanto los demás tienen obligación jurídica correlativa de aceptarla o sufrirla. A la inversa, una persona tiene derecho a exigir una prestación de otro, en tanto en cuanto éste esté juridicamente obligado a ello, es decir, a salir de su intimidad personal. Ahora bien: una manifestación de un acto religioso o una profesión de fé podría de suyo ser exigible por encerrar efectivamente un interés social. Pero si se pretende obtener dicha manifestación o profesión en contra de la intimidad personal deja de ser un acto religioso (que por naturaleza procede de internas convicciones personales) y deja de tener, por tanto, interés social religioso.

2) *Imponer.* La persona se une en sociedad para lograr su perfección y entre otras la perfección religiosa. Toda persona que así lo quiera tiene el derecho a que la sociedad misma, su Ordenamiento jurídico, no le impida obtener *de alguien* esa perfección religiosa que busca. O en otros términos, el Ordenamiento jurídico no puede prohibir *a priori y a todos* toda propaganda religiosa.

Salvo tal principio genérico, la cuestión es quién tiene derecho a predicar, a ejercer influjo directo y sobre quién. Tratándose de acción social, debe respetarse el derecho personal de los demás, que es derecho anterior; es decir, la intimidad personal con su expresión exterior. Esa intimidad es inviolable, impenetrable jurídicamente, mientras su propietario, su dueño no autorice la entrada en ella. El propagar es por tanto un derecho en cuanto presupone la autorización (expresa o presunta) del destinatario para penetrar en su intimidad personal.

Consiguientemente toda persona tiene derecho a vivir su paz religiosa y a que no se le altere con ninguna predicación; « *nemo invitus ad audiendam quamcumque fidem cogatur* » (cf. *Mt.* 10, 14; *Mc.* 6, 11; *Act.* 13, 51; 18, 6).

Debe *además* tenerse en cuenta que si alguien se siente obligado por sus imperativos religiosos a predicar a los demás, igualmente puede ocurrir que su destinatario se sienta obligado también por imperativos religiosos a rechazar toda la predicación ajena a su propia fe « para no caer en la tentación » (cf. *Mt.* 24, 3-15; *Tit.* 1, 13-14; 3, 10; *1 Cor.* 5, 11; *2 Tim.* 3, 2-5; 4, 4).

II. *Proyección social de la libertad religiosa personal.* Esos criterios de lo personal, teniendo en cuenta que la sociedad se constituye por las personas y para su perfección, son los que institucionalizados han de servir de criterio para la constitución de la sociedad misma y para su ordenamiento jurídico-social.

Siguiéndolos, por lo tanto, tendríamos los siguientes criterios de Derecho:

1. *Reflejo de la intimidad personal: Padres de familia sobre los hijos en materia religiosa.* El hijo, mientras está sujeto a la patria potestad, es considerado « aliquid patris ». Al padre, por tanto, por ley primaria de naturaleza, corresponde la educación de sus hujos, que son prolongación de su persona. Y los

educará, evidentemente, según su propia confesión religiosa o fe. Pretender algo contrario sería penetrar en el ámbito de lo personal del padre de familia. De ahí que:

a) El Ordenamiento jurídico debe garantizar esa libertad del padre. Sin embargo este principio no pasa de ser un amplio criterio, ya que el hijo es también persona, que como tal debe ser tutelado y defendido contra posibles abusos de la patria potestad. El padre tiene, por tanto, « coram aliis et coram societate civili », derecho a su libertad de padre de familia, es decir, a que nadie decida y realice por él, en vez de él, la educación religiosa de su hijo.

b) Además, come el padre puede cumplir su obligación y su derecho de educar a sus hijos bien por sí mismo personalmente, bien delegando su facultad en otros (maestros y educadores), tiene derecho a escoger educadores y maestros. Ni la sociedad ni otras personas pueden privarle de tal derecho, por ser personal y cuando varios padres coinciden en esa decisión de escoger un maestro, no hacen sino ejercer su derecho personal. Es pues, derecho suyo constituir *las escuelas* que quieran *para sus hijos,* según su propia confesión o fe religiosa. Tal derecho, como principio, debe quedar reconocido en el Ordenamiento jurídico, como expansión del derecho personal de los padres.

Ciertamente, como acción y derecho *ante* los demás y *ante* la sociedad esas escuelas y su funcionamiento tienen efectos sociales distintos de los que producen en sus hijos. Pero como estos efectos sociales deben respetar los derechos de los demás y de la sociedad, el Ordenamiento jurídico podrá entrar en su regulación y aún supresión, según la proporción de dichos efectos sociales.

Sin embargo ningún Ordenamiento puede suprimir todo efecto social, ya que por ejemplo, la mera existencia de los edificios materiales de las escuelas tiene efecto social de ejemplaridad, etc. Estos efectos en cuanto intrínsecos a la naturaleza misma de tal fenómeno, no pueden ser criterio suficiente para la supresión de las escuelas, pues sería privación del derecho sustantivo de los padres. Solamente si son *tales* efectos concretos, cuyo volumen es desproporcionado respecto a los derechos paternos, podran y aún deberán ser base para la supresión. Aquí entra la ponderación de cada caso en cada diversa situación social concreta y su juicio compete a la prudencia del Ordenamiento jurídico.

2. *Derechos comunitarios.* a) *Culto social o público.* La persona es cuerpo y alma, y ser social. Por eso debe dar a Dios no sólo el culto de su interioridad o alma, sino también de todo su ser y en sociedad o comunión con los demás. Es, pues, derecho de la persona el reunirse con sus semejantes para dar a Dios el culto y el poder disponer de templos y de personas que dirijan su culto y les prediquen (sacerdotes). Podrán por tanto dar culto no sólo privado, sino también *público* (el oficial de su grupo) y no a escondidas sino amparados por la ley.

Esto, al igual de lo que dijimos de las escuelas, tiene efectos sociales y aquí han de aplicarse los mismos criterios que allí dimos sobre dichos efectos y su respeto al bien común y al derecho de los demás.

b) *Organización social.* Al asociarse para el culto, las personas tienden a instituir Asociaciones o entidades sociales con su propio ordenamiento interno. No hacen con ello sino proyectar socialmente un medio para sus propios intereses personales. Estamos, pues, en la línea de la proyección de lo personal, que es por lo tanto, un derecho *ante* los demás. En consecuencia, el Ordenamiento jurí-

dico debe reconocer y tutelar ese derecho, con las mismas limitaciones que hemos puesto más arriba sobre las escuelas y los templos.

c) *Medios sociales de comunicación interior.* Las personas con intereses comunes, al comunicárselos y fomentárselos mutuamente, no hacen sino fomentarse su personalidad. Se mantienen, pues, en la línea del ámbito de lo personal mutuo; ponen una acción para sí mismos.

Para esa intercomunicación podrán usar no sólo los medios privados de comunicación (correspondencia, teléfono), sino según sus necesidades, incluso los medios sociales de comunicación, salvo siempre que con sus efectos sociales no causen perjuicio a los demás; es decir, deben respetar los derechos de los demás y del bien común.

Pero aquí nos encontramos con un problema especial, ya que los medios modernos de comunicación, por su naturaleza, no son limitables a los destinatarios hacia los que quieran dirigirse, sino que llegan indistintamente a todos. La prensa pública, la radio y la televisión, por suo propia naturaleza, más que medios de comunicación, son medios sociales de *difusión.* No se trata de actividades para sí mismos, sino que, realmente, son para todos: aunque intenten ser « coram aliis », en realidad son « erga alios », « erga omnes ».

Aquello, por tanto, en que tal actividad pueda limitarse a sus destinatarios (libros, folletos, boletines, revistas y periódicos no lanzados al público, cine, teatro, conferencias, etc.) deberá ser reconocido y tutelado por el Derecho con el criterio antes expuesto de salvos los derechos personales de los demás y el bien común. En lo que transcienda a sus destinatarios (los que comulgan en la misma fe) habrá de aplicarse el criterio de las acciones « erga alios ».

d) *Conclusión.* Todos estos derechos hasta aquí expuestos, tanto los estrictamente personales, que son los primeros, como los derechos comunitarios de la persona asociada ante los demás y ante la sociedad, son derechos que valen siempre y en todas partes, con el contenido que hemos expuesto. La Iglesia los reconoce y promueve en cuanto tales; no sin embargo sin expresar a la vez su sanción moral-religiosa sobre su contenido. Es decir, la Iglesia los reconoce como derechos cívicos declarando a la intimidad personal y a la proyección comunitaria de la persona exentas ante el Estado, pero declarando a la vez que son responsables ante Dios.

3. *Derechos societarios.* El mismo criterio anterior de derecho social, institucionalizado, es el criterio de solución para la propaganda que puedan ejercer las instituciones sociales (confesiones, comunidades sociales, religiones, Iglesias): el derecho a la propaganda existe tan sólo en cuanto haya oyentes que (expresa o presuntamente) autorizan penetrar en su intimidad.

a) *En el plano nacional.* Por tanto, si bien *a priori,* el ordenamiento jurídico no puede prohibir a *toda institución toda* propaganda, sin embargo cada propaganda en concreto dirigida a determinadas personas o determinada sociedad, presupone dicha autorización, expresa o presunta. De donde si una determinada persona ante un determinado propagandista, o un determinado grupo social ante otro determinado grupo, o una determinada sociedad ante otra sociedad expresan su voluntad contraria, el ordenamiento jurídico tiene que reconocerles su derecho a no ser molestados o irrumpidos en su paz o intimidad. Y al contrario, si una persona, grupo social o sociedad desea ser objeto de propaganda, el ordenamiento jurídico deberá reconocérselo, teniendo en cuenta además los efectos sociales que para terceros o para la sociedad puedan surgir.

En virtud de tal principio, una determinada propaganda podrá estar prohibida o libre en un país por suo ordenamiento jurídico según lo deseen los componentes del mismo.

b) *En el plano internacional.* El principio enunciado tiene por consecuencia que un país pueda prohibir la propaganda religiosa en general o la propaganda de la Iglesia en concreto. Para ello hoy goza de medios modernos jurídicos sin llegar al derramamiento de sangre, es decir, sin causar mártires, a través del confinamiento, el destierro, la expulsión o la prohibición de entrada.

Tal prohibición será ciertamente un derecho solamente en cuanto los miembros de tal sociedad o país *hayan expresado* su voluntad de no querer la propaganda religiosa o tal propaganda. La moral y la ética religiosa deberán calificar tal hecho de pecado social colectivo, al igual que califican de pecado personal la conducta de quien nada quiere saber de religión o de la religión verdadera. Pero de la misma manera que es un derecho personal, ante el ordenamiento jurídico civil, el rechazar de plano toda religión o la religión verdadera, igualmente es un derecho de la sociedad, ante el ordenamiento jurídico internacional, decidir su posición religiosa o arreligiosa. Va contra la ley de Dios (juicio ético-religioso), pero no lesiona derechos ajenos de las demás personas o instituciones sociales humanas.

c) *Consecuencias humanas para la Iglesia.* Tal principio puede llevar consigo represalias: si, por ejemplo, un país de católicos niega libertad de propaganda a los protestantes o budistas, éstos a su vez en su país podrán negar la libertad de propaganda a la Iglesia Católica. Lo mismo que entre personas: si yo no acepto que un protestante o budista me hable de su religión, él tendrá y tiene el derecho a que yo no le hable de mi fe católica.

Pero precisamente por la naturaleza de la propaganda (derecho que presupone autorización para penetrar en la intimidad personal o societaria) la solución —pacífica e intrínseca a su naturaleza— está en que las personas, las instituciones y las sociedades concierten y concuerden una mutua autorización para una mutua propaganda. Todo consiste en que cada persona, institución o sociedad a la luz de sus imperativos éticos pondere sus intereses religiosos y sus posibilidades de hacer propaganda a los otros a la vez que de correr el riesgo de ser objeto de propaganda por parte de los otros.

Las religiones de carácter *universal y necesario* con imperativo de abrazar a todos tendrán que correr ese riesgo para llegar a todos. De ahí un título de su carácter de « militantes », como ocurre con la Iglesia católica. El enfrentamiento entre las diversas religiones seguirá la línea más esforzada y difícil, pero más noble y espiritual de la dialéctica doctrinal de las mentes y del fervor religioso de las voluntades y corazones.

En definitiva, por tanto, se trata: *En el plano jurídico internacional*: de la libertad jurídica de los pueblos a escoger y elaborar sus leyes, y a concertar en sus relaciones internacionales su intimidad nacional con las intimidades de las demás naciones.

En el plano ético-religioso: de un juicio ético-religioso de la autoridad social religiosa para compaginar la tutela (riesgo de sus fieles frente a la propaganda extraña) con su imperativo misionero (propagar su mensaje religioso a los de fuera).

Por todo ello Pío XII exponía que, si bien el juicio político concreto *corres-*

ponde hacerlo « ante todo al estadista » « católico » (plano jurídico), sin embargo, en el juicio del imperativo ético-religioso concreto « es competente, en última instancia, el Romano Pontífice » por ser el Jefe religioso. Por eso, dado que la conducta jurídica *debe* (plano ético-religioso) ser conforme a la moral, el estadista católico « deberá solicitar también el juicio de la Iglesia », del Romano Pontífice (Pío XII, *Alocución al V Congreso Nacional Unión Juristas Católicos Italianos,* del 6-XII-1953), al dictar su juicio político.

Cap. II. Derechos de Dios Creador. Dios ha creado la persona como ser social. Ha puesto en el hombre unas leyes de naturaleza. Seguirlas en su conducta es deber de la persona, aun en su vida social.

Siguiendo el impulso o ley de su naturaleza la persona se une en sociedad con los demás para fomentar así su perfección personal. Y al unirse en sociedad establece una regulación de su misma vida social, que debe seguir las leyes de su naturaleza.

Naciendo la vida social desde la persona misma, ésta va desarrollando su sociabilidad y creando instituciones cada vez más complejas y elevadas en las que institucionaliza su socialidad. Sobre todas ella, siempre pondrá una norma e institución suprema que rija todo el complejo de la vida social y de las instituciones intermedias, para conjugarlo y coordinarlo en orden al fomento de la perfección de la persona. En el desarrollo histórico de la vida social, hemos llegado al *Estado,* llamado de *derecho*: el *conjunto de leyes* que regulan la vida social, *el ordenamiento jurídico institucionalizado.*

Tal Ordenamiento es un medio o instrumento supremo social para el perfeccionamiento de la vida de la persona y es a la vez la representación suprema institucionalizada de las personas y sus intereses.

A) *Como instrumento. a*) Siendo el Valor religioso *un valor* de la persona, ese instrumento social deberá reconocerlo para fomentarlo y regularlo, tanto más cuanto que la vida religiosa tiene por su naturaleza manifestaciones e imperativos sociales. Desconociendolo el Estado traicionaría su naturaleza.

b) Aún más: siendo el valor religioso el *valor supremo* o primero, el Ordenamiento jurídico deberá reconocerlo como tal para poder regular jerarquizadamente el fenómeno social religioso y darle su trascendencia social correspondiente.

c) Además el valor religioso es el *único valor de proyección universal* sobre la vida entera del hombre, ya que es un valor *imperativo* sobre todos los demás valores, personas, actividades e instituciones. Consiguientemente el Ordenamiento jurídico deberá reconocer esta cualidad especial, para poder regular la vida social bajo la dignidad e imperio universal del valor religioso. Reconozca, por tanto, que Dios está por encima de todos los otros valores sociales a promover.

B) *Como Representación. a*) Aun cuando haya instituciones intermedias religiosas, dedicadas especificamente al fomento del valor religioso y al culto, sin embargo la suprema manifestación de la vida social que es el Estado u Ordenamiento jurídico, deberá ser también *representación suprema institucionalizada de lo religioso.* Al igual que las instituciones sociales religiosas intermedias tiene su ordenamiento social que regula la actuación de sus miembros, también el Ordenamiento jurídico estatal —(*por la sola ley natural,* mientras no hayan otros imperativos revelados que modifiquen su estructura)— tiene que regular la actua-

ción religiosa de los miembros de esa Sociedad total o completa y de las asociaciones intermedias.

Pues, de la contrario, el Ordenamiento jurídico atendería tan sólo al orden externo de la actuación social religiosa de las sociedades intermedias, quedando así el valor religioso por debajo del ordenamiento jurídico completo de la sociedad; y además, *no habría expresión social religiosa de toda la sociedad,* por lo que el Estado u Ordenamiento Jurídico no sería ya el representante de toda la actividad social de la sociedad, con lo cual no alcanzaria el contenido de su propia definición.

b) Y como el Ordenamiento jurídico actúa a través de sus inmediatos representantes (los Gobernantes) que consiguientemente son representantes de toda la sociedad, el culto supremo formal de *toda la sociedad* estaría representado y dado en y por los gobernantes (bien en persona, bien en una sociedad con división de poderes, legislativo, judicial, coactivo etc.) a través de la autoridad creada para el caso. Tal naturaleza del Ordenamiento jurídico queda confirmada por la historia de los pueblos.

C) *Pluralismo.* Puesto que estamos analizando la naturaleza misma de la vida social o sea la *Ley Natural* o imperativos de Dios *Creador* en lo social, la objección de que el Ordenamiento Jurídico o Estado no puede expresar la multiplicidad de confesiones no tiene sentido. Nótese que estamos hablando del plano puramente natural, en el que no habría revelación alguna, y que consiguientemente las diferencias entre las diversas religiones naturales serían puramente rituales, no de contenido, que sería en todas el mismo (podrian a lo sumo tener diferencias accidentales de apreciación de puntos concretos, el Estado podría o bien respetarlas o bien reducirlas a una unidad). De ahí el caracter nacionalistico de formas que han tenido o tienen las religiones en los diversos Estados paganos.

D) *Sumisión del Estado. Competencia de Servicio.* No se trata de que el Estado tenga dominio sobre la Religión (« Religión de Estado »), sino que la Religión es un valor al que se somete el Estado u Ordenamiento Jurídico, cuya competencia no es sobre el valor religioso, sino sobre la regulación del mismo en sus expresiones sociales y en el fomento de su cultivo social. *Su competencia es pues de servicio, no de dominio.*

Pero precepto también natural es que si Dios habla debe ser escuchado y que si impone preceptos nuevos, deben acatarse. El Ordenamiento Jurídico de la Sociedad o Estado puesto que no tiene dominio sobre el valor religioso sino que está a su servicio, seguirá estando al servizio de lo religioso revelado, según lo exija la Palabra revelada.

E) *Conclusión.* El Ordenamiento Jurídico social debe: a) *como instrumento*: elevar a criterio constitucional el valor religioso, como valor supremo, e imperativo universal de las personas y por tanto de toda su actuación política.

b) *Como representante*: reconocer constitucionalmente que el valor religioso, supremo valor absoluto, está por encima de todo y también de sí mismo. Actuar por sus representantes en actos elícitos de Religión.

Como tales criterios el Estado u Ordenamiento Jurídico debe actuar en toda su legislación y vida política y jurídica, y solo así actúa conforme a su propia naturaleza, que le dió Dios Creador.

Cap. III. La libertad religiosa y los derechos de Dios Redentor.

Pero el hombre no ha existido ni existe en el orden natural, sino en el orden sobrenatural, en el que fué creado. Y así cayó, fué redimido y restablecido por Cristo.

Para aplicar su redención Cristo estableció su Iglesia, fuera de la cual no hay salvación, como sociedad necesaria y visible, perfecta e independiente en su misión.

I. El hecho de la Iglesia nos lleva a las siguientes consecuencias: a) *dualidad de Iglesia y Estado*: ya no habrá una sóla sociedad, la civil, que abarque al bien completo del hombre sino dos —Iglesia y Estado— cada una con su fín proprio: el religioso y el civil. Entre ambas abarcan al bien completo del hombre.

b) *Obligación y derecho de toda persona a entrar en la Iglesia*: obligación por ser necesaria; derecho porque juega su destino personal que nadie, ninguna otra persona ni potestad humana puede violar.

c) *Libertad personal de la decisión de entrar en ella*: la fé y la gracia no privan de la libertad, antes la presuponen y refuerzan por su misma naturaleza. El hombre sigue por tanto libre para decidir su salvación y por tanto su ingreso y perseverancia en la Iglesia. Por eso la Iglesia enseñó siempre: « *Nemo ad amplexandam fidem invitus cogatur* » (S. AUGUSTIN, hasta al c. 1351).

d) *Libertad de la Iglesia para desempeñar su misión*: Habiendo dado Cristo a la Iglesia una misión necesaria y por provenir del mismo Dios Encarnado, *ninguna potestad humana puede válidamente coartar el ejercicio libre de su misión.* Si alguien se opusiere, la Iglesia proseguirá aun a costa de su sangre. Bien sabe ella que « oportet Deo magis oboedire quam hominibus ». *Ninguna* razón libera a la Iglesia de su misión.

II. De tales presupuestos se derivan las bases o criterios fundamentales para la comprensión de lo que el Estado tiene que ser o ya en un orden hipotético de naturaleza, sino *en el actual orden* dentro de la « Economía de la Redención ».

a) *El Estado no es competente en la regulación y fomento directo de lo religioso*: la competencia que por ley natural corresponde al Estado sobre la regulación y fomento sociales de lo religioso ha sido entregado por Cristo a la Iglesia. El Estado, que deja de tenerla, debe por tanto respetar la competencia de la Iglesia, o sea reconocer la independencia de la misma en lo religioso.

b) *Criterio de competencia de servicio del Estado a lo religioso.* Por ley natural al Estado corresponde la competencia de servicios al valor religioso. Tras la fundación de la Iglesia como sociedad religiosa, en la que queda institucionalizado por Dios-Redentor el valor religioso, aquella competencia de servicio será *servicio a la Iglesia*, dándole las facilidades externas sociales para que Ella cumpla su misión religiosa.

c) *Criterio de competencia de regulación* (*indirecta*) *de lo religioso*: Al Estado, eximido ya de la atención de servicio directo a lo religioso, y de la competencia directa de regulación y fomento de lo religioso, le queda sin embargo la así llamada competencia de regulación « indirecta », bien *previa,* disponiendo el conjunto de condiciones sociales que faciliten la misión de la Iglesia, bien *consecuente* regulando las consecuencias cívico-sociales que se derivan de los actos religiosos que los miembros de la Iglesia y la actuación de la Iglesia ponen en su vida religiosa.

d) *Criterio de subordinación del Estado a la Iglesia*: Si el Estado por ley natural tenía competencia de servicio al valor religioso, al haberse instituciona-

lizado el valor religioso en la Iglesia, esa subordinación es a la Iglesia, exactamente *con el mismo caracter de subordinación que tenia antes al valor religioso.* Lo mismo ocurriría con la subordinación o competencia de servicio que el Estado tiene por ejemplo al valor del arte: si este estuviese institucionalizado en una sociedad, sería competencia de servicio o subordinación a esa sociedad artística.

Al ser subordinación o competencia de servicio, el Estado no puede entrar en la vida interior de la Iglesia, al igual que no podía entrar en dominar al valor religioso, sino a servirlo.

III. *Pluralismo religioso*: Este hecho, que no surge por la sóla ley natural, según la cual la única discrepancia estaría en lo ritual y en la actitud en pro o en indiferencia o en contra de lo religioso, brota en cambio cuando se trata de religiones que se presentan como reveladas, con diversos *contenidos* de revelación. Y aquí nos encontramos ya con un problema especifico social: el del « pluralismo religioso », ante el cual el Estado, tiene que tomar alguna actitud.

Podemos establecer los siguientes puntos, en modo sintético: *a*) el Estado debe *reconocer los derechos de la persona,* tal como la hemos expuesto en el capítulo I.

b) El Estado, mientras sus ciudadanos, como fenómeno social de conjunto, no hayan llegado a una conciencia común ante una determinada religión « revelada » tiene que contentarse con garantizar la *ley natural,* dejando el ordenamiento jurídico abierto a la predicación de toda religión que se diga « revelada », según vimos en el cap. II.

c) Caso de que la verdadera religión haya llegado a ser de dominio social conjunto de los ciudadanos de un país el Estado, para dar libertad de propaganda o negarla a las demás religiones, tendrá en último término que seguir el dictamen de la Iglesia, que ponderará, según sus imperativos de misión universal, si pastoralmente puede correr o no el riesgo de tal libertad, como explicamos en el capítulo I.

Cap. IV. La libertad religiosa y los derechos de la verdad.

El Estado está ordenado a la perfección de la persona: debe por ello fomentar desde sus medios propios y socialmente los valores de la misma. Entre tales valores está la *Verdad.* La Verdad no es algo abstracto sino que es Dios mismo, y su participación es el orden objetivo de los seres.

La persona tiene especiales deberes hacia la Verdad, impuestos precisamente por Ella: deber de alcanzarla, y por tanto de inquirirla. De ahí:

a) el derecho a que no se le impida su aceso a la Verdad (inquirirla, poseerla, defenderla y obrar conforme a ella), « *ius ad veritatem* ».

b) La Verdad, por tanto, funda derechos y en este sentido se habla de « *iura veritatis* ».

Tras las personas, por tanto, el Estado y el Derecho deben ver los imperativos de la Verdad, del orden objetivo, que es la Ley de Dios creador de los seres todos. De ahí se derivan los siguientes imperativos para el Derecho y el Estado:

a) El Estado debe crear las condiciones de vida social que faciliten el acceso de la persona a la Verdad, no sólo en el orden de los valores sociales temporales, sino también en el orden de las relaciones con Dios, i. e. en la Verdad religiosa, según hablamos en el capítulo II.

b) La Verdad religiosa está en la Iglesia católica luego deber del Estado es

crear, en cuanto a su naturaleza y función corresponde, facilidades sociales para que la Iglesia pueda más fácilmente ofrecerse a cuantos inquieran por la Verdad, según quedó expuesto en el capítulo III.

c) El Estado debe respetar y garantizar a toda persona el acceso a lo que « crea » ser la Verdad o « su » Verdad, el permanecer y vivir en ella, conforme a los criterios de derechos de la persona que expusimos en el capítulo I.

d) Puesto que el inquirir la Verdad implica, históricamente en el actual orden de providencia un « riesgo de error », el Estado no debe pretender que nadie yerre, sino que deberá reconocer un margen al error, según los derechos propios de la persona que vimos en el capítulo I.

e) Nunca puede quedar justificado que el Estado se constituya en positivamente ateo y promueva positivamente el ateismo, bien el ateismo positivo o antiteismo, bien el ateismo negativo o ateismo simplemente.

f) En caso de pluralismo religioso, dado que no existe más que una sola religión verdadera, —según el orden objetivo—, el Estado no puede dar un trato paritario de todas las religiones. Por eso el Estado no viene necesariamente obligado a reconocer a todas las religiones y Confesiones la misma libertad e igualdad jurídica, sino que debe reconocer trato especial a la verdadera, ya que solamente así creará las facilidades sociales para que sus ciudadanos puedan llegar más llanamente a la Verdad.

Evidentemente eso supone que haya llegado al Estado el conocimiento de la religión verdadera, a través de los medios de expresión social-política.

Cap. V. Libertad religiosa y bien común del Estado.

I. La función propia del Estado y del Ordenamiento Jurídico es el bien común, que es « el conjunto de condiciones o facilidades de vida social con las que las personas cuidadanas pueden conseguir más plena y expeditamente su perfección » (*Pacem in terris*).

El criterio del bien común, por tanto, radica en la naturaleza misma de la persona, y ha de tener en cuenta la doble dimensión de la misma:

1. la persona en cuanto individuo; la persona en cuanto miembro de la sociedad;

2. debe abracar todos los aspectos de la perfección de la persona: el bien completo.

En consecuencia el Estado debe tener en cuenta los siguientes criterios:

a) *Persona y bien común.* Puesto que la sociedad no anula, sino que debe perfeccionar a la persona, el primer deber del Estado será respetar la personalidad inalienable del individuo, que tiene sus deberes y derechos, como vimos en el capítulo I. No puede haber por tanto bien común, más que si se fomenta el *bien personal* de las personas. Pero no se trata del bien aislado de uno o de cada uno, sino del *bien personal de todos*; es decir que el Estado viene por su naturaleza a coordinar el concierto de los bienes personales de modo que vengan salvaguardados los *bienes de todos.* O sea debe componer las relaciones sociales de tal modo que cada de ellas pueda fácilmente lograr su propia personal perfección; el buen consorcio de los derechos de todos será el elemento esencial del *bien común (Pacem in terris).*

b) *Bien personal religioso y bien común.* El bien completo de la persona implica el bien *religioso.* Luego el Estado tiene que tener en cuenta el bien reli-

gioso como bien de las personas que están sujetas no sólo al Ordenamiento Jurídico, sino ante a Dios. De ahí el primer deber del Ordenamiento jurídico: reconocer libertad a la persona para que cumpla sus deberes religiosos.

Pero como el valor religioso es el *supremo* valor de la persona, el Estado no podrá nunca no sólo anular, sino tampoco posponer el valor religioso a otros. Aún más, como el valor religioso es de *imperio universal*; y por tanto la persona debe informar su vida toda con él, el Estado tendrá que reconocer esa supremacía, para que manteniendo la jerarquía de valores, informe su actuación en conformidad con el imperio de tal jerarquización.

El bien común implica por tanto al bien religioso como a su parte principal, suprema y jerarquizante.

c) *Subordinación del bien personal al bien común.* El *bien de cada uno* debe coordinarse, en la vida social, con el *bien de los demás.* Mientras cada uno en su conducta se mantenga en el plano de su individualidad, sin transcender a los demás, no surge colisión posible; al ordenamiento jurídico le bastará garantizar y tutelar la esfera de lo individual de toda intromisión ajena.

Pero en cuanto la realización del bien personal tiene repercusiones sociales, el Ordenamiento jurídico deberá cuidar de que tales repercusiones y las relaciones hacia los demás salven siempre los derechos ajenos y el bien común de todos. Y aquí es donde el bien personal, al menos en sus manifestaciones exteriores y utilización de medios exteriores, puede y debe tener limitaciones impuestas por el bien de los demás. Tales criterios valen también tratándose del bien religioso en el plano individual y en el confesional; cada persona tiene que tener jurídicamente tutelada su libertad y bien religioso personal, pero también puede venir obligada y coaccionada en sus manifestaciones religiosas por el bien común.

d) Esa limitación impuesta al bien personal por el bien común sin embargo nunca puede llegar a sacrificar el destino eterno de la persona. En definitiva, por una parte según el principio de Santo Tomás, « totus homo ordinatur ad societatem, at non secundum se totum » y por otra parte, toda la vida terrena, incluso la cívica, tiene que estar ordenada de tal manera que posibilite y facilite al hombre el cumplimiento de sus deberes y el acceso a su destino eterno (cf. *Pacem in terris*).

II. Las exigencias del bien común pueden limitar las actividades de las personas y grupos (Confesiones, Iglesias, etc.) según los siguientes criterios:

a) *por las buenas costumbres* o esfera de moralidad pública y social primaria, necesaria para asegurar la convivencia de los ciudadanos;

b) *por el orden público o social* que garantiza la posibilidad de convivencia organizada;

c) *por los derechos fundamentales personales* reconocidos igualmente a todos y en los que se basa el estatuto mismo de la convivencia social en un Estado determinado;

d) *por las bases fundamentales sociales* sin cuya tutela se anularía la existencia misma de la sociedad;

e) *por los aspectos y realidades comunes* histórico-culturales-sociológicos de cada nación (legítimos valores patrios).

III. *Bien común internacional y bien común de la Iglesia universal.* Cada Estado está inmerso en el consorcio de las Naciones; y existe un bien común internacional.

El bien de la Iglesia en cada país está también integrado en el bien común de la Iglesia universal.

Por tanto el bien religioso de cada nación tiene que estar conjugado con el bien común, tanto político como religioso; de lo cual hablamos al final del capítulo I.

Conclusion general. Los criterios expuestos en los cinco capítulos con los que han de conjugarse, imperiosamente, a la hora de estudiar el problema de la así llamada « libertad religiosa » en la convivencia humana cívica.

Bajo ellos hemos elaborado la crítica del capítulo y del esquema « de Oecumenismo », sobre « de libertate religiosa », como puede verse en la parte II siguiente.

[*Subscripserunt etiam*] Franciscus Barbado, ep. Salmantinus; Ioannes Hervás, ep. prael. Cluniensis; Iacobus Flores, ep. Barbastrensis.

Pars II. Observationes super cap. V (« *De libertate religiosa* »).

I. *Laudanda.* Plura in schemate laudanda sunt, inter quae:

1. Sollicitudo ad magna principia doctrinalia Ecclesiae problematibus quae ex actualibus circumstantiis historicis oriuntur, *adaptanda.*

2. Studium ut prona fiant, ex una parte *dialogus oecumenicus* et ex altera pacifica humana *conviventia,* clima mutuae comprehensionis et caritatis inter homines creando, Encyclicae *Pacem in terris* omnino consonans.

3. *Linea pastoralis* capitis, veluti pars totius schematis, quae non differt ab illa a Ioanne XXIII proposita in allocutione Patribus conciliaribus habita in inauguratione Concilii.

4. *Fiducia* in valore expansivo veritatis et in efficacia testimonii vitae christianae, quae ad fidei expansionem et conservationem aptiora sunt quacumque externa protectione.

5. Doctrina de actus religiosi libertate necnon et de eius indole personali ad fundandam libertatem civilem conscientiae.

6. *Tuitio* dignitatis personae humanae necnon iurium ex illa derivatorum, inter quae eminet « ut Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri » (*Pacem in terris*).

7. *Reverentia* conscientiae invincibiliter erroneae, « nam homo ad errorem lapsus iam non humanitate instructus esse desinit, neque suam unquam personae dignitatem amisit, cuius nempe ratio est semper habenda » (*Pacem in terris*).

8. *Reprobatio* cuiuscumque formae persecutionis et iniustae coactionis religiosae.

9. *Recognitio* limitationum legitime imponendarum exercitio externo libertatis religiosae.

II. *Consideranda et corrigenda. Notandum*: Critica, a nobis peracta, emendationes faciendas includit, quae sub nova redactione schematis infra proponuntur.

1. *De titulo.* Titulus « de libertate religiosa » aliquatenus genericum est, et tum pro vita interiore personali, tum pro vita iuridico-canonica seu ecclesiastica, tum pro vita iuridico-civili. Cum autem in capite agatur tantum de aspectu civili, titulus magis concrete mutandus desideratur: « *De libertate civili circa religionem* ».

2. *De loco.* Problema libertatis religiosae intime certo connectitur cum Oecumenismo. Urget ergo ipsum absque titubatione et accurata ratione perpendere. At non fuse sed breviter tractandum, pastorali et pragmatica orientatione potius quam

doctrinali, i. e., veluti conditio praevia exercitio oecumenismi. Eius locus ergo idoneus esset in capite primo vel secundo schematis.

Nunc caput sicut apparet ex eius redactione videtur insertum fuisse in schemate propter desiderium pertractandi problema libertatis religiosae in secunda sessione conciliari, potius quam ex studio tradendi fidelibus normas practicas ad eorum vitam oecumenismo universali aptandam. Caput enim praetergreditur limites oecumenismi. Nam:

a) Loquitur de materiis quae sub nullo aspectu oecumenismum sapiunt, e. g. de possibili cooperatione cum illis qui nullam religionem profitentur; immo quae neque ad libertatem religiosam referuntur, e. g. de discriminatione ratione originis, coloris vel sanguinis.

b) Redactio capitis videtur facta fuisse intuitu non oecumenismi sed potius dignitatis personae humanae, legitimorum iurium potestatis publicae et ordinationis conviventiae omnium hominum.

Si opportuna iudicaretur huius transcendentalis materiae a Concilio facienda dilucidatio extra vel supra limitationes oecumenicas, praestantiora fuissent duo alia media:

1) Aut expositio completa et systematica doctrinae, quae in schemate *de praesentia Ecclesiae in mundo* esset inserenda.

2) Aut — quod aptius videretur — expositio pastoralis qua Ecclesia in Concilium coadunata suam positionem proclamaret circa problemata conviventiae humanae in mundo hodierno, incedens in viam iam a Ioanne XXIII apertam et a Paulo VI commendatam. Talis expositio posset fortasse includi in quodam nuntio (mensaje) Concilii ad homines nostri temporis.

3. *De constructione systematica.* Illa duplex praeoccupatio (dialogus oecumenicus, et conviventia hominum) latens in toto capite causam sine dubio praebent anxietatibus, confusionibus, impraecisionibus, etc., non paucis quibus laborat eius redactio, necnon manifestis et gravissimis periculis si in praxim absque emendationibus deducerentur. Nota, e. g.:

a) Non apparet perspicue utrum eius conditio sit pastoralis an doctrinalis. Si caput intendit esse pastorale — sicut non semel affirmat exc.mus relator — continet innecessaria principia doctrinalia, sub formulis, non raro, nimis emphaticis, sollemnissimis et absolutis (v. c. « sollemniter declarat », « sollemniter affirmat », etc.). Quae videntur conformiora formulationi abstractae et supratemporali, magis quam decreto pastorali, quod respicit hominem « realem in reali eius cum aliis hominibus consortione, in societate humana et in societate civili hodierna » (cf. *relatio,* pag. 28). Si, e contra caput tradere intendit doctrinam — sicut eius redactio suadet — eget profundiore studio, expositione et structuratione magis logica et completa, nam doctrina schematis nec matura neque communis adhuc dici potest.

b) Naturalis et supernaturalis ordines frequentissime miscentur absque sufficiente distinctione. Sic, argumenta valida pro natura actus fidei enucleanda eiusque consequente libertate in ordine supernaturali transferuntur equivocis verbis et locutionibus (« eadem libertas religiosa », « haec libertas religiosa », « talem libertatem religiosam ») ad ordinem naturalem eiusque consequentem activitatem religiosam. Si fundamentum intenditur ponere aeque validum pro credentibus cuiuscumque religionis, absonum est de natura et libertate actus fidei supernaturali loqui,

cum hoc tantum valeat pro iis qui revelationem divinam accipiunt; sufficeret tunc ad dignitatem personae humanae respicere (cf. *relatio,* pag. 29, linn. 14-22).

c) Non adest proportio inter momentum diversorum argumentorum et spatium singulis concessum. Quaedam enim quae nullam difficultatem prae se ferunt — libertas essentialis actus fidei; libertas in exercitio privato religionis — late profuseque enucleantur. E contra alia, quae magnam difficultatem implicant — materia difficillima, ut ait ipse relator, *relatio,* pag. 30 — simpliciter affirmantur absque probatione, v. g., in n. 4 de libertate religiosa in vita publica et sociali.

d) Adstant affirmationes ita absolutae et universales quae videntur pugnare cum restrictionibus — non semel fortasse immoderatis — quae postea fiunt. Talis modus procedendi novam occasionem praebere potest inimicis Ecclesiae ipsam accusandi de duplici moderna forma machiavelismi, nam:

1) haec libertas religiosa ita emphatice et sollemniter affirmata inutilis reddi potest praetextu boni communis, iurium aliorum ac iurium Dei Creatoris et Salvatoris, praesertim in locis in quibus catholici maioritate gaudent.

2) Ecclesia, usque nunc inimica libertatis religiosae considerata, propter convenientias actuales vindicatrix fit istius libertatis, adhaerens plurimis Nationibus et Organismis Internationalibus qui talem libertatem iam admiserunt et proclamarunt.

e) Modus loquendi circa libertatem et circa ius proclamationis religionis facile errorem provocare potest. Nam conditiones quibus tum Ecclesia catholica tum ceterae aliae omnes religiones illud ius vindicant, non sunt prorsus eaedem. Sola enim Ecclesia catholica « per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem » (cf. Conc. Vat., DENZ. 1794) est perpetuum motivum ad illud ius valide sibi specialiter vindicandum.

IV. *De singulis numeris.*

Introductio. Pag. 3, linn. 3-4. « ... sive inter *christianos,* sive generatim in ordinata hominum *societate* ». Ecce dualitas supra significata, qua limites oecumenismi transgrediuntur. Omnino ergo delenda.

N. 1. Est in genere admissibilis, quamvis desideratur accuratior usus textuum Sacrae Scripturae, nam qui citantur non semper respondent sensui praeciso textus sacri.

N. 2. Continet etiam doctrinam in genere acceptabilem, dummodo perficiantur et significatio verborum et eorum extremi limites, ita ut perspicue appareat quidquid redactores sine dubio dicere voluerunt. Hoc in textu non apparet, e. g. non agitur de libertate morali coram Deo, neque de pueris, sed de homine in pleno usu suarum facultatum personalium constituto.

Desideratur praeterea in hoc numero accuratior ordo logicus. Nam: *a*) postquam schema dixit de modo « quo Deus homines ad suam veritatem et suum amorem allicit » (pag. 4, linn. 7-8), logice exponere debet in quo consistat talis modus, prout fit in linn. 22-25.

b) Hoc supposito, conclusiones sunt deducendae, et quidem sequentes:

1) Ecclesiae filii hortandi sunt ut talem modum prae oculis habeant in opere evangelizationis.

2) Quod valet etiam in casu erroris invincibilis personae ita ut nemo

« ad amplexandam fidem catholicam invitus cogatur » et ab omni iniusta coactione in annuntiatione veritatis abstinendum sit.

c) Ecclesia ergo catholica omnino vindicare debet libertatem civilem versus fidem. Nulla ergo potestas publica ingredi valet in actum fidei, cum natura ipsius plenam libertatem exigat.

Iuxta praedicta et ordine logico offertur nova ultima redactio, utendo, in quantum possibile sit, verbis ipsis primaevae redactionis.

N. 3. (Libertas externa individualis personae « coram aliis »). Postquam de libertate personali interiori actum est sub n. 2, in hoc n. 3 agitur de libertate externa *individuali,* incipiendo a natura libera actus moralis, ut concludatur: *a*) inalienabilitas decisionis personalis moralis; *b*) reprobatio cuiuscumque coactionis externae, i. e. intolerantiae; *c*) admissio alicuius activitatis externae individualis intra certos limites.

Doctrina ergo placet. Aliqua tamen corrigenda videntur:

1. Supponitur, at nihil dicitur, de pueris et ipsis aequiparatis, qui baptizantur *absque decisione personali.* Unde conclusio absoluta « nec ullus homo nec ulla humana potestas ius habet sese huic conscientiae erranti substituendi » prout sonat, valida non est. Exponatur ergo, aliquo modo, *decisionem* personalem debere esse in adultis i. e. usu rationis et libertatis praeditis.

2. Post expositionem de natura interna actus moralis — ne saltus illogicus fiat ad intolerantiam — exponi debet personam habere necesse esse *aliquam* libertatem externam. (Hoc in paragrapho 1 n. 5 invenitur. Ergó haec paragraphus ascendi debet in n. 3, et quidem meliori redactione). Cum *aliqua* libertas externa requiratur, ab omni activitate externa privari nemo potest.

Haec autem *aliqua libertas* est imprimis ad activitatem externam quae terminatur in ipsum agentem, de qua in hoc numero agitur. Haec ergo activitas impediri non potest *in seipsa* sed tantum quatenus in *suis effectibus* laedat iura aliorum vel bonum commune.

3. Conclusio ergo finalis sit reprobatio intolerantiae non quidem absolute, sed quatenus imponere vult decisionem personalem, vel supprimere omnem activitatem externam.

N. 4. (Libertas inter-individualis « cum aliis », et communitaria « coetuum ad intra »).

a) Post considerationem activitatis personalis, progressus fit ad activitates quae *simul cum aliis* ponuntur, de quibus confuse agitur in hoc n. 4, ubi simul indiscriminatim et de activitate *erga alios* loquitur, et quidem absque ulla ratione.

Quod valde mirandum est, maxime cum ipse relator recognoscat hic agi de re difficillima (*relatio,* pag. 30) quae vere est petra angularis totius capitis.

N. enim 4 videtur supponere omne *imperativum ethicum seu morale* gignere verum *ius* non tantum ad actionem personalem sed etiam ad actionem vere socialem, seu erga alios. Tale principium non est admittendum. Nequit enim affirmari *existentia* iuris personalis delictum committendi (magnicidium, abortum, occisionem pietosam, derelictionem filiorum infirmorum, etc.) in aliquo homine ex eo quod sic ipsi imperet dictamen propriae conscientiae, ita ut societas, radicaliter agnoscens illud ius, tantummodo limitare possit et debeat *exercitium illius iuris,* attentis bono communi et iuribus aliorum. In his casibus evidenter imperativum morale non generat verum ius.

b) In n. 4 alia confusio continetur, sc. supponitur principium secundum quod

persona errans habet ius quatenus bona fide informata est. Quod quidem falsum est ex diversis capitibus:

1) ex eo quod in n. 2 recognoscitur ius ad libertatem conscientiae etsi mala fide agat. Praecise hoc ius est in eo quod quis agere possit mala fide;

2) ex eo quod in n. 3 recognoscitur ius ad libertatem activitatis externae mere personalis etsi mala fide agat. Etiam hoc ius in eo praecise est quod quis agere possit etiam mala fide;

3) ex eo quod conscientia subiectiva etiam bona fide, seu invincibiliter erronea — ut diximus — non semper gignit ius;

4) ex eo quod, dato et non concesso principio de bona fide, haec vel praesumitur vel probationi est subicienda.

Si probanda est, quaeritur quisnam erit iudex, quibus criteriis et mediis uti debet ad iudicium proferendum?

Si vero praesumatur, attendatur ad id quod Conc. Vat. I admonuit, dicens: « Quocirca minime par est conditio eorum qui per caeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi aut in dubium fidem eamdem revocandi » (Sessio III, cap. III, Denz. 1794. Cf. etiam can. 6, Denz. 1815).

c) Expressio « ne ab aliis impediatur », ita indeterminata et universalis suggerit has interrogationes: agitur de personis et societatibus cuiuscumque generis; e. g. de parentibus versus filios in aetate educationali versantes; de Ecclesia versus suos fideles peccatores, rebelles vel apostatas.

Ergo talis expressio compleatur hoc modo: « ne ab aliis *in vita civili* impediatur ».

Unde *Conclusio*. Proponitur nova redactio huius numeri in qua agitur de libertate activitatis interindividualis et communitariae (i. e. cum aliis) relinquendo ad novum numerum quidquid refertur ad libertatem activitatis socialis et societariae (i. e. erga alios).

N. 4 bis. (*novus*: *De libertate sociali et societaria*). In hoc novo numero doctrina progreditur ad activitatem socialem, i. e. erga alios. Haec activitas, ex intrinseca necessitate, i. e. quia terminatur ad alios, iura personalia horum aliorum revereri debet. Ius igitur ad talem activitatem est, quatenus reverentur iura aliorum.

Quod valet et de personis singularibus et de coetibus, ac pro iuribus Dei Creatoris et Salvatoris, Ecclesiae ac boni communis.

N. 5. (*Conclusiones*). Ex doctrina exposita conclusiones fundamentales deducuntur, sive circa iura inalienabilia, ideoque semper et ubique vigentia, sive circa criteria politica ad exercitium iurium ordinandum.

1. Schema non logice procedit, cum loquatur de exercitio priusquam *principia doctrinalia* tradiderit.

Unde redactio quae offertur ordinem logicum proponit:

a) *de Potestate publica*: 1. nequit imponere directe nec indirecte determinatae fidei professionem. Quod autem nullo modo secumfert potestatem publicam non posse exigere quasdam conditiones praevias necessarias ad exercendam aliquam determinatam functionem publicam, v. g. ad exercendum magisterium in scholis communitatum vel coetuum quorum membra profitentur eamdem religionem (sive sit, v. c. catholica, mahometana, buddhista, etc.). In hoc casu applicatio boni com-

munis exigit reverentiam iurium parentum qui volunt filios educare in propria religione; 2. debet servare iustitiam et *aequitatem* in re religiosa; 3. debet in bono communi ordinando valores religiosos promovere (de quo tacebat schema); 4. nequit atheistice constitui nec atheismum promovere (de quo nihil in schemate dicebatur).

b) *de Ecclesia.* Cum agatur de quodam decreto conciliari Ecclesiae catholicae, et cum decretum ipsum memoret iura Dei Salvatoris quae non sunt quid abstractum (sicut schema videtur innuere), sed eorum institutum concretum (institucionalizados) visibile et sociale sit Ecclesia a Christo fundata, schema omittere non potest: 1. officium *inalienabile* praedicandi omni creaturae evangelium salutis; 2. nullam potestatem humanam posse coercere libertatem Ecclesiae ut adimpleat officium suum; 3. omnem potestatem teneri ad tuendam praedictam libertatem Ecclesiae.

Haec omnia inexplicabiliter prorsus omittebantur in schemate.

2. Limitationes quae in hoc numero imponuntur activitati religiosae in ordine externo sunt nimis indeterminatae et quandoque excessivae, immo occasionem praebere possunt arbitrarietati potestatis cui sit de bono communi iudicare.

a) Indeterminatio. Non statuitur quodnam vel quaenam sint media vel instrumenta authentica ad cognoscendum illum ordinem obiectivum iurium Dei et hominum (ratio? revelatio? consensus hominum? etc.). Quomodo enim iudicaretur divortium (a tot populis progressis admissum)? Quomodo abortum legale vel saltem birth control praecise in quibusdam nationibus opulentioribus admissum?

Unde ad talem indeterminationem auferendam criteria sufficientia exponuntur in nova nostra redactione, uti sunt lex naturalis, revelatio divina (n. 3, par. 4, ad 1), doctrina Ecclesiae (n. 3, par. 6) seu Magisterii (n. 7).

b) « *Iura Dei Creatoris et Salvatoris* » expressio est abstracta. Iam supra dictum est quomodo in Ecclesia talia iura concretizantur.

3. Paragraphus « Reprobanda quoque est discriminatio... sanguinem » (pag. 6, linn. 26-27) nullam habet relationem cum oecumenismo neque cum libertate religiosa. Et etiamsi magni momenti sit, locum hic non habet. Unde expungitur.

N. 6. « nuncupata » (pag. 6, lin. 35): tollatur; « sive credentes sive nullam religionem profitentes » (pag. 6-7): omnino tollatur.

N. 7. Cum christianus agere debeat sub lumine fidei, in nova redactione hoc palam ostenditur. Praeterea allusio fit ad ductum Magisterii Ecclesiae.

[*Subscripsit etiam*] Iacobus Flores, ep. Barbastrensis.

Pars III. Nova redactio offertur cap. V schematis « de Oecumenismo ».

Notanda: 1. Paragraphi vel verba quae de novo introducuntur in hac redactione, LITTERIS MAIUSCULIS scripta sunt.

2. Mutationes verborum relate ad schema officiale *sublineantur.*

3. Transpositiones paragraphorum his signis in initio =|| et his in fine ||= notantur.

De libertate civili circa religionem. (*Prooemium*). Recta libertatis *circa religionem* consideratio *multum* confert ad contactus et relationes sereno et pacato animo instaurandos SIVE INTER PERSONAS, sive in ordinaria hominum societate TUM NATIONALI TUM INTERNATIONALI.

Ecclesia catholica omnes et singulos homines, qui in adoptionem filiorum Dei

vocati sunt, instanter hortatur ut PRAESERTIM in praesentibus culturae et morum circumstantiis omnia studia sua convertant IN VITA SUA CIVILI ad defendendum honorem Dei et dignitatem personae humanae ab Eo creatae et redemptae. Quapropter *reiecta vetere discordia in fermento veritatis et caritatis,* aestiment et promoveant IN VITA CIVILI veritates et valores inter ipsos communes. Sed insimul, quod spectat ea in quibus unanimis consensus CIVILIS nondum attingitur, attendant ad sacra et absoluta Dei iura, ad veritates et VALORES seu obiecta quae semper observanda sunt, ET ad iura et officia personarum seu subiectorum quibus ET DEO SERVIENDUM ET veritati adhaerendum est. HAEC IURA ET OFFICIA CIVILIA personarum Dei dona *sunt* in Verbo hominibus tributa *ad* tutamentum mentis et corporis in hoc saeculo *ut omnes* a Spiritu Sancto *moti* ad donum Patris communis libere accedant.

1. (*Missio Ecclesiae et fidelium salvifica*). Ecclesia catholica ut divino obtemperet mandato: « docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20), infatigabili cura *laborare* debet « ut sermo Dei currat et clarificetur » (*2 Thes.* 3, 1) *ut* omnes « unanimes, uno ore honorificent Deum et Patrem Domini nostri Iesu Christi » (cf. *Rom.* 15, 6).

Hac de causa adiurat filios suos « primum omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus... Hoc enim bonum est... coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 1-4). Sed praeterea ipsos adhortatur ut, in sapientia ambulantes ad eos, qui foris sunt (cf. *Col.* 4, 5), « in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis » (*2 Cor.* 6, 6-7) lumen vitae diffundere satagant mediis naturae et gratiae quibus ipse Dominus usus est, praedicatione nempe doctrinae, exemplo vitae et testimonium perhibendo veritati (cf. *Io.* 18, 37) usque ad proprii sanguinis effusionem.

2. (*Libertas conscientiarum circa religionem*). Quamdiu tamen sunt in statu viae, discipuli Christi cum officio veritatem annuntiandi et defendendi, semper et ubique coniunctam habebunt obligationem amanter, patienter et prudenter agendi cum hominibus qui nondum ad plenam Evangelii cognitionem pervenerunt. Etenim usque ad consummationem saeculi errores circa fidem spargentur et fideles indesinenter videre debebunt ne quis eos seducat (cf. *Mt.* 24, 3-15). Praeterea ab ipsis agnoscendus et admittendus est modus *naturae humanae consentaneus* quo Deus homines ad suam veritatem et suum amorem allicit. =|| Nam homo a Salvatore redemptus et « in adoptionem filiorum per Iesum Christum » (*Eph.* 1, 5) vocatus, revelationi divinae adhaerere non potest nisi ex una parte Pater traxerit eum (cf. *Io.* 6, 44) et ex altera parte rationabile ac liberum Deo praestiterit fidei obsequium ||=.

Haec est ratio cur Ecclesia filios suos hortatur ut veritatem facientes in caritate (cf. *Eph.* 4, 15) dum homines ad fidem veram adducere conantur, semper curent ut ab ipsis, qui ad imaginem Dei creati sunt (cf. *Gen.* 1, 27) assensus ne detur nisi cum plena libertate et non reprehendente corde eorum (cf. *1 Io.* 3, 21).

Unde etsi error reiiciendus *sit et* veritas praedicanda, persona *tamen errans* circa fidem ad veritatem *ita quidem* allicienda *est ut principium et praeceptum Ecclesiae adimpleatur*: =|| « ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur » (*C.I.C.,* c. 1351) ||=; =|| *immo cum ipsa,* quamdiu in errore invincibili versatur, aestimatione digna sit, ||= =||in annuntiatione veritatis ab omni coactione CIVILI abstinendum est. ||=

=|| Respiciendum igitur est non tantum ad officia erga verbum vivificans quod praedicandum est, sed etiam *ad libertatem qua persona* ad fidem admittendam invitata a Deo praedita est. ||=

=|| Ab Ecclesia ergo libertas CIVILIS personae CIRCA FIDEM agnoscitur et vindicatur. ||=

3. (*Libertas externa individualis personae*). Eadem libertas non tantum a christianis, sed ab omnibus et singulis hominibus observanda est, *immo et ab* ORDINATIONE IURIDICA communis hominum conviventiae RECOGNOSCENDA ET VINDICANDA EST.

Humana enim persona, activitate conscia et libera praedita, cum voluntatem Dei tantummodo adimplere possit prout lex divina mediante dictamine conscientiae percipitur, finem suum ultimum obtinere nequit nisi iudicium conscientiae prudenter efformando eiusque dictamen fideliter exequendo. Ideo homo qui conscientiae suae sincere obedit, ipsi Deo, etsi quandoque confuse vel inscie, obedire intendit et honore dignus aestimandus est.

Hanc rationem profundius scrutando prae oculis habenda est sequens consideratio:

In unoquoque actu morali ponendo homo, USU RATIONIS ET LIBERTATIS GAUDENS, observare debet duas sequentes exigentias:

1) Unica datur veritas quae est ipse Deus. *Quia* Dei iura sunt absoluta, unusquisque homo semper et ubique sese submittere debet sacrae voluntati Dei, QUAM IN NATURA SUA SCRIPTAM ET IN VERBO DEI REVELATAM COGNOSCIT.

2) Deus qui hominem ad imaginem ET SIMILITUDINEM suam liberum creavit ET ACTIONES PROPRIAS IPSIUS IN EIUSDEM POTESTATE POSUIT, ab ipso petit submissionem liberam, i. e. ex perspecta voluntate divina imperatam obedientiam.

In omni actu morali ponendo personae humanae problema aliquod obicitur. Ipse personaliter sub Dei lumine et adiutorio, adhibitis omnibus mediis (pro hounusquisque homo semper et ubique sese submittere debet sacrae voluntati Dei, a sua voluntate exigat. Ex natura rei in hoc problemate solvendo nec ullus alius homo nec ulla potestas sese ipsi substituere valet.

Quae cum ita sint, si, non obstantibus omnibus suis conatibus ad recte videndum quid Deus in concreto problemate ab ipso petat, persona humana erroneam solutionem admittit, nec ullus homo, nec ulla humana potestas ius habet sese huic conscientiae erranti substituendi a. v. in ipsam coercitionem exercendi.

QUAE LIBERTAS IN PERSONALI EXERCITIO RELIGIONIS REALITER ET EFFECTIVE NON AGNOSCITUR, SI AB OMNI ACTIVITATE EXTERNA PERSONALI PRIVATIM PUBLICE IMPEDITUR. =|| Quare in humana conviventia et in societate civili nemo externo exercitio INDIVIDUALI suae libertatis PERSONALIS privari potest dummodo iura aliorum *et* bonum commune salva remaneant. ||=

Ecclesia catholica intolerantiam ILLAM CIVILEM, =|| qua homo privatur libertate sua in observandis iis dictaminibus conscientiae suae IURA ALIORUM ET BONUM COMMUNE NON LAEDENTIBUS quae ipsi etiam bona fide erranti ut suprema et sacratissima apparent, ||= summo gradu odiosam atque offensivam erga personam humanam esse declarat.

4. (*Libertas interindividualis « cum aliis », et communitaria « coetuum ad intra »*). =|| Ecclesia catholica affirmat talem libertatem competere tum singulis personis tum coetibus hominum, qui exigentiis suae conscientiae adducuntur ut

collatis viribus PROPRIAM vitam religiosam ducant vel promoveant. ||= =|| In materia ergo religiosa praedicta externae CIVILIS coactionis exclusio ab Ecclesia catholica vindicatur non ut mera « libertas opinionis », nec ut mera « libertas adimplendi ritus propriae religionis », sed ut VERUM ius *tum personarum* TUM COETUUM nec ab aliis IN VITA CIVILI impediantur quominus obser*vent* officia sua *privatim publice* erga Deum et INTER SE, =|| dummodo *iura aliorum bonum commune* et IURA DEI CREATORIS ET SALVATORIS salva remaneant. ||=

4 bis. (*Libertas socialis « erga alios » et societaria « coetuum ad extra »*). HOMO QUI EX DICTAMINE PROPRIAE CONSCIENTIAE, ETIAM INVINCIBILITER ERRONEAE, ANNUNTIARE ET PROCLAMARE CETERIS PROPRIAM DOCTRINAM INTENDIT, TENETUR INSIMUL AGNOSCERE ET REVERERI CONSCIENTIAM, LIBERTATEM ET IURA PERSONALIA ALIORUM. ALII VERO OFFICIUM EX DICTAMINE PROPRIAE CONSCIENTIAE HABERE POSSUNT VEL SALTEM IUS PERSONALE EX SUA LIBERTATE HABENT, SIVE NON AUDIENDI SIVE DEVITANDI NUNTIATORES EXTRANEOS. OFFICIUM MORALE ANNUNTIANDI IUS NON GIGNIT CUM CETERI NOLUERINT AUDIRE VEL VOLUERINT DEVITARE NUNTIATORES.

QUOD QUIDEM VALET TUM PRO SINGULIS PERSONIS TUM PRO COETIBUS HOMINUM.

ECCLESIA ERGO CATHOLICA RECOGNOSCIT ET VINDICAT IUS PERSONARUM ET COETUUM PROCLAMANDI PRIVATIM PUBLICE OFFICIA ERGA DEUM ET ERGA HOMINES SIVE SINGULARITER SIVE COLLECTIVE SUMPTOS PROUT CONSCIENTIA MANIFESTANTUR, QUATENUS *iura inalienabilia et libertates personae humanae, iura Dei Creatoris et Salvatoris et iura Ecclesiae, salvo etiam bono communi, integra remaneant.*

5. (*Conclusiones*). =|| HIS DE CAUSIS haec Sacra Synodus solemniter declarat et inculcat conatus ad religionem ipsam sive in toto genere humano, sive in determinato coetu religioso, SIVE IN QUALIBET PERSONA penitus extinguendam manifestissime et gravissime laedere iura Creatoris et Salvatoris hominum, iura quoque sacratissima conscientiae humanae, familiae gentium ET ECCLESIAE.

Potestas publica, SIVE NATIONALIS SIVE INTERNATIONALIS, nequit imponere civibus determinatae religionis professionem tamquam conditionem ut pleno et integro iure vitae nationali et civili participare valeant. *Eadem potestas* debet iustitiam et aequitatem observare erga omnes personas et coetus qui in re religiosa dictamini suae conscientiae obediunt. IMMO DEBET ET COMPLEXUM CONDITIONUM VITAE SOCIALIS ITA POSITIVE APPARARE UT CIVES PROPRIAM VITAM RELIGIOSAM SECUNDUM VOLUNTATEM DEI PLENIUS ET EXPEDITIUS CONSEQUI ET PROMOVERE VALEANT. POTESTAS IGITUR PUBLICA CITRA MAXIMUM OMNIUM SCELUS NEC ATHEISTICE CONSTITUI NEC ATHEISMUM FOVERE POTEST.

ECCLESIA CATHOLICA SESE PROCLAMAT A CHRISTO DOMINO INSTRUCTAM OFFICIO INALIENABILI ANNUNTIANDI OMNI CREATURAE EVANGELIUM SALUTIS. POTESTAS IGITUR HUMANA NUMQUAM VALIDE POTEST ECCLESIAE LIBERTATEM COERCERE, IMMO HANC POSITIVE TUERI TENETUR, MAXIME CUM SPECIALES NOTAE QUIBUS ECCLESIA OSTENDITUR, FACILE DIGNOSCI VALEANT (Conc. Vat., DENZ. 1794).

Sacra Synodus solemniter affirmat ius CIVILE conscientiae in re religiosa externe exercenda, salvis bono communi ET IURIBUS ALIORUM, semper et ubique valere et ab omnibus agnoscendum esse.

Nostris autem temporibus ubique terrarum libertas CIVILIS ERGA RELIGIONEM

speciali modo urgenda est quia in dies frequentiores fiunt relationes quibus homines disparis cultus et diversae religionis inter se connectuntur.

Ideo in vita publica exercitium externum libertatis impediri non potest NISI IUXTA PRAEDICTA CRITERIA.

Pro omnibus civibus in materia exercitii libertatis illud « minimum » in tuto esse debet sine quo ex una parte essentialis autonomia humanae personae non illaesa remaneret, et ex altera parte humana societas, constans ex conviventibus hominibus qui, peccato originali eiusque sequelis contaminata, errare possunt, de facto impossibilis redderetur.

6. (*Collaboratio cum iis qui foris sunt*). Quum grassante materialismo hodierno fundamenta omnis religionis et societatis corrodantur, Ecclesia catholica vota facit ut quicumque christiano nomine honorantur, quantum fieri potest secundum exigentias sanae rationis, ordinem naturalem et depositum vitae christianae consertis precibus et viribus tueantur et promoveant, immo ut omnes homines bonae voluntatis simul operam dent ad ordinandam societatem secundum normas morales ex ipsa dignitate personae humanae profluentes.

7. (*Normae supremae christifidelium*). Quae normae quamvis fundamentum commune ad instaurandum ordinem vere humanum praebeant, a christifidelibus tamen non ut unica et suprema norma considerandae sunt. *Homo ad imaginem Dei factus et in Dei adiutorium constitutus,* in vita sua dirigenda et in labore suo perficiendo regi potest ac debet LUMINE FIDEI SUB DUCTU MAGISTERII ECCLESIAE et praecepto caritatis, quo munus perficiendae creationis (*Gen.* 1, 28; 2, 5 et 15) et servitium sociale, quod omni activitati bona culturae humanae producenti intrinsecum est, in aedificationem Ecclesiae (*1 Cor.* 24, 5) et in gloriam Dei (*1 Cor.* 10, 31) ordinantur.

[*Subsignavit etiam*] Iacobus Flores, ep. Barbastrensis.

32

EXC.MUS P. D. SANCTUS MORO BRIZ
Episcopus Abulensis

Textus propositi merita. a) Laudanda « intentio » respondendi pastoralibus necessitatibus nostri temporis, v. g. evangelizationis novarum insurgentium nationum; instaurandi dialogum oecumenicum inter christianos et inter alios homines qui religionem aliquam profitentur...

b) Laboravit strenue ad mediam inveniendi viam inter « continuitatem et progressum »..., etc.

Animadversiones circa textum in genere. 1. Inservire intendit « oecumenismo ». Respondebit forte « mentalitati » hodiernae regionum, quae olim vocabantur « protestantes ». Non tamen regionum quorum magna pars est catholica (America Latina, sub finem huius saeculi, erit dimidia pars orbis catholici...).

2. Textus in modo loquendi est obscurus, plenus ambiguitatibus, ansam praebet multis aequivocationibus et sophismis.

3. Non servat aequilibrium inter « continuitatem et progressum ». Attendit potius ad *novitatem* quam ad *traditionem.* « Revolutionem » in re gravissima, non paulatinam « evolutionem » fovet.

4. Conceptus « libertatis » semper exponitur, qui non est vere catholicus (= mera liberatio a coactione externa). Est conceptus obscurus, imperfectus. Est potius exaltatio « liberalismi », toties ab Ecclesia damnati. Non respondet verae « Historiae salutis »: homo enim factus est *servus* peccati, et iam non consequitur veram libertatem nisi *per* Christum et mediante Ecclesia catholica.

5. Confunditur saepe et aequiparatur libertas « religiosa » cum libertate « conscientiae ». Fit transitus illegitimus ex ordine interno, subiectivo et individuali ad ordinem externum, obiectivum et socialem. Et quidem « ex situatione invincibiliter subiectiva, ad normam vere obiectivam » stabiliendam.

6. Praetermittit etiam: *a*) necessitatem educandi libertatem (ut rectam sibi efformet conscientiam); *b*) doctrinam veram de « bono communi »...

7. Doctrina « de iure personae errantis » non videtur recte proponi. Non distinguit inter conscientiam *rectam* et *erroneam*; nihil dicit de obligatione hominis sese formandi conscientiam rectam; nec de iure Ecclesiae ad conscientias educandas et dirigendas.

Oporteret doctrinam catholicam hac de re summatim attingere (v. g. classicam Leonis XIII: « Est *ius* facultas moralis, quam, ut diximus saepiusque est dicendum, absurdum est existimare, veritati et mendacio, honestati et turpitudini promiscue et communiter a natura datam »): *a*) cur conscientia sit *norma* moralitatis in subiecto; *b*) conscientia invincibiliter erronea *ius* proprie non habet; *c*) etsi *homo* taliter errans — ratione suae « personae » et dignitatis et quidem propter bonum commune —, *honorem* et reverentiam mereatur. Vindicatur ergo, in persona errante, non « libertas religiosa », sed « dignitas humana ».

Animadversiones in specie. 1. *Titulus* capitis (de libertate *religiosa*) non videtur aptus. Praestaret potius alium titulum positivum apponere: v. g. « *De iure personae ad religionem* ».

Talis « status quaestionis » exhibetur, ut quasi necessario notio « negativa » libertatis proponenda sit (= immunitas a coactione externa), lineae « individualisticae liberalis », v. g. (ONU) pedissequus...

Addatur in prologo (ad « opportunismi » notam reiiciendam) Ecclesiam *nova* non proponere, sed *noviter* accommodata.

2. Adest in textu falsa contrapositio inter *iura obiectiva* Dei et (supposita) *iura* hominum (pag. 3, linn. 5-17): insuper inter *officium* evangelizandi et iura (supposititia) hominum (pag. 4, lin. 11) (immo inter illud officium et ipsam Dei gratiam!).

3. (pag. 4, linn. 16-17). Confunduntur « assensus fidei » in qua omnis « coactio » est iniusta, et « annuntiatio fidei » (haec admittit « actionem » externam, v. g. Ecclesiae, iustam). Uti iacet, videretur colligi « omne mandatum » — etsi a legitima auctoritate impositum —, esse « coactionem conscientiae ». Addatur ergo « iniusta » verbo « coactio » vel « actio ».

4. (lin. 21). Definitio « libertatis religionis » est mere negativa, et iuridica, ac summe insufficiens. Dici deberet: « personae humanae facultas Deum libere colendi, ab ipso actu fidei, non tantum supponitur, verum etiam, adiuvante gratia, excitatur atque fovetur » (ceteris suppressis).

(Linn. 31-37). Repetitio non necessaria (dicta sunt in n. 2).

(Lin. 38 et pag. 5, linn. 1-19). « Analysis actus fidei moralis est, insufficiens, scholastica et inutilis ».

5. (lin. 20). Modus dicendi nimis « violentus ». Vox « intolerantia » non placet.

6. (N. 4, linn. 25-34). Paragraphus retinenda. Praestaret tamen eam perficere, v. g. voci conscientiae addatur « recta ». Definitio « libertatis religiosae » sit positiva. Religio non est valor quicumque, sed specificus hominis, alios transcendens et ordinans.

7. (N. 5, linn. 35-39 et pag. 6, linn. 1-9). Tres istae paragraphi in unam reducendae, addita mentione speciali « boni communis ».

8. (Linn. 10-14; 15-19; 20-25). De « abusibus » civilis potestatis in re religiosa. Sunt nimis « violenti » et negativi.

9. (Linn. 26-27). Vagantur extra argumentum. Transferantur igitur ad constitutionem *de Ecclesiae praesentia in mundo.*

10. (Linn. 28-30). Haec definitio solemnis supprimi deberet.

11. (N. 6, linn. 34-39 et pag. 7, linn. 1-2). Probari non potest *motivum* unionis (pure tacticum). Invitantur ad unionem etiam « homines nullam profitentes religionem », quaero: dignitas personae humanae servarine valet sine religione?...

12. (N. 7). Retinendus conceptus huius paragraphi. At in conclusione textus desideratur quaedam *exhortatio* qua homines invitentur ad veram libertatem « interiorem ». Addatur *exercitium* huius libertatis esse reponendum in caritate et servitio aliorum hominum: et haberi non posse nisi « Dei adiutorio in Christo, et in eius Ecclesia catholica ».

Attentis igitur argumenti gravitate, difficultate ac maximo momento, videtur hoc documentum (schema) *fundamentaliter esse revisendum.*

Haec revisio fieri posset non a solo Secretariatu pro Unione, sed a commissione mixta (ex membris etiam commissionis de doctrina fidei et morum ac de fidelium apostolatu).

Non minus opportunum et necessarium est argumentum « de auctoritate et oboedientia in Ecclesia », quam doctrina de « libertate religiosa ».

Speciminis gratia adiicitur textus novus, qui pluribus Patribus conciliaribus placuit [*cf. pag. 681*].

33

EXC.MUS P. D. EDMUNDUS NOWICKI

Episcopus tit. Thuggensis, coad. s.d. Gedanensis

Nomine quoque episcoporum Poloniae in Sacrosancto II Vaticano Concilio coadunatorum votum humile proferre mihi liceat circa cap. IV schematis *de Oecumenismo* prout sequitur:

I. *Quod titulum ac textum in primis quinque lineis contentum.* Titulus capitis minime adaequatus videtur materiae in eodem contentae.

Dum enim inscribitur: « De catholicorum habitudine ad non christianos et maxime ad iudaeos », de non christianis in genere nonnisi unica thesis habet quinque lineis constans, ac insuper tantopere generali modo concepta, ut pastorali valore — pro animabus sive christianis sive populorum non christianorum, S. Concilium autem attentis oculis prosequentium — orbata remaneat.

Cui igitur disproportioni, ut remediatur, humiliter proponitur: vel, ut titulis capitis simpliciter restringatur ad iudaeos et deleatur textus in primis quinque

lineis contentus; vel ut potius, titulo praeiacenti retento, de populis non christianis in genere mentio condignior fiat, ita quidem ut luculenter appareat, quantopere numerosissimi populi illi materno sint cordi Ecclesiae Sanctae Dei.

II. *Quod ad mentiones sacerdotum* in linn. 29-31. Adhortatio sacerdotibus inculcata, in linn. 29, 30, 31: « Caveant sacerdotes etc. », minime placet.

Imprimis enim adhortatio illa haud necessaria videtur, immo a sacerdotibus aegre ferri deberet, cum nemini dubitare liceat, eos conscios sibi esse se ministrorum munere fungi divini Regis amoris, non autem dispensatorum odii aut despectionis.

Insuper vulnera populo iudaico nostris temporibus criminosissime illata adhuc ac tantopere quidem patent, ut in contextu hoc praedictum monitum subintelligi possit uti vituperatio quaedam sacerdotum quoad praeterita. Quod autem summopere iniuriosum esset, si quidem sacerdotes nostri, caritate christiana flagrantes, in ultima illa crudelissima populi iudaici persecutione proprio cum vitae periculo persecutis innumeris auxilio efficaciter fuerint. Eo vel minus igitur praemissa adhortatio sacerdotibus inculcata iusta apparet.

Nemo autem est, qui non videat, iniurias populo iudaico illatas e spiritu mundano seu laicistico, qui dicitur, oriri solere, qui principiis religionis expers, mox his mox illis ferocibus ideis homines imbuens, eos ad varia scelera adducere scit.

Quibus omnibus sedulo attentis ac consideratis, loco verborum: « Caveant sacerdotes etc. » in linn. 29, 30, 31 legatur: « Ideo caveant homines, ubicumque terrarum, ne quid doceant vel mediis communicationis socialis propagent, quod in cordibus aliorum odium aut despectionem erga Iudaeos gignere possit ».

34

Exc.mus P. D. ANDREAS PANGRAZIO

Archiepiscopus Goritiensis

Post lin. 5, pag. 25, videtur *adiungendum* (ibi vel alibi): « nec praetereundi etiam fratres qui patientiam et fidem sanctorum (*Apoc.* 13, 10) praestaverunt, atque verbera experti, insuper vincula et carceres (*Hebr.* 11, 36), in uno Christo, Spiritu Sancto mirabiliter operante, Deum morte clarificaverunt » (*Io.* 21, 19) ». *Ratio* est quia sic recte agnoscitur *testimonium fidei* eorum, qui, etsi in Ecclesiis separatis viventes, pro fide Christi vel mahometanismi oppressionibus vel sive communistarum sive nationalsocialismi germanici atheismo se opposuerunt, et saepe saepius non solum vincula et carceres sed etiam mortem subierunt et nunc etiam subeunt.

In cap. IV. Pro meo iudicio magis ad omnes religiones non christianas extendenda videntur quae dicuntur in capite; et ideo opportunum ea omnia supprimere quae dicuntur in linn. a 9 pag. 3 ad 3 pag. 4, vel saltem a lin. 18 pag. 3. *Ratio* est: quia tali modo quae necessaria sunt dicuntur sine nimia mora in re.

35

EXC.MUS P. D. PAULUS PHILIPPE
Archiepiscopus tit. Heracleopolitanus

Hoc schema mihi placet. Attamen quasdam emendationes propono quae eo spectant ut ambiguitates pro posse vitentur, atque doctrina catholica in aliquibus locis clarius exponatur.

Cap. I. N. 1. pag. 7, linn. 25-30. Modus loquendi de loco et munere B. Petri inter alios apostolos videtur attenuare et quasi velare veritatem, quod nullo modo proderit unioni christianorum. Alia formula eligatur quae clare exprimat B. Petrum a Christo electum esse tanquam fundamentum suae Ecclesiae. Res sic enuntiari posset: linn. 26-27: « ... post eius confessionem et maioris dilectionis professionem, elegit, *fratrumque suorum collegio praeposuit, ut fundamentum Ecclesiae esset, eos in fide confirmando* et universum... ».

N. 1, pag. 8, lin. 11; n. 2, pag. 8, lin. 13. Oportet dicere unitatem Ecclesiae omnino indefectibilem esse. Ideo ne forte intelligatur schismata ipsam unitatem Ecclesiae tetigisse, omittenda sunt in lin. 13 verba « In hac una... Ecclesia ». Igitur in linn. 11-13 haec propono: « ... in Spiritu Sancto. Quae unitas, indefectibilis in saeculis permanens, nullis divisionibus ab hominibus illatis unquam infringi potest.

2. (De habitudine fratrum separatorum ad Ecclesiam catholicam). Attamen iam a primordiis schismata quaedam exorta sunt... ».

N. 2, pag. 8, lin. 26: « quibus quoque Ecclesia unitas manifestatur »: illa verba mutanda sunt quia sunt valde ambigua. Verum est quod illa elementa seu bona de se ad Ecclesiam unam pertinent et quod illis fratres separati ad Ecclesiam unam et unicam ordinantur, at insimul praesentia illorum elementorum extra saepta visibilia Ecclesiae cum admixtione erroris divisionem christianorum significat potiusquam unitatem Ecclesiae manifestat. Ideo, in lin. 26, haec propono: « ... elementa, quibus fratres separati ad unitatem Ecclesiae ordinantur ».

N. 2, pag. 8, linn. 28-32. In hac paragrapho mentio facienda esset de subiectiva dispositione necessaria ut actiones sacrae apud fratres separatos peractae sint eis media salutis.

Ideo, in linn. 27-28, haec addenda propono: « Nonnullae etiam christianae religionis actiones sacrae apud fratres separatos sincero corde cum voto verae Ecclesiae peraguntur, quae... ».

N. 2, pag. 8, linn. 32-33. « Item ipsae Ecclesiae et communitates separatae nequaquam in mysterio salutis significatione et pondere exutae sunt ». Haec propositio ambiguitatem quamdam continere videtur. Etenim potest significare communitates separatas providentialia quaedam organa esse in mysterio salutis — quod quidem asseri nequit —, aut quod *de facto* media sunt quibus post funesta dissidia, Dei misericordia utitur ad salvandas animas, prout illae communitates vestigia retinent patrimonii christiani — quod verum est. Ideo, linn. 32-33 sequentia propono: « Item in ipsis ecclesiis et communitatibus separatis, Spiritus Sanctus vestigiis elementisque patrimonii christiani misericorditer virtutem confert salutiferam, quae a plenitudine gratiae et veritatis Ecclesiae concredita derivatur atque ad ipsam tendit ».

N. 3, pag. 9, lin. 36. Omittantur verba « possidebunt et... », nam fideles in

Ecclesia catholicitatem iam perfecte possident, sed insuper in sua ratione agendi debent eam plenius manifestare.

N. 3, pag. 10, in fine paragraphi (linn. 3-8). Hic in lin. 8 opportunum esset declarare sequentia: « ... attingatur. Nec unquam Ecclesia postulare potest, ut fratres separati suis divitiis vere christianis renuntient, sed ardenter exoptat, ut illa bona in plenitudine haereditatis christianae amplientur atque perficiantur ».

N. 3, pag. 10, lin. 35. Addatur « *et Ecclesiae suae contulit* ».

Cap. II. Prooemium, lin. 1. Non omnes christifideles habent *munus* procurandi unitatem. Ideo dicatur: « Ad omnes christifideles pro eorum conditione pertinet... ».

In hoc capite « de Oecumenismi exercitio » dicatur quod incepta oecumenica fidelium semper subduntur moderationi et vigilantiae episcoporum.

N. 7, pag. 16, lin. 16. Loco « pro Ecclesiae unitate », dicatur « pro *christianorum* unitate ».

Pag. 23. De communitatibus inde a saeculo XVI exortis.

Animadversio generalis. In ista parte capitis (nn. 19-23), prae oculis habendum est quod ipsae confessiones fidei — etsi in illis felix quaedam evolutio notari possit — adhuc sub influxu remanent principiorum Reformationis, uti patet apud notos theologos protestantes.

Ideo sententiam sequor exc.morum episcoporum Prov. Aquen. et Avenionen. (cf. Emendationes super schema Decreti, pag. 28, n. 163), scil.: paginae istae de novo redigantur, modo positivo quidem, sed breviore.

Si textus schematis tamen retineatur, sequentes emendationes propono:

N. 19, pag. 23, linn. 14-17. Paragraphus « Ante omnia... perventum sit » omittatur, nam origo Reformationis non potest describi modo tam simplici, nec pertinet ad Concilium sic exprimere mentem et intentionem Reformatorum.

N. 19, pag. 23, linn. 26-28. Haec verba « immo obliviscendum... gaudent » omittantur, nam haec intelligi possent de sacerdotio Anglicanorum.

N. 20, pag. 24, linn. 2-3. Haec verba « Desiderio unionis... etiam reddendum » omittantur, quia textus videtur agnoscere simpliciter ut bonum quoddam activitas missionaria Protestantium: utique zelo saepe admirabili moventur, sed etiam errores sic propagantur.

N. 23, pag. 25, linn. 6-10. Ultima paragraphus (linn. 6-10) omittatur, qui alludere videtur sive ad protestantismum sic dictum liberalem sive ad quasdam sectas, in quibus christianismus valde diluitur.

36

EXC.MUS P. D. ANTONIUS PILDÁIN Y ZAPIÁIN
Episcopus Canariensis

Ad cap. V: de libertate religiosa. Humiliter propono quod penitus deleantur propositiones cap. V schematis *de libertate religiosa* quae infra transcribuntur.

Et si non delentur, propono quod ad hoc ut nemo decipiatur, sed e contra plane omnibus pateant, significatio et consequentiae talium propositionum, ipsis addantur explicationes quae singulis earum infra apponuntur.

I. « Sacra Synodus sollemniter affirmat ius ad libertatem conscientiae in re religiosa externe exercendam, salvo bono communi, semper et ubique valere et

ab omnibus agnoscendum esse » (verba schematis, pag. 6). Deleantur. Secus vero addantur sequentia: Et quoniam non desunt qui, prouti totidem dictamina propriae conscientiae, in re religiosa, profitentur religiones quae liceitatem declarant divortii, onanismi coniugalis et polygamiae, et quidem ut congruentia omnino bono communi sive nationali, sive universali, *hoc Sacrosanctum Concilium Vaticanum II sollemniter affirmat* ipsis plenum competere ius libere profitendi has religiones et, secundum ipsas, praedicandi et proclamandi liceitatem divortii, onanismi et polygamiae, et quidem, semper et ubique, atque proinde non solum in domibus, sed et in plateis, et scholis et universitatibus, ut ius a nemine coercendum, sed e contra ab omnibus agnoscendum. *Immo Sacra Vaticana Synodus affirmat* ius ad talem libertatem conscientiae cum his consectariis, non solum praedicandam sed et externe exercendam.

Ne obiiciatur haec contra bonum commune esse, atque proinde, exceptuanda a libertate, prouti dicitur in schemate.

Quis enim efficaciter redarguere poterit eos de hac re, et ipsam auctoritative impedire?

Ecclesia? Sed Ecclesiae auctoritatem omnino reiiciunt.

Et praeterea « Ecclesia catholica — ait schema — intolerantiam religiosam summo gradu odiosam atque offensivam erga personam humanam esse declarat ».

Status? Sed, in primis, plures status hodierni plane consonant eis. Sed, praeterea, neque qui concordes non sunt, ipsis officere possunt. Nam quantumvis in his dictaminibus suae conscientiae errent, « nec ullus homo, nec ulla humana potestas ius habet sese huic conscientiae erranti substituendi a. v. in ipsam coercitionem exercendi », dicitur in schemate.

II. « Ecclesia catholica affirmat talem religiosam libertatem competere tum singulis personis humanis, tum coetibus hominum, qui exigentiis suae conscientiae adducuntur ut collatis viribus vitam religiosam ducant vel promoveant » (ita verba schematis, pag. 5). Deleantur, secus vero addantur sequentia: Et quoniam de facto diversi coetus hominum existunt, qui exigentiis suae conscientiae adducuntur, ut collatis viribus vitam religiosam ducant et promoveant v. g. in lutheranismo et islamismo et mormonismo, etc., in diversis nempe religionibus quae, sese ut veras exhibent, catholicam ipso facto uti falsam condemnantes... *haec Sacrosancta Synodus Vaticana sollemniter declarat* talem libertatem religiosam competere praedictis religionibus, necnon et ceteris religionibus, religioni catholicae contradicentibus.

Ecclesia ergo catholica, quae est unica Ecclesia a Christo fundata, quaeque a Christo accepit officium et ius praedicandi ipsam esse unicam Ecclesiam Christi, eiusque religionem unicam veram, *sollemniter nunc docet* ceteris ecclesiis et religionibus competere ius in natura insitum, ideoque a Deo collatum, profitendi se ipsas ut veras religiones, ideoque Ecclesiam catholicam esse falsam, ipsiusque religionem, erroneam. Et hoc ius quod ceteris religionibus et eorum asseclis competit ad talem libertatem, « semper et ubique valere et ab omnibus agnoscendum esse ».

III. « Haec libertas personalis realiter effective non agnoscitur si in activitate externa et publica implicari non potest. Quare in humana conviventia et societate civili, nemo externo exercitio suae libertatis privari potest, dummodo, sicut bono communi exigitur, iura quoque aliorum salva remaneat » (ita verba schematis, pag. 5). Deleantur, secus vero addantur sequentia: Et siquidem plus quam 90 reli-

giones modernae, praesenti tempore, dantur, plus minusve recenter, a singularibus personis fundatae, et in libris publicis expositae, quae, quamtumvis inter se diversae, unanimiter conveniunt tum in neganda Christi divinitate, tum in reiicienda Ecclesiae catholicae auctoritate, necnon et veritate... *Ecclesia haec sollemniter docet per Concilium Vaticanum II,* his omnibus fundatoribus, necnon et quibuscumque aliis personis, qui conscientiae propriae dictamina observantes, novas religiones fundare velint, divinitatem Christi, et Ecclesiae auctoritatem impugnantes, ius plenum ad hoc ipsis competere, quod ius ab eis activitate externa et publica exerceri potest, ita ut nemo illorum externo hoc exercitio suae libertatis privari possit, dummodo iura quoque aliorum salva remaneant.

IV. « In materia religiosa praedicta externae coactionis exclusio ab Ecclesia catholica vindicatur, non ut mera " libertas opinionis ", sed ut vera " libertas religiosa ", seu ius personae ne ab aliis impediatur quominus observet et proclamet officia sua privata et publica erga Deum et homines... prout conscientia manifestantur » (verba schematis, pag. 5). Deleantur, secus addantur sequentia: *Concilium ergo hoc nostrum sollemniter docet et proclamat* ius uniuscuiusque personae ita sese gerendi in externo etiam exercitio suae libertatis, ut publice etiam omnia loquatur et operetur prouti in conscientia ipse iudicaverit, quamtumvis adsint praecepta Dei et Ecclesiae tales doctrinas et actiones expresse prohibentia, quin ullus homo nec ulla potestas humana ius habeat impediendi manifestationes et actiones exteriores et publicas talis conscientiae, quamtumvis errantis.

Haec enim spectant ad propriae conscientiae ius, libertatem, dignitatem. Tale autem ius, talis libertas, talis dignitas et in humana natura, et in homine ut persona est, inalienabilem et inviolabilem prorsus radicem habent, *non obstantibus contrariis omnibus quae docuit Leo XIII in Encyclica « Libertas »* asserens, « nequaquam licere petere, defendere, largiri, cogitandi, scribendi, docendi itemque promiscuam religionum libertatem, veluti iura totidem quae naturae hominis dederit ».

Declarat ergo haec Sancta Synodus Vaticana dictamina propriae conscientiae, etiam in foro externo, praevalere mandatis Dei, necnon et praeceptis Ecclesiae. Quapropter fas esse homini, iuxta propriam conscientiam sese gerenti, et fidem et religionem catholicam deserere, et aliam religionem amplecti secundum quam possit, plena libertate religiosa, divortium, onanismum necnon et polygamiam exercere.

Hae horrendissimae consequentiae, quae tamen a propositionibus in cap. V de libertate religiosa consignatis logice fluunt, aperte demonstrant quam sint horrendae et inadmissibiles illae propositiones a quibus tales consequentiae generantur.

Equidem propositiones sunt inadmissibiles: 1. quia sophisticae; 2. quia inter se contradictoriae; 3. quia graviter in se ipsis erroneae; quaeque simul cum silentio quamplurium veritatum, quae explicari debuissent, et tamen tacentur in schemate, conficiunt hoc cap. V *de libertate religiosa,* caput revera sophisticum, contradictorium, erroneum, a longe redolens imbellem irenismum, et vetustum et anachronicum liberalismum, necnon et modernismum moralem, iuridicum et socialem, a Sancta Sede expresse reprobatum.

Cap. igitur hoc V de libertate religiosa, prouti nunc iacet:

1. *Est caput sophisticum, a*) quia confundit ea quae conscientiae bona fide erranti competunt in foro interno, cum eis quae ipsi nullo modo pertinent in foro externo, nempe relate ad alios;

b) quia confundit libertatem conscientiae cum libertate religiosa externa, « transitum illegitimum faciendo ex ordine interno, individuali et subiectivo ad ordinem externum, socialem et obiectivum, et, quod peius est, ex situatione erronea subiectiva ad normam vere obiectivam stabiliendam » ut observat quidam praeclarus peritus;

c) quia non decernit differentiam essentialem existentem inter conscientiam religiosam veram et conscientiam religiosam erroneam.

Haec autem nihil officiunt quominus, personae bona fide sic erranti, omnia ipsi tribuantur et respectus et honores et obsequia quae dignitati personae debentur.

2. *Est caput contradictorium,* quia, ex una parte, profitetur quod unica datur veritas, quae est ipse Deus, et quod iura Dei sunt absoluta, atque proinde agnoscit ius a Deo Ecclesiae catholicae collatum praedicandi semetipsam ut unicam Ecclesiam a Christo Domino fundatam, et religionem, quam ipsa profitetur, ut unicam religionem veram.

Ex alia vero parte, proclamat non meram tolerantiam, sed ius semper validum, ceterarum ecclesiarum et religionum praedicandi seipsas ut veras ecclesias et religiones, atque proclamandi proinde esse falsam Ecclesiam et religionem catholicam.

Potest dari contradictio maior? Eo magis quod, cum omnia iura huiusmodi a Deo procedant, supponeret Deum auctorem iurium contradicentium, quod esset Deum contradictorium et absurdum supponere.

3. *Est caput irenicum* supra modum, quia omnimodo silentio tacet fundamentales quasdam catholicas veritates, prouti sunt ea de unica vera religione, de unica vera Ecclesia, etc., quarum clara et aperta enuntiatio prorsus esset necessaria ad vitandum imminens lethalis indifferentismi et relativismi religiosi periculum, in quod incidere possent non pauci ex catholicis hoc caput de libertate religiosa legentes. Cap. hoc V quod valde sollicitum pro unione, adhuc incertissima, fovenda cum fratribus separatis, nihil fere attendit ad gravissima fidei pericula, certo certius invehenda fidelibus catholicis, ut probe notat citatus peritus.

4. Est caput *liberalismum* undequaque redolens, adeo ut, legenti illud, immediate post relectionem Encyclicarum *Quanta cura, Immortale Dei* et *Libertas,* appareat veluti indefessus conatus honorifice redintegrandi liberalismum ab his Encyclicis damnatum.

Propositiones adsunt in hoc cap. V quae apparent directe adversantes aliis quae in praedictis Litteris Encyclicis edocentur.

Haec quomodo explicantur quaeso, cum aperte mandatum sit quod, « in opinando quidem, quaecumque Pontifices Romani tradiderunt vel tradituri sunt, singula necesse est et tenere iudicio stabili, et palam profiteri ac nominatim de iis quas libertates vocant novissimo tempore quaesitas, oportet Apostolicae Sedis stare iudicio, et quod ipsa senserit, idem sentire singulos? » (Leo XIII).

5. Hoc cap. V incidit in illum *modernismum* denuntiatum in Encyclica *Ubi arcano Dei* a R. Pontifice Pio XI, qui loquebatur de illis catholicis « qui, quamvis catholicas doctrinas profiteantur, iidem vero sermonibus, scriptis, omnique vivendi ratione haud aliter se gerunt ac si doctrinae praeceptaque toties a Summis Pontificibus, a Leone XIII praesertim promulgata, aut nativum rebus amisissent, aut penitus obsolevissent ».

« In quo — addebat — genus quoddam modernismi moralis, iuridici ac socialis est agnoscendum, quod quidem, una cum modernismo illo dogmatico, impense reprobamus ».

Faxit Deus ab hac triplici peste quae his diebus contaminat tot et tantas mentes, psychosi falsae novitatis victimas, servare immunes Patres conciliares, ne mundo praebeant spectaculum et scandalum huius capitis de libertate religiosa, quod praeter omnia quae de ipso diximus, esset insuper caput extemporaneum.

6. *Caput extemporaneum, deceptiosum et dolens pro pauperibus.* Non enim libertatem religiosam exspectant et expostulant a Concilio ingentes illae multitudines pauperum de quibus adeo sollicitos nos Patres conciliares profitebamur, ut sollemni illo nuntio quod misimus ad mundum, sed libertatem ab inopia, miseria et fame.

Nec illis ergo famelicis porrigamus libertatem religiosam, prouti crepudia aut tintinabula pro pane, pueris fame morientibus.

Propter omnia haec, censemus hoc caput omnino delendum, et si adhuc remanere placet, remittendum ad schema XVII, quod erit locus ipsi proprius, ut in eo monstretur penitus correctum, reformatum et innovatum; prouti enim nunc iacet, *anachronicum* prorsus apparet, et potius quam a Patribus et Peritis huius nostri vicesimi saeculi, videtur a F. de Lammenais, saeculo transacto, 130 abhinc annis, exaratum.

Et concludere mihi liceat praesentem nimis longam emendationem, hac simplici comparatione:

Aderit, quaeso, in universo mundo vel unus homo, qui, cum filius sit matris revera veracis et bonae, et tamen fratres habeat, qui ab hac matre sua sese separaverunt et separati permanent, quia falsis et calumniosis praeiudiciis imbuti et decepti, ipsam reputant mendacem et protervam mulierem, neque veram matrem, sed verae matris supplantatricem... aderit — repeto — in toto orbe terrarum vel unus homo, qui, in huiusmodi circumstantiis, his fratribus separatis concedat vel agnoscat, non iam tolerantiam, sed ius, verum ius, sese exhibendi ut a tali muliere separatos, adducentes prouti veras, illas falsas et calumniosas rationes suae separationis?

Et explico et applico parabolam. Omnes nos, Patres conciliares, Matrem habemus Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam Romanam.

Sed insuper fratres habemus separatos, qui erroribus et calumniis adversus ipsam imbuti et decepti, prout rationes suae separationis ab hac Matre, afferunt et proferunt, ipsam non esse Matrem, neque Ecclesiam genuinam a Christo Domino fundatam, sed institutionem falsariam, mendacem et supplantatricem verae Ecclesiae. Aderit, quaeso, in universo Concilio Vaticano, vel unus Pater qui talibus fratribus separatis concedat et agnoscat, non meram tolerantiam, sed *verum ius,* semper et ubique validum, semper et ubique sese exhibendi et ab Ecclesia catholica separatos propter illas falsas et calumniosas rationes?

Hoc enim vel explicite, vel implicite, peragit quisquis lutheranismum, exempli gratia, docet et praedicat et propagat et alios ad ipsum inducit.

Et hic est cardo totius ingentis sophismatis quod in toto cap. V de libertate religiosa audacter serpit et patet, in confundendo et substituendo, in locum tolerantiae, ius, et tale ius, ut sit semper et ubique validum, et ab omnibus ut tale agnoscendum.

Hoc est: ius, semper et ubique praedicandi et propagandi Ecclesiam catholicam

non esse genuinam Christi Ecclesiam a Christo fundatam, religionemque quam ipsa profitetur non esse veram religionem, sed falsam.

Et hoc ius, ut ius semper et ubique validum, a Concilio Vaticano agnoscendum et promulgandum in Basilica S. Petri.

Faxit Deus quod haec aula penitus corruat, antequam adeo immane scelus in ipsa perpetretur.

37

EXC.MUS P. D. ANDREAS ROHRACHER

Archiepiscopus Salisburgensis

In discussione cap. II schematis *de Oecumenismo* agebatur in secunda sessione ss. Concilii Oecumenici Vaticani II de oecumenica instructione (n. 9).

Patres conciliares persuasi erant non tantum pastoribus et sacerdotibus praestandam esse cognitionem et praeparationem unitatis christianorum, sed etiam omnes et singuli fideles de hac re esse responsabiles.

Ad quem finem assequendum incumbit opus S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, quod dicitur « Catholica Unio », cuius statuta die 18 ian. 1939 approbata sunt.

Cum autem hoc opus multis in nationibus novi et veteris mundi sit diffusum, plures edat periodicos et plurima habeat membra, utile esse videtur, ut Ss. Concilium aut in constitutione *de Oecumenismo* aut in Directorio edendo huius operis mentem faciat ipsumque commendet.

39

EXC.MUS P. D. IOSEPH CALASANCTIUS ROSENHAMMER

Episcopus tit. Amporensis, vic. ap. Chiquitosensis

Interventione a me in scripto circa quaestionem oecumenicam et propagationis modum ex parte sectarum protestantium tradita, ea, quae praesertim ad Vicariatum Ap. de Chiquitos mihi concreditum pertinent, addere liceat:

1. Ante meum reditum in Vicariatum de Chiquitos Sessione Concilii II absoluta notitiae graves oecumenismo in Concilio declarando adversantes ad me pervenerunt. Sollicitudine pastorali ductus, conscientiam meam hac interventione exonerare intendam.

2. Causae neo-protestantismum in America latina provocantes et ab em.mo ac rev.mo D. card. Silva Henriquez in congregatione generali 75 prolatae, pro Vicariatu de Chiquitos minime adesse declaro. Nam fidelibus quoad vitam spiritualem bene provisum est: Pro 50.000 catholicis laborant 20 sacerdotes, 14 fratres religiosi laici, 70 sorores; adsunt 4 scholae mediae, 4 scholae elementares, 4 hospitalia a sororibus provisa, praeterea quasi in unaquaque parochia infirmi a sororibus adiuvantur. Etiamsi nihil pro fidelibus negligitur, sectae protestanticae in 3 parochiis ubi scholae tum statales tum missionariae existunt scholas sectarias aperire contendunt eo solo fine, ut infantes eorumque parentes a fide catholica avertant. Praeterea constat, modum propagandae fidei sectariae esse quasi totaliter negativum, nocivum, destructivum, aggressivum et calumniosum, quae ad fidem catholicam pertinent. Quae propaganda sectaria in fidelibus nostris dubia in rebus fidei

provocat, confidentiam erga sacerdotes destruit, ad indifferentismum et atheismum et proinde ad communismum perducit, uti exempla tristia docent. Ad sententiam prolatam confirmandam hisce litteris libellus famosus « La Tradición de la Iglesia catolico-romana » adnectitur, qui nuper inter omnes familias catholicas paroeciae S. José de Chiquitos distributus fuit.

3. Quapropter secundum meam opinionem modestam Concilium stabilire deberet:

a) Reprobationem energicam modi propagationis destructivae et falsae.

b) Fervorem religiosum (fanaticum) sectarum ad homines nondum baptizatos converti debere. (In Statibus Americae Septemtrionalis Foederatis certe plus quam 50% incolarum nondum baptizati sunt!).

c) Adhortationem sectis dandam esse, ut se a propaganda inter catholicos abstineant, ne nova separatio oriatur qua indifferentismo et communismo via praeparetur.

40

EXC.MUS P. D. CAROLUS EDUARDUS SABOIA BANDEIRA DE MELLOS
Episcopus Palmensis

Cf. vol. III pars II, pp. 839-846.

41

EXC.MUS P. D. IOANNES SAUVAGE
Episcopus Anneciensis

In cap. II: de Oecumenismi exercitio. Has duas emendationes Secretariatui pro Unione Christianorum circa schema de oecumenismo tradere vellem.

1. N. 8. *De mutua fratrum cognitione.* Pag. 17, lin. 6, post verba « periti sunt » haec addere propono: « Multum etiam iuvat convivium sacerdotum utriusque Ecclesiae apud alteram, dummodo sint periti in re theologica et oecumenica et adsit mutuus consensus Ecclesiarum quibus interest ac Superiorum missio, ad penitus et intimius cognoscendum theologiam, disciplinam, pietatem, traditionesque uniuscuiusque Ecclesiae ».

Rationes: Placent quae in hoc numero dicuntur. Attamen media mutuae cognitionis hic descripta versantur quasi exclusive in ordine studiorum intellectualium. Hoc certe necessarium sed insufficiens.

Equidem citantur conventus inter peritos utriusque communionis. Sed hi conventus ad quandam specialem et limitatam quaestionem intenti non permittunt eam longam vitae assiduitatem quae favet intimiori cognitioni.

Per novem annos particeps fui experimenti cuiusdam, sub ductu episcopi. Ut praeses Seminarii accepi in communitate professorum, unoquoque anno duos theologos orthodoxos, sacerdotes vel laicos, qui, cursu completo in Facultate Theologica Orthodoxa, duos annos in Facultate theologiae Catholicae expenderent, ad melius cognoscendum, secundum eorum desiderium, theologiam et vitam Ecclesiae catholicae. Ex hac experientia persuasum habeo intimiorem cognitionem non posse haberi nisi in huiusmodi continuo convivio. Omnes, tam catholici quam orthodoxi

qui partem habuerunt in hac re magnos exinde receperunt fructus. Hae sunt conditiones retinendae, ex experientia:

a) Mutuus et clarus consensus duarum Ecclesiarum in seligendis candidatis in propria Ecclesia bene insertis et Ecclesiae profuturis in ministerio.

b) Ex parte catholica, fidelitas in voluntate servitii fratrum Orthodoxorum sine interesse proprio, intuitu boni ipsorum Ecclesiae: scil. parare ipsi sacerdotes vel theologos expertiores et paratiores Pastorali ministerio.

c) Hoc servitium fratrum orthodoxorum, ut patet, ex desideriis hospitum quos cognovi non potest esse pure intellectuale, seu mere technicae theologicae; debet etiam esse pastorale. Multum profuerunt contactus ad cognoscendos nisus Ecclesiae catholicae in re pastorali, speciatim in catechetica, in Paedagogia, in Actione Catholica. Multum etiam profuerunt informationes de problematibus Ecclesiae localis in campo sociali deque responsionibus Doctrinae socialis Ecclesiae.

d) Reciprocitas servitii desideratur, ne adsit periculum cuiusdam subtilis paternalismi ex parte catholica. Valde optandum est ut sacerdotes complures catholici, periti in re theologica et experti in re oecumenica aliquamdiu commorentur apud fratres christianos, ut intimius et profundius cognoscatur Ecclesia orthodoxa.

e) Aequa aestimatio rerum et veritatum tum communium, tum diversarum. Et inter has ultimas non minoris momenti sunt diversi modi pietatis ac disciplinae: e. g. ieiunia severiora apud Orthodoxos, differentia in usu scripturae et symbolismi, in praxi de eucharistia et missae celebratione, difficultas maxima ex impossibilitate communionis in sacris. Hae omnes difficultates quae semper recurrunt in convivio quotidiano requirunt continuam attentionem ex parte catholica.

f) Maior exhibita aestimatio quam solet apud catholicos, Ecclesiae Orientalis, eiusque Patrum, Sanctorum, Liturgiae, traditionum. Cur, v. g. nulla adest mentio Sanctorum Patrum Graecorum in Litaniis Sanctorum?

2. N. 9. *De oecumenica instructione*. Pag. 17, lin. 11, post verba « veritate respondeat » haec addere propono. « Quae faciliora evadent si omnes Seminariorum professores suam quisque propriam disciplinam didicerit cum sensu oecumenico, speciatim tamen ille cui incumbit officium docendi ecclesiologiam. Multum enim interest etc. ».

Rationes: Quae dicta sunt optima videntur. Sed multa remanent facienda in instructione clericorum et sacerdotum qui forma fient populi sibi commissi. Nec sufficit aliquas praelectiones addere de Oecumenismo in ratione studiorum nostrorum Seminariorum. Sensus oecumenicus adesse debet in omnibus disciplinis tradendis. Quo in nisu magna nobis panditur via!

Quaedam speciatim dicenda essent de tradendo tractatu de Ecclesia in nostris Seminariis. Quae spero inventa iri in documentis Commissionis de Seminariis. Quin videar ingredi in campum alienum, dicere liceat quomodo parandus esse magister ille Ecclesiologiae postconciliaris et oecumenicae: homo sani iudicii, bonae doctrinae, sensu historico instructus, devotioni Sanctae Ecclesiae praeditus, tam ut Corpori mystico, quam ut institutioni visibili, expertus in praxi ac theologia pastorali, qui, post expletam suam formationem in facultate catholica, aliquod tempus tereret studendo Ecclesiologiae orthodoxae apud orthodoxos.

Quae dixi de Oecumenismo relate ad Fratres orthodoxos, forse dicenda essent, mutatis mutandis de relatione ad Fratres Communitatum Reformatarum. Sed de his nihil dicam, quia deest mihi experientia.

42

Exc.mus P. D. IOSEPH SCHOISWOHL

Episcopus Graecensis-Seccoviensis

Schemati *de Oecumenismo* adiungere mihi liceat aliquas adnotationes supplentes:

Dum prima capita quandam unitatem constituunt, quartum et quintum caput cum praecedentibus organice non cohaerent.

Cap. IV in suo iusto loco collocari posset, si totum schema novum acciperet nomen, nempe « De relationibus Ecclesiae ad magnas religiones ».

In primo aliquo capite breviter loquendum esset de populorum exspectatione eschatologica, quae in omnibus religionibus, praesertim monotheisticis, invenitur. Hic mahumetani, buddhistae et sequaces Confucii nominandi essent.

In secundo autem capite de electione populi israelitici et de primo foedere Dei cum hoc populo agendum esset. Thema autem populi Dei logico nexu conduceret ad caput de Oecumenismo, uti in tribus primis capitibus schematis actualis propositum est.

Cap. V de libertate religiosa propositum omnino tollatur, ita ut haec quaestio ne in alio quidem schemate tractaretur. Potius propono, ut Concilium de libertate religiosa ederet litteras encyclicas, quibus principalia in relatione ad hoc caput enuntiata (quae relatio ipso capite meliorem esse mihi videtur) fundamentum praebere possent. Quemadmodum Romani Pontifices praesertim nostrorum temporum themata magni momenti in litteris encyclicis tractabant et tali modo magnam vim habebant in mundum modernum, item etiam ipsum Concilium agere posset. Litterae enim encyclicae de hoc themate disserentes et tam alta auctoritate praeditae magni ponderis esse possint pro toto mundo.

Ad schema autem actuale *de Oecumenismo* emendationes sequentes proponuntur:

Ad cap. I, n. 1 « De Ecclesiae unitate et unicitate ». Uti saepius in theologia fit, etiam hoc loco inter unitatem et unicitatem parum distinguitur eorumque proprietates non satis exponuntur. Fere omnia, quae in hac paragrapho dicuntur, ad solam unitatem, i. e. ad internam concordiam Ecclesiae catholicae spectant. Haec vero unitas existentia aliarum ecclesiarum reapse turbatur. Numquid etiam ipsa unicitas turbatur? Organismus quidem discordia variorum organorum turbari potest, nihilominus non desinit tamquam hoc unicum existere.

In expositione « unitatis » ad fundamentalem hominis proprietatem, quae est « libertas » attendendum est. Ex qua libertate legitima et semper servanda multitudo traditionum, rituum, modorum credendi promanant.

Sicque pag. 8, lin. 11, addendum est: « Unitati Ecclesiae prodest etiam hominum libertas, quae est notio fundamentalis essentiae humanae et consequenter etiam ipsius Ecclesiae, quae est populus Dei. Ex qua libertate legitima multitudo traditionum, rituum, modorum credendi promanant ».

Expositio unicitatis sese referre oportet ad unius ac unici Dei consilium salvificum in Christo operatum secundum illam veterem formulam fidei in *1 Cor.* 8, 6 citatam, qui locus in toto schemate non reperitur.

Suprapropositae emendationi alia addenda esset: « Unicitas Ecclesiae in consilio salvifico unius ac unici Dei in Christo operato fundatur. " Nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum: et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum " (*1 Cor.* 8, 6) ».

Lin. 36, pag. 8, autem subdetur: « Laude ac aestimatione dignae sunt omnes fratrum separatorum conatus unitatis inter se fovendae et ipsorum crescentis intelligentiae Ecclesiae catholicae. Nam et ipsi responsabilitatis mutuae pro unitate christianorum fovenda, quam pluribus consiliis ac precibus iuvant, conscii sunt ».

Ad cap. III (*de Oecumenismo*). Hoc loco largior expositio principiorum oecumenicorum desideratur:

a) Notio « plenitudinis » (lin. 8) est nota qualitativa a « plenitudine Christi » (*Eph.* 1, 23; *Col.* 1, 19) derivanda, ad quam et nos catholici adhuc pervenire debemus, h. e., etiam nos operam demus oportet, ut maiorem veritatis plenitudinem adpetamus, quo in opere munera et doctrinae separatorum nos adiuvare valeant.

b) Praesentia Domini etiam apud separatos verbo praedicationis ac oratione communitatis omnino agnoscenda et expresse nominanda est.

c) Structurae et ordines historice creatae, quae hodie non iam mutari possunt, recte agnoscendae sunt. In primis enim initiis non purum arbitrium et obloquendi cupiditas inveniuntur, sed potius oboedientia erga ductum Dei saepe bona fide exercita, ex qua propria intelligentia et interpretatio unitatis, officii, sacramentorum, etc. proveniunt.

d) Agnitio realitatis ecclesialis communitatum separatarum, uti eam card. König in sua relatione evolvit.

e) Magni aestimanda sunt fratrum separatorum merita in propulsationem atheismi et ipsorum sacrificia pro hoc opere perpessa.

In cap. II inter communes operas etiam obligatio studii scientifici-theologici unitatis fovendae enumeranda est.

Pag. 16, lin. 26: Exclusio omnis communicationis in cultu officiali hoc absoluto modo enunciata exaggerata est et animum angustum manifestat. Quod clarissimum est respectu cultus orthodoxorum.

Ad cap. III (*de christianis ab Ecclesia seiunctis*). Totum hoc capitulum separatis parum obviam venit. Quod supra de (amplificatis) principiis oecumenismi dictum est, hic adhibendum esset. Mentio validitatis sacramentorum ecclesiae orientalis valde desideratur.

Paragraphus de christianismo reformatorio magnis simplificationibus laborat. Complicata reformationis realitas sola notione exaggeratae transcendentiae comprehendi non potest (linn. 14 s.). Etiam hic elementa positiva extollenda sunt, uti fraternitas, sensus communitatis, fidei firmitas.

Vox « communitates » non sufficienter elementa ecclesialia adhuc apud separatos existentia exprimit. Similiter magni valores, qui etiam catholicis prodesse valeant, accuratius perpendendi essent, uti sunt scientiae biblicae, cura liturgiae communitariae (per cantica et orationes communia).

Vox « mediatio essentialis Ecclesiae » (pag. 23, lin. 17) non recte interpretari possit: quapropter verbum « cum Christo, sub Christo » addendum esset.

43

EXC.MUS P. D. IESUS SERRANO PASTOR

Episcopus tit. Hypselitanus, vic. ap. Darienensis

Introductio. Intentionem operis atque scopum declarare iuvat ut cetera quaeque interpretari a lectoribus facile possint.

Ut omnibus est notum, argumentum de libertate religiosa — et quidem ut cap. V decreti *de oecumenismo* — erat tractandum in secunda sessione Concilii Vaticani II, ad finem iam vergente. Cum autem, ob solum temporis defectum — ut apposite dixit em.mus card. Bea — hoc fieri impossibile fuerit, nunc iam omnibus Patribus tempus et occasio praebetur ad argumentum hoc, grave et difficile, attentius considerandum. Observationes vero, si quae sint faciendae atque emendationes, ante finem mensis ianuarii 1964, secretariae Concilii sunt proponendae.

I. *De fontibus et documentis adhibitis.* Sacra Scriptura, textus praesertim Pauli et Ioannis de libertate in Christo; doctrina magisterii, praesertim a Papa Leone XIII ad Paulum VI; schema primum *de Ecclesia,* cap. IX a commissione theologica paratum; schema *de libertate religiosa* — elaboratio prima —, a Secretariatu paratum; schema *de libertate religiosa* — elaboratio secunda —; cap. V decreti *de oecumenismo*; relatio super schema decreti *de oecumenismo*; relatio adunationis sub-commissionis; alia plurima documenta a peritis et consultoribus Concilii Vaticani II redacta ad argumentum de libertate religiosa illustrandum.

Haec tamen ultima, uti plurimum, in notis citantur absque auctoris nomine.

II. *De argumenti gravitate.* Argumentum de libertate religiosa, sicut opportunum est et necessarium si recte proponatur, ita et periculis plenum si inconsiderate tractetur. Unde argumenti necessitas non tantum est dimetienda ex commodis forte inveniendis, sed etiam ex periculis certo subeundis. Ut nempe Concilium doctrinam aliquam, sive fidelibus catholicis, sive cunctis gentibus, proponat, non sufficit quod ab ipsis « instanter, instantissime » desideretur (*Relatio,* pag. 27 et pag. 36). Em.mus card. Bea dixit agi de re gravi de qua iam in tertia sessione Concilii est tractandum animo tranquillo et pacifico. Id idem asserebatur a clarissimo relatore (*ibid.*). Non ergo « celerrime » est de hac re tractandum (*ibid.,* pag. 36), neque « dies ac noctes » sunt festinanter consumendi in ipso elaborando. Nunc autem argumenti de libertate religiosa gravitas maxima evidenter apparet ex sequentibus:

1. Gravia et certa pericula imminent si libertas « quaedam » ab Ecclesia proclamatur quae certis ac determinatis limitibus non apprime definiatur. Tunc etenim quaestiones gravissimae de auctoritate et oboedientia, de relatione « dialectica » inter individuum et communitatem, periculose exponerentur. Neque iam recta appareret ad ordinem Dei obiectivum propugnandum et ad bonum commune provehendum. Nemo est qui non videat qua ratione, quo modo, libertatem personae humanae adhuc hodie facillime confundi cum effrenato quodam personalismo. Sunt etenim multi, etiam in Ecclesia, dicentes: « ... sinat Ecclesia suo quemque fidelem iudicio et conscientia se gerere » (PIUS XII, *Magnificate Dominum,* 2 nov. 1954: *A.A.S.,* 46 [1954], pag. 674). Quaestio haec gravissima praeprimis urget in re de educatione iuventutis christianae et maxime sacerdotalis, uti nuperrime dicebat

SS. D. N. Papa Paulus VI: « Illud praeterea incusandum est, vel minimos natu nullum ferre vinculum velle, sive a lege naturae, sive ab auctoritatibus vel ecclesiasticis vel civilibus iniectum; *atque adeo eos effrenatam agendi libertatem affectare* » (Epistula *Summi Dei Verbum,* 4 nov. 1963).

2. Periculum insuper imminet « subiectivismi », si germanae libertatis germana iura obiectiva non satis distinguantur a simplici facultate libere seu sponte agendi. Tunc etenim omnis praecluditur via ad educationem conscientiae errantis etsi invincibiliter; et ad limitationem iustam libertatis exercitii in ordine sociali. Si autem, haec duo, vera scil. et germana libertatis notio christiana eiusque tantum ius verum ad bonum et verum assequendum clarissime proponantur Concilium Vaticanum II obviam utique fiet sequentibus erroribus ubique sparsis: Falsus personalismus, subiectivismus, humanismus existentialisticus, « Ethica Situationis », falsa libertas (= « neo-liberalismus »), laicismus, irenismus, indifferentismus.

3. Gravitas etiam argumenti elucescit ex eo quod (sicut iam dixit relator) Ecclesiae catholicae vitio vertitur « opportunismus » (= machiavelismus) quasi inter eius principia aeterna et eorum applicationes ad rerum humanarum mutationes nulla fieret distinctio. Iam vero est magni momenti ut rectissime proponatur modus et ratio quibus continuitas cum progressu semper servatur.

4. Quod idem apparet ex responsabilitate oecumenica quam hodie iam Ecclesia catholica contraxit coram mundo hodierno. Iam vero, ut mundi exspectationi vere respondeat, documentum est redigendum omnibus numeris perfectum. Ita enim dicit quidam clarissimus peritus: « D'autre part, bien loin de donner satisfaction à nos adversaires, ce texte (qui Patribus fuit traditus) de style nègre-blanc ne pourrait que leur inspirer du mépris pour le Concile, et donc pour l'Eglise elle-même. Que penser, en effet, d'une Eglise qui réunit plus de 2.000 évêques pour traîter d'une question si délicate et si importante, et qui ne réussit à présenter au monde qu'une mixture de vues contradictoires, et un texte sur le sens exact duquel ses propres membres en sont réduits à se disputer sans fin? ».

5. Gravitas tandem argumenti derivatur ex suo momento pastorali. Sicut enim dixit em.mus card. Bea in relatione finali, quaestiones de oecumenismo sunt praeprimis practicae, quorum solutio non una est in variis mundi regionibus. Sunt etenim mundi regiones quorum primaeva civilis seu « nationalis » constitutio fuit iam primo pluralistica. Ipsis ergo nihil clarius atque facilius quam documentum aliquod habere in quo propria ipsorum rerum conditio quasi « consecratur ». Sunt attamen aliae mundi regiones quae unitatem catholicam servaverunt. His vero etiam opportunum est documentum aliquod de libertate religiosa; at nemo non videt modum et rationem esse servandos ne scandalum patiantur et pro medicina venenum ipsis praebeatur.

Res ergo graviter est ponderanda ut documentum de libertate religiosa redigatur omnes simul mundi christiani regiones prospicere possit.

III. *De criteriis adhibendis.* Criteria, prout oportet, sumi debent, sive scopo generali huius Concilii a Summis Pontificibus iam praestitutum, sive ex speciali opportunitate huius argumenti. *Criteria autem generalia haec fere sunt*:

1. « ... ut universis filiis suis, iis non exceptis qui extra saepta ipsius versantur, dirigatur » (IOANNES XXIII, *Appropinquante Concilio, A.A.S.,* [1962] pp. 609-610).

2. « ... huius Concilii fines... notio, vel si magis placeat, conscientia Ecclesiae;

eius renovatio; unitatis redintegratio; et Ecclesiae collocutio cum nostrae aetatis hominibus » (PAULUS VI, Allocutio *Salvete, Fratres,* 29 sept. 1963: *A.A.S.,* 55 [1963], pag. 847).

3. « ... ut proximae Concilii sessioni breviora schemata exhiberi possint » (PAULUS VI, Allocutio *Tempus iam advenit,* 4 dec. 1963).

« ... Schemata in breviorem formam redacta, iterumque elaborata sunt, hac habita ratione, ut potissimum generaliora principia prospiciant, et quaestiones quae ad rem non pertinent, omittantur: nam hoc statum fixumque habendum est, Concilium Oecumenicum ad universam Ecclesiam spectare » (PAULUS VI, *Cum proximus,* 14 sept. 1963).

Criteria autem quae specialiter hoc argumentum respicere videntur:

1. *Universa et integra doctrina* (cf. IOANNEM XXIII, Allocutio *Gaudet Mater Ecclesia,* 11 oct. 1962: *A.A.S.,* 54 [1962], pag. 791).

2. *Traditionem servans catholicam* (cf. *ibid.,* pag. 790; PAULUS VI, Epistula ad Card. Tisserant, 12 sept. 1963).

3. *Temporibus accommodata* (cf. PAULUS VI, *Salvete Fratres, ibid.,* pag. 845, verba referens Ioannis XXIII).

4. *Indoles pastoralis* (PAULUS VI, Epistula ad Card. Tisserant, et Allocutio *Tempus iam advenit*).

5. *Indoles oecumenica* (cf. PAULUS VI, Allocutio *Salvete Fratres,* 29 sept. 1963: *A.A.S.,* 55 [1963], pag. 854).

6. *Caritate formata* (cf. *Ibid.,* pp. 855-6).

IV. *De doctrina proponenda. N. B.* Capita doctrinae proponendae infra invenies in prima columna textus, quem emendatum proponimus in par. VIII.

V. *De modo proponendi.* 1. In hac re gravissima textus non proponatur Patribus qui summa diligentia non sit elaboratum, multisque experimentis probatum.

2. Elaboratio autem fiat in commissione mixta; minime a solo Secretariatu pro Unione. Haec commissio constare potest — uti iam ab ipso em.mo card. Bea propositum fuerat — ex membris commissionis « de doctrina fidei et morum », « de fidelium apostolatu », Secretariatu pro Unione.

3. Textus simul esse debet et modernus et traditionis modum servans. Documenta magisterii de hac re parvipendere nequit. Ecclesiae catholicae solemne Concilium serviliter pedissequi non potest, non tantummodo rationes pure naturales, sed nec etiam modos loquendi qui faveant « rousseaunianismo », aut liberalismo, a quibus magna illa documenta iuridica Organizationum Internationalium nondum plene fuerunt purgata (cf. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 [1963], pp. 295-6).

4. Quaestiones disputatae excludantur: « ... etenim ad huiusmodi tantum disputationes habendas non opus erat ut Concilium Oecumenicum indiceretur » (IOANNES XXIII, *Gaudeat Ecclesia,* 11 oct. 1962: *A.A.S.,* 54 [1962], pag. 791).

VI. *De loco proponendi.* Quaestio de loco insertionis, etsi principalis non sit, attamen suum habet momentum atque propriam rationem. Etenim, in ordinato processu methodologico, locus designat etiam aliquid quod rei naturae est conveniens, quodque ideo rem ipsam configurat ac exprimit.

1. *Historia argumenti in doctrina catholica* satis eloquenter edicit quisnam sit eius locus omnium aptissimus.

In Concilio Vaticano I, in schemate a Kleutgen parato, nihil de libertate religiosa in genere proponebatur; sed tantum de relationibus Ecclesiae et Status

(MANSI 53, 546-7). A Concilio Vaticano I ad nostra usque tempora, hoc argumentum est tractatum a magnis illis Encyclicis Magisterii Pontificum, omnibus notis. Contextus vero; ut ita dicam « historico-doctrinalis » multiplex erat, principia autem eadem semper fuerunt. Unde argumentum de libertate religiosa, ex historia doctrinali, erat connexum: *a*) cum libertate Ecclesiae; *b*) cum doctrina de relationibus inter Ecclesiam et Statum; *c*) cum doctrina de iuribus personae humanae; *d*) cum doctrina de oecumenismo, veluti conditio exercitii ipsius.

Porro, inter alia bene multa argumenta proposita ad Concilium Vaticanum II parandum, unum exstabat de libertate religiosa, etsi magis sub respectu doctrinae de relationibus Ecclesiae et Status. Quaestio ergo erat de competenti Commissione seligenda. Em.mus card. Bea (R. N. S. 26 maii 1961) iam prior dixerat argumentum pertinere ad tres Commissiones: Secretariatum, de Missionibus, de doctrina fidei et morum. Schemate autem aliquo confecto, atque coram Commissione centrali discusso, novimus ex *L'Osservatore Romano,* 20 iun. 1962, schema aliquod de libertate religiosa esse propositum a solo Secretariatu, in quo speciale erat caput de relationibus Ecclesiae et Status.

De facto tamen, in prima Concilii sessione, non proponebatur Patribus cap. IX « de relationibus inter Ecclesiam et Statum » schematis generalis *de Ecclesia,* quod erat paratum a Commissione de fide et moribus. In schemate autem novissimo *de Ecclesiae praesentia in mundo* annuntiabatur interea titulus aliquis « de dignitate et iuribus personae humanae ». Interim etiam em.mus card. Bea aperte loquebatur de aliquo schemate speciali « de libertate religiosa » (Oratio habita in Universitate « Pro Deo », 13 ianuarii 1963). Quid tandem tenendum...? *L'Osservatore Romano,* 31 martii 1963, de ultima sessione commissionis coordinatricis agens, dicebat: « ... lo schema " La Chiesa nel mondo d'oggi " presentato in una prima stesura non ancora definitiva, intende presentare alla luce della dottrina cristiana i molteplici valori che più da vicino interessano l'umanità, dal valore della vita, alla dignità della persona umana, alla cultura, alla libertà; *è frutto di una Commissione mista* composta dai membri della commissione per la dottrina della fede e dei costumi, e dalla commissione per l'apostolato dei laici ».

Iam vero, nulla antea a Patribus habita communicatione, et altera Concilii sessione ad finem iam vergente, duo nova capita decreti de oecumenismo praebebantur Patribus, quorum unum erat cap. V *de libertate religiosa,* a solo Secretariatu pro unione redactum. Quibus autem de causis, ita festinanter et inopinate hoc factum fuerit, nescimus. Unum tamen ab omnibus facile praevisum dictitabatur, nempe: quod si illa duo ultima capita Concilii disceptationi submissa fuerint, magna inter Patres exorta esset controversia. Quod, Deo favente, minime evenit ob solum temporis defectum.

Nunc vero; rem tranquillius et maturius considerando, quaeramus utrum hoc grave argumentum de libertate religiosa optimum obtineat locum in schemate de oecumenismo, an in constitutione *de Ecclesiae praesentia...* Equidem ultro concedimus argumentum hoc connexionem habere cum motione oecumenica; etenim: *a*) est conditio sine qua non ad dialogum oecumenicum instaurandum; *b*) est etiam conditio sine qua non omnis evangelizatio praecluditur; *c*) ab aliis communitatibus non-catholicis exigitur; *d*) de facto aliae communitates vel organizationes, praesertim WCC, iam multa ederunt documenta libertatem religiosam spectantia.

At, respondendum putamus: *a*) ea quae exercitium oecumenismi spectant in

re de libertate religiosa, optime locantur in cap. II decreti *de oecumenismo*: non autem cetera.

b) Argumentum de Ecclesiae catholicae missione divina ac de modo concordandi hoc ius divinum cum ceteris iuribus naturalibus, personalibus et socialibus, est hodie quaestio capitalis pertinens ad commissionem « de Missionibus ».

c) Nescio quo vero iure, aliae communitates religiosae exigant ab Ecclesia catholica speciale documentum de libertate religiosa, cum tot ac tanta alia documenta iam ediderit.

d) Ecclesia catholica suam propriam habet traditionem in hac re gravissima; nec ulla est causa cur serviliter documenta aliarum organizationum imitetur.

Connexio ergo argumenti huius cum argumento de oecumenismo non est necessaria estque pure practica, cuius principia catholica non facili negotio, in decreto de oecumenismo expenderentur. Quis, ceteroquin, non videt summam inconvenientiam « logicam » in ordine capitulorum...? 1. De oecumenismi principiis; 2. De exercitio oecumenismi; 3. De christianis... seiunctis; 4. De Iudaeis; 5. De libertate religiosa.

Adsunt, e contra, rationes vere obiectivae, quibus facile convincimur argumenta de libertate religiosa locum aptissimum habere in constitutione « De Ecclesiae praesentia... ». Nam:

1. Schema hoc habebit, inter alia, haec capita doctrinae: *cap. II*: *De persona humana in societate.* A/2 *de fundamentalibus personae humanae iuribus.* (B) C. *De positivo iuris ordine, de auctoritate ac de libertate.* N. 12: *de libertate in societate.* Cap. VI: de communitate gentium et pace (ubi optime tractari posse de libertate religiosa in communitate gentium de facto pluralistica).

2. Encyclica *Pacem in terris,* quae exemplar veluti exstat huius constitutionis, eodem modo se habet: I pars: A. I diritti: esistenza, valori morali e culturali... « *il diritto di onorare Dio secondo il dettame della retta coscienza...* »; IV pars: il bene comune universale e i diritti della persona... Rapporti fra cattolici e non cattolici in campo economico-sociale-politico.

Ita iam facile perspicitur qua ratione argumentum de libertate religiosa tractari modo adaequato non posse nisi in constitutione *de Ecclesiae praesentia in mundo hodierno.*

3. Praeterea, si doctrina haec proponatur sub titulo « de libertate religiosa » et non sub titulo exprimente modum positivum, scil.: « de dignitate personae humanae », haec sequuntur gravia incommoda: *a*) Concilium Vaticanum II traditionem catholicam deserere videretur: haec enim semper intellexit conceptum « libertatis » sub respectu maxime positivo, quatenus facultas est operandi verum tantum et bonum obiective propositum in lege aeterna in conscientia recte formata manifestatum, atque ab Ecclesia catholica authentice declaratum. *b*) Concilium, satis inopinate et abrupte, approbare videretur lineam « rousseaunianam », immo « personalistico-existentialem ». In hac nempe linea, libertas est aliquid absolutum in homine, consistens in mera liberatione a quocumque vinculo « heteronomo ».

4. Si autem argumentum de libertate religiosa tractetur in constitutione « De Ecclesiae praesentia... », intime connexum cum argumento principali de iuribus et officiis personae humanae, tunc haec sequuntur commoda: *a*) sensus catholicus traditionalis « libertatis » in sua vera luce ponitur; *b*) eius respectus necessarius et positivus perspicue apparet ad ordinem obiectivum Dei, societatis, atque ad

uniuscuiusque responsabilitatem in libertate, primo educanda, deinde exercenda; *c*) pericula gravissima — de quibus egimus supra in par. II — melius superarentur. Ea praesertim pericula quae respectum dicunt ad relationem inter auctoritatem et oboedientiam in societate civili, et praeprimis in ipsa Ecclesia catholica.

5. *Modo non agimus de crisi ipsius textus a Secretariatu propositi; at, ex dictis iam suspicari liceat omnia vitia quibus certo laborat, a falsa quaestionis positione primo provenire.*

VII. *De crisi textus Patribus propositi. N. B.* Scimus textum — ita inopinate et festinanter Patribus traditum — esse ab integro reficiendum. Quia tamen nostra intentio in hoc labore conficiendo est praeprimis positiva, eo pergimus, ut sive eius virtutes deprehendendo, sive eius vitia reprehendendo, aliquid conferre possimus ad textum definitive redigendum.

Iam vero, textus traditus conamen est quoddam quod plurimas meretur laudes variis ex capitibus:

a) quia argumentum novum ac difficillimum primo aggressus fuerit;

b) quia pro viribus enituit rem offerre in novo contextu historico iuxta rerum hodiernas circumstantias;

c) quia oculos convertit ad elementum, certe non spernendum, scil. « subiectivitatis »;

d) quia optime respondet necessitatibus pastoralibus hodiernis. Sic: necessitas fundandi, secundum ordinem naturalem, dignitatem personae humanae, fundamentum evangelizationis in novis insurgentibus nationibus; necessitas instaurandi dialogum oecumenicum sive inter christianos, sive inter homines religiosos;

e) textus denique traditus pro viribus laboravit ad mediam inveniendam viam inter continuitatem et progressum (cf. Relationem, pp. 32-36).

Unde intentio nostra in his quae proxime sequuntur alia esse non potest quam ea ipsa quam totis viribus sunt prosecuti auctores textus, scil.: novum textum conficere qui, pro viribus, omnibus numeris sit perfectum.

... [*Sequitur textus ut in pag. 678*].

[*Subscripsit etiam*] Exc. Petrus Grau y Arola, vic. ap. Quibdó.

44

Exc.mus P. D. LAURENTIUS IOSEPH SHEHAN
Archiepiscopus Baltimorensis

De cap. V: de Oecumenismo.

I. In genere capitulum mihi valde placet. Optime parata et plerumque clara invenitur in eo expositio de libertate religiosa in actu. Mihi autem videtur in hac materia quae in se difficillima sit et quae ansam facile praebeat ea quae dicta sunt male interpretandi, omnino necessariam esse in ipso exordio explicationem facere accuratam et exactam terminorum « libertas religiosa » uti haec verba in hoc capite usurpantur.

Talis explicatio maxime conferret ad praecavendam confusionem de sensu illorum terminorum necnon ad evitandas conclusiones quae ab illo sensu pro hoc capite determinato minime secutae sint.

Exinde paragraphus inserere debetur, ut mihi videtur, in principio capitis in qua perlucide, semel et pro semper indicatur quid praecise significetur, in contextu de quo agitur, per vocabula « libertas religiosa » et quid non significetur. Propono, ergo, post primam paragraphum in pag. 3, novam paragraphum interponendam esse ante paragraphum alteram « Ecclesia catholica », etc., quae sic legi posset: « Positive loquendo, haec libertas religiosa est ius personae humanae ad liberum exercitium religionis iuxta dictamina sincerae suipsius conscientiae. Negative loquendo, libertas religiosa est immunitas ab omni externa coactione in personalibus cum Deo relationibus, quae hominis conscientia sibi vindicat. Exinde libertas religiosa in hoc sensu implicat autonomiam humanam, non ab intra quidem sed ab extra. Ab intra, enim, homo ab obligationibus erga problema religiosum non est emancipatus. Ab extra, autem, eius libertas offenditur quando impeditur ne dictaminibus suae conscientiae in materia religiosa oboediret.

Quae cum ita sint, quando defenditur libertas religiosa, haec Sacrosancta Synodus non asserit homini competere ut problema religiosum pro suo nutu et nulla admissa morali obligatione consideret atque pro lubitu sibi statuat utrum religionem amplectatur necne (indifferentismus religiosus). Neque affirmatur quod conscientia humana eo sensu libera est, ac si exlex esset, soluta scil. ab omni erga Deum obligatione (laicismus vel saecularismus). Neque dicitur quod non datur quidquid absolutum nec veritatis norma obiectiva, ac si errores " iura " sibi vindicare possent et falsum aequo iure ac verum esset habendum (relativismus doctrinalis). Quamvis conceditur errorem nulla " iura " sibi vindicare posse, affirmatur tamen quod persona in bona fide errans suum retinet ius naturale ad veram et authenticam libertatem religiosam.

His dictis, " Ecclesia catholica ", etc. ».

II. In art. 2, pag. 4, lin. 19, loco phrasis « in errore invincibili versatur », substituatur: « in errore *bona fide* versatur ». *Ratio*: Expressio « invincibilis ignorantia » vel « invincibilis error », acatholicis offensiva est. Ut veritas exprimatur nullo modo requiritur gratuitus usus verborum de quibus acatholici iniuriam accipiant.

Revera tamquam pastoralis et in ordine practico est terminus omnino inutilis. Quisnam, praeter Deum, potest iudicare utrum quis sit in errore invincibili vel vincibili, bona vel mala fide necne?

III. In art. 2, linn. 21-22, loco « et revera haec libertas religiosa, seu immunitas ab externa coactione, natura actus fidei postulatur », substituatur, « Et revera haec *fundamentalis* libertas religiosa *quae* est immunitas ab externa coactione *ab ipsa* natura actus fidei postulatur ». *Ratio*: Hae paucae emendationes mihi videntur clarius et fortius demonstrare: 1. libertatem religiosam in sensu schematis *esse* immunitatem ab *externa* coactione non interna; 2. libertatem religiosam *fundamentalem* esse; 3. libertatem religiosam *postulari* a natura actus fidei.

Magis est, quidem, quaestio de stylo sed mihi videtur aliquid meriti habere.

IV. Sic emendetur art. 3. « Libertas religiosa etiam postulatur propter dignitatem personae humanae debitam. Haec enim dignitas maxime invenitur in hoc quod homo ad imaginem Dei liber creatus est et quod finem suum ultimum obtinere debet, secundum suam naturam, sese libere oboediendo sacrae voluntati Dei mediante propriae conscientiae iudicio. Homo, ideo, qui conscientiae suae, sive rectae et verae, sive rectae sed erroneae, sincere oboedit, ipsi Deo, etsi quandoque confuse vel inscie, oboedire intendit et honore dignus est. Ecclesia ergo catholica

intolerantiam religiosam, quae in re summi momenti importat substitutionem potestatis humanae pro iudicio conscientiae propriae et indebitam restrictionem exercitii libertatis personae humanae, odiosam atque offensivam erga ipsam personam humanam eiusque dignitatem esse declarat. Exinde libertas religiosa non tantum a christianis sed ab omnibus et singulis hominibus et a communi hominum conviventia observanda est ». *Ratio*: 1. Mihi videtur ordo melior est nam immediate supra dicitur quod libertas religiosa postulatur *a natura actus fidei.* In paragrapho emendato tunc dicitur quod postulatur etiam *a natura hominis* scil. propter dignitatem personae humanae. 2. Credo quod paragraphus emendatus evitat speciem argumenti scholastici et quasi philosophico modo evoluti, pendentis ab analysi actus moralis in se, quod fini pastorali schematis alienum est. 3. Ut clarificetur sensus phrasis in Encyclicis Litteris *Pacem in terris* — rectam suae conscientiae normam — secundum sensum a rev.mo d.no De Smedt in sua relatione et quidem ipso schemate propositum.

V. In art. 5, pag. 6, lin. 15: Emendetur phrasis « Potestas publica nequit imponere civibus », etc., substituendo: « *Nefas est* potestatem publicam imponere civibus », etc. *Ratio*: Magis conformis idiomati moderno nam « Nequit » in sensu « non debet » vel « nequit moraliter » suam vim iam amisit.

Hae observationes et emendationes submissae sunt secretariatui ad Unionem Christianorum Fovendam ut perfectiori modo conficiatur schematis capitulum V. De necessitate ipsius capitis eiusque tractatione in proxima sessione Concilii ne scintilla quidem dubii remanet. Mundus fere totus exspectat ut Concilium de libertate religiosa auctoritative pronuntiet. Silentium de libertate religiosa in discrimen vocaret omnia alia quae Concilium promulgaret saltem quoad acatholicos.

45

Exc.mus P. D. ARTURUS TABERA ARAOZ

Episcopus Albacitensis

Animadversiones in integrum caput de libertate religiosa. Cap. V schematis *de Oecumenismo,* quod ex inopinato et quasi furtim, admiratione fere omnium Patrum, discussioni conciliari fuit propositum, non placet.

Aut multum fallor, textus ex integro esset reficiendus et ab imis emendandus et castigandus.

En praecipuae, ut reor, difficultates quas redactio capitis « de libertate religiosa » mihi suggerit et modeste propono meliori iudicio secretariatus redactoris.

1. Radix ultima, a qua difficultates fere omnes provenire videntur, est conceptus « libertatis religiosae » qui indicitur in textum propositum quique ipsum veluti pervadit: conceptum nempe omnino *negativum* (immunitas a coactione, praesertim potestatis civilis) et mere *iuridicum,* praetermissis imo fere oblivitis eius conceptu et ratione vere *theologicis.*

2. In textu proposito non distinguuntur sufficienter, imo frequenter confunduntur, conceptus et notiones valde inter se diversae: libertas scil. conscientiae, libertas religiosa, libertas socialis, libertas psychologica et libertas moralis. Hinc indebitus fit aliquoties transitus ex ordine interno, individuali et subiectivo,

ad ordinem externum, socialem et obiectivum; ex situatione invincibiliter erronea subiectiva ad normas obiectivas stabiliendas.

3. Nec clare distinctio statuitur et aestimatur, quod maxime interest ac immensi ponderis esset in hac gravissima ac periculosissima quaestione, inter « conscientiam rectam » et « conscientiam erroneam »; inter bonum commune et bonum individuale, inter libertatem in se et libertatis exercitium.

4. Textus, unilateraliter ut ita dicam, prospicit quaestionem: sollicitus enim semper est — quod laudandum et ambabus manibus plaudendum — de unione et concordia problematica fovenda cum fratribus separatis, praesertim in regionibus sic dictis « protestantibus »; parum vero, vel fere nihil curat de gravissimis et certis periculis quae fidei et caritati fidelibus in regionibus catholicis imminent.

5. Cap. V, denique: *a*) liberalismum damnatum nimis sapit; *b*) ignorare videtur peccatum quod libertatem hominis deturpat et vim Redemptionis in libertatem, in iura et officia hominis redempti, et res considerare ratione naturalistica, inadmissibili; *c*) doctrinam et traditionem Ecclesiae saepe in discrimen vertit, et illa consociatio regulae continuitatis cum regula progressus, quam tantopere et tam vehementer relatio in schema inculcavit, nec convincit nec de facto in schemate apparet.

6. Pater relator, in sua aliunde praeclara relatione ad cap. V, dixit « formulam verborum " libertas religiosa " in nostro textu determinatum sensum habere » (cf. pag. 27), quibus verbis haec alia addidit: « in nostra disceptatione magna confusio oriretur si ab aliquibus Patribus huic formulae verborum alius sensus tribueretur quam ille qui intenditur in textu... Si quis ergo pertinaciter vocabulo « libertas religiosa » unum e praedictis sensibus tribuere vellet, textui nostro sensum adscriberet, quem nec verba nec nostra intentio habent » (cf. pag. 28). Tamen, pace tanti viri, parum aut nihil interest Patribus quaenam sit intentio vel ipsius textus vel cl. relatoris. Agere, enim, debet Concilium de textu emendando non de relatione, de verbis expressis quae in schemate prostant non de intentione. In textu redigendo conciliari studio et disceptationi destinato, verba et res mutuo concordare debent ut « intentio » sive textus ipsius sive auctorum eiusdem, interpretatione aut declaratione non egeat.

7. Quaestionem, gravissimam quidem, modo nimis statico, si ita loqui liceat considerat: nihil enim dicit schema de obligatione uniuscuiusque hominis sese efformandi conscientiam rectam, deque iure et officio quae Ecclesiae catholicae, mandato et iniunctione divinis, incumbunt conscientias hominum educandi et auctoritative dirigendi (cf. Pium XII, 23 martii an. 1952, in *A.A.S.*, [1952], p. 270 s.).

8. Denique schema integrum est confectum sub influxu principii « maximam deberi personae reverentiam », absque ulla distinctione, explicatione aut temperamento: persona quidem, quae in errore invincibili et bona fide versatur, honorem et reverentiam meretur: hoc ex ipsa personae dignitate profluit quatenus libera est, non ex persona quatenus in errore est. Differentia et distinctio maximi momenti est, et integram quaestionem in hoc capite contemplatam illuminat et fundat.

Si ergo textum propositum retinere placeat et Concilii disceptationibus submittere, et non alium ex novo inducere, liceat mihi aliquas animadversiones in singulos numeros facere emendationesque modeste proponere, quibus textus, ni fallor, aliquantulum perpolitur clariorque redditur.

Animadversiones in singulos cap. V numeros. Titulus. Ex supra oblatis animadversionibus in schema in genere, satis superque innuitur *titulum* huius capitis non mihi placere, atque aliunde, meo humili iudicio, et materiam et intentionem ultro transcendere.

Prooemium. Paragraphus « Ecclesia catholica... redemptae » aptiorem locum inveniret in cap. II huius schematis *de Oecumenismo.*

Textus qui in linn. 11 sq. invenitur, ita mutari potest: « Sed simul, quod spectat ea in quibus unanimis consensus non adest, *concordare totis viribus oportet ordinem obiectivum a Deo stabilitum et personarum de facto dispositiones quibus ad vero adhaerendum et bonum amplectendum,* invitantur. Haec omnia... ». *Ratio emendationis propositae*: Necesse est verba e textu expungi quibus oppositio, apparenter saltem, inducitur inter iura Dei et iura personae. Obvium enim est: huiusmodi oppositio nec concipi potest, ideoque infelix videtur formula adhibita.

N. 1. Duplex paragraphus huius numeri, magni quidem praetii egregieque exarata, opportunius in cap. II transferri posset.

N. 2, lin. 6. Fortasse cit. *Mt.* 24, 3-15 ad rem non facit.

Linn. 9-11. Omittantur verba « officia » et « iura », nam, ut reor, inutiliter, confuse et non recte sunt hic adhibita. Dicatur simpliciter: « Respiciendum igitur non tantum ad verbum vivificum, quod omnibus hominibus praedicandum est (*Mt.* 10, 27; 24, 14; *Mc.* 16, 15; *Lc.* 12, 3), sed etiam ad mensuram gratiae quae personae ad fidem libere admittendam invitatae et vocatae a Deo tribuitur ».

Linn. 16-17. Quid verba significent « abstinendum esse ab omni coactione in annuntiatione veritatis », plane non intelligo. Nec ex verbis documentorum quae in nota citantur (2) deducitur. In his documentis (Alloc. Pii XII ad Rotam Roman., Enc. *Mystici Corporis*) nihil dicitur de interdictione coactionis cuiusque generis *in annuntiatione veritatis,* sed de damnatione coactionis *ad conversionem* vel *ad assensum fidei,* quam semper, ut patet, Ecclesia sartam tectamque habuit (Questo canone [1351] che riproduce le parole stesse del Nostro grande Predecessore Leone XIII, Enc. *Immortale Dei...* è eco della dottrina insegnata dalla Chiesa dai primi secoli del Cristianesimo », ait Pius XII in citata Alloc. ad Rotam Rom.).

Ni fallor hic habemus confusionem, saltem in versis ac formulis usitatis, inter assensum fidei et praedicationem fidei.

Insuper notandum est procedendum caute esse in expressione prohibitionis iniustae coactionis in hac re, nam periculum aderit ut aliquis putaret coactionem indebitam adesse cum Ecclesia eius potestate utitur annuntiandi auctoritative Evangelium, etiam cum minis contra eos qui non crediderint (*Mc.* 16, 16) et fidem defendendi.

Opportune, immo opportunissime, in hoc loco inducerentur verba quibus Pius XII loquutus est de iure coactionis Ecclesiae in fideles (Alloc. cit. ad Rotam Rom.).

Linn. 17-20. Verba videntur innecessaria nec recte adhibita. Unde sufficit ut in textu dicatur: « Error reiiciendus est, veritas praedicanda, persona errantis circa fidem ad veritatem reverenter et amanter allicienda, et quamdiu in errore bona fide versatur erga eamdem illam humanitatem ac aestimationem uti necesse est quam eius dignitas humana abs dubio postulat ». *Ratio*: Formula usitata ita perpolienda est ut clare pateat subiectum iuris de quo agitur non esse *personam qua liberam erga religionem,* sed *qua dignitate humana dotatam.* Ideo Ioannes XXIII:

« homo ad errorem lapsum iam non humanitate instructus esse desinit, neque suam unquam personae dignitatem amittit, cuius ratio semper est habenda ».

Postea etiam in n. 3 linn. 35-38 eadem idea exponitur: « Ideo homo qui conscientiae suae (addendum: rectae) oboedit, ipsi Deo... ».

Linn. 21-22. Libertas religiosa non simpliciter dici potest aut definiri: « immunitas a coactione externa ». Certe natura actus fidei necessario et essentialiter postulat immunitatem a coactione externa, at immunitas a coactione externa in actu fidei, non exacte et necessario coincidit cum libertate religiosa. Unde redactio nova huius textus tanti ponderis, modeste adumbratur: « Et revera, cum ad actum fidei suscitandum opus sit gratia Dei, quae sensum veritatis aperiat, cor moveat et convertat (cf. schema *de divina revelatione,* n. 6), hominibus (personis humanis) facultatem competit Deo libere colendi per fidem et religionem ad rectae conscientiae normam profitendi, neque ad id unquam coactione externa possunt adduci ».

Vel quid simile, consentaneam cum his quae in lineis sequentibus pulchre et exacte dicuntur.

Dolendum quidem est quod *libertas religiosa* modo adeo negativo in schemate conciliari definiatur.

N. 3, linn. 35-38 (pag. 4). Eadem videtur idea, eademque fere verba ac in n. 2 linn. 18-20.

In lin. 35, post verbum « conscientiae » addatur « rectae », ita etiam in n. 3 linn. 22 (pag. 5) et in n. 4 lin. 30. Necessarium videtur ad possibiles confusiones vitandas.

Quae in numero dicuntur a lin. 38 (pag. 4) ad lin. 19 (pag. 5) fortasse essent expungendae ex schemate. Necessitas non apparet, nec convenientia, includendi in schemate conciliari hanc actus moralis fidei analysim, nimis scholasticam et incompletam.

Lin. 20 (pag. 5). « Intolerantia religiosa » formula est ambigua et periculosa, non minus ac formula « tolerantia religiosa ».

Verba, insuper, huius paragraphi (a lin. 20 ad lin. 24) ansam praebere possint ut, praeter alia, quibus putaret etiam media legitimae persuasionis et influxus damnari et interdici tanquam legitimae libertati opposita et contraria.

N. 4, linn. 27 s. Loco formulae in schemate adhibitae « seu ius personae ne ab aliis impediatur quominus observet et proclamet officia sua erga Deum et homines... », formulam adhibendam esse puto, exactiorem magisque castigatam, Enc. *Pacem in terris*; « *seu ius ut et homines, sive singuli sive consociati, Deum ad rectam conscientiae normam, venerari possint et religionem privatim publice profiteri* ».

N. 5, lin. 35. Verba « libertas personalis » nimis *personalistica* nimisque *liberalia,* plus quam aequum, videntur. Cum aliis substitui possent, v. g.: *facultas libere religionem colendi...*

Linn. 10-25 (pag. 6). Possibiles abusus Potestatis civilis in re religiosa vehementer in schemate damnantur et anathematizantur; verendum tamen est ne culter contra manum vertatur. Modus dicendi nimis violentus et negativus videtur.

Fortasse normae et principia optima et exacta quae in hoc loco exponuntur, brevius et modo etiam positivo dici possent, ita ut appareat quomodo Potestates civiles « quae a Deo ordinatae sunt » (*Rom.* 13, 1), et constitutae ad commune bonum servandum, religionem etiam, quae non unus inter alios valor hominis est

considerandus, sed valor omnino specificus, omnesque alios transcendens atque ordinans (cf. *Mt.* 16, 26), debent protegere, custodire et fovere (cf. Enc. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 1963, p. 457), quin dignitatem personae humanae offendant et quin, ut patet regimini animorum et animarum curae sese immisceant.

Meminerint etiam capitis auctores, ne partialitatis nota graventur, ex una parte verba Ioannis XXIII (*l. c.,* pag. 273): « Quocirca commune bonum eiusmodi viis atque rationibus parandum est, quibus non modo aeternae saluti non officiatur, sed etiam eidem etiam serviatur », et ex altera verba Pii XII (Alloc. ad Iurisconsultos catholicos, *A.A.S.,* [1953], pp. 798-799) circa quaestionem iuris et facti quoad tolerantiam erroris et mali, ratione boni communis.

Linn. 26-27. Quid ad rem haec verba?

Linn. 28-30. Modus mihi videtur nimis absolutus et triumphalisticus.

N. 6. Paragraphus haec emendari deberet ut effectum prosecutum, Concilium obtineat: deleantur verba: « Quum grassante materialismo hodierno fundamenta omnis religionis et societatis corrodantur ». *Ratio*: Nimis negativa et opportunistica ratio ad unionem: homines nunquam veram efficient unionem in solis motivis negativis fundatam; unio esset pure « tactica » a qua cordati iure merito abhorrent.

Deleantur in linn. 39 (pag. 6) et 1 (pag. 7), verba « sive credentes sive nullam religionem profitentes ». *Ratio*: Difficile, ne dicam impossibile, est ut tales homines absque religione aut positive a religione abstrahentes, possint operam dare ad ordinationem societatis iuxta normas *ex dignitate personae humanae profluentes*: absque religione impossibile est concipere dignitatem personae humanae. Conferri possunt verba sapientissima quibus Paulus VI usus est in Alloc. *Salvete fratres*: « Catholica Ecclesia... oculos suos dirigit et ad alias religiones respicit, quae servant sensum et notionem unius Dei, creatoris, providentis, summi... ».

N. 7. Verba pulchra et veritate referta continet haec paragraphus. Nemo aliud fundamentum ponere potest, nisi id quod positum est. Ideo optime textus concluderet si adderet aliquam ad homines invitationem ut veram interiorem libertatem a peccato immunem assequantur, et simul clare indicetur veram libertatem verumque libertatis exercitium, nonnisi inveniri posse, ex providentia divina positiva, in Christo et in Ecclesia eius, per gratiam ipsius.

46

EXC.MUS P. D. EMMANUEL TATO
Episcopus S. Iacobi de Estero

Mociones sobre ecumenismo y libertad religiosa.

1. Que se revise la legislación canónica sobre la lectura de las ediciones no católicas de las Sagradas Escrituras.

2. Que se revise la legislación canónica sobre los matrimonios mixtos a la luz del ecumenismo y la libertad religiosa.

3. Que en el capítulo sobre la libertad religiosa se explicite lo referente a las relaciones entre la Iglesia y el Estado en el sentido de que:

a) las relaciones mutuas entre ambos poderes, aun reguladas por pactos, no obsten sino que promuevan la libertad religiosa;

b) los concordatos existentes, si es preciso, sean revisados en este sentido;

c) no se favorezca la idea de que la unidad nacional de un estado civil depende de la unidad religiosa del mismo.

Mociones sobre el esquema « de apostolatu laicorum ».

1. Que los principios básicos del esquema « de apostolatu laicorum » sean incorporados al capítulo correspondiente del esquema « de Ecclesia » y sus orientaciones pràcticas sean expuestas en forma de propositiones concretas en un « Directorio ».

2. Que el lenguaje de dichas proposiciones sea claro y directo y su contenido contemple los problemas reales del apostolado de los laicos y oriente eficazmente hacia su solución.

Mociones sobre el esquema « de Ecclesia et mundo » (esquema XVII).

1. Que el texto propuesto a la próxima Sesión, aparte de una exposición doctrinal breve e inteligible para la mentalidad contemporánea, contenga algunas propositiones concretas acerca de los temas que siempre se ha previsto entrarían en ese esquema, vgr., discriminación racial, explosión demográfica y natalidad, hambre y promoción de los pueblos sub-desarrollados, empleo de armas nucleares.

2. Que para la elaboración, sea del capítulo doctrinal, sea de las proposiciones concretas, se requiera la intervención de especialistas, incluso laicos, en las diversas cuestiones mencionadas.

[*Subscripserunt etiam*] Luis Baccino, ob. San José de Mayo; Antonio M. Aguirre, ob. San Isidro; Jorge Kemerer, ob. Posados; Enrique Angelelli, ob. tit. Lista, aux. Córdoba; Alberto Devoto, ob. Goya; Roberto Cáceres, ob. Melo; Antonio Quarracino, ob. Nueve de Julio; Jerónimo José Podestá, ob. Avellaneda; E. Pironio, ob. tit. Ceciri.

47

Exc.mus P. D. ANTONIUS VARTHALITIS

Archiepiscopus Corcyrensis, Zacynthiensis, Cephaloniensis

Votum quod sequitur facere cupit Graeciae hierarchia catholica latini ritus:

Memoretur in schemate *de Oecumenismo* existentiam in Ecclesia catholica diversorum rituum orientalium, nullo modo eo tendere ut in errorem inducantur orthodoxi et faveatur proselytismus, sed e contra ut ostendatur: *a*) catholicam Ecclesiam hos ritus magni facere et venerari; *b*) eam esse vere catholicam, i. e. universalem, quippe quae omnibus populis nuntium suum pandit et mediantibus omnibus ritibus eum proferre nata est; *c*) nullatenus necessarium esse proprium ritum orientalem derelinquere, etsi catholici fieri cupiant.

Huius voti ratio est: saepissime nominari in querelis contra nos orthodoxorum sic dictam « Uniam » (quo vocabulo « Unia » signatur in Graecia coetus catholicorum orientalis ritus). Hanc « Uniam » orthodoxi tentamen habent Ecclesiae catholicae ad se deludendos et ad orthodoxiam subruendam. Quamobrem Ecclesiam catholicam sinceram esse non credunt et putant dialogum tamdiu fore impossibilem dum apud se ista « Unia » permanebit.

Sic novissime in diario aliquo legebatur: « Circa relationes inter Orthodoxiam Graecam et Ecclesiam catholicam nulla mutatio notata est. Et quidem difficile erit

aliquid novi in hac materia notare, dum Papa perseverabit « Uniatis » patrocinari et per eos perget Orthodoxiam corrodere ». Et similiter in aliis foliis saepissime leguntur.

[*Subscripserunt etiam*] J. Perris, arch. Naxiensis; Benedictus Printesis, arch. Atheniensis; Georgius Xenopulos, ep. Syrensis et Sanctoriensis.

48

Exc.mus P. D. IOANNES VONDERACH
Episcopus Curiensis

Ad perficiendum schema *de Oecumenismo,* quod in genere valde placet et secundum opinionem meam ad documenta maximi momenti a Concilio edenda pertinet, haec notare mihi liceat.

Ad schema in genere. 1. *Titulus* « De Oecumenismo » minus placet et eius loco hunc vel similem titulum propono: « De unione inter omnes christianos » (vel « christifideles » sive « baptizatos ») fovenda.

Vox « oecumenismus » in textu quidem, ubi sensus eius explicatur, adhiberi potest, non vero in ipso titulo. *Rationes*: *a*) Multis fidelibus terminus « Oecumenismus » ignotus est. *b*) Vox « Oecumenismus » nequit in omnes linguas vernaculas verti. *c*) Evitanda est species quoque Concilium non-catholicos, qui inde a multis annis in motione oecumenica adlaboraverunt, edocere velle, quid tandem aliquando sit Oecumenismus. *d*) Novo titulo proposito statim ab initio clare indicatur, quinam sit finis ab omni oecumenismo intentus et simul alluditur ad orationem sacerdotalem Christi, qua deprecatus est Patrem, ut omnes discipuli sui unum sint.

2. Mihi omnino necessarium videtur, ut capitibus schematis *de Oecumenismo* praeponatur aliquod *prooemium* sicut fit etiam in aliis documentis conciliaribus. In quo prooemio alludendum esset ad orationem Christi « Ut omnes unum sint »; ad statum deplorandum divisionis christianorum, qui voluntati Christi contradicit et in peccatis totius christianitatis causam habet; ad desiderium universale unitatis, quod Spiritus Sanctus praesertim nostris temporibus in omnibus partibus christianitatis excitavit et ad conamina, quae etiam extra Ecclesiam catholicam ad unionem inter christianos fovendam inde a pluribus decenniis laudabiliter facta sunt. Speciali mentione dignum esset opus magnum « Consilii Mundialis Ecclesiarum » Genevensis, cui actio oecumenica catholica non est opponenda, sed quocum dialogus fraternus esset instituendus.

In tali prooemio extollendum etiam esset, quanti momenti esset, ut omnes christiani in communi testimonium reddant pro Christo et gratia eius coram mundo non-christiano sive in terris missionum sive in nationibus, in quibus Evangelium iam ante multa saecula annuntiatum est.

3. Expressio « christifideles », quae in schemate bis ad solos catholicos restringitur (pag. 9, lin. 6 et pag. 15, lin. 1), semper ad designandos *omnes* christianos adhiberi deberet, cum non tantum catholici, sed omnes baptizati fidem in Christum profiteantur. Valde optandum mihi praeterea videtur, ut Secretariatus ad unitatem inter christianos fovendam curet, ut etiam in aliis documentis conciliaribus idem usus termini « christifideles » observetur.

Animadversiones ad cap. I. Doctrina de Ecclesia ex constitutione conciliari *de Ecclesia* supponenda esset. Superfluum ergo mihi videtur, quod in schemate *de Oecumenismo* (etsi compendiose) repetatur. Nemini post dictam constitutionem dubium esse potest, quaenam sit Ecclesiologia catholica hic supponenda. Maximi momenti e contra videtur esse, ut in cap. I clare et fortiter extollantur quaedam principia, quorum catholici generatim nondum conscientiam claram habent, ut sunt v. g. *a*) necessitas melioris « *actualizationis* » (ut dicunt) *catholicitatis* Ecclesiae romano-catholicae. Nam Ecclesia romano-catholica certe nondum omnes virtualitates, quae in ipsa recondita sunt, in actum manifestum deduxit; *b*) distinctio maxime inculcanda inter *unitatem* Ecclesiae et *uniformitatem* vitae et actionis ecclesiasticae. Omnibus christianis evidens fieri deberet Ecclesiam romano-catholicam pro unione christianorum instituenda nullatenus postulare, ut aliae communitates formas legitimas ipsis proprias deponant et omnes formas evolutione historica in Ecclesia romano-catholica inductas accipiant; *c*) distinctio facienda inter *structuram essentialem* Ecclesiae Christi et *efformationem historicam* eius decursu saeculorum factam, quae mutabilis est et secundum conditiones et necessitates temporum et locorum mutanda est; *d*) principium *libertatis religiosae,* quod in cap. V fusius exponitur, in cap. I autem iam breviter commemorandum esset, cum pro actione oecumenica maximi momenti sit. Nisi haec (et alia) principia omnibus christianis nota fiant et paulatim in praxim deducantur, oecumenismus finem ultimum suum, scil. unitatem in una (sed pluriformi) Ecclesia Christi, obtinere nequit.

Animadversiones ad cap. II. In cap. II dicuntur, quae quoad rem iam in cap. I dicuntur. Quae repetitio mihi non videtur esse conveniens. Ut evitetur, textus cap. I stricte ad principia dicta fundamentalia oecumenismi restringendus et in cap. II actio concreta tantum describenda esset, quae ex illis principiis effluere debet.

Animadversiones ad secundam partem cap. III. Non videtur mihi rem Concilii esse, ut descriptionem aliquam Protestantismi dare conetur. Descriptio Protestantismi, quae in textu praesente proponitur, certe a theologis protestantibus non ut sufficiens agnoscetur.

Melius mihi videtur, si diceretur, doctrinam protestanticam Ecclesiae catholicae quaestiones quasdam serias ponere, quae a theologia catholica sedulo considerandae et mediante dialogo cum theologia protestantica solvendae sunt. Indicari in textu possent exempla talium quaestionum.

Animadversiones ad cap. IV (de Iudaeis). Textus ipse mihi maxime placet et necessarium mihi omnino videtur, ut Concilium hoc modo rectam habitudinem christianorum erga populum iudaicum describat.

Cum tamen Oecumenismus sit actio intendens unionem inter *christianos*, talis textus de *Iudaeis* secundum sententiam meam nequit esse caput schematis *de Oecumenismo.* Adiungi forse posset huic schemati ad modum appendicis. Melius tamen mihi videtur tamquam appendix adiungi constitutioni *de Ecclesia*; nam doctrina de Ecclesia nequit ad modum historiae salutis describi, quin sermo fiat de populo Israel, in quo Ecclesia praeformata erat. Non mihi videtur etiam impossibile, ut textus de Iudaeis a Concilio edatur ut declaratio quaedam separata ab omni alio decreto.

Animadversiones ad cap. V (de libertate religiosa). Mihi omnino conveniens, immo necessarium videtur, ut Concilium declarationem edat de libertate religiosa ad mentem textus propositi. Liceat mihi tamen quaedam pro emendatione textus animadvertere:

1. Textus propositus mihi non videtur posse constituere caput proprium schematis *de Oecumenismo,* cum quaestio libertatis religiosae non respiciat tantum habitudinem inter christianos, de qua oecumenismus agit. Tam longo textu etiam proportiones schematis *de Oecumenismo* non servarentur. Non apparet, cur non etiam de aliis principiis oecumenismi proprium caput conficiatur.

Textus de libertate religiosa agens ergo a decreto *de Oecumenismo* separatus edendus esset, forse ut pars decreti *de praesentia Ecclesiae in mundo.*

2. Textus praeiacens nimis longus videtur et nimis de particularibus tractat, quae dubiis ex parte historiae ansam praebent.

Si principia bene enuntiantur, decursu temporis sine dubio effectum sortiuntur. Quaedam in textu praesenti aliquatenus durius dicta facile guberniis quibusdam, quibus bona voluntas non est deneganda, quae vero res non statim mutare possunt, difficultates et angustiae parantur.

In textu praeterea etiam quaedam repetitones inutiles inveniuntur.

3. Ut textus abbrevietur — quomodo omnino necessarium videtur — propono, ut sequentes partes *deleantur*: *a*) a pag. 4, linea paenultima a verbis « Hanc rationem... » omnia usque ad pag. 5, lin. 19 (i. e. usque ad verba « ... coercitionem exercendi » inclusive); *b*) pag. 5, lin. 21 inde a verbis « Ipsa enim... » usque ad finem paginae; *c*) pag. 6, incisum 5 totum (i. e. a verbis « Haec libertas... » usque ad « ... a nationibus agnoscuntur » inclusive); *d*) pag. 6, incisum 8 totum (i. e. a verbis « Nostris autem... » usque ad verba « ... inter se connectuntur » inclusive); *e*) pag. 6, linea ultima, verba « sive credentes sive nullam religionem profitentes ».

4. In pag. 6, linn. 2-3 post « bono communi » *deleantur* verba « seu ordini obiectivo iurium Dei Creatoris et Salvatoris » et loco eorum *dicatur*: « prout istud bonum commune iuxta Dei legem naturalem tale est et ut finis societatis civilis aut eiusdem auctoritatis publicae legitime observandum est ». *Rationes* huius mutationis sunt sequentes:

a) « Bonum commune » rei publicae civilis, de quo sermo est, est tantum pars valde limitata eorum, quae ordo obiectivus iurium Dei nominari possunt. Formula autem proposita (« bono communi *seu* ordo iurium Dei... ») false statuit identitatem inter « bonum commune » et illa « iura Dei ».

b) Verba textus videntur insinuare auctoritates rei publicae civilis aut alia subiecta societatis civilis, quae coactionem adhibere possunt, ius et officium habere tuendi *omnia* iura Dei Creatoris et Salvatoris, quod omnino falsum est.

c) Vox « Salvatoris » dicit ordinem supernaturalem revelationis, qui non spectat rem publicam civilem et terrenam, sed unice Ecclesiam.

d) Si auctoritas legitime posset impedire omne exercitium externum libertatis conscientiae, ubi hoc exercitium obiective contradicit cuicumque iuri Dei Creatoris et Salvatoris, iam posset legitimari omnis coactio contra quodlibet obiective falsum exercitium externum libertatis conscientiae a parte auctoritatis civilis. Hoc autem reiciendum est et contradicit fini et menti huius schematis.

e) Nova formula supra proposita satisfacere videtur intentioni legitimae, quae verbis delendis subest, scil. urgendi tantum *verum* et obiectivum bonum commune esse normam pro restrictione exercitii externi libertatis conscientiae singulorum.

49

EXC.MUS P. D. ANTONIUS GREGORIUS VUCCINO
Archiepiscopus tit. Aprensis

Cap. III. De christianis ab Ecclesia catholica seiunctis.

In lineis 158 paragraphus prior huius capitis tractat peramanter de mente, de historia, de traditione liturgica, de spirituali traditione, de disciplina et de ratione theologica orientalium Ecclesiarum, quae omnia valde utilia sunt ad verum oecumenismum promovendum iuxta methodum positivam feliciter inaugurata a Summis Pontificibus Romanis a Leone XIII usque ad Paulum VI, gloriose regnantem.

Attamen in eadem paragrapho, n. 18, cuius titulus est de necessariis conditionibus ad unionem feliciter restaurandam in 13 lineis tantum verbum fit de methodo practica quae respicit opus oecumenicum. In hoc numero alluditur ad parietem quae per concilium florentinum sublata fuerit, saec. xv, et quae denuo interposita fuerit duodecim annos post exitum eiusdem concilii. Quaeritur cur tam cito scissum fuit ab orientalibus decretum unionis a concilio florentino editum.

Dictum iam est in hac aula quod historia est magistra veritatis. Quo modo oecumenismum navantes possunt recta ratione suum opus promovere et perficere si ignorant praecipuas difficultates nec non impedimenta quae obsunt viae qua ducitur ad perfectam cum Ecclesia catholica unionem ex parte orientalium Ecclesiarum. Videtur enim duo esse ista impedimenta, quorum ignorantia constituit magnam deficientiam in opere oecumenico et de quibus totaliter silet schema *de Oecumenismo.*

Impedimentum prior: Hoc impedimentum respicit ecclesiologiam proprie dictam. Nam iuxta mentem orientalium, quae erat propria S. Ignatii Antiocheni, unitas Ecclesiae initium habet in Ecclesia particulari seu dioecesana, nam in ea adest episcopus, successor apostolorum, centrum unitatis, quia tenet in manibus Symbolum fidei, sacramenta et praecipue cultum eucharisticum. Etenim qui habet Eucharistiam habet Ecclesiam. Iuxta S. Ignatium episcopus est quasi sacramentum Patris aeterni ad efficiendam unitatem propriae Ecclesiae. Haec sola unitas visibilis ab Orientalibus admissa in Ecclesia Christi. Altera unitas constituitur a communione in fide et in sacramentis quae viget apud omnes Ecclesias particulares, quae unanimi consensu Christo, Capiti Ecclesiae, iunguntur, ad efficiendam unitatem Ecclesiae. Haec notio Ecclesiae unitatis propria Ecclesiarum orientalium absens est a schemate nostro. Certum est quod haec omnia adumbrata iam sunt in constitutione *de Ecclesia* de qua disceptata fuit in praesenti sessione, sed videtur quod valde utile est memoriam ipsius facere in materia oecumenica, in praesenti casu bis repetita placent.

Alter impedimentum: indoles nationalistica et autocephalistica quae observatur in Ecclesiis orientalibus, quae, mihi videtur, esse maximam et quasi invincibilem difficultatem, attamen etiam de hoc silet schema *de Oecumenismo.* Certe non est facile in quatuor paginis tractare historiam separationis inter utrasque Ecclesias, sed non erat tam difficile adumbrandi impedimenta unionis, remanente intentione in Directorio particulari, quod erit Vade Mecum oecumenistarum, materiam illam fusius tractare. Experientia constat quod quando orthodoxus qui-

dam accessum facit ad Ecclesiam catholicam, praecipue vero si ritum latinum amplexatur, apud omnes alios orthodoxos reputatur ut apostata et ut alienigena et appareat excommunicatus tam a religione orthodoxa quam a societate nationali. In futuro seiunctus erit a familia sua et a natione sua. Ipsemet cognovi casum iuvenis orthodoxae quae expulsa fuit e sua familia, quia fecerat accessum ad Ecclesiam catholicam. Ideo, si in casu particulari communio perfecta cum Ecclesia catholica putatur ut vera apostasia a religione et a patria, a fortiori accessus totius nationis ad Ecclesiam catholicam constituit veram proditionem. Haec est ratio praecipua propter quam orthodoxi non possunt intelligere et admittere Ecclesias orientales cum Ecclesia catholica perfecte iunctas. Ipsemet audivi hominem politicum graecum maximi momenti qui quaerebat a me ut facerem concilium ad Sanctam Sedem ad e medio tollendos catholicos ritus byzantini in territorio nationali degentes.

Alterum impedimentum est autocephalia seu autonomia seu independentia Ecclesiae nationalis a quolibet aliquo Capite ecclesiastico alieno a propria natione. Hoc principium includitur in canone 28 Concilii Calcedonensis I, qui numquam fuit approbatus a Sede Apostolica, iuxta quem dignitas hierarchica Ecclesiae particularis pendet a dignitate hierarchica civili. Unde, civitas Constantinopolitana vocata fuit secunda seu nova Roma, et hoc propter praesentiam intra muros eius Imperatoris Senatusque Romani.

Quaeritur nunc qua ratione haec duo impedimenta perfectae communionis cum Ecclesia catholica possunt e medio auferri. Opus istud nobis praecipue incumbit. Ad quid enim Concilium Vaticanum II adunatum est? Ioannes XXIII sicut et successor eius Paulus VI g. r. inter alias fines huius Concilii adhibuerunt praeparationem unionis inter christianos per renovationem Ecclesiae catholicae, non tantum in verbo sed et in opere. Pius Papa XI dixit iam quod unio promovetur magis exemplis vitae christianae quam multiloquio theologorum. Ipsemet post tractatum Lateranensem declarabat hodiernam Ecclesiam spiritu perfectiorem quia assimilari potest ad florem super summam stipitis. Quid enim fratres orthodoxi expectant ut videant Ecclesiam Petri an non magis Ecclesiam Christi? Nam Ecclesia Petri tunc erit vera Ecclesia si est Ecclesia Christi, non tantum secundum institutionem, sed essentialiter et praecipue in vita membrorum suorum.

Ratione amoris erga veritatem oportet dicere quod communio perfecta cum fratribus orthodoxis magis a nobis pendet quam ab illis, quia in omni humilitate debemus confiteri quod hodiernus status Ecclesiae catholicae in quibusdam allicit fratres nostros et in quibusdam eos repulit et alienat a nobis. Propterea non tantum nos sed etiam illi gavisi sunt de convocatione Concilii Vaticani simulque maxima cum attentione sequuntur labores nostros, et Deum rogant pro nobis, ita ut opus nostrum sit opus verae renovationis spiritualis et sincerus reditus ad evangelium ad instaurandum verum Regni Dei non tantum verbo sed in opere et veritate.

Propono igitur reverenter ut duo puncta praelaudata includantur in schemate *de Oecumenismo* ad dirigendas pedes nostros in viam pacis.

* * *

Dixit in hac aula aliquis Pater maximi momenti esse usum verborum in decretis conciliaribus, maxime vero in titulis eorum, nam in ipsis manifestatur intentio nec non mens Patrum. Hanc rationem accuratius debent Patres adhibere in

tractatu de oecumenismo, nam decreta eorum respiciunt quidem catholicos sed oportet illa esse simul apta ad initiandum dialogum oecumenicum.

Propositum fuit ab aliquo Patre ut paragraphus secunda huius capitis separatim tractetur a paragrapho priori. Sed considerandum est quod christiani Reformationis cognoscunt iam ordinem huius capitis qui fundatur super fraternitatem ex baptismo ortam. Propterea caveamus ne tangatur ordo schematis, non expedit iam in hac materia laedere fratres in Christo. Sed caritatem non expedit a veritate seiungere. Propono ideo ut aliqua mutatio fiat in titulo capitis tertii e medio auferendo duo verba, ab et seiunctis, quibus nimia et quasi absoluta separatio significatur, quod contradicit veritati, dum exstat vera communio inter omnes baptizatos. Propono reverenter titulum sic habentem: « De fratribus christianis cum Ecclesia catholica aliquam communionem habentibus seu non plene iunctis ». Melius enim est uti verbis positivis quam negativis. Seu ad Ecclesiam catholicam ordinatis (Corporis mystici).

Insuper per mutationem tituli decreti salvatur integra peculiaris illa consideratio de qua tractatur in titulo primae paragraphi, alioquin paragraphus titulo contradiceret et vice versa. Quae dicuntur hic non perperam dicuntur. Experientia est magistra veritatis. Experto mihi credite, Patres, qui per triginta quinque annos cum fratribus orthodoxis conversatus sum et hodie sequor et lego scripta eorum, quod maxime displicent eis verba « Fratres separati » seu « schismatici ». « Cur vocatis nos schismaticos, quaerebat aliquis orthodoxus, nonne dicimus in Credo: credo unam sanctam catholicam Ecclesiam. Schismatici nullatenus sumus, sed catholici ». Cur displicent eis verba « Fratres separati »? Quia censent quod catholici eos accusant reos esse separationis. Sed his annis audivimus Ioannem XXIII s. m. confiteri quod separatio dolenda incumbit tam catholicis quam othodoxis, ita ut difficile sit unicuique propriam mensuram responsabilitatis iuste attribuere. Propter hoc ipsi orthodoxi vocant catholicos « Fratres separatos ».

Attamen, forsan aliquis apud nos theologus vel canonici iuris laureatus dicat nobis quod stricte loquendo verbum orthodoxus magis convenit catholicis quam orthodoxis. Transeat. Felix populus qui ignorat arguta argumenta peritorum. In praxi non adest periculum confusionis et indifferentismi. Experientia constat quod in aliquibus regionibus orientis catholici vocant orthodoxos non catholicos et orthodoxi vocant catholicos non orthodoxos.

Animadversus sum, propter diuturnum commercium cum fratribus orthodoxis, quod summe habent titulum orthodoxus. Nam in hoc verbo includuntur traditiones tam religiosae quam nationales, quae apud illos nunquam separantur. Censeo quod haec consideratio multorum catholicorum ritus latini mentem effugit, quia apud eorum nationes multoties exstat separatio inter Ecclesiam et statum. Abhinc octo annis amicus orthodoxus misit mihi aliquod opusculum subscripto a coetu quodam atheniensium theologorum. Titulus opusculi erat « Nostalgia orthodoxiae ». Prima vice, confiteor, me mirationem percepisse. Lecto autem opusculo conclusi quod iuxta theologos orthodoxos athenienses unio inter omnes christianos orbis terrarum non potest fieri nisi in Orthodoxia. Anno elapso integrum opusculum editum fuit in hebdomadario ecclesiastico Apostolos Andreas patriarcatus constantinopolitani. Conclusi quod doctrina theologorum atheniensium est doctrina Ecclesiae orthodoxae. Iuxta principia dialogi oecumenici officium incumbit nobis audire fratres nostros orthodoxos, qui manifestant nobis suam doctrinam. Quid

intenditur per verbum orthodoxi? Hic verbum initium habuit post definitionem concilii in Oriente, saeculo VIII, veri cultus sacrarum imaginum, contra haeresim iconoclastam. Usque hodie apud Ecclesias orientales, dominica prima quadragesimae, celebratur festum « Orthodoxiae ». Investigantibus Orthodoxiae genuinam naturam haec apparet ut summa totius fidei christianae a Christo, apostolis, Patribus et Conciliis oecumenicis acceptae. Sed quando Orthodoxia fuit quasi definitive stabilita Ecclesiae orientales plenitudinem communionis cum Ecclesia romana habebant cuius confitebantur Primatum. Multoties ipsemet audivi praelatos orthodoxos declarantes plenam communionem esse possibilem si Ecclesia romana redire ad periodum conciliorum acceptasset.

Haec declaratio acceptari potest tamquam principium dialogi inter utrasque Ecclesias, cum sit basis vera et efficiens motionis oecumenicae. Audivimus his diebus patriarcam constantinopolitanum declarare se esse paratum dialogum initiare cum Romano Pontifice. Sed qua ratione fiet iste dialogus? Hic iacet nodus difficultatis. Ex parte Sanctae Sedis videtur difficile cedere conditionibus aequalitatis quae veniunt ex parte sedis patriarchalis constantinopolitanae. Solutio huius quaestionis pertinent ad supremam in Ecclesia catholica auctoritatem. Forsan post exitum Concilii oecumenici iste dialogus poterit institui.

* * *

Cum verbum Oecumenismus diversis generibus Oecumenismi respondet, oportet in aliquo prooemio definire Oecumenismum secundum sensum catholicum distinguendo illum ab aliis speciebus Oecumenismi. Ideo sequens proponitur prooemium.

Prooemium. Oecumenismus in se consistit in aliqua propensione secundum quam omnes christiani cum animo sincero et intento convergunt ita ut omnes in unico ovili Christi conveniant.

Quamquam propensio ista communis sit omnibus christianis, nihilominus eius natura diversimode conspicitur iuxta conceptum ecclesiologicum proprium.

Unde potest dicere quod hodie triplex exstat Oecumenismus, videlicet catholicus, orthodoxus et reformatorum.

Iuxta doctrinam catholicam sola Ecclesia cuius Petrus est caput, verum est ovile Christi in quo omnes christiani debent convenire. Haec doctrina ab Ecclesia catholica reiicitur, nam iuxta eius doctrinam verum ovile Christi est Ecclesia dicta orthodoxa in qua omnes christiani debent convenire ad efformandam unicam Ecclesiam Christi.

Denique sequaces Reformationis censent unitatem visibilem Ecclesiae obsoletam esse decursu temporis propter schismata et haereses. Officium oecumenismi consistit in instauranda istam unitatem Ecclesiae.

Cap. I. *De principiis oecumenismi catholici.*

A. *Principia ex Sacra Scriptura et traditione.* Principium genericum: Oratio Christi ad Patrem (*Io.* 17, 20-23). « Ego in eis et tu in me ut sint consummati in unum ». Primum principium unitatis Ecclesiae est Pater, ad quem omnia referuntur, scil. omnia quae mediante Spiritu Sancto ad Filium uniuntur. Nam dicit apostolus quod « in Christo omnes unum sumus », scil. unum Corpus cuius Caput est Christus.

Hic oportet recurrere ad Scripturam in qua diversi typi et diversae figurae istius unitatis Ecclesiae inveniuntur. Sufficit, videtur mihi, conferre ea quae dicuntur in constitutione *de Ecclesia.* Ex dictis sequitur Ecclesiam Christi esse unicam dum quia Christus est unus dum quia ipse aedificavit Ecclesiam suam supra Petrum, qui vices Christi gerit.

Omnia haec facile probantur ex Scriptura et ex traditione.

Conclusio: Ubi Petrus ibi Ecclesia.

B. *Principia psychologica.* Haec principia sunt dispositiones animi, quae sunt:

a) *Amor erga veritatem.* Nam secundum orationem Christi ad Patrem: « Sanctifica eos in veritate », veritas est primum fundamentum unitatis. Insuper cum Christus est « Veritas » et ex altera parte unitas non potest fieri nisi in Christo, evidens est quod fundamentum primum unitatis est veritas. Ideoque omnes qui operam dant operi unitatis debent amare veritatem.

b) *Amor erga Christum*: Nam omnes qui vere diligunt Christum debent operam dare ita ut fiat eius voluntas contracta in his verbis: « Ut omnes unum sint. Ut fiat unum ovile sub uno pastore ».

c) *Amor erga homines*: Primum amor erga omnes christianos qui in tantis dissensionibus versantur. Secundum, amor erga non-christianos quorum accessio ad Christum impeditur a dissensionibus inter christianos.

C. *De recta ratione habenda de habitudine fratrum seiunctorum ad Ecclesiam catholicam.* Distinguendum est inter christianos orthodoxos et christianos sequaces Reformationis.

a) Quaenam sunt elementa communia catholicis et orthodoxis?

Tum catholici tum orthodoxi referuntur ad Christum mediantibus apostolis. Nam in Ecclesia catholica et in Ecclesia orthodoxa adest successio apostolica, traditio apostolica. In utrisque inveniuntur eumdem symbolum fidei, eaedem veritates a septem primis conciliis definitae, eadem septem sacramenta, eadem traditio Patrum, eundem sacrificium, etc.

Ecclesia localis orthodoxa est vera Ecclesia quia habet episcopum, successorem apostolorum et cum eo doctrinam apostolicam. Sed haec unitas particularis debet convenire cum Capite visibili Ecclesiae, qui est Petrus. Deficit ergo in ecclesiis orthodoxis plenitudo unitatis.

b) *Quaenam sunt elementa communia catholicis et sequacibus Reformationis?*

Ex utraque parte habetur Scriptura Sacra, ut fons Revelationis. Ex parte sequacium Reformationis deficit traditio, ut fons revelationis. Inter sacramenta fidei baptismus est communis in utraque parte.

Unde potest concludi quod apud fratres seiunctos adest quaedam ordinatio et communio cum Ecclesia catholica, propterea vocantur fratres nostri in Christo.

De Oecumenismo (in decreto n. 3). Iam verbum factum est superius de oecumenismi speciebus. Hic agitur de oecumenismo catholico. In decreto tractatur de oecumenismo catholico n. 3, a lin. 17 s.

Videtur quod ea quae hic dicuntur anticipant ea quae referuntur ad exercitium oecumenismi. Numerus tertius locum suum naturalem haberet in capite secundo ubi de oecumenismi exercitio tractatur.

Cap. II. *De oecumenismi exercitio.*

I. Certum est unitatem inter omnes christianos esse Donum Dei quod Deus concedit recte petentibus secundum illud: « Petite et accipietis, pulsate et aperietur vobis, quaerite et invenietis ».

Unde *oratio* est medium praecipuum ad obtinendam unitatem inter christianos.

Nam ipse Christus oravit Patrem petendo « ut omnes unum sint ».

Sed Christus passus et mortuus est ad reconciliandum homines cum Deo et ad instaurandam unionem inter homines. Unde orationi pro unitate adiungendum est dolores, persecutiones, labores et in genere omnia quae possunt assimilare nos Christo patienti.

In uno verbo *oratio* et *crux,* sunt media praecipua ad obtinendam unitatem inter christianos. Recta oratio supponit bonos mores. Nam Deus audit orationem iustorum.

Unde quae dicuntur in nn. 4, 5, 6, De interiore Ecclesiae renovatione, De conversione cordis, De sanctitate vitae et in reliquis numeris sub uno titulo possunt ordinari, scil. De oratione oecumenica.

Nam ex una parte oratio supponit bonos mores sed ex altera parte ipsa oratio fovet bonos mores. Oratio recta est manifestatio vitae interioris et rectitudinis cordis.

Unde *oratio* supponit et fovet interiorem Ecclesiae renovationem (n. 4), conversionem cordis (n. 5), sanctitatem vitae (n. 6).

Insuper oratio unanimis (n. 7) supponit et fovet mutuam cognitionem (n. 8), fovet oecumenicam instructionem (n. 9) et modum exprimendi et exponendi doctrinam catholicam (n. 10).

E recta oratione sequitur caritas fraterna quae includit cooperationem cum fratribus separatis (n. 11).

Oratio iungenda est cum *cruce.* De hoc silet decretum *de Oecumenismo.*

Christus per sanguinem suum operatus est reconciliationem generis humani.

Opus oecumenicum debet sequi eamdem viam crucis ad suum finem obtinendum.

Sub nomine *crucis* inveniuntur labores humani, infirmitates, dolores, persecutiones, etc.

N. B.: Oratio oecumenica debet includere orationem marialem. Nam Maria, ut Mater Ecclesiae, est fautrix unitatis. Ex altera parte Leo XIII (1898) instituit Archiconfraternitatem sub titulo Assumptionis B.M.V. ad fovendam unitatem inter christianos. Memores igitur Mariam virgineo pede omnes haereses contrivisse curemus ut in decreto mentio specialis fiat de Oratione mariali ad obtinendum finem motionis oecumenicae.

Cap. III. *De christianis ab Ecclesia catholica seiunctis.*

I. Proponitur mutatio tituli propter peculiarem considerationem quae debetur christianis Ecclesiarum orientalium ab Ecclesia catholica seiunctis.

Titulus emendatus: *De christianis cum Ecclesia catholica non plene iunctis.*

Verbum *seiunctis* includit totalem separationem, quae non accidit in casu nostro, ut iam dictum est in primo capite de habitudine ad Ecclesiam catholicam fratrum separatorum. Verba *non plene iunctis* consonant cum vera doctrina.

N. 12. (*De Orientalium condicione*). Lin. 7. Dicitur quod ex historia constat separationum ansam praebuisse, etc.

Attamen quamquam quae hic dicuntur vera sint decretum totaliter silet de causis profundis et praecipuis separationum. Nam diversitas rituum fuit tantum praetextus ad iustificandam separationem iam peractam.

Praecipuae causae separationis fuerunt Caesarocratia imperatorum orientalium et quaedam saecularisatio potestatis ecclesiasticae.

a) Caesarocratia (non Caesaropapismus) fuit verus totalitarismus iuxta quem Imperator erat caput visibile Ecclesiae. Unde, secundum dictum Patriarchae Menas in Ecclesia nihil faciendum est sine consensu et licentia Imperatoris. Unde in Oriente centrum visibile unitatis Ecclesiae erat aliquid saeculare scil. potestas imperialis. Ecclesia erat subdita potestati saeculari. Erat Ecclesia *Status*.

Multoties Romani Pontifices condemnaverunt modum gubernandi Imperatoris. Inde irae.

b) In concilio oecumenico Chalcedonensi in canone 28 statutum fuit a Patribus, exceptis legatis apostolicis, quod Patriarcha Constantinopolitanus et Patriarcha Occidentis (Romanus Pontifex) erant pares, Romano Pontifice habente primatum honoris. Ratio: Romanus Pontifex fuit primus quia erat episcopus Romae, caput imperii romani. Sed cum civitas Constantinopolitana esset caput romani imperii, Roma secunda, episcopus istius civitatis non tantum erat primus inter patriarchas orientis, sed erat par cum Romano Pontifice.

Unde separatio debetur praecipue principiis saecularibus quae insinuata fuerunt in relationibus inter Statum et Ecclesiam et inter Ecclesiam orientalem et Ecclesiam occidentalem.

Hodie praecipua impedimenta ad unitatem perficiendam inter orientem et occidentem haec sunt:

a) Nationalisatio Ecclesiarum. Nam ratio autocephalismi pendet a principio nationalistico.

b) Vindicatio ex parte Patriarchatus oecumenici Constantinopolitani aequalitatis cum Romano Pontifice. Nam Romanus Pontifex, iuxta orientales, est primus inter pares.

Hae sunt praecipuae causae separationis.

Quae vero referuntur in n. 13 de mente atque historia Orientalium propria nec non in numeris sequentibus apta sunt ad oecumenisticam motionem sequendam.

Mihi videtur quod opportunum esset initium facere a verbo *orthodoxia.* Nam hodie verbum *orthodoxia* opponitur Ecclesiae catholicae romanae.

Quaenam est vera et genuina *orthodoxia?* Genuina *orthodoxia* coalescit ex fide apostolica, Patrum, Conciliorum, ex septem sacramentis, ex traditione apostolica, quae omnia communia sunt cum doctrina et traditione Ecclesiae catholicae. In vera orthodoxia, secundum testimonium historiae, includitur etiam primatus auctoritatis Romani Pontificis. Unde si quis hunc primatum negat non habet veram orthodoxiam.

Videtur quod haec ratio disceptandi cum christianis seiunctis Ecclesiae orientalis est directa et efficax. Nam et ipsi ad argumenta historica appellant ad negandum primatum Romani Pontificis. Historia est fons veritatis. Interrogatur igitur historia, secludendo rationes theologicas, quae tempore opportuno suum locum habebunt.

De communitatibus inde a saec. XVI exortis. Videtur opportunum fuisse paucis verbis originem delineare Reformationis habitae saec. XVI. Deinde memoriam facere principiorum Reformationis praecipue sub aspectu ecclesiologico. Adumbrare quae sunt communia cum Ecclesia catholica.

Quo modo explendenda sunt principia: Sola Scriptura, sola fide, sola gratia.

Memoriam facere motionis oecumenicae hodiernae apud sequaces Reformationis hoc esset satis opportunum.

50

EXC.MUS P. D. IOANNES WHEALON

Episcopus tit. Andrapenus, aux. Clevelandensis

Discussione de prioribus tribus capitibus schematis *de Oecumenismo* hodie peracta, nos infrascripti Patres Concilii postulamus: 1. ut « de libertate religiosa » fiat huius schematis cap. I, cum revera sit principium fundamentale omnis dialogi inter christianos; 2. ut « de habitudine ad Iudaeos » extra corpus huius schematis, et quidem in appendice, habeatur; et 3. ut in eadem appendice mentio apta fiat de Mohamedanis, de Buddhistis, necnon de aliis non-christianis religionibus maioribus.

[*Subscripserunt etiam*] Eduardus Schick, ep. tit. Araditanus, aux. Fuldensis; Ioannes Pohlschneider; Leo C. Byrne, coad. Wichita; James W. Malone, ep. tit. Alabandensis; Bernard J. Flanagan, ep. Worcester; Clarentius E. Elwell, ep. tit. Cone; Ignatius J. Strecker, ep. Campifontis-Capitis Girardeaunensis; Clarentius G. Issenmann, ep. Columbensis; Georgius J. Rehring, ep. Toletanus in America; Stephanus Kocisko, ep. Passaic; Augustinus Fr. Wildermuth; Henricus Soenneker, Owensboro; Henricus J. Grimmelsmann, Evansvicensis; Henricus Baaken, ep. tit. Gordenus; Adolfus Bolte, ep. Fuldensis; Ioseph Stangl, ep. Herbipolensis; Hugo Aufderbeck, ep. tit. Arcenus; Alfonsus Kempf, ep. tit. Limyra.

Inquantum aliqui Patres postulaverunt ut matrimonia mixta, ante sacerdotem orthodoxum vel ministrum protestantem contracta, uti valida habita sint, nos subscripti enixe rogamus ne hoc fiat. Ratio: in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, plurimi ministri protestantes in hac re sicut officiales civiles agunt. Saepe matrimonio assistunt sine praevia cognitione vel praeparatione contrahentium. Effectus talis relaxionis, in nostro iudicio, esset magna confusio maiusque damnum pro nostris christifidelibus.

[*Subscripserunt etiam*] Georgius Ioannes Rehring, ep. Toletanus in America; Henricus J. Grimmelsmann, Evansvicensis; Henricus J. Soenneker, Owensburgensis; Clarentius G. Issenmann, ep. Columbensis; Ignatius J. Strecker, ep. Campifontis-Girardeaunensis; B. J. Flanagan, ep. Worcester; Leo C. Byrne, tit. Sabadia, coad. Wichita; James W. Malone, ep. tit. Alabandensis, aux. Youngstown.

51

EXC.MUS P. D. CAROLUS WOJTYLA
Episcopus tit. Ombitanus, vic. ap. Cracoviensis

Animadversiones ad cap. V. 1. Cap. V schematis *de Oecumenismo,* cui titulus: « De libertate religiosa », sub duplici aspectu, scil. ethico et iuridico, hanc quaestionem tractare videtur. Isti duo aspectus intime connectuntur. Libertas enim in sensu iuridico eandem in sensu ethico supponit. Pro nostro schemate maioris momenti sensus ethicus habetur. Agitur enim de fratribus separatis, qui veritatem christianam aliter concipiunt et aliter vivunt ac nos catholici. Non raro tamen in hoc cap. V sensus ethicus libertatis religiosae cum sensu iuridico, in Codicibus nonnullarum nationum accepto, confunditur, ut patet ex ipsa definitione libertatis ab auctoribus schematis propositae. Affirmant enim (pag. 4 in medio) libertatem religiosam esse immunitatem ab externa coactione. In pag. vero 5 definitur « libertas religiosa seu ius personae ne ab aliis impediatur quominus observet et proclamet officia sua publica et privata erga Deum et erga homines, singulariter vel collective sumptos, prout conscientia manifestantur ». Utraque definitio videtur partialis et negativa, respicit enim potius tolerantiam religiosam quam libertatem. Utique, unicuique licet sequi conscientiam certam, etsi sit invincibiliter erronea, sed huic principio anteponatur aliud, quod sonat: debemus sequi conscientiam certam et veram.

Unde *propono,* ut haec definitio et conceptus libertatis in nostro schemate saltem suppleatur per talem definitionem et conceptionem libertatis, in qua magis appareat momentum ipsius veritatis obiectivae — non solum subiectivae — pro libertate. Retinendo ergo principium de conscientia invincibiliter erronea, quod tamquam principium tolerantiae religiosae considerari potest, valorem ipsius veritatis obiectivae vindicare oportet, praesertim in re tanti momenti ut est oecumenismus et libertas religiosa. Nonne dictum est a Domino: « Veritas liberabit vos! ».

Ipsum momentum libertatis est in electione, non autem in electione boni cuiuslibet, sed veri boni. Oportet ergo, ut in capite « de libertate religiosa » praesertim sub aspectu oecumenico iura personae iuribus ipsius veritatis melius componantur. Persona humana perfectionem sibi propriam obtinet in veritate, quae naturae eius rationali correspondet et etiam verae libertatis certissimum fundamentum constituit. In quaestione oecumenica oritur inde principium sincerissimae investigationis ipsius veritatis christianae.

Si autem agitur de libertate religiosa in sensu civico, *tunc proponere audeo,* ut quaestio haec in schemate *de Oecumenismo* cap. V tractetur magis distincte, in speciali paragrapho — postea autem, ut ponatur in schemate *de praesentia Ecclesiae in mundo hodierno* tamquam problema fundamentale. Pro exsistentia enim et labore Ecclesiae in mundo hodierno maximi est momenti, ut ius civicum cuiuslibet personae ad religionem colendam strenue observetur, et ut parentes catholici vi eiusdem iuris liberos suos in veritate christiana educare possint. Istud autem civicum ius fundatur non solum in principio tolerantiae, sed etiam in naturali iure cuiuslibet personae ad veritatem cognoscendam, cui ius Ecclesiae ad veritatem tradendam componatur oportet.

2. In n. 6 legimus: « Ut omnes homines bonae voluntatis, sive credentes, sive nullam religionem profitentes, simul operam dent ad ordinandam societatem

secundum normas morales ex ipsa dignitate personae humanae profluentes ». Postea n. 7 additur: « Quae normae quamvis fundamentum commune ad instaurandum ordinem vere humanum praebeant, a christifidelibus tamen non ut unica et suprema norma considerandae sunt. Fide constat hominem... regi posse ac debere praecepto caritatis... ». Videtur in tali textu ordo moralis christianus in caritate supernaturali consistens ordini pure naturali ex ipsa dignitate personae humanae in ordine naturae profluenti superaedificari. Oportet igitur exprimere potius, quod ordo moralis christianus ordinem moralem naturae et omnia iura personae humanae in se continet et tamen elevat, vivificat et sanctificat, ut patet ex Encyclica *Pacem in terris* Papae Ioannis XXIII. Libertas enim non in hoc habetur, « ut simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris » ut dicit S. Paulus, sed in hoc, quod « veritatem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus » (*Eph.* 4, 14-15). Ipse vero Christus dixit: « Si vos manseritis in sermone meo, ... cognoscetis veritatem et veritas liberabit vos. Omnis qui facit peccatum, servus peccati est. Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi estis ». In his verbis optima notio libertatis religiosae continetur.

3. Redactio cap. V nostri schematis claritate et praecisione caret et non raro confusionem parit. Proponendae videntur emendationes sequentes:

a) Pag. 4, n. 2, lin. 15 verba: « assensus non detur nisi cum plena libertate » substituatur per expressionem: « assensus detur cum plena pro posse libertate », hoc enim melius correspondet conditioni diversorum hominum et in diversis circumstantiis.

b) In nn. 3 et 4 affirmatur voluntatem Dei a persona humana tantummodo adimpleri posse, « prout lex divina mediante dictamine conscientiae percipitur ». Sed dictamen conscientiae non est id, mediante quo lex divina cognoscitur, ut schema affirmat, sed non nisi id, quo lex haec ad actum applicatur. Lex moralis enim cognoscitur synderesi et scientia, non vero conscientia, quae non nisi applicat principia synderesis et conclusiones scientiae moralis ad concretum actum.

c) In propositione prima pag. 5 auctores schematis affirmant: « In unoquoque actu morali ponendo homo observare debet duas sequentes exigentias: 1. Unica datur veritas quae est ipse Deus. Iura Dei sunt absoluta et unusquisque homo semper et ubique sese submittere debet sacrae voluntati Dei. 2. Deus... petit submissionem liberam, i. e. ex perspecta voluntate divini (forsan: divina?) imperatam obedientiam ». Praetermisso enim facto valde confusae redactionis harum potius quattuor quam duarum « exigentiarum », notare oportet, quod verbum « observare » sensu proprio significat aut implere praecepta, aut actualiter et exacte inspicere aliquam rem. Si sumatur in primo sensu, scil. pro impletione praecepti, tunc non est ad rem, si agitur de prima, secunda et quarta propositione, quia haec sunt speculativa et ideo ab homine impleri nequeunt. Impleri enim non possunt nisi exigentiae et praecepta, non vero talis propositio theoretica, quod « unica datur Veritas quae est ipse Deus », quod « iura Dei sunt absoluta », quod « Deus qui hominem ad imaginem suam liberum creavit, ab ipso petit submissionem liberam ». Si vero verbum « observare » sumitur in sensu proprio pro actuali et exacta inspectione alicuius rei seu veritatis, tunc a fortiori est impossibile, ut « *in unoquoque actu* morali ponendo homo observare », seu actualiter et exacte inspicere teneatur, sed sufficit saltem virtualiter illas admittere vel non negare.

Unde *propono,* ut loco verborum: « In unoquoque actu morali ponendo homo

observare debet duas exigentias », ponatur: « Fides docet nos: 1. Unica datur veritas », etc.

d) Verba quae sequuntur, quod scil., « si... persona humana erroneam solutionem admittit, nec ullus homo, nec ulla humana potestas ius habet sese huic *consicentiae* (forsan: conscientiae?) erranti substituendi a. v. in ipsam coercitionem exercendi » distinctione indigent: nullus homo, nec ulla potestas humana ius habet coercitionem exercendi in personam humanam erroneam solutionem admittentem, si haec erronea solutio neque bono communi, neque bono alieno, neque bono ipsius errantis opponitur. Si vero opponitur, tunc certum est, quod legitimi superiores, ut parentes et vigiles boni communis, quandam coercitionem in errantem exercere possunt, ne iste errorem suum sequendo sive aliis, sive sibimetipsi proportionate grave malum non causet.

e) Inexacta et confusa esset propositio schematis (pag. 6 in medio): « Sacra Synodus solemniter affirmat ius ad libertatem conscientiae in re religiosa externe exercendam, *salvo bono communi,* semper et ubique valere et ab omnibus agnoscendum esse », nisi excludatur falsa notio boni communis. Saepe saepius enim in societate et vita sociali, ubi magis vel minus aperte utilitarismus viget, pro bono communi substituitur id quod sub aliquo aspectu vel pro aliqua fractione utile tantum est.

52

Exc.mi EPISCOPI PROVINCIARUM AQUENSIS ET AVENIONENSIS ET DIOECESIUM MASSILIENSIS ET MONOECENSIS

Cap. IV.

I. Necesse omnino ut, in textu a Concilio prolato, quae in capitulo de catholicorum habitudine ad Iudaeos dicta, serventur.

1. *Ex argumenti opportunitate.* Cum de capite illo nuntii pervulgarentur, magna in orbe terrarum commotio, et in Iudaeorum praesertim societatibus, est concitata. Quo ideo suppresso, vel illius discussione procrastinata, deciperentur immo et scandalizarentur multi.

2. *Ex ipsamet rerum natura.* His quae caritate, iustitia atque veritate exiguntur capitulum illud respondet et nefas nos, ut filios lucis decet, non ambulare (cf. *Eph.* 5, 9).

a) *Quae caritate expostulantur*: Argumentum illud in relatione ab em.mo S.R.E. card. Bea proponitur: « Scopus... huius brevissimi decreti ille est, ut hae veritates de Iudaeis... in deposito fidei contentae tam clare in memoriam christifidelium revocentur, ut ipsi cum filiis illius populi agentes non aliter agant ac egerunt ipse Christus Dominus eiusque apostoli ». Constat enim multos inter christianos caritate erga Iudaeos deficere; oportet ergo ab ipsis episcopis et Concilio ita eos moneri ut sensus emendentur. In mundo tot et tantis discerpto odiis, Ecclesia debet testimonium caritatis proferre universalis.

b) *Quae iustitia exiguntur.* Cf. quae in relatione ab em.mo card. Bea. Constat insuper a christianis Iudaeos saepe contemptos, iniuste tractatos, persecutionibusque vexatos; quibusdam in temporibus, ecclesiasticae etiam potestates toleraverunt imo et approbaverunt exsecrabiles in illos usus; qua re, Concilii est iniustitias istas condemnare, et ne redeant, agere.

c) *Quae veritate requiruntur.* Cap. IV in memoriam tantum revocantur quae in fidei deposito continentur; quae tamen ignorantur. Non pauci enim christiani praeiudiciis impelluntur, factis religiosis sinistre interpretatis, considerandi iudaicum populum ut « populum deicidam » aut « populum maledictum », etc. Quibus perpensis iuxta schema edictum (pag. 3, lin. 29) « Caveant ideo sacerdotes ne quid dicant in instructione catechetica neque in praedicatione quod in cordibus auditorum odium aut despectionem erga Iudaeos gignere possit ». Qua de re conatus efficiendi sunt magni ut investigationibus in Gallia institutis apparet, circa manuales libros, gallica lingua exaratos, ad catechesim catholicam propagandam: (Paul Demann, *La catéchèse chrétienne et le peuple de la Bible,* Cahiers sioniens, 1952). Oportet igitur ab episcopis falsas corrigi opiniones et catholicam doctrinam recte doceri.

II. Addenda etiam nonnulla ut observationes a pluribus propositae Patribus qui in regionibus, in quibus incolarum pars maior islamicam vel paganam quamdam profitetur religionem degunt, adimpleantur.

Satis sit linn. 4-6 pag. 3 fusiores explanari vel alium addi paragraphum in fine capituli. Quo modo substantia dictorum a S. S. D. N. Papa, in allocutione diei 29 septembris 1963 compendietur: « Ultra igitur christiana castra oculos suos dirigit (catholica Ecclesia) et ad alias religiones respicit quae servant sensum et notionem Dei unius, creatoris, providentis, summi et rerum naturam transcendentis quae Dei cultum exercent sincerae pietatis actibus, quaeque ex eis usibus et opinionibus morum et socialis vitae praecepta derivant... In his quidem religionibus, catholica Ecclesia... facere tamen non potest quin ad eas quoque mentem suam convertat ut easdem certiores faciat catholicam religionem, debita aestimatione iudicare quidquid veri, boni et humani apud ipsos repetitur... itemque ut moneat... se in prima acie stare utpote quae Dei iura in homines validissime defendat ». Quam declarationem conveniens etiam sit ad coetus extendi qui, velut buddhismus aut confucianismus, non veram utique notionem Dei unici et transcendentis, sed moralem doctrinam ita elatam, doctrinae evangelicae quandoque propinquam, servaverunt.

Proclamari etiam fas sit omnes homines filios Dei esse utpote « omnes praedestinatos in adoptionem filiorum Dei » (schema *de Oecumenismo,* cap. V, pag. 3, lin. 5). Loquitur enim de Patre Dominus sicut de omnium Patre. Solemniter igitur pervulganda vocatio Iesu Salvatoris ad omnes bonae voluntatis homines. Quae cum encyclica *Pacem in terris* omnino consentaneum.

Perspiciendum insuper, peritis adhibitis, utrum opportunum sit annon coetus quosdam religiosos, scil. islamitarum, buddhistarum, confucianistarum, etc. nominari. Qua de re, hi quorum a nobis interrogata est sententia, dissentiunt.

III. Textus ille vel caput « de Oecumenismo » vel decretum alterum per se stans, efformare potest.

Quo modo se res habeat, proxima in sessione, discutiendus est.

Cap. V. *De libertate religiosa.* Capitulum cum versetur circa argumentum maximi momenti, nobis *placet.* Attamen nonnullas *emendationes* proponimus.

Pag. 3. *Prooemium.* Textus non est satis clarus. Nam agitur de duabus quaestionibus: 1. de libera adhaesione personae veritati divinae, quam adhaesionem Ecclesia ipsa agnoscit et tuetur. Haec libertas in natura actus fidei includitur; 2. de libertate personae et coetuum, speciatim in re religiosa, relate ad potestatem

publicam. Quaestio respicit limites competentiae potestatis civilis relate ad vocationem transcendentem personae humanae. Agitur aliis verbis de libertate civili religionis. Unde addatur: « Sacra Synodus exponere ergo intendit 1. quid sentiat de libera adhaesione personae veritati divinae; 2. quid de libertate personae et coetuum, speciatim in re religiosa, relate ad potestatem publicam ».

Ex hoc, textus capituli in duas partes dividatur: *a*) nn. 1-3; *b*) nn. 4-7.

I. *De libera adhaesione personae veritati divinae.* N. 1. Remanet. Pag. 4, n. 2, lin. 5, ... errores *et ignorantiae* circa fidem... Linn. 9-10, pro: non tantum... sed etiam, *tam... tam. Ratio*: quia recta praedicatio Evangelii non habetur nisi respectu habito ad haec iura et mensuram gratiae.

Linn. 18-20, « Attamen quamdiu... versatur », deleatur. Legere: Attamen omnis persona humana aestimatione digna est... *Ratio*: hoc ius coactionem et vim non subeundi non restringitur his qui in errore invincibili versantur, sed ad omnem personam pertinet. Agitur de foro externo: quis de invincibilitate erroris iudicet?

Post lin. 28, addere: In proclamando hanc suam doctrinam, Ecclesia etiam aspirationi hominum nostrae aetatis respondet, quae aspiratio suo modo exigentias iuris naturalis exprimit. Quod ius legislationes humanas observare oportet. Nam ius naturale exigit agnitionem vitae spiritualis personae, sub diversis eius aspectibus. Inter iura ad vitam spiritualem personae spectantia, postulatur ut homo « libere possit verum inquirere, et, morali ordine communique omnium utilitate servatis, opinionem suam declarare, vulgare, et artem qualemcumque colere » (*A.A.S.*, 1963, pag. 260). At in vita spirituali personae, eminet vita religiosa, quae, super omnia, ius postulat sese erga Deum gerendi ad rectam conscientiae normam. *Ratio*: Ius coactionem non subeundi in actu fidei, fundatur non tantum super naturam specificam huius actus sed etiam et primo super naturam et dignitatem personae humanae. Sic procedit *Pacem in terris* dum loquatur ad omnes homines bonae voluntatis, sese referens ad universalem conscientiam humanitatis hodiernae. Omnes homines debent libertatem personae in exigentiis religiosis vereri.

Pag. 4-5, n. 3, deleatur quia affirmationes aequivocas ac non rectas continet, praesertim quoad necessitatem rectae intentionis ad hoc ut ius libertatis a coactione applicetur. Loco huius numeri, sequens textus habeatur: « Huic agnoscendae libertati religiosae pro ceteris respondet pro Ecclesia catholica libertas proprii ministerii nec esse intolerantiam censendum est si defendat veritatem fidei pro fidelibus vel eis imponat quasdam prudentiae exigentias ad eandem fidem in ipsis tuendam. Eidem Ecclesiae competit ius et libertas determinandi conditiones quibus persona respondere debet ut membrum sit institutionis visibilis. Ipsa Ecclesia in his conatur fideliter secundum voluntatem sui divini Fundatoris agere. Quod si hoc fecerit, nullo modo coactionem exercet, nullam impugnat libertatem relate ad assensum fidei. Ceterum fideles suos invitat in commercio cum aliis ut humanissime tractent eos qui, dictante conscientia, auctoritati Ecclesiae sese non obsequendos iudicaverint ». *Ratio* huius additionis: Saepe saepius non intelligitur quare Ecclesia legislationem pro suis fidelibus ferre potest et debet.

II. *De libertate personae ac coetuum, speciatim religiosorum* (*vel in re religiosa*), *relate ad potestatem publicam.*

Nn. 4-5-6-7 deleantur. Loco eorum, textum sequentem proponimus, cum sit magis nervosus et explicitus.

Pro n. 4. Libertas religiosa, qua homo « ad rectam conscientiae suae normam, Deum venerari possit et religionem privatim et publice profiteri » (*Pacem in terris*, pp. 260-261), cum versatur circa altissima vitae spiritualis, scil. relationes hominis ad ipsum Deum, « humanae dignitatem personae honestissime tuetur » (*Pacem in terris*; LEO XIII, *Libertas*) et est aliarum libertatum custos. Cum homo, ex natura sua, socialis sit, et nonnisi in communi vitam possit gerere humanam, haec libertas competit ipsis quoque coetibus seu communitatibus sine quibus personae humanae vitam religiosam ducere non possunt.

Pro n. 5. Cum publicae potestatis tota ratio in communi omnium bono posita sit, et cum bonum commune non possit definiri nisi in relatione ad personam humanam — complectitur enim « summam earum vitae socialis condicionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem possent plenius atque expeditius consequi » (*Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 1961, pag. 417; *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 1963, pag. 273) — ipsius publicae potestatis munus est legitimam libertatem religiosam tueri. In his, pro regula habetur principium evangelicum: « Reddite quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo » (*Mt* 22, 21), per quod clare exprimitur distinctio inter ordinem spiritualem et ordinem temporalem. Quando autem, in concreto, haec distinctio difficile discernitur, cum haec potestas publica sit radicaliter incompetens qua talis in definienda illa legitima libertate religiosa, sufficiet ex parte sua larga tolerantia. *Ratio*: Distinctio inter res Caesaris et res Dei est specifice christiana. Huius agnitio est maximi momenti in multis regionibus, quia ubi non datur, potestas publica competentiam indebitam, personae offensivam, in re religiosa sibi attribuit.

Addere: post *tolerantia*: « Si quae deviationes inveniantur quae graviter et manifeste contradicunt dignitati personae humanae, secundum quod per normas iuris naturae innotescit, ipsis possunt obstare populorum rectores.

Ipsis enim rectoribus competit valoribus moralibus naturalibus favere quibus habitualiter homo ad suam divinam vocationem adipiscendam adiuvari potest. Tamen invigilare debent ne in his rebus moralibus libertas in licentiam corrumpatur, sive in modis vivendi publicis civium, sive in diffusione idearum moralitati contrariarum per scripta, orationes vel spectacula.

Valores morales de quibus agitur eae sunt quae in hominis natura fundatae a conscientia universali hominum de die in dies magis agnoscuntur quibusque conformari oportet legislationes omnis status particularis ». *Ratio* patet.

Sic corrigatur linn. 10-33 (pag. 6): « Hac de causa haec Sacra Synodus declarat et inculcat conatus ad religionem ipsam sive in toto genere humano, sive in determinatu coetu religioso penitus exstinguendam manifestissime et gravissime laedere iura Creatoris et Salvatoris hominum, iura quoque sacratissima conscientiae humanae et familiae gentium. Haec declaratio non ad hoc tantum tendit quod iura Ecclesiae defendat, sed etiam ad affirmandum universaliter libertatem religiosam et spiritualem inter iura essentialia hominis qua persona est computari.

Potestas publica nequit excludere a iure pleno et integro participationis nationalis et civilis quosdam cives ea sola ratione qua profiterentur quandam determinatam religionem. Potestas humana debet iustitiam et aequitatem observare erga omnes qui in re religiosa dictamini suae conscientiae oboediunt.

Haec libertas religiosa pariter offenditur violentia physica directa, utpote, praeprimis damnatione mortis vel minutione integritatis corporalis propter rationes religiosas, sive indirecta, utpote, ex iisdem rationibus, spoliatione bonorum, priva-

tione eorum quae ad vitam decentem requiruntur, abnegatione aequalitatis socialis vel civilis, nationalitatis, competentiae ad actus civiles, exercitii eorum iurium fundamentalium quae concorditer a nationibus agnoscuntur. Has violentias Ecclesia semper damnat, etiamsi in sui favorem huiusmodi coactio exerceretur.

Similiter damnanda est coactio moralis qua, per actionem sic dictam psychologicam, vel massivam propagandam impediuntur homines accipere veritatem religiosam; vel qua in educanda iuventute denegatur parentibus et ecclesiis in materia religiosa ius docendi et educandi fidem, cum omnibus consectariis talis iuris; vel qua denegatur societati religiosae possibilitas exercendi auctoritatem legitimam in ministerio, educandi clerum vel ministros ».

Pro nn. 6 et 7: Quae exigentiae maxime urgendae sunt in nostra aetate, et quidem utinam ab omnibus hominibus, quia conscientia responsabilitatis personalis, Deo favente, magis affirmatur, quia frequentiores fiunt relationes quibus homines disparis cultus et disparis religionis inter se connectuntur et quia aliquoties discrimini seu persecutioni subiciuntur homines propter religionem, vel originem et colorem.

Quapropter vehementer hortatur haec Sacra Synodus omnes christifideles ut sentiant illa omnia discrimina tamquam iustitiae et caritati offensiva et strenue adlaborent cum fratribus separatis et omnibus hominibus bonae voluntatis ut cessent, quia communi totius generis humani bono graviter adversantur.

53

Exc.mi PP. DD. REGIONIS APOSTOLICAE BURDIGALENSIS

Notes sur le chapitre V de l'œcuménisme: la liberté religieuse.

On propose trois points de réflexion: 1. l'état de la question; 2. les données théologiques qui s'imposent à notre réflexion; 3. les conclusions concrètes et ceci comporte deux lignes: 1) les points majeurs que nous devrons avoir présents à la pensée soit dans les interventions, soit concrétement dans le schéma; 2) l'examen du schéma lui-même.

I. *Etat de la question.* On pourrait dire en d'autres termes: Comment se pose devant le Concile le problème de la « liberté religieuse »?

Trois idées, me semble-t-il, s'imposent à notre attention: 1) le sens de la question; 2) son importance; 3) ses difficultés.

1. *Sens de la question.* Mgr. De Smedt l'a situé avec soin. Il suffit de résumer ce qu'il a dit en termes très clairs, en le centrant sur ces trois idées: 1) Le sens de l'expression « *liberté religieuse* ». 2) Les questions qu'elle pose au Concile. 3) La méthode adoptée.

1) *Sens de l'expression « liberté religieuse ».*

a) *Ce qu'elle n'est pas*: l'absence de toute obligation intérieure vis-à-vis du problème religieux; vis-à-vis de la vérité religieuse elle-même; vis-à-vis de Dieu.

Le Concile doit se garder, non seulement dans la pensée mais dans l'expression de tout ce qui pourrait signifier de près ou de loin:

— *Laïcisme*: C'est à dire libération pour la conscience humaine de toute obligation envers Dieu.

— *Relativisme*: C'est à dire suppression de norme doctrinale objective de la conscience tendant à mettre sur un même plan le vrai et l'erreur .

— *Pessimismus dilettantismus*: C'est à dire droit à se complaire dans l'incertitude.

— *Indifférentisme religieux*: C'est à dire l'indifférence à telle ou telle religion parce qu'elles seraient en somme toutes bonnes.

b) *Ce que signifie l'expression.* Positivement: Le droit de la personne humaine au libre exercice de la religion selon les impératifs de sa conscience. Par voie de conséquence: préservation de toute pression externe, de toute coaction sur les relations que l'homme réclame avec Dieu au nom de la conscience.

2) *Les questions qui se posent au Concile* concernant la « liberté religieuse » se définissent donc ainsi: question de *droit* d'une part: la « liberté religieuse » est-elle un droit sacré que chaque personne peut réclamer? Question aussi de *devoir*: les autres: l'Eglise, l'Etat, les personnes ont-ils le devoir de reconnaître ce droit et dans quelle mesure?

3) *La méthode adoptée* par le schéma est une méthode pastorale au sens où Jean XXIII l'entend. Elle doit concorder avec l'optique du Concile. Dès lors un double impératif: dégager la question posée de ce mode d'abstraction cher au XIX siècle; considérer l'homme réel dans son commerce avec les autres hommes dans la société humaine et la société civile contemporaine.

2. *Importance de la question.* Sur ce point encore nous ne pouvons que suivre Mgr. De Smedt et les raisons qu'il met en avant: 1) ratio veritatis; 2) ratio defensionis; 3) ratio pacificae cohabitationis; 4) ratio oecumenica... Cette raison est fort importante. Nos frères séparés en particulier, mais d'une certaine façon le monde entier, attendent une déclaration du Concile sur la « liberté religieuse » afin de lever le soupçon qui pèse lourd sur les relations avec l'Eglise et qui se formule ainsi plus ou moins consciemment: quand elle est en minorité elle demande la liberté; quand elle est en majorité elle la refuse aux autres.

Une conclusion semble déjà s'imposer: que Vatican II n'élude pas la « liberté religieuse »; de préférence qu'il en traite au schéma « de Oecumenismo ».

3. *Ses difficultés.* En voici quelques unes:

1) *La nouveauté du langage.* En apparence, il est en rupture avec le langage, même avec la doctrine affirmée si fortement au XIX siècle par les Papes Grégoire XVI, Pie IX et certains passages Léon XIII. Une question se pose... la pensée qu'il recouvre ne serait-elle pas une atteinte à la « regula continuitatis », à la règle de continuité.

2) *La nouveauté de la méthode.* Avancer à partir de la personne concrète, de l'homme, n'est-ce pas tomber dans une sorte de modernisme? N'est-ce pas paraître admettre que la vérité est « produite par l'homme » et donc évolue non seulement dans le sens d'un progrès dans le découverte mais dans le sens d'un progrès du contenu. Et voici qu'à son tour la « regula progressus » la règle du progrès paraît prise en défaut.

3) Difficulté aussi à partir de *la mission de l'Eglise...* l'Eglise a la certitude d'être la *véritable Eglise.* Comment admettre « comme une sorte d'égalité avec les autres religions »?... Sans mettre sur le même pied vérité et erreur... L'Eglise aussi doit sans cesse prêcher, proclamer le Message: elle est missionnaire. Elle veut mettre tout en œuvre pour amener les hommes à la lumière du Christ...

Comment cette mission d'Eglise est-elle compatible avec la liberté religieuse pour les autres religions et donc leur droit de s'étendre?

4) *Danger du côté des fidèles.* Nombre d'entre eux sont si peu éclairés! Ne vont-ils pas céder à la tentation déjà très répandue de penser, qu'après tout, les religions se valent...

5) *Méconnaissance des lois humaines,* de l'enracinement et de la psychologie... Peu d'hommes sont capables d'arriver par eux-mêmes à une connaissance distincte de la vérité chrétienne. Ils pensent et agissent selon le milieu auquel ils sont intégrés. La proclamation de la « liberté religieuse » ne va-t-elle pas désintégrer le milieu catholique?

6) Un défi à la loi de *l'histoire.* La plupart des Nations sont devenues dans l'ensemble chrétiennes grâce à la conversion des Princes et parce que la religion chrétienne était religion d'Etat... Comment concilier cela encore avec la « liberté religieuse »?

7) *Difficultés venant d'un manque de maturité théologique.* Sur plusieurs points, les théologiens acquis à la « liberté religieuse » ne sont pas absolument d'accord sur tous les considérants théologiques... Il fut aisé de le constater à Rome.

Et, voilà pourquoi le deuxième point est si nécessaire, si important.

II. *Données théologiques qui s'imposent à notre réflexion.* Quatre points pourront jaloner notre cheminement: 1. Justification théologique de la « liberté religieuse » dans son intuition fondamentale. 2. Intégration de cette vérité dans le corps des vérités connexes. 3. Conséquences concernant l'attitude pratique des catholiques et de l'Eglise vis-à-vis des autres religions. 4. Conséquences pratiques pour l'Etat dans ses relations avec la religion.

1. *Justification théologique* de la « liberté religieuse » dans son intuition fondamentale: droit des hommes à suivre leur conscience en matière religieuse; devoir des autres de respecter leur liberté.

a) L'Eglise possède une doctrine solide et continue de la dignité de la personne humaine qui plonge ses racines dans la Genése et l'Evangile. (C'est la règle de continuité).

b) Les mutations de l'Histoire et les progrès de la conscience universelle ont amené l'Eglise à intégrer à sa doctrine traditionnelle certaines requêtes de la conscience contemporaine et en particulier que « les rapports avec Dieu sont une liberté essentielle qu'il faut préserver de toute contrainte extérieure surtout de la contrainte des pouvoirs publics ».

Passage de ces requêtes nouvelles à la doctrine de l'Eglise. Voici le raisonnement. Il faut faire confiance aux possibilités de l'homme vis-à-vis de la vérité... Plus petit que la vérité, il est plus grand que l'erreur... Dès lors, il faut écouter l'homme dans l'expression de ses besoins profonds; il faut saisir les « faits clés » de l'Histoire...

Ces faits clés, que l'Encyclique appelle « signes des temps », et qui pour notre temps sont en particulier « une tendance à la socialisation » et « une prise de conscience des droits de l'homme, de la personne et des devoirs de la société ».

Il me paraît que sur un point cette argumentation théologique a besoin d'affermir davantage une dimension.

La lecture des « signa temporum », des signes des temps, disons-le, ne fait pas jaillir des vérités nouvelles. Elle nous invite à rechercher et découvrir sur

le plan religieux, dans l'Ecriture et la Tradition la racine profonde d'une réponse à ces signes.

Pour ce faire, il ne suffit pas, de se référer à quelques textes récents, sans quoi la règle de continuité, surtout pour nos frères séparés, paraîtrait prise en défaut...

Ces textes du Magistère ont une grande valeur; il est nécessaire de voir pourquoi les Souverains Pontifes les ont exprimés... Encore une fois, il faut les justifier par l'Ecriture, la Tradition et la Théologie.

Dès lors, une indication pour le Concile dans son Décret de la « liberté religieuse »: « s'appuyer fortement sur les enracinements scripturaires et de tradition ».

2. *Intégration de cette doctrine dans « le corps des vérités »*. La doctrine de la « liberté religieuse », dit Mgr. De Smedt, vient au terme d'une *longue maturation* dont les jalons au XIX siècle passent par trois périodes: la période que j'appellerais violente avec les Encycliques *Mirari vos, Quanta cura* et le Syllabus; la période d'apaisement avec *Immortale Dei* et *Libertas praestantissimum*; la période de possession pacifique avec Pie XI, Pie XII et son couronnement *Pacem in terris*.

Encore faut-il montrer théologiquement deux choses: 1) Comment cette doctrine s'harmonise avec des affirmations anciennes. 2. Comment elle s'harmonise aussi au corps des vérités surtout dans le domaine social.

1) Connexion avec des *affirmations anciennes*. Sans quoi l'Eglise pourrait encourir le terrible reproche de pactiser avec l'erreur quand il y va de son intérêt. On a prêté à Louis Veuillot ces paroles machiavéliques (que d'ailleurs il n'a jamais prononcées): « Quand je suis le plus faible, je vous demande la liberté parce que tel est votre principe mais quand je suis le plus fort je vous l'ôte parce que tel est le mien ».

Pacem in terris, sur ce point encore, nous ouvre la voie par une double distinction:

a) Distinction entre les idéologies, toujours rejetées comme fausses, et les mouvements ou institutions qui peuvent être approuvés s'ils s'accordent avec les exigences de la droite raison.

Il est certain, en effet, que les mouvements sont souvent infléchis par les exigences de la vie et rejettent à l'arrière-plan les idéologies. Triomphe de la logique vitale sur les « delirs » de la raison ou des passions.

b) Distinction aussi, et ceci complète cela, entre la personne qui erre et l'erreur.

c) Cependant, tout n'est pas réglé pour autant. La conscience peut être invinciblement erronée ou coupable... La personne qui est dans « l'erreur coupable » garde-t-elle son droit « à la liberté religieuse »?

Au fond, nous retrouvons là peut-être une des raisons pour lesquelles St-Thomas si ferme sur la liberté de l'acte de foi, si indulgent quand il s'agit de cette liberté chez les infidèles, devient dur pour les « hérétiques, schismatiques et apostats »: en son temps, les signes de la foi paraissaient si manifestes que la bonne foi ne semblait pas possible... Et, par ailleurs, il fallait défendre les fidèles de « la contagion »...

Mais le droit « à la liberté » appartient à la conscience qu'elle soit invinciblement erronée ou « coupablement erronée ».

Car le droit fondamental de l'homme à la liberté, ne peut être fondé sur une question de conscience droite ou coupable. Comment pourrait-on apprécier la culpabilité de la conscience? Il repose sur la personne en tant que telle.

2) L'intégration de la doctrine sur « la liberté religieuse » au *corps des vérités* est encore plus difficile, surtout dans le domaine social et en particulier sur le plan de la propagande religieuse. Nous nous rappelons la question posée par Monseigneur Florit à St-Pierre: « Existe-t-il un droit normal à fonder une religion fausse? ».

Entre deux vérités qui paraissent en conflit, il faut aller vers la vérité première et fondamentale. C'est un cas de volontaire indirect. On veut ce qui est premier et on tolère le reste. Dans le plan de Dieu ce qui est premier: la nature, la personne.

(Ici se place la réponse à l'objection qui vient des condamnations portées au XIX siècle. Elles doivent se replacer dans leur contexte. Grégoire XVI et Pie IX ont condamné la liberté de conscience telle qu'elle se présentait alors, comportant explicitement non seulement dans le contexte mais dans l'expression la négation de Dieu, de l'Eglise catholique, de tout sentiment religieux. Léon XIII plus tard, devait esquisser la distinction qui clarifie tout).

3. *Applications de ces vues théologiques*: *attitude de l'Eglise vis-à-vis de la liberté religieuse* chez ceux qui n'admettent pas la vraie religion et donc attitude à l'égard des autres religions.

Nous devons nous tenir à distance de deux excès: 1) interprétation « minimaliste »; 2) interprétation trop libérale.

1) Interprétation « minimaliste » ou si l'on veut restrictive. La liberté religieuse ne peut se réduire à la *simple liberté d'opinion,* voire à *la seule liberté de conscience.* Il s'agit bien d'une liberté « sui generis » non seulement à cause de l'ampleur de son champ dans l'individu qui se veut une religion et en déduit la règle de tout son comportement, en matière cultuelle, d'abord, ensuite en matière sociale; mais encore du fait qu'elle est une liberté qui se définit d'abord comme la liberté de la religion elle-même.

Dès lors, le texte conciliaire devra se garder de tout ce qui pourrait laisser croire dans l'expression ou omission à une tactique et non à une adhésion profonde, positive de l'Eglise... à l'égard des autres religions.

2) Il doit se garder aussi d'une interprétation faussement libérale. La vraie liberté religieuse n'est pas une liberté religieuse licencieuse et pervertie. Or elle pourrait l'être si elle violait le droit naturel: *a*) dans son objet: idolâtrie, polythéisme; *b*) dans sa fin: avantages terrestres; *c*) dans ses moyens: mœurs perversion sexuelle etc. ...

Dans certains cas la tolérance (même vis-à-vis de quelqu'un qui a une intention droite) doit faire part à une juste intolérance quand la liberté religieuse violerait les droits même de la nature (voir p. 7). Ceci explique les interventions de l'Eglise visant à mettre en garde contre certaines idéologies ou les condamnant. Ceci expliquerait aussi la défense que doit assurer l'Eglise à l'égard de ses fidèles.

4. *Attitude de l'Etat,* en matière de *liberté religieuse* vis-à-vis *des individus et des communautés religieuses.*

1) *Un principe*: la compétence de l'Etat ou de l'autorité internationale en matière confessionnelle et religieuse.

La fin de l'Etat, c'est le bien commun de la cité... Donc établir les conditions

qui permettent aux personnes de vivre et de s'épanouir au sein de la communauté. L'état n'a prise sur le religieux que sous un aspect indirect. Il ne lui appartient pas de juger dès lors de la vérité d'une religion ou de ses bienfaits spirituels si par ailleurs le droit naturel est respecté. Il ne lui appartient pas à plus forte raison de lui procurer directement les biens spirituels. Il ne peut sur le plan religieux que respecter et veiller au respect de la liberté.

N. B. Ceci ne signifie nullement que l'Etat — personne morale — n'ait pas de droit naturel.

Dans les cas où *l'Eglise catholique est en situation de religion officielle,* en vertu de la constitution ou d'un traité, l'Etat n'a pas à se prononcer sur la vérité de la religion officielle. Ajoutons, d'ailleurs que, de plus en plus, en raison du brassage cette situation de religion officielle n'est pas sans compter des risques graves.

2) *L'application*: L'état doit donc laisser à l'Eglise, à l'Autorité religieuse, l'exercice des droits qu'elle *juge nécessaires* pour être vraiment libre dans sa mission. Les conséquences sont évidentes: droit pour l'Eglise d'avoir son culte extérieur, public, ses associations, ses séminaires, ses congrégations religieuses, tout ce qui est nécessaire pour l'éducation des enfants.

S'il y a *plusieurs religions* la conclusion du respect de la liberté sera une exigence de pluralisme et de tolérance à l'égard de toutes.

III. *Applications aux échanges conciliaires.* De ces considérations théologiques nous devons tirer les conclusions pour les échanges conciliaires. Elles se situent à trois échelons: 1. les points majeurs qui doivent nous guider; 2. le schéma déjà présenté; 3. l'hypothèse d'un nouveau schéma.

1. *Points majeurs auxquels nous devons toujours être attentifs.* Voici dans leurs grandes lignes les points majeurs qui fixeront notre attention.

1) Nécessité d'aborder la « liberté religieuse » durant la troisième session. On s'impatiente déjà du retard apporté par la seconde session sur ce point.

2) Limiter le débat à l'essentiel. L'aborder dans son ampleur serait trop complexe, difficile et entraînerait sans doute à des débats impossibles sur la mission de l'Etat, la séparation de l'Eglise et de l'Etat, etc.

3) L'essentiel: l'intuition centrale empreintée à *Pacem in terris* et sa justification théologique.

4) Affirmation très forte dès le début de la mission de l'Eglise afin de répondre à toute accusation d'indifférentisme même pratique.

5) Ne pas réduire la liberté religieuse à la simple liberté d'opinion ou même la simple liberté de conscience.

6) Proposer une adhésion positive et non tactique de l'Eglise à la liberté religieuse. Dès lors: *a*) admettre un progrès mais s'en expliquer; *b*) préciser que la liberté n'est ni licence ni « table rase ».

7) Compétence et incompétence de l'Etat, en même temps que devoirs en matière confessionnelle.

8) Danger de l'intervention trop directe de l'Etat en matière de confession religieuse:

1° L'excès de faveur vis-à-vis de la religion choisie comme religion officielle risquerait *a*) de faire pression sur la liberté religieuse intérieure et aussi de fausser l'apostolat dans ses exigences profondes et spirituelles; *b*) danger aussi de persécuter les autres confessions.

2° Attitude déficiente ou persécutrice de la part de l'Etat totalitaire méconnaissant les droits des communautés religieuses.

9) Reconnaître les droits de la religion comme telle n'est pas tomber dans l'abstraction opposée à l'esprit de *Pacem in terris* mais se situe dans le déroulement concret de la pastorale.

2. *Jugement sur le schéma proposé.* Si nous appliquons cette grille au schéma nous serons amenés à faire deux sortes de remarques: 1) remarques d'ordre général; 2) d'ordre particulier.

1) *Remarques d'ordre général.* Ce schéma est pauvre de références bibliques; de plus il est à la fois trop complexe et trop bref... Nous souscrivons à ce jugement du Père de Broglie: « Que ce texte soit totalement refondu avant qu'il ne soit l'occasion au Concile de débats nombreux et aigus qui ne manqueront pas de nuire à la paix des esprits et à l'estime que l'on doit au Concile ».

2) *Remarques d'ordre particulier*:

I. Le titre bien qu'il ne soit pas adéquat, peut être conservé mais l'introduction — page 3 — manque d'envolée, elle n'empoigne pas dès le départ... Question de style plus que de contenu.

II. Le paragraphe I rappelle la mission de l'Eglise: « Docete... » et le devoir des fidèles d'aller vers ceux qui sont loin... pas grand chose à dire.

III. Paragraphe II, page 4. Trois remarques:

1) Tout est dit sans doute mais de façon trop peu nerveuse et formelle. Il eut fallu camper de façon plus nette, plus directe et plus positive le double aspect de la liberté religieuse: droit de suivre sa conscience; devoir des autres d'éviter toute coaction.

2) Les théologiens n'admettent pas la restriction apportée: « Quando in errore invincibili versatur » (page 4, lignes 18-20).

Les droits de la personne, en effet, ne sont pas fondés uniquement et d'abord sur une intention droite ou bonne foi difficile à apprécier mais sur « ce qu'est fondamentalement la personne ». Ce passage est donc inadmissible, ne serait-ce qu'en raison d'un manque de maturation théologique.

3) La liberté religieuse au dernier alinéa semble fondée avant tout sur la liberté de l'acte de foi qui doit être « Deo obsequium » et ne le serait pas dans le cas de coaction extérieure.

« Il eut fallu, dit le père de Broglie, comme le fait Jean XXIII dans *Pacem in terris,* invoquer l'argument philosophique tiré de la nature et de la dignité de la personne humaine ».

En résumé, ce paragraphe est fondamental. Or, il est peu biblique, il est de rédaction molle; il est entaché d'imprécisions théologiques, il donne l'impression d'une pensée flottante. Il doit être totalement repris.

IV. Le paragraphe III, pages 4-5. Veut établir le droit de la coaction. Il souffre du même mal que le précédent, en l'établissant sur « *l'intention présumée droite* ».

Ce texte est donc, comme le dit le Père de Broglie, « répréhensible » et disons-le inacceptable.

Le droit fondamental de l'homme à la liberté religieuse, une fois encore, ne peut reposer sur les intentions souvent inapréciables de la personne, mais sur la personne elle-même.

A l'appui de ce jugement, une remarque de Pie XII (Allocution *Vous avez voulu,* 7 sept. 1955: *A.A.S.*). La sincérité des convictions n'est qu'un motif secondaire de tolérance et non le principal.

V. Le paragraphe IV. Répond au souci de ne pas minimiser la liberté religieuse en la réduisant à « une simple liberté d'expression » ou « une pure liberté de conscience ». Il est positif et peut être accepté.

VI. Le paragraphe V. Etablit les exigences de la liberté religieuse auprès de la société civile et de l'Etat mais aussi ses limites: le bien commun, le droit des autres, l'ordre naturel.

Il contient d'excellentes choses bien que l'allure soit un peu juridique (d'ailleurs par la force des choses), et que les « raisons » scripturaires ne soient pas invoquées.

Il pèche par omission et assez gravement. Qui va juger des exigences du bien commun et de l'extension des droits de la personne en matière religieuse? L'Etat... ou l'autorité religieuse... ou les deux après dialogue à partir de leur mission propre? Le texte n'en dit rien...

Or, le rapport de Mgr. De Smedt laisse entendre que seul l'Etat est compétent quand il s'agit de l'« ordinatio boni communis ». C'est au moins ambigü. Il y aurait des distinctions à faire.

Nous devons constater à nouveau que le texte proposé sur ce point majeur est trop « lâche ». Pour être acceptable, il importe au plus haut point d'affirmer l'incompétence directe de l'Etat en matière religieuse et par contre les droits de l'autorité religieuse responsable du bien commun religieux.

VII. Les paragraphes VI et VII sont sans histoire et peuvent même trouver place dans le texte amendé.

VIII. Une dernière remarque: non plus à partir du contenu du texte mais de ses omissions en général.

1) Les références à l'Ecriture sont trop succintes... trop rapides. On se contente, en général, des affirmations du magistère, à une époque récente. Elles ont une valeur, certes; elles ne paraissent pas suffire surtout dans un contexte œcuménique. Il eut fallu exposer, montrer comment le nouveau n'est pas « totalement novum » mais plonge des racines profondes dans la Tradition et dans l'Ecriture.

2) Le progrès constaté n'est pas non plus une rupture avec le XIX siècle. Il eut été bon de le constater d'un mot et d'exprimer rapidement le pourquoi de l'attitude des Papes, en particulier Grégoire IX, Grégoire XVI et Pie IX au XIX siècle.

En conclusion de cet examen du schéma sur la « liberté religieuse » on peut dire:

1) Le problème ne doit pas être éludé.

2) De préférence le chapitre sur la « liberté religieuse » doit prendre place dans le schéma sur l'Œcuménisme.

2) En cas de difficultés trop grandes et en vue d'un travail plus au point, on pourrait le joindre au chapitre XVII.

4) En toute hypothèse, le texte qui nous est présenté doit être « substantiellement remanié ».

3. *Nouveau schéma.* L'hypothèse d'un nouveau schéma prend donc consistance. Nous serions, dès lors, trop incomplets si nous ne parlions du texte émanant des Evêques de l'Afrique du Nord puis complété par Mgr. Sauvage, grâce à l'effort de l'atelier de travail et le concours de quelques « periti ».

Je souscris, volontiers, à l'appréciation de Mgr. Sauvage: « Le texte des Evêques de l'Afrique du Nord est une base intéressante. Je le trouve, en effet, plus clair, plus scripturaire, plus nerveux, mieux dégagé de certaines omissions graves et à tout prendre, dans sa briéveté, plus complet... ».

1) Un regard rapide donc sur ce texte:

Paragraphe Ier: Position et limitation de la question.

Ce paragraphe est bon. Une question, cependant: N'a-t-on pas trop limité le problème?

Liberté de la conscience dans l'acte de foi personnel? Oui.

Liberté des Assemblées religieuses à l'égard du pouvoir public? Oui.

De l'attitude de l'Eglise à l'égard des autres religions? On ne dit rien. N'est-ce pas une lacune?

2) *Le dessein de Dieu et la liberté humaine.* L'ensemble est bon. Une question, cependant, n'eut-il pas fallu affirmer de façon plus nerveuse le droit de la personne à suivre sa conscience et corélativemente le droit des autres à la respecter en se servant si l'on veut, comme on l'a fait, du texte du droit canonique C.I.C. canon 1351.

3) *Double devoir d'annoncer l'Evangile et de respecter la liberté.* Texte composite. Cela se sent un peu. Il est bon quand même.

4) *Importance et nature de la liberté religieuse.* La première partie me paraît excellente. La deuxième me semble insuffisante. La liberté n'est pas fondée sur la part de vérité religieuse dans une religion mais avant tout sur la personne et ses droits ou si l'on veut sur « ce religieux dans la personne elle même » (nous pourrions dire même athée), en raison de ce qu'elle est dans le plan de Dieu.

« L'ajoute » n'est pas sans valeur. Elle viendrait mieux, me semble-t-il, pour répondre à une objection: « Existe-t-il un droit naturel à fonder une religion fausse? » (Florit). Et là, en effet, on peut dire: dans toute religion il y a quelque aspect de vérité.

5) *L'Eglise libre de fixer,* par son autorité, *les normes de communion visible* sans pouvoir être taxée d'intolérance. Paragraphe excellent... Peut-être quelques références bibliques seraient heureuses...

6) *L'Etat et la liberté religieuse.* Bon paragraphe...

7) *Conséquences pratiques.* Egalement bon...

8) *Urgence de ces exigences.* Idem...

Conclusion Générale. Le texte répond semble-t-il aux exigences essentielles d'un schéma sur la « liberté religieuse »; il tient compte des points majeurs tels que nous les avons exposés dans l'état de la question et ensuite dans les considérations théologiques.

Nous demandons qu'il soit substitué au schéma officiel et serve de base aux futurs débats conciliaires durant la troisième session.

54

CONFERENTIA EPISCOPORUM NEERLANDICA

De cap. IV, *de catholicorum habitudine ad non-christianos et maxime ad Iudaeos*. (*N. B.*: Additiones aut mutationes sublineantur).

1. Declaratio aliqua magis positiva de valore religionum non-christianarum, in quibus « vestigia » operationis gratiae divinae inveniuntur, valde nostris temporibus desideratur. Ideo proponimus in pag. 3, linn. 1-6 ita mutentur: Postquam de Oecumenismi catholici principiis tractavimus, silentio praeterire nolumus, quod eadem *principia* habita ratione diversae condicionis, applicari debent, cum agitur de modo colloquendi et cooperandi cum hominibus non-christianis, qui *etsi fidem christianam non confitentes* Deum *sincero sensu* religiositatis colunt et legem moralem hominis naturae insitam, pro conscientia servare student.

2. *Foedus* Antiquum melius in lucem ponatur, ideoque pag. 3, linn. 14-17 ita mutentur: *Agnoscit Ecclesia Deum ex ineffabili misericordia olim cum populo isto electo Foedus Antiquum iniisse, quod Foedus Deus in Filio suo complevit, primo populo suo electo, deinde et gentibus.*

3. Pag. 3, lin. 32, pag. 4, linn 1-3 immediate ponantur post pag. 3, lin. 17.

4. Ad pag. 3, lin. 22. Est quaestio difficillima, qui homines hodie efformant illum « populum carissimum »; tempore S. Pauli stirps aut gens iudaica quasi identica erat cum communitate religiosa iudaica.

Quid vero hodie dicendum? Non desunt Iudaei (de stirpe iudaica) qui consulte religionem iudaicam negant! Est igitur quaestio intricata, quae in schemate Concilii caute tractanda est. Ideo proponimus textum sequentem: lin. 23 ..., cum Deo maneat carissimus propter Patres et dona eis data, *propter Foedus quondam initum, propter fidem et fidelitatem. « Sine paenitentia enim sunt dona et vocatio Dei »* (*Rom.* 11, 29).

5. Pag. 3, linn. 25-29 prius ponatur motivum ex linn. 27-29 ac deinde motivum ex linn. 25-26. Textus igitur fiat: « Neque diceretur deicida, quia mors Christi non a toto populo tunc vivente et multo minus ab hodierno populo adducta est, cum omnium hominum peccata causa fuerunt passionis et mortis Iesu Christi, quae omnium hominum peccata Dominus passione et morte sua luxit ».

6. Pag. 4, linn. 5 ss. ut sequitur mutentur: « Quare cum tantum Ecclesiae sit cum Synagoga commune patrimonium, Sacrae haec Synodus vehementer exoptat, ut fideles Iudaei intimam relationem Ecclesiam inter et Iudaeos semper ante oculos habeant, ac de cetero utriusque mutuam cognitionem et aestimationem, quae... etc., ».

V *

SCHEMA CONSTITUTIONIS DOGMATICAE DE DIVINA REVELATIONE **

[5]

PROOEMIUM

1. [*Necessitas et obiectum Revelationis*]. Sacrosancta Synodus Vaticana secunda, doctrinam catholicam de sacra Revelatione sollemniter proponens, verba S. Ioannis in memoriam revocat, dicentis: « Annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et apparuit nobis: quae vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio eius Iesu Christo » (*1 Io.* 1, 2-3). Quamquam enim valent homines « quaerere Deum si forte attrectent eum, aut inveniant » (*Act.* 17, 27), non possent tamen mysteria Dei cognoscere, maxime subsistentiam eius in tribus personis, et consortium divinae naturae (cf. *2 Pt.* 1, 4), ad quod vocantur omnes homines, nisi Deus ipse eadem revelavisset. Qua revelatione veritas tam de Deo quam de homine in Christo nobis illucescit.

---

* Cf. pag. 109.

** In fasciculi initio legitur: Ss.mus Dominus Noster Ioannes Pp. XXIII, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, in Concilio Oecumenico Vaticano secundo discutiendum, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXII mensis Aprilis, anno MCMLXIII.

HAMLETUS IOANNES card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Notae, quae singulis schematis capitibus adiciuntur, schematis partem non efficiunt, sed a Commissione Conciliari ideo exaratae sunt, ut Patribus schema pervestigantibus essent subsidio. Verba autem, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur.

2. [*Revelatio gradatim peracta*]. Inde ab initio Deus amore permotus testimonium dedit generi humano de semetipso et de hominis superno fine; ac post peccatum Adae, misericorditer promittendo Redemptorem, mox mirabiliter restauravit ordinem salutis. Postea in Abraham populum sibi elegit, ut in semine eius benedicerentur omnes generationes terrae (cf. *Gen.* 12, 3), et e longinquo via Evangelio praepararetur. [5]

3. [*Revelatio in Christo ultima et completa*]. In Christo et per Spiritum Christi, Apostolis promissum ut illos omnia doceret, quaecumque ipse Christus dixerat (cf. *Io.* 14, 26), publica revelatio ultima et integra facta est (cf. *Hebr.* 1, 1). Nulla ergo adhuc nova revelatio exspectanda est, sicut nulla aliunde salus. Quare Christianismus non est tantum aetas quaedam transitoria historiae religiosae humanitatis, sed omnino novissima et definitiva.

4. [*Opera Christi signa Revelationis*]. Opera Christi, quae dedit ei Pater ut faceret ea, testimonium perhibent de eo (cf. *Io.* 5, 36), cum Christus divinitatem suam non verbis dumtaxat affirmaverit, sed etiam vita sanctissima, miraculis, prophetiis et maxime resurrectione gloriosa ex mortuis confirmaverit. Sicut per verba Christi Mysterium in vita eius contentum manifestatur, sic per vitam eius miraculosam auctoritas testimonii Christi comprobatur. [6]

5. [*Veritates naturales cum Revelatione connexae*]. In divina Revelatione agitur quidem de veritatibus et eventibus quibus mysterium participationis hominis ad Dei vitam intimam respicitur; simul autem etiam affirmantur veritates altissimae ordinis naturalis cum veritatibus supernaturalibus connexae. Nam licet veritates illae humanae rationi per se imperviae non sint, in praesenti generis humani condicione, ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore nonnisi lumine revelationis cognosci possunt.[1] Sic Revelatione divina non tantum aperiuntur viae ad supernaturalem finem assequendum, sed etiam principia praebentur ad vitam temporalem recte concipiendam et ducendam.

[6] 6. [*Necessitas gratiae ad Revelationem divinam accipiendam*]. Revelationi divinae praestanda est oboedientia fidei: sed ut fidei actus suscitetur, opus est gratia Dei, quae sensum aperiat, cor moveat et convertat. Quo vero profundior usque evadat Revelationis intelligentia, Spiritus Paraclitus fidem iugiter per dona sua perficit.

NOTA AD PROOEMIUM

[1] CONC. VAT. I, Sess. III, Const. dogm. *de fide cath.*, cap. 2: DENZ. 1786.

[7]

CAPUT I

DE VERBO DEI REVELATO

7. [*Apostoli praedicatores Evangelii*]. Christus Dominus mandatum dedit Apostolis, ut Evangelium suum, id est ea quae per totam suam vitam fecerat et docuerat, tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae praedicarent.[1] Quod quidem Apostoli fecerunt cum per scripta Spiritu Sancto inspirata, cum oretenus tradendo ea, quae ex ipso Christi ore vel a Spiritu Sancto dictante acceperant.[2] Hoc autem verbum Dei, scriptum vel traditum, unum Depositum Fidei constituit, ex quo Ecclesiae Magisterium haurit ea omnia, quae fide divina tamquam divinitus revelata credenda proponit.

8. [*S. Scripturae et S. Traditionis mutua relatio*]. S. Scriptura ergo et S. Traditio ita mutuo se habent, ut altera alteri extranea non sit. Imo arcte inter se connectuntur atque communicant. Nam ambae ex eadem scaturigine promanantes, in unum quodammodo coalescunt et in eumdem finem tendunt. Quapropter utraque pari pietatis affectu ac reverentia suscipienda ac veneranda est.[3]

9. [*Utriusque relatio ad S. Magisterium*]. At S. Scriptura ac S. Traditio, uti sacrum verbi Dei depositum, non singulis hominibus, sed vivo et infallibili Ecclesiae Magisterio concreditum est; [4] quod quidem Magisterium non supra verbum Dei est, sed eidem ministrat, quatenus illud, ex divino mandato et Spiritu Sancto assistente, tuetur et authentice interpretatur, illustrando et etiam enucleando quae in una vel altera Depositi parte impli-

cite et obscure continentur.[5] Exinde regula fidei proxima quidem est Ecclesiae Magisterium, remota vero Sacrum Depositum. [7]

10. [*Conclusio*]. Patet igitur S. Scripturam, S. Traditionem ac Ecclesiae Magisterium, iuxta sapientissimum Dei consilium, ita inter se internecti et consociari, ut unum sine aliis consistere non possit. Tria simul ad animarum salutem suo modo efficaciter conferunt; sensu quoque fidelium subordinate concurrente.

NOTAE [8]

[1] Cf. CONC. TRID., Sess. IV, Decr. *De canonicis Scripturis*: DENZ. 783.

[2] Cf. CONC. TRID., *l. c.*; CONC. VAT. I, Sess. III, Const. dogm. *de fide cath.*, cap. 2: DENZ. 1787.

[3] Cf. CONC. TRID., *l. c.*

[4] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani generis*, 12 aug. 1950: *A.A.S.*, 42 (1950), pp. 567-569.

[5] Cf. PIUS XII, *l. c.*, p. 569: DENZ. 2314.

CAPUT II [9]

DE SACRAE SCRIPTURAE DIVINA INSPIRATIONE ET INTERPRETATIONE

11. [*Statuitur factum inspirationis et inerrantiae S. Scripturae*]. Divina Revelatio, afflante divino Spiritu litteris consignata, in Sacra Scriptura continetur et prostat. Quae Scriptura, ex apostolica fide, « divinitus inspirata » (*2 Tim.* 3, 16) creditur, quia nimirum Deum habet principalem auctorem. Deus autem, hominibus ad id delectis, qui hagiographi vocantur, tamquam vivis instrumentis, omnibus nempe humanis facultatibus praeditis,[1] usus est, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, universis hominibus scripto traderent.[2]

Cum ergo totius Scripturae Deus principalis auctor affirmetur et sit, inde totam Scripturam[3] divinitus inspiratam ab omni prorsus errore immunem esse consequitur.[4]

12. [*Quomodo S. Scriptura sit interpretanda*]. Cum autem Deus per homines scripserit, hac de causa, ut pateat quamnam veritatem nobis communicare voluerit, interpres Sacrae Scripturae attente investigare debet quid reapse hagiographus signifi-

[9] care intenderit. Aliter enim veritas in textu historico et aliter in textu didactico, prophetico, poetico, allegorico aut parabolico proponitur et exprimitur.

Quod autem ad singula spectat, modus veritatem attingendi diiudicetur oportet ex sensu quem in determinatis adiunctis, pro sui temporis condicione, exprimere intendit et expressit hagiographus.[5] Veritas ergo, seu id quod sacer auctor scribens significare voluit, non recte intelligitur nisi rite attendatur ad suetos illos nativos cogitandi, dicendi narrandive modos, qui temporibus hagiographi vigebant, quique tunc in mutuo hominum commercio passim adhiberi solebant.[6]

Cum igitur haec omnia, salva Scripturae Sacrae auctoritate et sanctitate, in divino eloquio, quod pro hominibus modis verbisque humanis exprimitur,[7] inveniantur, non magis erroris eadem argui debent, quam cum paria aut similia in quotidiano usu
[10] haberentur, immo habeantur, proindeque auctoritati et sanctitati Scripturae minime officiunt. Cuncta autem haec, de ratione interpretandi Scripturam, ad normam hermeneuticae rationalis et catholicae, Ecclesiae iudicio ultime subsunt.

13. [*Dei condescensio*]. Quae omnia, salva semper Dei veritate et sanctitate, manifestam statuunt aeternae Sapientiae admirabilem « condescensionem », qua Dei verba humanis linguis expressa, quoad omnia humano sermoni assimilia facta sunt,[8] sicut olim Unigenitum Patris Verbum, humanae infirmitatis assumpta carne, hominibus quoad omnia simile factum est, « absque peccato » (*Hebr.* 4, 15).

NOTAE

[1] Pius XII, Litt. Encycl. *Divino afflante Spiritu,* 30 sept. 1943: *EB* 556.

[2] Leo XIII, Litt. Encycl. *Providentissimus Deus,* 18 nov. 1893: Denz. 1952; *EB* 125.

[3] Cf. Pont. Comm. Bibl., Decr. 18 iun. 1915: Denz. 2180; *EB* 420; S. C. S. Officii *epist.,* 22 dec. 1923: *EB* 449.

[4] Pius XII, *l. c.*: *EB* 539.

[5] S. Augustinus, *De doctr. christ.,* II, 18, 26: *PL* 34, 75-76.

[6] Pius XII, *l. c.*: Denz. 2294; *EB* 558-562.

[7] S. Augustinus, *De Civ. Dei,* XVII, 6, 2: *PL* 41, 537. Cf. Pont. Comm. Bibl. *epist.,* 16 ian. 1948: Denz. 2302; *EB* 581.

[8] Pius XII, *l. c.*: Denz. 2294.

Caput III [11]

DE VETERE TESTAMENTO

14. [*Historia populi electi in libris inspiratis enarrata*]. Amantissimus Deus, de totius humani generis salute arcano modo semper sollicitus, de populo a Se electo peculiarem curam habuit. Foedere enim cum Abraham (cf. *Gen.* 15, 18) et Moyse (cf. *Ex.* 24, 8) inito, populo sibi acquisito ita se verbis et gestis revelavit, ut Israel divinas cum hominibus vias experiretur, easque, ipso Deo per os prophetarum loquente, penitius et distinctius in dies intelligeret. Quae eventuum series, divino afflante Spiritu ab auctoribus sacris annuntiata, enarrata atque explicata, ut verum Dei verbum in libris Veteris Testamenti adhuc prostat, et ideo hi libri vim atque auctoritatem suam perenniter servant. « Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus » (*Rom.* 15, 4).

15. [*Indoles Foederis Veteris eiusque librorum*]. Vetus autem Foedus ad hoc praesertim fortiter ac suaviter dispositum erat, ut Christi universorum redemptoris eiusque regni adventum praepararet, multifariam prophetice nuntiaret (cf. *1 Pt.* 1, 10) et variis typis significaret (cf. *1 Cor.* 10, 11). Praeterea Veteris Testamenti libri, etsi nondum perfecte, Dei et hominis cognitionem credentibus suppeditant, eosque docent modos quibus Deus cum hominibus misericorditer agit, et quibus quivis homo, in iis quae ad Deum et ad proximos spectant, se recte gerere debeat.

16. [*Relatio mutua Novi et Veteris Testamenti*]. Deus igitur, utriusque Testamenti inspirator et auctor, ita sapienter disposuit, ut Novum in Vetere lateret et in Novo Vetus pateret.[1] Nam, etsi quaedam Veteris Foederis instituta, tempori praeparationis soli convenientia, Nova abrogata sint Lege, tamen Vetus Testamentum integrum, in praeconio evangelico assumptum[2] et pars unius revelationis factum,[3] in Novo sensum suum comple- [12]
tum acquirit et ostendit. Ecclesia ergo, canonicos Veteris Testamenti libros ut suas Scripturas reverenter agnoscit et accipit.

[12]

NOTAE

[1] S. AUGUSTINUS, *Quaest. in Hept.* 2, 73: *PL* 34, 623.
[2] ORIGENES, *In Ioan.* I, 6, 8: *PG* 14, 53 s.
[3] S. IRENAEUS, *Adv. Haer.,* III, 21, 3: *PG* 7, 950. Cf. *Ibid.*, III, 1, 1: *PG* 7, 844.

[13]

CAPUT IV

DE NOVO TESTAMENTO

17. [*Evangeliorum excellentia*]. Neminem autem fugit inter omnes, etiam Novi Testamenti Scripturas, Evangelia merito excellere,[1] quippe quae praecipuum testimonium sint de Verbi Incarnati Salvatoris nostri vita atque doctrina.

Quattuor enim Evangelia originem apostolicam habere Ecclesia Dei semper et ubique, sine dubitatione tenuit ac tenet. Quae enim Apostoli ex mandato Christi praedicaverant, eadem postea, divino afflante Spiritu, in scriptis, ipsi et apostolici viri, nobis tradiderunt, fidei nostrae fundamentum, quadriforme nempe secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Ioannem Evangelium.[2]

Quoniam vero hodie apud quosdam quoque, qui christiano nomine decorantur, dubia sive de Evangeliorum fide historica, sive de eorum divina auctoritate circumferantur, peropportunum huic Sacrosanctae Synodo visum est, in re tanti momenti, praecipua principia enuntiare.

18. [*Evangeliorum indoles historica*]. Sancta Mater Ecclesia firmiter et constantissime tenuit ac tenet quattuor recensita Evangelia vere tradere quae Iesus Dei Filius, vitam inter homines degens, ad aeternam eorum salutem reapse et fecit et docuit (cf. *Act.* 1, 1). Quamvis enim formam praeconii aliquando resonent et cum historicae compositionis rationibus quae nostra praesertim aetate usurpantur non in omnibus conveniant, Evangelia tamen veram et sinceram historiam nobis tradunt. Ea enim intentione conscripta sunt, ut sive ex traditione illorum « qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis », sive ex memoria et recordatione propinquorum et discipulorum Domini, cognoscamus eorum verborum de quibus eruditi sumus veritatem (cf. *Lc.* 1, 2-4).

19. [*Exegesis catholica*]. Exegetarum autem, qui in Ecclesia et ad Ecclesiae utilitatem in divina eloquia investiganda incumbunt, est, servatis rationalis et catholicae hermeneuticae normis, sub ductu magisterii Ecclesiae adlaborare, ut Evangelii loci, qui expositionem certam et definitam adhuc desiderant, bene intelligantur, ita ut, quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur.[3] 30[13] [14]

20. [*De ceteris libris Novi Testamenti*]. Novi vero Testamenti volumen, praeterquam ex quattuor Evangeliis, etiam ex aliis Apostolorum libris Spiritu Sancto inspirante conscriptis constat, quibus, ex sapienti Dei consilio, veritas vitae Christi confirmatur, genuina eius doctrina magis magisque declaratur atque salutifera virtus divini operis Christi proclamatur. Apostolis enim suis Dominus Iesus, sicut promiserat, affuit (cf. *Mt.* 28, 20), et iis Paraclitum suum misit, ut omnia eos doceret et iis suggereret quaecumque iis Christus dixerat (cf. *Io.* 14, 26), ad aeternam humani generis salutem in aevum servanda.

NOTAE

[1] Cf. S. Augustinus, *De consensu Evangel.* I, 1: *PL* 34, 1041 s.
[2] Cf. S. Irenaeus, *Adv. Haer.*, III, 1, 1: *PG* 7, 844.
[3] Cf. Leo XIII, Litt. Encycl. *Providentissimus Deus,* 18 nov. 1893: *EB* 109.

Caput V [15]

DE SACRAE SCRIPTURAE USU IN ECCLESIA

21. [*Ecclesia S. Scripturas veneratur*]. Caelestem Sacrorum Librorum Veteris et Novi Testamenti thesaurum Ecclesia inde ab initio maxima veneratione prosecuta est, et numquam intermisit insigne illud Dei donum sibi concreditum fidelibus, praesertim in sacra liturgia, dispertire, iisque commendare, ut summa pietate illud tamquam pretiosum Dei donum acciperent. In Sacris enim Libris Pater qui in caelis est filiis suis peramanter occurrit et cum eis fere colloquitur; tantaque verbo Dei vis ac virtus inest, ut Ecclesiae sustentaculum ac vigor et Ecclesiae filiis fidei robur, animae cibus, vitae spiritualis fons reapse exstet.[1]

22. [*Commendantur accuratae versiones*]. Ut autem Christifidelibus ad Sacras Scripturas aditus late pateat, Ecclesia Dei

[15] sua auctoritate commendat et materna sollicitudine curat ut, ad penitiorem cognitionem et uberiorem declarationem verbi Dei, accuratae in linguas vernaculas versiones e praecellentibus Sacrorum Librorum textibus primigeniis conficiantur.

23. [*Doctorum catholicorum officium apostolicum*]. Verbi Incarnati Sponsa, Ecclesia nempe, Sancto Dei et Christi Spiritu edocta, profundiorem in dies Scripturarum Sacrarum intelligentiam assequitur (cf. *Io.* 16, 13), ut filios suos divinis eloquiis indesinenter pascat. Exegetae autem catholici, aliique sacrae theologiae cultores, collatis viribus dent operam oportet, ut, sub ductu magisterii Ecclesiae, et altius Divinae Litterae investigentur et quam plurimi divini verbi administri Scripturarum pabulum Dei plebi fructuose suppeditent, quod mentes illuminet, firmet voluntates, hominum corda ad Dei amorem accendat.

24. [*S. Theologia verbo Dei innititur*]. Sacrae autem theologiae scientia, in verbo Dei tamquam in suo primario et inalienabili fundamento consistit ex eoque argumenta trahit, quibus
[16] firmissime roboretur et semper iuvenescat.[2] Sacrae etenim Scripturae verbum Dei non tantum continent, sed vere Dei verbum sunt, quo etiam verbi Dei ministerium, pastoralis nempe praedicatio, in qua homilia liturgica principem locum sibi vindicat, salubriter nutritur sancteque virescit.

25. [*Lectio S. Scripturae sacerdotibus commendatur*]. Quapropter Christi sacerdotes assidua lectione ac exquisito studio in Sacris Scripturis haerere necesse est, ne inanis forinsecus praedicator fiat « qui non est intus auditor »,[3] et ut verbi divini amplissimae divitiae, imprimis in cultu liturgico, ovibus suis communicare valeant.

26. [*Item fidelibus*]. Christifideles quoque ad sacrum ipsum textum libenter accedant, sive per sacram liturgiam divinis eloquiis confertam sive per ceteras ad id aptas institutiones, quae, approbante auctoritate Ecclesiae, ubique nostro tempore laudabiliter diffunduntur.

Sacris autem Antistitibus, « apud quos est apostolica doctrina »,[4] fideles sibi commissos ad rectum divinorum Librorum usum opportune instituere competit per versiones sacrorum textuum, quae necessariis et vere sufficientibus explicationibus in-

structuctae sint, ut tuto ac utiliter Ecclesiae filii cum Scripturis [16]
Sanctis conversentur. Sicut enim ex adaucto Sanctissimae Eucharistiae cultu Ecclesiae vita incrementum accipit, ita ex digna aestimatione et cultu verbi Dei quod « manet in aeternum »,[5] novum spiritualis vitae impulsum sperare licet.

NOTAE

[1] Cf. *Act.* 5, 20; 13, 26; *1 Cor.* 1, 18; *Hebr.* 4, 11.

[2] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: DENZ. 2314.

[3] S. AUGUSTINUS, *Sermo 179,* 1: *PL* 38, 966.

[4] S. IRENAEUS, *Adv. Haer.,* IV, 32, 1: *PG* 7, 1071.

[5] Is. 40, 8; cf. *1 Pt.* 1, 23-25.

VI

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA CONSTITUTIONIS DOGMATICAE DE DIVINA REVELATIONE

A - *Ante diem 10 iulii 1964.*

1

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Pag. 1, lin. 30: conservetur vox « transitoria » (quae est latina, etsi non ciceroniana, et terminus technicus in re religiosa).

Lin. 31: item « definitiva ».

Pag. 2, lin. 2: conservetur « ea », sicut habetur in *Io.* 5, 36.

Lin. 20: servetur « temporalem » quae vox *2 Cor.* 4, 18 explicite adhibetur de « hac » vita in oppositione ad « aeternam ».

Lin. 24: « suscitetur » sc. per gratiam; sic « *suscitata* » deinde « ponitur ».

Cap. I, pag. 3, lin. 6: « per scripta Spiritu Sancto inspirante exarata ».

Lin. 7: servetur « ore » cf. DENZ. 1787.

Linn. 8 s.: in consultatione dictum est: « *verbum Dei scriptum vel traditum* », non « et ... et »!

Lin. 13: in textu consultationes melius: « Sacra Scriptura *ergo* et s. traditio... ».

Lin. 24: dicatur, ut in textu consultationes: « et *Spiritu Sancto* assistente ».

Lin. 31: cur « suo modo »?

Cap. II, pag. 4, lin. 19: « didactico », non « didascalico »: retineatur latinitas scholae.

Lin. 23: retineatur, ex eadem ratione, « determinatis ».

Cap. III, pag. 6, lin. 3: melius: « de *totius* humani generis salute arcano... »! (in oppos. ad « populum electum »).

Lin. 29: non « magis », sed « *soli* praeparationis tempori convenientia ».

Cap. IV, pag. 7, lin. 2: inter omnes, etiam Novi Testamenti Scripturas, Evangelia...

Lin. 13: « iis non exceptis »: omnibus? retineatur: « apud *quosdam* quoque qui christiano nomine decorantur ».

Pag. 8, lin. 11: « quae Christi erant »: *Io.* 14, 26: « omnia *quaecumque dixeram vobis* ». *Io.* 16, 14 non agit de hac re.

Cap. V (de Sacrae Scripturae « *usu* » in Ecclesia), pag. 9, lin. 6: « ut summa pietate illud *tamquam praetiosum Dei donum* (cf. textum consult.) acciperent. In sacris *enim...* ».

Lin. 17: « versiones e praecellentibus... primigeniis conficiantur ».

Lin. 28: « splendide »? melius « fructuose ».

Lin. 33: Enc. *Hum. gen.* dicit: « *semper* » (non: « decursu temporis ») iuvenescit.

Lin. 34: « verbum Dei *non tantum continent,* sed... ».

Pag. 10, lin. 8: Christi fideles quoque...

2

EM.MUS P. D. CLEMENS CARD. MICARA
Episcopus Veliternus

Placet iuxta modum. Inter signa revelationis neque in schemate hoc neque alibi memoratur Ecclesia, quae, iuxta Concilium Vaticanum I, est « tamquam signum levatum in nationes », « magnum quoddam et perpetuum motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile » (DENZ. 1794).

Talis omissio peculiarem illico significationem induit si quis attendat a quibusdam theologis (v. g. Küng) Ecclesiae catholicae, prae mendis suis, denegari hodie divinae missionis praerogativam.

Ad n. 10: Sacrae Scripturae, magisterio ecclesiastico et traditioni properanter additur « sensus fidelium »: quod profecto, nisi ulterius et magis perspicue explanetur, erroneis interpretationibus ansam praebere potest.

Ad n. 12: de Sacra Scriptura quae « non recte intelligitur nisi rite attendatur etc. ».

Minus opportune asseritur vel asseri videtur non solum utile sed necessarium esse ad rectam intelligentiam Scripturarum studia coli de rebus orientalibus quasi Ecclesiae, ante modernos exegetas, Sacrarum Litterarum sensus non omnino patuerit.

3

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Non solum in sermone atque expositione evidentem progressum manifestat hoc schema, sed alio afflatu, feliciter immutato, concitatur. E titulo apparet quod non iam dicatur « de duobus fontibus revelationis ».

Speciatim cap. V tractat optime de usu Sacrae Scripturae in Ecclesia et accurate loquitur in n. 21 de colloquio Patris cum filiis suis in Sacris Libris. Veniunt opportune hortamenta ad episcopos in favorem apostolatus biblici (n. 26) et homiliae liturgicae intra Missam (n. 24).

Attamen, in n. 22, mihi placeret ut determinetur quod *semper versiones Sanctae Scripturae in lingua vulgari* debent esse explicite recognitas et approbatas ab auctoritate ecclesiastica.

4

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

I am particularly pleased with the redaction of this schemata on Revelation. Although it may not be possible within the scope of our present treatment of this matter, I do regret that a somewhat fuller treatment of the nature of Tradition in the Church is not contained in this draft.

Although it is a very minor point, I dislike the use of the word " Christia-

nismus " in paragraph 3 of the Prooemium. At least in this country, I fear that the term would have the connotation of reducing Christianity to the level of a politico-religious philosophy, in the minds of readers of this document.

Chapter IV, paragraph 20 seems to suggest that all of the books of the New Testament were written by Apostles.

5

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ

Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Prooemium.

1. (Sensus huius declarationis). Synodus Vaticana II, verborum S. Petri exhortantis ut simus parati semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea quae in nobis est spe (cf. *1 Pt.* 3, 15), « cum modestia et timore » sed animati spe immensa, omnibus hominibus bonae voluntatis doctrinam catholicam de sacra revelatione breviter proponere intendit. Iis enim qui nondum in Christum crediderunt, notum iri vult fidem nostram non esse productum industriae humanae, sive individualis sive collectivae, sed fructum revelationis divinae. Sine verbi Dei praedicatione omnino impossibilis et sane stulta evadit doctrina christiana de redemptione, de SS. Trinitate, de Incarnatione, de consortio divinae naturae (cf. *1 Pt.* 1, 4), neque ullus sensus inveniretur cultui christiano, dicente Paulo de ipso nomine Domini: « quomodo invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante? quomodo autem praedicabunt nisi mittantur? » (*Rom.* 10, 14-15). Christianis autem omnibus Sacra Synodus nullatenus imponere vult ne levissimum quidem onus (cf. *Act.* 15, 28) quod non imposuerit Dominus noster; ex altera parte, cum perfectio communionis nostrae ex obeditione communis fidei (cf. *Rom.* 16, 26) dependeat, qua adhaeretur Patri eiusque mysteriis quae in Christo nobis illucescunt, secundum illud praeclarum Ioannis: « Annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et apparuit nobis, quod vidimus et audivimus annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio eius Iesu Christo » (*1 Io.* 1, 2-3), clare et aperte de re tanti momenti loquendum iudicat.

2. (Revelatio gradatim peracta). Deus Pater, qui solus habet immortalitatem et lucem inhabitat inaccessibilem (cf. *1 Tim.* 6, 16), et qui invisibilis dicitur (cf. *Col.* 1, 15) quia nemo eum umquam vidit (*Io.* 1, 18), sed nec videre potest (*1 Tim.* 6, 16), per Verbum Filium suum unigenitum et sine eius inhabitans (*Io.* 1, 18) nobis manifestatur. His est enim imago Dei Patris (*2 Cor.* 4, 4), splendor gloriae et figura substantiae eius (*Hebr.* 1, 3). Iam in ipsa creatura mundi Deus per Verbum suum manifestatur, quia haec, cum per Filium et in Filium condita sit (*Col.* 1, 16) (*Hebr.* 1, 3; Credo Nicaenum - Const.), invisibilia Dei nobis conspicere sinit (*Rom.* 1, 20). Haec Dei cognitio, quae revelatio naturalis apte vocari potest ex eo quod in naturali potestate hominis intellectu et voluntate praediti sit posita, « in praesenti generis humani condicioni » (DENZ. 1785) multis tamen obtenebratur erroribus, multis impeditur obstaculis, ita ut vere proficere non potest, nisi miserentis Dei gratia a figmentis nostris in veritatem Christi liberemur (*Io.* 8, 32).

Hac naturali revelatione innixi, inde iam ab exordio generis humani, individui et populi qui extra ambitum revelationis iudaeo-christianae versabantur vel adhuc versantur, adiuvante Dei gratia, Deum coluerunt et numquam cessarunt quaerere « si forte attrectent Eum aut inveniant » (*Act.* 17, 27). Quapropter scit Ecclesia, quidquid boni in diversis religionis horum populorum invenitur, et a Patre luminum descendere (*Iac.* 1, 27), ita ut istae religiones occulte de Christo loquantur (cf. *Act.* 17, 23-32) atque apud Deum, qui non est personarum acceptor, in omni gente qui timet eum et operatur iustitiam, acceptus sit illi (cf. *Act.* 10, 35).

Cum autem Deus iam ante mundi constitutionem nos, praedestinaverit, ut per Iesum Christum Filium eius dilectum, in quo omnia sunt instauranda, adoptionem filiorum reciperemus in laudem gloriae gratiae suae (cf. *Eph.* 1, 3-6), hoc liberrimum paternae voluntatis consilium (cf. *Eph.* 1, 11) magnaque et mirabilia opera eius (cf. *Apoc.* 15, 3) per Sacram Revelationem Antiqui et Novi Foederis nobis innotescunt. Testificante Scriptura, inde ab ipso Adae peccatum, misericordia permotus Deus nobis providit Redemptorem (cf. *Gen.* 3, 15). In Abraham autem populum sibi elegit, ut in semine eius benedicerentur omnes generationes terrae (cf. *Gen.* 12, 3), et via Evangelio praepararetur. Multifariam multisque modis sic loquens patribus et prophetis novissime vero nobis locutus est in Filio, quem constituit heredem universorum (cf. *Hebr.* 1, 1-2). In Christo ergo et per Spiritum Christi, apostolis promissum ut illos omnia doceret quaecumque ipse dixerat (*Io.* 14, 26), Regnum Dei ad nos pervenit (cf. *Lc.* 11, 20). Christus est enim via, et veritas, et vita (*Io.* 14, 6): omnia nobis Deus cum Illo donavit (cf. *Rom.* 8, 32). Per mortem suam se semel offerendo (cf. *Hebr.* 7, 27), caritas Dei in nobis pro semper apparuit (cf. *Io.* 4, 9); per suam resurrectionem ex mortuis, illa claritate clarificatus est, quam prius quam mundus esset, habuit apud Patrem (cf. *Io.* 17, 5), ita ut, ablato velamine, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformemur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu (cf. *2 Cor.* 3, 18). Exinde a Domini Paschate multiformis sapientia Dei et investigabiles divitiae Christi, in Ecclesia, eius Corpus at Plenitudo, et per eam, in gentibus manifestantur, usque dum iterum veniat: nondum enim apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est (*1 Io.* 3, 2). Tunc « et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei » (*Rom.* 8, 21).

4. (Revelatio non est inanis inventio humana). Qui Revelationis divini ministri facti sunt, non ex caeca illusione neque ex intentione aedificandi, historiam mirabilium Dei imaginaverunt, sed evidentia factorum ducti et intus illuminati: « non enim voluntate humana allata est aliquando prophetis: sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines » (*2 Pt.* 1, 21). Super omnia Dominus noster, qui semper palam locutus est mundo (cf. *Io.* 18, 20), vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo (cf. *Lc.* 24, 19), transiens benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo (*Act.* 10, 38), quemque iniustum occisum Pater suscitavit tertia die et dedit eum manifestum fieri testibus praeordinatis a Deo: apostolis, qui manducaverunt et biberunt cum illo postquam resurrexit ex mortuis (cf. *Act.* 10, 39-41), opera fecit quae testimonium perhibent ut in Deo creditur (cf. *Io.* 5, 36; 14, 11). Non ergo doctas fabulas secuti sunt qui notam fecerunt nobis Domini nostri Iesu Christi virtutem et praesentiam, sed speculatores facti, illius magnitudinis (cf. *2 Pt.* 1, 16).

Hac de causa, sacra Synodus, tradens quod et accepit, si Revelationem pro-

ponit « non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei » (*1 Thess.* 2, 13), sibi conscia est exhortationem suam non esse de errore, neque de immunditia, neque in dolo. Immo tota beneficia orientur attendentibus sermoni Domini, quasi lucernae lucebit in caliginoso loco, donec dies elucescat (cf. *2 Pt.* 1, 19), et potenter in eis et per eos augebitur pietas, quae ad omnia utilis est, promissionem habens vitae quae nunc est, et futurae (cf. *1 Tim.* 4, 6-8).

5. (Caracter supernaturalis et progressivus fidei). Eidem in revelantem Deum transitur a morte in vitam (*Io.* 5, 24) atque de hac veritate Iesus Dominus testimonium dedit quod liberaret nos (cf. *Io.* 8, 32). Inde oboeditio fidei (cf. *Rom.* 16, 26) est actus eminentissimae libertatis, ad quem nemo umquam cogi debet nec potest, et simul effectus supernae gratiae, qua ipse Deus sensum aperit, cor movet et convertit. Nemo enim potest venire ad Christum, nisi Pater traxerit eum (*Io.* 6, 44). Qui autem credentes iam comprehensi sunt per Christum Iesum et forte omnia detrimentum fecerunt propter eminentem scientiam Domini sui, non arbitrentur sese comprehendisse; quae quidem retro sunt obliviscentes, ad ea vero quae sunt priora, extendant seipsos ad destinatum prosequentes, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu (cf. *Phil.* 3, 7-14). Ut enim caritas nostra abundet in scientia et in omnem sensum, Spiritus Paraclitus fidem iugiter per dona sua perficit, replens nos fructu iustitiae per Iesum Christum, in gloriam et laudem Dei (cf. *Phil.* 1, 9-11).

Cap. I: *De revelatione in genere.*

7. (Apostoli terminum dant revelationi). Revelatio divina terminum recepit sub apostolis Christi, quippe qui mandatum acceperunt Evangelium Domini sui tamquam fontem omnis et salutiferae veritatis et morum disciplinae omni creaturae annuntiarent. Illi autem profecti praedicaverunt ubique (*Mc.* 16, 20), instantes orationi (cf. *Act.* 6, 4) liturgiam celebrabant necnon vitam communitatis regebant secundum regulam sanctitatis et veritatis. Quae ergo ita verbo, opere et vitae communione tradiderunt, sacrum depositum, fideliter custodiendum, constituit (cf. *1 Tim.* 6, 20). Procul dubio autem inter dona nobis per apostolos tradita eminet Sacra Scriptura, quam quidem ut Antiquum Testamentum a patribus, mediante Christo, acceperant, aut, ad Novum Testamentum quod attinet, partim ipsi, partim alii sub eorum auctoritate conscripserunt. Omnia autem quae sub apostolis, Spiritu Christi instructis, tradita sunt, unum Depositum fidei constituunt, quod est norma normans et non normata, qua creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem (cf. *Rom.* 10, 10).

8. (S. Scripturae et S. Traditionis mutua relatio). Distinctio inter S. Scripturam et sine scriptis traditio (cf. Conc. Trid.) non tollit integritatem et unitatem revelationis divinae. Ambae partes seu formae unius fidei depositi ita mutuo se habent, ut altera alteri extranea non sit. Immo arcte inter se connectuntur atque communicant. S. Scriptura per excellentiam est thesaurus traditus, iungens charismati apostolicae auctoritatis privilegium inspirationis. Traditio, in transmittendo per decursum saeculorum revelationem nequaquam alterare aut addere potest quod non in sacro deposito contineretur et in specie non plane S. Scripturae sit consentaneum. Ambae, ex eodem fonte promanantes et in eumdem tendentes, in unum quodammodo coalescunt: si enim Scriptura dici potest artificium divinum speciali industria Spiritus Sancti constructum ad tradendum et communicandum verbum Dei, separari non potest a traditione in qua posita est quaeque eam

transmittit. Quapropter pari pietatis affectu ac reverentia suscipienda ac veneranda sunt.

9. (Utriusque relatio ad s. magisterium). Integrum sacri verbi Dei depositum Ecclesiae Christi concreditum est, cuius vivum magisterium, quod quidem non supra verbum Dei est, sed eidem ministrat, illud ex Christi institutione et Spiritu Sancto assistente, authentice et casu dato etiam infallibiliter interpretatur et tuetur, necnon fovet et ad tempora applicat proficiendo in comprehensione altissimae veritatis quae in sacro Deposito continetur et etiam enucleando quaedam difficilia intellectu (cf. *2 Pt.* 3, 16). Exinde regula fidei permanens et fundamentalis, quae est sacrum Depositum, ab Ecclesiae magisterio tamquam a norma proxima authentice nobis communicatur.

10. (Conclusio). Patet igitur S. Scripturam, s. traditionem ac Ecclesiae magisterium, iuxta sapientissimum Dei consilium, ita inter se internecti et consociari, ut unum aliis consistere non possit. Sensui fidelium, qui in cognitione mysteriorum Dei summe aestimandus est, sic liber et amplius accessus ad fontem aquae vivae datur (cf. *Apoc.* 21, 6).

* * *

Cap. II et cap. III placent; cum adaptationibus accipi possunt.

Cap. IV, de N. T., miseri contenti est; profunde renovari debet.

Cap. V, de usu S. Scripturae in Ecclesia, minus rhetorice et cum maiore praecisione in insistentia loqui debere videtur.

Caput particulare de S. Traditione, eiusque origine, contenti et evolutione, desideratur.

Observationes in schema decreti « de divina revelatione ».

Prooemium. Deest declaratio sensus pastoralis schematis.

N. 1, pag. 5, lin. 10: loco « subsistentiam » aliud verbum non adeo technicum quaeratur. In hac pericopa deest Incarnatio.

Pag. 5, lin. 13: post « homine » addatur « *eiusque historiam salutis* ». *Ratio*: ut saltem insinuetur valor salvificus veritatis revelatae eiusque aspectus dynamicus. Conceptus enim hic adhibitus revelationis nimis intellectualisticus est. E. g. pag. 5, lin. 10 (mysteria cognoscere): consequenter deest determinatio relationis inter revelationem et redemptionem, quae maximi est momenti.

N. 2. Magis insistendum est in revelatione naturali. *Ratio*: scepticismus modernus hoc postulat. Idea Dei in creatione sese revelantis debet poni (*Act.* 17, 27): « ... si forte attrectent eum... ».

Pag. 5, lin. 15: loco verborum « Inde... postea » ponatur sic: « Ante mundi constitutionem Deus amore permotus homines praedestinavit in adoptionem filiorum per I. Christum in ipsum (*Eph.* 1, 4-5); ac post ipsum Adae peccatum, testificante Scriptura, misericorditer nobis providit Redemptorem. In Abraham populum... ».

N. 3, pag. 5, linn. 22-29: hic apparet rursus vox intellectualistica: « dixerat », quae in contextu sensum magis plenum semiticum non induit; clare exprimi debet mundum ante revelationem definitivam (Parusia) nullam aliam publicam expectare debere; in genere ad hunc numerum admittuntur observationes a Germaniae et Scandinaviae peritis factae et assumuntur.

N. 4. Numerus est supprimendus utpote inutilis. Insuper reducit munus « operum Christi » ad divinitatem eius demonstrandam. Si de Christo ut revelatore simul et revelatione Dei loqui debet, numero praecedenti ponatur.

N. 5. Hic numerus includi potest in n. 2 ubi de revelatione naturali.

N. 6, pag. 6, linn. 21-26: loco textus proponitur sequens: « Deo revelanti praestanda est oboeditio fidei (*Rom.* 16, 26), quae possibilis non est nisi praeveniente gratia, qua ipse Deus sensum aperiat, cor moveat et convertat. Nam nemo potest venire ad Christum, nisi Pater traxerit eum (*Io.* 6, 44). Si quis non tantum ore confiteatur Dominum Iesum, sed corde crediderit, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus erit. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* 10, 9 s.). Per fidem Christus habitat in cordibus (*Eph.* 3, 17). Nam qui credit ei, qui misit Christum, habet vitam aeternam et in iudicium non venit, sed transit a morte in vitam (*Io.* 5, 24). Ut autem caritas nostra magis ac magis abundet in scientia, et in omni sensu (*Phil.* 1, 9), Spiritus Paraclitus fidem iugiter per dona sua perficit ». (Quod praeter ultima verba cum propositione peritorum germanicorum concordat). *Ratio*: fides et necessitas gratiae ad eam ampliorem tractationem accipere debet quam eam textu allatam.

Caput I.

N. 7, pag. 7, linn. 2-5: notio « Evangelii » non satis divitias revelationis manifestat, prout hic describitur: sic aliqua dicenda videtur de Christo glorioso ac de nova vita quam nobis attulit, quae certe non restringitur ad veritatem magis ac melius cognitam et morum disciplinam.

Pag. 7, lin. 6: loco « oretenus » dicatur « sine scripto traditionibus, i. e. vita orationis, *liturgia, sensu fidei, praedicatione* tradendo ea... ». *Ratio*: « oretenus » restringit nimis verba Tridentini et locum non dat aliis modis non scriptis tradendi doctrinam.

Pag. 7, linn. 7-8: loco verborum « Hoc... traditum » proponitur: « *Hoc autem verbum Dei, diversimode ab apostolis traditum, specialiter autem, Sancto Spiritu afflante, modo scripto,* unum depositum... ». *Ratio*: ne insinuetur distinctio materialis inter scripta et tradita, quam Synodus docere non vult.

Pag. 7, lin. 9: proponitur « ex quo *et secundum quod* ». *Ratio*: Magisterium sic melius apparet ut norma normata deposito fidei.

N. 8. Textus in genere placet, sed si fieri potest, amplius elaboretur doctrina relationis inter Scripturam et traditionem. Sic paragraphus potest his verbis finire (pag. 7, lin. 17): « veneranda est, cum nihil sit S. Scriptura nisi s. traditio ipsa ut scripta, nec aliud sit s. traditio nisi spiritus, doctrina, exempla et " mandata " (*Mt.* 28, 20) Christi fideliter vivo modo transmissa ».

(pag. 7, lin. 17): « veneranda est, cum nihil sit S. Scriptura nisi s. traditio ipsa ut scripta, nec aliud sit s. traditio nisi spiritus, doctrina, exempla et " mandata "

N. 9, pag. 7, lin. 21: loco « quod quidem magisterium » ponatur « *vivum* magisterium non... » et lin. 23, post « assistente », addatur « *authentice et in casibus etiam infallibiliter* tuetur et interpretatur ». *Ratio*: ne videatur magisterium tantum supremo et infallibili modo exerceri posse.

Pag. 7, linn. 23-24: loco verborum « illustrando... continetur » proponitur: « Sic in fide servata et custodita, et sensu fidelium suo modo concurrente, Ecclesia a Spiritu Sancto edocta in omnem introducitur veritatem (*Io.* 16, 13), quae " in Verbo Dei tam scripto quam tradito " (Denz. 1792) continetur ». *Ratio*: 1. non

placet illud « in una vel altera parte » (lin. 24), siquidem non agitur de « partes » ita separabiles; 2. sensus fidelium multum ad intelligentiam revelationis concurrit, de qua hic agitur; 3. quoad « explicite et obscure », videtur huiusmodi praecisiones hic necessarias non esse (cf. observationes a Mertelet factas).

Pag. 7, linn. 25-26: verba « Exinde... depositum » possent omitti, utpote praecisiones technicae non adeo necessariae. Vel sic possent mutari: « Exinde regula fidei permanens et fundamentale est sacrum depositum, quod ab Ecclesiae magisterio (tamquam a norma proxima) authentice ministratur ». *Ratio*: verba « norma remota » non videtur satis munus Depositi exprimere.

Caput II.

N. 11, pag. 9, lin. 9: loco « iuberet » proponitur « *voluit* ». *Ratio*: « iuberet » videtur aliquatenus conscientiam inspirationem insinuare apud hagiographos.

Pag. 9, linn. 8-9: post « praeditis » ponatur « *ut veris auctoribus* ». *Ratio*: ne intelligatur eos esse meros secretarios.

Pag. 9, linn. 10-12: loco verborum « inde... consequitur » proponitur: « ... inde tota Scriptura divinitus inspirata nullum prorsus docere errorem dicenda est ». *Ratio*: doctrina de inerrantia Scripturarum melius exprimitur si de formali ratione *docendi,* secundum quam nullus error inveniri potest, loquitur, quia alio sensu, i. e., materiali, possunt locutiones de se erroneae ab hagiographo adhiberi, quas tamen docere non vult.

Pag. 9, lin. 12: addatur in fine « et fontem incomparabilis sanctitatis esse consequitur ». *Ratio*: inerrantia non est unicus effectus influxus divini, et textus nimis apologeticus sonat.

Pag. 9, lin. 14: loco « quamnam veritatem » proponitur « *qualem* veritatem ». *Ratio*: veritas in usu traditionali non habet merum sensum alicuius affirmationis verae. Nomine « veritatis » veniunt etiam realitates religiosae, ut e. g. non debet in decreto nimis intellectualistice restringi.

Pag. 9, lin. 18: post « poetico » addatur « et alia huiusmodi »; supprimatur « allegorico aut parabolico ». *Ratio*: sic series generum litterariorum non restringitur ad enumeratas tantum.

Pag. 10, lin. 4: post « subsunt » addatur: « quae verbi Dei servandi et interpretandi divino fungitur mandato et ministerio ». *Ratio*: ne Ecclesia appareat ut arbitraria dominatrix Scripturarum.

Cap. III. Nihil observandum.

Caput IV. Indoles huius capitis videtur nimis apologetica. Nullum dubium de momento huius doctrinae, cautelae servandae. Nihilominus indoles pastoralis, quae vehementer desideratur, postulat ne restringatur doctrina Synodi ad defensionem doctrinae traditionalis: divitiae Scripturarum etiam exponantur et quidem uti pars centralis et praecipua. Sic, post duas paragraphos primas ostendantur summa capita seu themata quae nobis revelatio divina in N. Testamento attulit: regnum Dei, plenitudo Spiritus, libertas filiorum, etc. etc.

N. 17, pag. 13, lin. 7: supprimatur « eadem ». *Ratio*: ne videatur Synodus favere sententiae quae tenet identitatem materialem inter Scripturam et praedicationem.

Pag. 13, lin. 12: loco « hodie » proponitur « istis temporibus »; supprimatur etiam verborum series « apud... decorantur ». *Ratio*: 1. haec dubia iam per duo saecula protenduntur; 2. haec verba possent offensiva videri protestantibus.

N. 18, pag. 13, linn. 21-23: phrasis fiat magis generalis hoc modo: « Quamvis enim non in omnibus cum historicae compositionis rationibus quae nostra praesertim aetate usurpantur conveniant... ». *Ratio*: ea de « forma praeconii » forte non indubitabilia sunt nec opus ea afferre.

N. 19. Munus exegetae non restringitur ad ea textu allata; melius ergo videtur indicare eius munus quoad theologiam systhematicam, praedicationem. Restrictio rursus prodit indolem apologeticam, parum pastoralem.

N. 20. Hoc certe non sufficit ut momentum « ceterorum librorum » (!) uti par est extollatur. Quae supra de toto capite dicta sunt hic quoque venire possunt.

Caput V. Stylus magis biblicus et sobrius desideratur. Caret enim vi in re summi momenti.

6

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI

Archiepiscopus Ianuensis

In cap. I huius schematis n. 8 brevissime agitur de relatione S. Scripturae et s. traditionis et quidem modo deficienti. Quae deficientia adhuc crescit, quando in initio cap. II n. 11 fere insinuatur divinam revelationem in sola S. Scriptura contineri atque prostare. Non potest omitti clara declaratio S. Scripturam per s. traditionem non solum explicari, sed etiam compleri. In nova redactione conficienda ita praevaluit desiderium praeparandi textum aptum pro dialogo cum fratribus separatis, ut non satis ratio habita sit de re catholica, et nominatim:

1. Prologi constitutionis Conc. Vatic. I *Dei Filius, Coll. Lac.* VII, col. 249 b., in quo damnatur theoria protestantium de S. Scriptura *unico fonte* revelationis hisce verbis: « Ipsa sacra Biblia, quae antea (a reformatoribus videlicet) christianae doctrinae unicus fons et iudex asserebantur, iam non pro divinis haberi, imo mythicis commentis accenseri coepere ». Quibus erroribus opponitur in fine prologi doctrina ipsius Vaticani I dicentis: « se inniti Dei verbo scripto *et* tradito, prout ab Ecclesia catholica sancte custoditum et genuine expositum accepimus », et postea in cap. 3 de fide: « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto *vel* tradito continentur et ab Ecclesia... tamquam divinitus revelata proponuntur ».

2. Encycl. *Humani Generis,* ubi agitur de auctoritate magisterii et *de utriusque fontis* revelationis usu et abusu: DENZ. 2313-2314 (3884-3886). Item Encyclicae Ioannes Pp. XXIII *Ad Petri Cathedram*: *A.A.S.,* 51 (1959), pag. 512 ubi docetur revelationem contineri in iis qui Sacris Litteris continentur, *aut* oretenus vel scriptis sunt tradita.

3. Doctrinae catholicae, vid. quod verbum Dei in S. Scriptura contentum a verbo Dei in s. traditione contento, non solum distinguitur ratione cognitionis humanae, sed etiam ratione ipsius Dei, qui modo diverso loquitur in simplici revelatione et in revelatione per modum scriptionis inspiratae.

4. Conciliorum Provincialium a S. Sede approbatorum:

Ravennatensis a. 1855: *Coll. Lac.* VI col. 143 de auctoritate Ecclesiae in docendo.

Coloniensis a. 1860: *Coll. Lac.* V col. 273-275, cap. 3: de revelationis plenitudine a Christo Ecclesiae commissa duplicique consignata fonte.

Ultraiectensis a. 1865: *Coll. Lac.* col. 749-752, cap. 5: de scripturis et traditione.

5. Catechismorum multorum, ex quibus manifestatur doctrina magisterii ordinarii Ecclesiae.

6. Sensus catholici fidelium, quorum multi scandalizati sunt audientes a Patribus Concilii dubia moveri de iis quae per tot generationes ductu Pastorum suorum crediderunt.

7. Facti dogmatici, quod canon librorum inspiratorum solum ex s. traditione cum certitudine cognosci possit.

8. Scandali necessario exoriundi, quando Concilium in hodiernis circumstantiis silebit. Tale enim silentium necessario explicabitur ut dubium circa doctrinam traditionalem.

9. Mali exempli quod a Concilio daretur haud paucis, qui in rebus dogmaticis doctrinam traditionalem Ecclesiae, etiam in Conciliis probatam, minoris momenti habent.

10. Scientiae catholicae biblicae, quae per doctrinam vid. omnem veritatem catholicam e S. Scriptura probari posse, practice, constringitur ad exegesim non sinceram: cogita v. g. de doctrina catholica de septem sacramentis!

11. Facti historici, quod in initio Ecclesiae, quod attinet ad veritates specificas Novi Testamenti, non aderat Scriptura, sed tantum traditio.

12. Mentis Pauli Pp. VI f. v., qui die 8 dec. 1963 clare dixit quaestionem de revelatione ita absolvi debere, ut sacrum depositum tueatur adversus errores, abusiones, *dubitationes,* quibus vis veritatum sacri depositi subiective infringatur.

Tandem aliquando: ipsa sufficientia asserta S. Scripturae nullo modo in ipsa S. Scriptura docetur.

7

Exc.mus P. D. IGNATIUS ARBULÚ PINEDA
Episcopus Huanucensis

Con toda humildad y sinceridad, pensando sólo en el mayor bien de Nuestra Madre la Iglesia y la edificación de los fieles cristianos, nos permitimos presentar a la sabia é ilustrada consideración de los Venerables Padres Conciliares, las siguientes sugerencias, advirtiendo que no sólo son proprias, sino también ideas, opiniones, pareceres que hemos recogido de varios grupos de personas del Clero: Obispos, canónigos, párrocos y hasta de seglares de varias profesiones, de estos últimos especialmente en las sugerencias de orden práctico.

Para mayor claridad de este exposición de sugerencias las dividimos en dos grupos ó partes: *Parte doctrinal, Parte practica.*

1. *Parte doctrinal. Fuentes de la Revelación.*

Unos de los Esquemas Conciliares que, como es notorio a todos, suscitó las más acaloradas intervenciones fue el relativo a las Fuentes de la Revelación. Pues bien, en este punto, como en otros directamente relacionados con el Dogma y con futuras posibles declaraciones dogmáticas, sería conveniente, para atraer más y mejor a los « Fratres separatos » (según la mente y el espíritu de Juan XXIII), no llegar todavía a conclusiones definitorias, terminantes. Podrían establecerse *Comisiones Conciliares permanentes* que — post Concilium — se dediquen a estu-

diar más a fonde, con más tiempo y serenidad, dichos puntos dogmáticos, con la participación también de eminentes teólogos protestantes.

Estos estudios serían la base para que en *un futuro Concilio,* ya con la participación activa de todas las Iglesias separadas se lleguen a conclusiones definitorias y definitivas.

Este temperamento equilibrador y conciliador por parte de la Iglesia Católica tendría la enorme virtualidad de conquistar efectiva y afectivamente el espíritu protestante. Porque es verdad que muchísimos hermanos alejados esperan de la Iglesia una apertura de corazón y brazos más amplia.

A Dios gracias, y merced a la obra de Juan XXIII, este Concilio Vaticano II inició ya dicho abrir de brazos con la invitación a los miembros de diversas « Confesiones », aunque sólo en calidad de « Observadores ».

Nos parece que, de ahora en adelante, la Iglesia Católica no podrá actuar ni tomar decisiones, en orden al *Ecumenismo,* sin tener en cuenta a todas las « Iglesias Cristianas », por tres razones principales:

a) Tienen que pesar para las Comunitades Protestantes los 16 siglos de la Iglesia Católica en orden a las dimensiones de la Verdad. Y tienen que pesar para la Iglesia Católica los ejemplos de perfección —que se dan indudablemente— en los Hermanos alejados, para las dimensiones de la caridad en Cristo.

b) Se ha iniciado ya el fraternal diálogo con los Hermanos alejados. Extra Concilium este diálogo ha sido amplio, cordial y sincero. En este sentido han tomado parte activa en el presente Concilio.

c) Ahora, más que nunca, conviene que todos los que creemos en Cristo, nos unamos —siquiera *unione cordium*— aunque todavía no unione *eodem sensu eademque doctrina* (quod est in votis) para formar *un fruente único contra el Ateísmo moderno* que va extendiendo sus nefastos dominios por el mundo, conquistando especialmente a las clases trabajadoras y a los universitarios. Acerca de esta *unión* lo mismo puede decirse — mutatis mutandis — de la Iglesia cismática, sobre todo después el reciente é histórico abrazo de Paulo VI con Athenàgoras I.

Respecto de las Fuentes de la Revelación convendría no duplicar. Decir simplemente que la Fuente de la Revelación es *la Sagrada Escritura* y que la *Tradición* propiamente es ciencia subsidiaria, conexa, inseparable —si se quiere— de la Sagrada Escritura.

Traditio ancilla Sacrae Scripturae est, possumus dicere...

8

EXC.MUS P. D. ANTONIUS BAGNOLI

Episcopus Fesulanus

Schema, sicuti nunc proponitur, meliorem sine dubio induit formam quam illam, in prima sessione Concilii Vaticani II discussam et maioritati Patrum haud gratam.

Sed tamen fortasse quaedam adhuc manent quae maturatione indigent ut, simpliciori et pastorali stylo, melius in luce clarescant.

Optime titulus renovatus est.

Optime annuntiatur traditionem et Scripturam inter se connecti atque communicare. Manet autem explicandum quomodo et quibus limitibus ambae « in unum quodammodo coalescunt ».

In n. 9, lin. 20, fideles, tanquam revelationis destinatarii videntur excludi: quapropter melius diceretur, et sine ulla nota polemica, « ... *Ecclesiae* concreditum, in qua per vivum et infallibile hierarchiae magisterium... tuetur et authentice interpretatur ».

Ambigua deinde videtur locutio in n. 9, lin. 24: « ... in una vel altera depositi parte », quae interpretari potest etiam eo sensu quem Patres Tridentini ex professo vitarunt, quando textum, iam antea propositum, dicentem: « ... partim in libris scriptis et partim sine scripto traditionibus... » emendarunt, adverbium « *partim* » excludentes.

Alia etiam minoris momenti adnotare vellem:

In prooemio, n. 3, lin. 25, dicitur: « Nulla ergo revelatio expectanda est ». Melius esset adiungere « ... *hisce in terris habenda* » quia si absoluto modo loquatur, etiam revelatio eschatologica videtur excludi.

In n. 4, inter signa revelationis non enumerantur nec doctrina Christi nec fructus eiusdem, sicuti propagatio christianismi in primis saeculis, martyrium, etc. Quapropter textus videtur ita complendus esse: « ... sed etiam vita sanctissima, miraculis, prophetiis, *doctrina eiusque fructibus* et maxime resurrectione gloriosa ».

9

BEAT.MUS P. D. IGNATIUS PETRUS XVI BATANIAN
Patriarcha Ciliciae Armenorum

Pag. 7, n. 8, dicitur: « S. Scriptura ergo et s. traditio ita mutuo se habent, ut altera alteri extranea non sit. Imo arcte inter se connectuntur atque communicant. Nam ambae ex eadem scaturigine promanantes, in unum quodammodo coalescunt et in eundem finem tendunt. Quapropter utraque pari pietatis affectu ac reverentia suscipienda ac veneranda est ».

Hoc textu ad minimum reduci videtur doctrina de traditione, quam per tot saecula, speciatim inde a saec. XVI, Ecclesia catholica, per suum magisterium ordinarium, per suos theologos et auctores probatos, docuit et propugnavit.

S. Scriptura et s. traditio ita aequales apparent ut nec ista nec illa contineat aliquid plus quam altera. Iamvero haec est ipsa doctrina Protestantium.

Dum Ecclesia catholica, per suum magisterium ordinarium et per suos theologos docuit existentiam *traditionis constitutivae,* traditionis scil. quae:

1. Complet doctrinam S. Scripturae in determinata quaestione, *obiective,* seu secundum materiam, et plus aliquid veritatis de eadem re manifestando quam S. Scriptura; ita ut idem punctum doctrinae quod in S. Scriptura aut insinuatur tantum aut nonnisi ex parte docetur, per traditionem cum certitudine atque ex integro cognoscatur. Sic, si quaerimus circa verba S. Lucae « gratia plena », qualis sit haec plenitudo, extenditurne usque ad praeservandam Mariam ab omni motu concupiscentiae, ab omni macula etiam levissima, a peccato originali: sola traditio haec omnia declarat cum certitudine.

2. Excedit doctrinam S. Scripturae, ita ut manifeste aliqua capita doctrinae, de quibus S. Scriptura omnino tacet, proponat ut partes depositi fidei.

Sic, v. g., per hanc traditionem cognoscimus virginitatem perpetuam Mariae, inspirationem evangeliorum et Actuum Apostolorum, ius episcoporum urbis Romae ad successionem B. Petri in Primatu, Assumptionem B. Mariae Virginis, etc.

Proinde haec verba « S. Scriptura et s. traditio ita mutuo se habent ut altera alteri extranea non sit » sunt nimis obscura, et possunt sensu vario sumi. Possunt significare quod S. Scriptura et s. traditio easdem veritates continent et quod traditio in nulla re excedit S. Scripturam nihilque continet plus quam illa: Hoc non est nisi cedere placitis Protestantium et reiicere id quod usque nunc docebat Ecclesia catholica.

Pag. 7, n. 10, dicitur: « ... S. Scripturam, s. traditionem ac Ecclesiae magisterium... ita inter se internecti et consociari, ut unum sine aliis consistere non possit ».

Estne hoc verum? Estne verum quod traditio et Ecclesiae magisterium sine Scriptura non possunt consistere? Nonne admitti debet orale magisterium, tempore apostolorum et tempore generationis proxime insequentis, fuisse unicum fontem fidei?

Proinde in hoc capite primo necesse est addere aliquid relate ad traditionem, scil. ea quae Ecclesia catholica eiusque theologi per tot saecula propugnaverunt et docuerunt. Neque relinquere licet in obscuro doctrinam tam magni momenti et in usu tam frequenti.

Pag. 9, n. 12: Maior pars huius numeri desumpta est ex Encyclica Pii XII *Divino afflante* anni 1943.

Cur non fit mentio de re de qua tam insistit, ibi, idem Pius XII, scil. de quaerendo ante omnia sensum litteralem Scripturae, de studio Sanctorum Patrum et magnorum exegetarum?

En quid dicit Pius XII: « Quo in opere exsequendo ante oculos habeant interpretes sibi illud omnium maximum curandum esse, ut clare dispiciant ac definiant, quis sit verborum biblicorum sensus, quem *litteralem* vocant... Sacrarum autem Litterarum exegetae, memores de verbo divinitus inspirato heic agi, cuius custodia et interpretatio ab ipso Deo Ecclesiae commissa est, non minus diligenter rationem habeant explanationum et declarationum magisterii Ecclesiae, itemque explicationis a Sanctis Patribus datae, atque etiam " analogiae fidei ", ut Leo XIII in Encyclicis Litteris *Providentissimus Deus* sapientissime animadvertit » (Editio Vaticana, pag. 16 *Divino afflante*).

Si haec displicent aliquibus modernis exegetis, estne hoc sufficiens ratio ut nulla fiat de iis mentio? Ipse Pius XII, in Litteris Encyclicis *Humani generis* anni 1950, hoc agendi modum deplorat: « In Sacra Scriptura interpretanda nullam habere volunt rationem analogiae fidei ac " traditionis " Ecclesiae; ita ut Sanctorum Patrum et sacri magisterii doctrina quasi ad trutinam Sacrae Scripturae, ratione mere humana ab exegetis explicatae, sit revocanda, potius quam eadem Sacra Scriptura exponenda sit ad mentem Ecclesiae, quae a Christo Domino totius depositi veritatis divinitus revelatae custos ac interpres constituta est » (*A.A.S.,* 2 sept. 1950, pag. 569).

10

EXC.MUS P. D. MAURITIUS BAUDOUX
Archiepiscopus S. Bonifacii

In genere:

1. Collatione prioris schematis *de fontibus revelationis* in prima Concilii sessione propositi, multa in hoc schemate *de divina revelatione* meliora facta sunt, ex eo praesertim quod opera recentiora in re biblica peritorum benignius excipiuntur et quod condemnationes feliciter non amplius inveniuntur.

2. Attamen, super revelationis doctrinam in Ecclesia iam communiter receptam, schema nonnisi perpauca addit et de istis omnino summatim disserit. Nonne materia, sub diversis capitibus praefata, dilatatae et profundioris explanationis in dies indiget, siquidem Concilium Vaticanum II progressum in studiis biblicis iam inceptum atque Sacrae Scripturae usum efficaciter promovere, necnon exegetas catholicos ad inquisitiones Ecclesiae perutiles prosequendas incitare cupit?

3. Optandum valde est ut accuratius enucleantur notiones, quae maioris momenti sunt, v. g. *revelatio* et *mysterium,* et ambivalentem sensum accipere possunt, biblicum scil. aut scholasticum.

In specie:

Prooemium (pag. 5-6). Pag. 5, n. 1, lin. 10: optaremus ut loco « mysteria Dei » expressio « profunda Dei (*1 Cor.* 2, 10) » adhiberetur. Ratio est quod vocis « mysterii » sensus in Evangeliis et praecipue apud Paulum oeconomiam salutis quae in dispensatione manifestatur significat (cf. *Mc.* 4, 11 et parall.; *Eph.* 1, 9 sq.; *Col.* 1, 26).

Pag. 5, n. 1, lin. 11: post « personis », inserendum videtur verba « et mysterium Christi, speciatim » ut melius appareat quod vita supernaturalis cum Christo unitur.

Pag. 5, n. 2, lin. 17: expressio « superno fine » mutetur aut pressius designetur. In Novo Testamento equidem vox « supernus » ad ordinem stricto sensu supernaturalem designandum usurpatur (cf. *Io.* 8, 23; *Phil.* 3, 14). Prouti iacet in schemate, supernaturalis acceptio nimis affirmare videtur, quia non aperte indicatur utrum ab initio Deus testimonium de supernaturali fine hominibus concedat. Maxime, supernus finis humano generi ab initio dumtaxat datur ut quaedam supernaturalis ordinis adumbratio atque praeparatio.

Pag. 5, n. 2, lin. 18: vox « redemptionem » aptius quam « Redemptorem » videtur, quia in Genesi non aliquod individuum clare adhuc designatur.

Pag. 5, n. 3, linn. 25 s.: loco vocis « revelatio » adhibeatur expressio biblica « locutio », quae in *Hebr.* 1, 2 adest. Ita melius componatur cum Epistola ad Romanos, ubi S. Paulus de revelatione in sensu biblico scribit (cf. *Rom.* 8, 18 s.).

Pag. 5, n. 3, linn. 27 s.: ut propositio dynamicum sensum magis acquirat, sententiae « Quare... definitiva » substituatur: « Quare christianismus inaugurat aetatem novissimam et historiae religiosae humanitatis definitivam ».

Pag. 6, n. 4, linn. 1 s.: ut clarior sit et accuratior, ita mutetur textus: « Christus, per opera sua quae dedit ei Pater ut faceret, testimonium perhibet de semetipso (cf. *Io.* 5, 36), cum ille missionem et ultimatim divinitatem suam, non verbis... ex mortuis revelaverit. Sicut... ».

Pag. 6, n. 5, lin. 10: vox « locutionibus » aptior quam « veritatibus » nobis apparet.

Pag. 6, n. 5, lin. 11: linea mutetur in: « mysterium consortii hominis in Christo ad Dei vitam intimam », ut expressio magis concrete adhibeatur.

Pag. 6, n. 6, lin. 23: linea mutetur in: « cum fidei actus ab homine elicitur, iam ibi operatur Deus, qui sensum... ». Ita liber motus hominis in Deum accuratius describitur, sed et operatio Dei gratuita magis personalis apparet.

Cap. I: *De Verbo Dei revelato* (pag. 7). 1. Consentaneis doctrinae communi Ecclesiae in par. 7 expositis, dolendum est quod modo negativo ac defensivo reliqua huius capitis dicuntur, quin puritati doctrinae prosint, immo nonnisi offendiculum fratribus afferant (v. g. n. 8, linn. 15-17).

2. Nostra sententia, notio *traditionis* in paragrapho speciali tractetur, explicite referendo ad dicta et sententias communes peritorum in re, et in hoc capite priusquam ad n. 8 relata inseratur. Traditio, nostro sensu, ut notio quaedam generica se habet in qua etiam Scriptura Sacra includitur.

3. *Magisterii* in Ecclesia notio, ut par est, omnino determinanda videtur priusquam magisterii habitudo ad traditionem atque Scripturam in specie elaboretur.

Pag. 7, n. 7, linn. 5-10: ex traditionis vivae notione supra relata, mutationes variae expostulantur ita ut sic sonet textus recognitus: « Quod quidem apostoli fecerunt, Spiritu Sancto in eis ducente, tum oretenus, tum mysteria celebrantes, tum per scripta, tradendo ea, quae ex ipso Christo ore et exemplo vel a Spiritu Sancto dictante acceperant. Hoc autem Evangelium Dei, iugiter per Spiritum in Christo vivens, depositum fidei constituit, de quo Ecclesiae magisterium profert ea omnia, nova et vetera (cf. *Mt.* 13, 52), quae fide divina... ».

Pag. 7, n. 8, linn. 11-14: ex supradictis de traditione, etiam hic emendatur textus. Legatur ergo: « Sacra traditio, ut expressio fidei viventis actu in Ecclesia, et Sacra Scriptura ita mutuo se habent ut altera alteri includitur, arcte inter se communicant, in unum... ».

Pag. 7, n. 9, linn. 20 et 25 s.: attentis de Ecclesiae magisterio supra dictis, emendatus textus hic proponitur: « Sed Ecclesiae infallibili docenti in suo vivo magisterio concreditum est; ... Exinde fideles regulam fidei inveniunt in Ecclesia docente in suo magisterio ».

Cap. II: *De Sacrae Scripturae... interpretatione* (pag. 9-10). Hoc caput mihi placet in eo quod « genera litteraria », etsi nimis breviter, exponit (cf. linn. 17-19); displicet autem in eo quod inferre possit ipsos textus nunc vigentes ab omni specie erroris immunes esse (cf. linn. 10-13).

Cap. III: *De Vetere Testamento* (pag. 11-12). Hoc caput mihi placet.

Cap. IV: *De Novo Testamento* (pag. 13-14). Hoc caput mihi relative tantummodo placet ex eo quod de « Evangeliorum excellentia » nonnisi perpauca dicuntur, cum in decem lineis (linn. 5-15) de aliis rebus tractatur quae nihil de mysteriis Christi habentur. Ex altera parte, antequam affirmetur quod christiani aliqui de « fide historica » Evangeliorum dubitant, nonne penitus investigandum esset de natura dubiorum suorum? Nobis videntur versari circa apostolorum fidelitatem in sua praedicatione ad Christi gesta atque dicta.

Cap. V: *De Sacrae Scripturae usu in Ecclesia* (pag. 15-16). Hoc caput mihi placet; attamen notentur quae sequuntur. Pag. 15, n. 21, linn. 3 s.: auferantur

verba « numquam intermisit », et adhibeatur textus sequens: « ... et insigne illud Dei donum... dispertiit, iisque commendavit... ». Illa Ecclesiae historiae apologia opportuna non videtur.

Pag. 15, n. 22, linn. 17 s.: sic terminetur emendata propositio: « ... textibus primigeniis, communi cum fratribus separatis nisu conficiantur, ut ab omnibus christianis adhibeantur ».

Pag. 15, n. 23, lin. 22: ratione acatholicorum in re biblica contributionis, addatur conveniens insertio: « ... catholici, acatholicis consultis, aliique... ».

Pag. 15, n. 24, lin. 30: ut clarius appareat quod Scripturae totam theologiam pervadere atque informare convenit, loco « ex eoque argumenta trahit » potius dicendum est « in eoque argumenta extruit... ».

11

Exc.mus P. D. EDUARDUS BOZA MASVIDAL

Episcopus tit. Vindensis, aux. S. Christophori de Habana

Schema constitutionis dogmaticae *de divina revelatione,* breviter et clare doctrinam exponit, et modo positivo, pastorali et aptissimo ad viam unionis cum fratribus separatis aperiendam, propter quod mihi valde placet. Unam tamen animadversionem humiliter proponere audeo.

Cap. V, n. 19, ulla ambiguitate laborat. Iudico necesse est animadvertere exegetis, in Evangeliorum interpretatione, a sensu obvio et claro verborum sine necessitate ne discedant, obscuras et complexas interpretationes quaerendo, quae solido carent fundamento, et quae magis ad augendas quam ad solvendas difficultates inserviant, et ansam praebent ad subversionem historicitatis totius Sacrae Scripturae, praesertim Evangeliorum, et ad fidem populi in Christum historicum labefactandam. Hoc praecipue prae oculis habendum est cum de factis totius vitae Christi eiusque verbis agatur.

12

Exc.mus P. D. MICHAEL ANGELUS BUILES

Episcopus S. Rosae de Osos

De notione catholica revelationis. In hoc schemate non declaratur notio catholica revelationis.

In primo schemate clare dicebatur revelationem divinam esse divinam *locutionem* cui correspondet fides. Sed hoc, ut dictum est, iam non declaratur in hoc schemate.

Attamen, haec notio *declaranda* esset:

1. quia notio catholica divinae revelationis est hanc esse divinam *locutionem* cui correspondet fides;

2. quia quidam theologi catholici videntur aliter concipere divinam revelationem.

Ad primum: Catholica notio revelationis haec est: divina revelatio est *locutio* Dei attestans cui correspondet fides.

Sic, Concilium Tridentinum. Iuxta hoc Concilium, divina revelatio est Evangelium « quod promissum ante per prophetas in Scripturis Sanctis Dominus noster Iesus Christus Dei Filius *proprio ore* primum *promulgavit,* deinde per suos apostolos tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae *praedicari* iussit: perspiciensque (Concilium) hanc *veritatem* et disciplinam contineri in libris *scriptis* et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi *ore* ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto *dictante* quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt » (DENZ. 783).

Sic, similiter, Pius IX. Iuxta Pium IX, « humana quidem ratio... divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet Deum *esse locutum* » (DENZ. 1637).

Sic, similiter, Concilium Vaticanum I. Concilium divinam revelationem considerat ut « Dei *verbum* scriptum et traditum » (DENZ. 1781); praeterea haec dicit: « fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quae in *verbo* Dei scripto vel tradito continentur » (DENZ. 1792).

Sic, similiter, S. Pius X in iusiurando contra errores modernismi: « Firma pariter fide credo Ecclesiam, *verbi* revelati custodem et magistram... »; « certissime teneo ac sincere profiteor, fidem non esse caecum sensum religionis... sed verum assensum intellectus *veritati extrinsecus acceptae ex auditu* » (DENZ. 2145). « Fidem Patrum firmissime retineo... ut numquam aliter credatur, numquam aliter intelligatur absoluta et immutabilis *veritas* ab initio per apostolos *praedicata* » (DENZ. 2147).

Et revera, talis notio catholica revelationis, scil., hanc esse divinam *locutionem,* clare proponitur ab ipso S. Paulo: « Multifariam multisque modis olim Deus *loquens* patribus in prophetis, novissime, diebus istis, *locutus est* nobis in Filio » (*Hebr.* 1, 1-2).

Ad secundum. Ergo catholica notio revelationis videtur clara: divina revelatio est *locutio* Dei, scil., constans ex *propositionibus, iudiciis, conceptibus,* quibus mediantibus, Deus ipse nobis manifestat (*loquendo*) mysteria divina et supernaturalem divinam providentiam erga homines, praesertim maxima et pretiosa nobis promissa de quibus in *2 Pt.* 1, 4, novam vitam quae consortium est divinae naturae, et similia.

Attamen, quidam catholici theologi, ut solutionem inveniant quaestioni de progressu dogmatico, aliter concipiunt divinam revelationem.

Divina revelatio non esset locutio divina constans ex propositionibus, iudiciis conceptibusque, sed esset *complexus rerum supernaturalium*; esset praesertim ipsa vita supernaturalis a Deo communicata hominibus. Hanc supernaturalem vitam Ecclesia paulatim magis ac magis experitur, et sic, paulatim perfectius ac perfectius ex experientia intuetur omnes divitias ac mysteria vitae supernaturalis. Ipsa ergo *dona supernaturalia* constituunt divinam revelationem.

Hoc modo, plus minusve, revelatio concipitur a J. BAINVEL, *L'histoire d'un Dogme,* in « Etudes » (Paris), vol. 101, 1904, pp. 612-632; H. DE LUBAC, S.I., *Le problème du développement du Dogme,* in « Recherches de Science Religieuse », Paris, 35, 1948, pp. 130-160; Fr. TAYMANS, S.I., *Le progrès du Dogme,* in « Nouvelle Revue théologique », 71, 1949, pp. 687-700 ;J. DUHR, S.I., *L'évolution du Dogme de l'Immaculée Conception,* in « Nouvelle Revue Théologique », 73, 1951, pp. 1013-1032; et ab aliis.

Exempli causa, de Lubac, in articulo citato, sic dicit: Fundamentalis con-

ceptus revelationis et fidei nondum est bene intellectus; et haec est ratio cur quidam theologi considerent revelationem ut complexum formularum absolutarum et univocarum quae adhiberi possint ut « principia » ad construendos syllogismos theologicos. Talis consideratio non distinguit duos aspectus rei revelatae, scil.: *a*) rem revelatam ut consideratam in suo fonte, in suo initiali ortu; *b*) rem revelatam ut consideratam in formulis paulatim elaboratis ac sancitis ab Ecclesia. Revelatio sub primo aspectu considerata *non potest exacte describi ut complexus propositionum.* Fides primigenia erat quasi *perceptio concreta ac vivens,* qua Filius, donum Patris, possidebatur ab Ecclesia. Tale donum est obiectum revelationis et appellatur « mysterium ». Revelatio non est simpliciter complexus propositionum, sed est praesertim ipsa nova vita a Filio data hominibus. Sic, plus minusve, opinatur de Lubac.

Doctrina huius auctoris et aliorum similiter cogitantium non est omnino clara. Attamen, hoc videtur clarum, scil., hos theologos non considerare *locutionem* ut praecipuum aspectum revelationis. Intentio eorum est loqui de quadam *intuitione* qua apostoli percipiebant depositum revelationis; talis *intuitio* apostolorum permansit in Ecclesia *vivente*; sic ergo, plures veritates fidei, nunc explicitas, antea implicitas, Ecclesia semper professa est, non proprie ut inclusas in propositionibus vel ex his deductas, sed ut contemplatas in illa *intuitione* apostolorum quae permansit in Ecclesia *vivente.* Haec videtur esse praecipua ratio cur tales auctores non considerent divinam revelationem primitus et praesertim ut *locutionem.*

Attamen, res sic non potest concipi. Omnes veritates nunc explicite professae ab Ecclesia inveniri debent in ipsis *propositionibus, iudiciis et conceptibus* ex quibus constat divina revelatio. Unde, si apostoli habuerunt *intuitionem* quarumdam veritatum et has non tradiderunt in propositionibus, conceptibus et iudiciis quae constituunt depositum divinae revelationis, tunc certe tales veritates non pertinent ad divinam revelationem.

Opportune ergo declarandum esset a Concilio revelationem divinam esse divinam *locutionem* cui correspondeat fides.

Opinio eorum aliter cogitantium viam parare potest sic dicto *relativismo dogmatico ac theologico.*

De relativismo dogmatico ac theologico. In priore schemate damnabatur error *relativistarum* in re dogmatica ac theologica. In actuali schemate nihil iam dicitur de tali errore.

Relativistae contendunt mysteria fidei numquam significari posse notionibus adaequate veris, sed tantum notionibus approximativis ac mutabilibus quae decursu temporum mutari possunt iuxta necessitates et opiniones uniuscuiusque aetatis. Hoc errore admisso, actum est de immutabilitate doctrinae revelatae ac de immutabilitate decretorum dogmaticorum.

Damnandum ergo esset in Concilio error relativistarum.

De divina traditione. In priore schemate opportune extollebatur *duplex momentum* divinae traditionis, scil.:

1) Divina traditio requiritur ad *certe* ac *plene* intelligendum et exponendum sensum Sacrae Scripturae.

2) Divina traditio est *unica via* ad inveniendas quasdam veritates divinitus revelatas.

Sed de his magnis duobus momentis divinae traditionis iam non fit mentio in actuali schemate.

Attamen, iuxta catholicam doctrinam, prout a *Concilio Tridentino* expositam, non omnes veritates divinitus revelatae inveniuntur in Sacra Scriptura; quaedam divinitus revelatae veritates non inveniuntur nisi *in divina traditione.*

Quidam moderni auctores non sic intelligunt, proh dolor, Tridentinum Decretum de libris sacris et traditionibus apostolorum (DENZ. 783-784).

H. Lennerz, S.I., in hac re maxime peritus, clare vindicavit contra hos auctores genuinam mentem *Concilii Tridentini*; et ita, recte, ex historia Concilii et ex contextu Decreti hoc deduxit: « ipsum decretum definitive approbatum, *clare ostendit,* Concilium *omnino permansisse in prima sua sententia,* scil., *non totam doctrinam contineri* in S. Scriptura, et id quod *ibi non continetur, contineri in sine scripto traditionibus.* Et ita ex ipsis verbis decreti patet, falsum esse, omissionem illius « partim - partim » eo sensu explicare, uti facit nova interpretatio, ac si Concilium hac omissione manifestare voluisset mutationem sententiae suae, et quaestionem, num tota doctrina contineatur in S. Scriptura, consequenter num existant illae sine scripto traditiones, considerasset quaestionem libere disputatam inter catholicos, quae nondum sit soluta, et in qua Concilium nihil voluisset decidere. Si haec fuisset mens Concilii, non potuisset primam formam Decreti retinere et approbare, in qua prima sententia Concilii clare exposita est... *Ergo catholico sine omni dubio constat non omnia* quae apostoli ex mandato Domini praedicaverunt *contineri in S. Scriptura,* et *ea quae ibi non inveniuntur,* in sine scripto traditionibus *contineri.* Dicendum ergo est: id quod in his *traditionibus* continetur, non continetur in S. Scriptura. Potestne eodem modo dici: id quod est in S. Scriptura, non est in his traditionibus Apostolorum? Responsum necessario est affirmativum: quod est in S. Scriptura non potest esse in his traditionibus. Nam quod est in S. Scriptura est *scriptum,* quod est in his traditionibus est *sine scripto.* Non potest idem esse *scriptum,* i. e. inveniri in S. Scriptura, et simul esse *non scriptum,* i. e., non inveniri in S. Scriptura. Haec sunt exclusiva: aut *scriptum* aut *non scriptum...* Ex dictis hoc certo constare videtur, historice falsum esse, Concilium propter oppositionem unius ex Patribus sententiam suam, non totam revelationem contineri in S. Scriptura, reliquisse, et quaestionem, num omnia contineantur in S. Scriptura, considerasse quaestionem libere disputatam inter catholicos; hanc autem mutationem sententiae suae Concilium eo manifestasse quod in decreto approbato non iam dixerit, veritatem revelatam contineri *partim* in S. Scriptura, partim in sine scripto traditionibus apostolorum. Omnia enim quae in fontibus historicis de hac re inveniuntur tali explicationi aperte contradicunt. Concilium permansit omnino in prima sua intentione, recipiendi non solum S. Scripturam, sed etiam *sine scripto traditiones, idque fecit contra sententiam novatorum,* ne dici possit: Hoc non est scriptum, i. e., hoc non est in S. Scriptura, ergo non est verum.

Bene attendendum est, Concilium non loqui modo quodam generali de « traditione », neque de « traditione apostolica » simpliciter, sed solum de illis traditionibus apostolorum, quae sunt « sine scripto », i. e., quae non inveniuntur in S. Scriptura. S. Scripturam et illas sine scripto traditiones Concilium pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur. Doctrina Concilii videtur esse clara: Evangelium quod apostoli ex mandato Christi tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae praedicare debuerunt, duplici via

ad nos pervenit: altera via scripta, i. e. S. Scriptura, altera via non scripta, i. e. sine scripto traditionibus. Sed *non utraque via idem* ad nos pervenit. Nam id quod est scripto traditum, scil. in S. Scriptura, non est sine scripto traditum, scil. in sine scripto traditionibus, et id quod est sine scripto traditum, non est scripto traditum » (sic rectissime scripsit H. LENNERZ, S. I., *Sine scripto traditiones,* in « Gregorianum », 1959, pp. 624-635. Eiusdem cf.: *Scriptura sola?*, in « Gregorianum », 1959, pp. 38-53; *Scriptura et traditio in decreto 4 sessionis Concilii Tridentini,* in « Gregorianum », 1961, pp. 517-522).

Sed, proh dolor, interpretatio clare et recte impugnata ab eximio theologo Lennerz, placet multis; v. g. praeter Geiselmann quem habuit in mente Lennerz, etiam J. BEUMER, S. I., *La Tradición en su problemática actual,* in « Selecciones de Teología », Barcelona, 1962, N. 4, pp. 93-97; similiter, prout videtur, Holstein de quo apud A. MICHEL, *Tradition: Histoire et Théologie,* in « L'Ami du clergé », 1961, p. 393. Similiter iuxta Dupont, in recente quodam articulo, sententia, scil., non omnes veritates divinitus revelatas inveniri in S. Scriptura, derelicta est a Concilio Tridentino post quamdam discussionem inter Patres conciliares. Talis quaestio, scil., utrum omnes veritates revelatae inveniantur an non in S. Scriptura fuisset tunc in mente Concilii res accidentalis (cf. J. DUPONT, O.S.B., *Ecriture et Tradition,* in « Nouvelle Revue Théologique », 1963, pp. 337-356).

Sed, ut dictum est, ex historia Concilii clare apparet mentem eius esse *non omnes veritates revelatas inveniri* in S. Scriptura.

Si iuxta mentem Concilii Tridentini, omnes veritates revelatae inveniuntur in S. Scriptura, tunc Decretum circa « sine scripto traditiones » (DENZ. 783, 784) est omnino *inutile.* Si veritates revelatae de quibus in « sine scripto traditionibus » inveniuntur in « libris scriptis », scil., in Sacra Scriptura, tunc *inania* sunt verba Concilii, scil., Concilium has traditiones pari pietatis affectu ac reverentia suscipi et venerari (DENZ. 783). Eodem modo *inane* est anathema contra eum qui « traditiones praedictas sciens et prudens contempserit » (DENZ. 784); etenim, si revera omnes veritates revelatae inveniuntur in S. Scriptura et pie suscipiuntur, tunc *nulla iniuria, nulla irreverentia* adest in eo quod non accipiantur « sine scripto traditiones »; iniuria vel irreverentia solum adest si non accipiuntur « sine scripto traditiones » in quibus inveniantur veritates revelatae quae non inveniuntur in S. Scriptura.

Recte ergo declaravit Concilium Vaticanum I ea quae sequuntur: « Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto *vel tradito* continentur » (DENZ. 1792). Particula « vel » certe significat non omnes veritates revelatas inveniri in « verbo Dei scripto » scil., in Sacra Scriptura.

Et tunc, e. c., potest quaeri: Inveniunturne in Sacra Scriptura sequentes veritates revelatae, scil., Canon librorum inspiratorum, B. M. Virginis Virginitas post partum, Assumptio B. Virginis, baptismum parvulorum, numerus septenarius sacramentorum, character trium sacramentorum, confirmatio ut verum sacramentum, matrimonium ut verum sacramentum, quaedam de doctrina indulgentiarum, et sic deinceps?

Nonne plures sunt veritates divinitus revelatae quae *ex sola scriptura non apparent omnino clarae* ita ut opus sit *divinae traditionis* ad illas veritates clare stabiliendas?

Iuxta mentem Ecclesiae, nobis hoc videtur dicendum esse, scil.: Non omnes veritates divinitus revelatae inveniuntur in Sacra Scriptura; plures veritates re-

velatae *solummodo continentur* in divina traditione, scil., in « sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt » (DENZ. 783).

Ergo *clare* stabiliendum esset in decreto huius Concilii Vaticani II duplex momentum divinae traditionis, scil.:

1. Divina traditio requiritur ad certe ac plene intelligendum et exponendum sensum Sacrae Scripturae.

2. Divina traditio est *unica via et fons* ad inveniendas quasdam veritates divinitus revelatas.

In schemate divinae traditionis momentum certe manet velut in umbra.

Quamvis in n. 7, pag. 7, linn. 5 s. dicatur « cum per scripta... cum oretenus tradendo », et in lin. 24 dicatur « quae in una vel altera Depositi parte », vel etiam dicatur in linn. 5 s. « verbum Dei scriptum *vel* traditum », attamen, in toto decreti schemate non apparet *clara* doctrina quam nos consideramus vere et unice catholicam, scil., non omnes veritates divinitus revelatas inveniri in Sacra Scriptura.

Qui legit in cap. II, pag. 9, n. 11, linn. 1 s. haec verba schematis: « Divina revelatio, afflante divino Spiritu litteris consignata, in Sacra Scriptura continetur et prostat », fortasse potest concludere omnes veritates divinitus revelatas contineri in S. Scriptura.

Cur non dicitur *clare* et *intrepide* v. g. sic: Divinae revelationis *pars*, afflante divino Spiritu litteris consignata, in Sacra Scriptura continetur et prostat?

Fortasse quia *nunc,* nos catholici, timemus ne dicant « protestantes » nos *clare* confiteri non omnes veritates revelatas contineri in Sacra Scriptura; attamen, Concilium Tridentinum non timuit hoc confiteri.

Similiter qui legit in cap. V schematis n. 24, pag. 15-16, fortasse concludit contra *catholicam,* ut credimus, doctrinam, omnes veritates revelatas inveniri in Sacra Scriptura.

13

REV.MUS P. D. CHRISTOPHORUS BUTLER

Praeses Congregationis Angliae O.S.B.

Super prooemium.

N. 1. a) Pag. 5, lin. 3, loco « proponens » ponatur: « proponere intendens ». *Ratio*: propositio nondum fit.

b) Linn. 10-12, loco « maxime subsistentiam eius in tribus personis, et consortium divinae naturae ad quod vocantur omnes homines », ponatur: « maxime unitatem Patris et Filii et Spiritus Sancti, et vocationem omnium hominum ad consortium divinae naturae ». *Ratio*: ut vitetur locutio nimis scholastica « subsistentia in tribus personis », et ut propositio simplicior reddatur.

c) Linn. 12-14, « Qua revelatione... illucescit », deleantur. *Ratio*: ut vitentur repetitiones, quia haec propositio idem dicit ac propositio praecedens, addendo « in Christo », de quo agetur in n. 3.

N. 2. Textus hoc modo retractatur: « Post Adae peccatum, Deus misericors promittendo Redemptorem, ordinem salutis mirabiliter restauravit. Postea in Abraham populum sibi elegit, ut in semine eius benedicerentur omnes generationes terrae (cf. *Gen.* 12, 3). Deinde multis modis locutus est in prophetis, ut via

Evangelio praepararetur ». *Ratio*: revelatio « in prophetis » post Abraham taceri non potest. Revelationis autem primigeniae ratio non est eadem ac revelationis de qua in constitutione agitur; in illa ergo ne insistatur (sufficit servare « restauravit »).

N. 3. a) Lin. 22. Post « In Christo », addatur: « in quo Pater perfecte seipsum manifestavit ». *Ratio*: ne praetereatur revelatio Patris in Filio, secundum *Io.* 14, 9.

b) Linn. 27-29 « Quare christianismus... definitiva » deleantur. *Ratio*: haec propositio modo nimis prosaico dicit hoc, quod iam dictum est.

N. 4. a) Pag. 6, lin. 5. Loco « confirmaverit » ponatur: « manifestaverit ». *Ratio*: in Evangelio, opera Christi reapse manifestant gloriam eius (cf. *Io.* 2, 11): non tantum confirmant ea, quae ipse dicit.

b) Linn. 5-8 « Sicut per verba... comprobatur »: deleantur. *Ratio*: propositio inutilis et disputabilis (vita miraculosa Christi *non* revelat, sed tantum auctoritatem testimonii eius comprobat). Locutio « vita miraculosa » est ambigua.

N. 5. Linn. 9-17 ita retractentur: « In divina revelatione agitur quidem de eis, quae de seipso ac de aeternae voluntatis suae decretis circa hominum salutem, eorumque intimam divinae vitae participationem, Deus manifestavit. Eidem autem divinae revelationi tribuendum insuper est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani condicione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint ». *Ratio*: ut sensus et voces Concilii Vatic. I (Denz. 1785-86) melius serventur. Textus schematis, qui linn. 10-14 quater vocem « veritates » introducit, quae in textu Vat. I non adhibetur, conceptualismum crassum sapit; mentio de « eventibus » (lin. 10) hunc conceptualismum non sufficienter corrigit, et novas difficultates causat.

N. 6. a) Pag. 6, linn. 22-23 ita legantur: « Ut revelationi divinae oboedientia fidei praestetur, necessaria est gratia Dei ». *Ratio*: ut vitetur oppositio, quam vox « sed » in textu schematis inducit; et simul ut vitetur repetitio: « Oboedientia fidei, sed ut fidei actus... ».

b) Linn. 23-25. Ita textus progrediatur: « necessaria est gratia Dei, quae, *Spiritu Sancto operante,* sensum aperiat, cor moveat et convertat. Quo vero profundior usque evadat revelationis intelligentia, *idem* Spiritus Paraclitus... ». *Ratio*: ut vitetur falsa oppositio, quae ex schematis textu facile oriretur, inter gratiam, quae dat initium fidei, et Spiritum, qui fidem perficit.

Super caput I.

Titulus capitis ita ponatur: « De Scriptura et traditione ». *Ratio*: a) ut contentum capitis clarius indicetur; *b*) ut vitetur difficultas, quae ex hoc oritur, quod verbum Dei non tantum « revelatum », sed etiam « revelans » dici potest.

N. 7. a) Titulus ita ponatur: « Recipiuntur Libri sacri et traditio apostolorum ». *Ratio*: ut melius obiectum articuli indicetur.

b) Pag. 7, linn. 1-7 ita retractentur: « Evangelium Dei, quod ante promissum per prophetas in Scripturis sanctis (cf. *Rom.* 1, 1-2), Iesus Christus Filius Dei per omnia, quae fecit et docuit, promulgavit, deinde per suos apostolos tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae praedicari iussit (cf. *Mc.* 16, 15). Illud igitur apostoli annuntiaverunt, cum verbis et factis tradendo ea, quae ab ipsius Christi ore vel a Spiritu Sancto suggerente (cf. *Io.*

14, 26) acceperant, tum libros Spiritu Sancto inspirante conscriptos Ecclesiae committendo. Unde omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, necnon traditionem apostolicam continua successione in Ecclesia catholica conservatam, Sacrosancta oecumenica Synodus pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur (cf. Conc. Trid., DENZ. 783) ». *Ratio*: ut, servatis quae in textu schematis servari possunt, ad doctrinam tridentinam redeatur, et difficultates vitentur, quae ex textu schematis oriuntur. Etenim 1. ibi « Evangelium » definitur: « ea quae (Iesus) per totam suam vitam fecerat et docuerat »: Conc. Trid. accipit vocabulum in sensu latiori et traditionali, qui servari debet; 2. ibi dicitur Apostolos praedicavisse *a*) per scripta, *b*) oretenus: talis modus loquendi factis non respondet.

c) Linn. 7-10 « Hoc autem... proponit » deleantur. *Ratio*: de hac re agitur ex professo sub n. 9.

N. 8. a) Linn. 13-15: « Imo arcte... tendunt ». Dicatur: « quinimmo una cum altera arcte connectatur et communicet ita ut utraque, ex eadem scaturigine promanans, in unum quodammodo coalescat et ad eumdem tendat finem ». *Ratio*: ita enim sonabat textus a commissione mixta definitive approbatus. Contra mentem commissionis emendator anonymus redire videtur ad modum loquendi de duabus fontibus distinctis (« ambae »).

b) Linn. 15-17 « Quapropter... veneranda est » omittantur, cum haec verba in articulo praecedenti modo magis accurato iam citata sunt.

N. 9. a) Pag. 7, linn. 19-20. Loco « non singulis hominibus, sed » ponatur: « Ecclesiae commissum ». *Ratio*: verba deleta aggravant declarationem Pii XII, qui dicit depositum non esse singulis christifidelibus *authentice interpretandum*. Verba subrogata indicant depositum fidei Ecclesiae qua tali commissum esse, non soli magisterio.

b) Lin. 23 « tuetur et authentice interpretatur ». Dicatur: « sancte custodit et fideliter exponit ». *Ratio*: potius quam vocabula polemica et iuridica, resumere oportet verba Concilii Vat. I (DENZ. 1836).

c) Linn. 23-26 « illustrando... Depositum » deleantur. *Ratio*: ut disputationes vitentur. Etenim linn. 23-25 modum valde conceptualisticum cogitandi revelationem sapiunt, et alludunt ad theoriam « duarum fontium » (in una vel altera parte...). Linn. 25-26 sunt inutiles, nihil ad rem addentes, sed tantum vocabula scholastica; difficultatem praebent ex eo quod nihil de ipso Deo dicunt: numquid Deus regula fidei remotissima dicetur?

N. 10. Melius deleretur. Saltem « subordinate » (lin. 31) servari non potest.

Super caput II.

N. 11. Ita retractari posset: « Libros tam Veteris quam Novi Testamenti sancta Mater Ecclesia pro sacris et canonicis habet propterea quod, Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt. In sacris vero libris conficiendis Deus homines elegit, quos omnibus facultatibus ac viribus suis utentes adhibuit, ut ea omnia eaque sola, quae ipsi revelare placeret, universis hominibus scripto traderent. Cum ergo omne id, quod hagiographus asserit, enuntiat, insinuat, retineri debeat assertum, enuntiatum, insinuatum a Spiritu Sancto, inde Sacrae Scripturae libros integros, cum omnibus suis partibus, ab omni prorsus errore immunes esse profitendum est ». *Ratio*: vocabula quae nimis scholam sapiunt vitentur, uti Deus « auctor principalis » (bis in schemate), hagiographus « instrumentum », etc. Textus simul magis organice progrediatur, et

in eo documenta magisterii melius recordentur. Prima propositio nostra (« maior » argumenti) desumitur ex concilio Vat. I (*EB* 77). Secunda propositio (« minor ») ex variis documentis pontificiis confecta est (cf. *EB* 125, 448, 556), vitando tamen theorias scholae. Tertia propositio magis accurate resumit declarationem Commissionis Biblicae (*EB* 415), quam abbreviari non oportet.

N. 12. a) Pag. 9, linn. 13-14. « Cum autem Deus per homines scripserit ». Dicatur: « Cum autem Deus per homines, qui sacros libros confecerunt, locutus sit ». *Ratio*: Dicere non licet Deum ipsum scripsisse!

b) Linn. 16-17. Scribatur (in plurali): « quid reapse hagiographi significare intenderint ». *Ratio*: eadem propositio (lin. 14) dicit: « per homines » (in plurali).

c) Linn. 23-24. Loco « Veritas ergo... voluit » ponatur simpliciter: « Illo enim sensus non recte... ». *Ratio*: ut repetitiones inutiles et fastidiosae (cf. linn. 17 et 20-22) vitentur.

d) Linn. 28-29 « salva Scripturae Sacrae auctoritate et sanctitate »: deleatur. *Ratio*: idem repetitur in fine eiusdem propositionis (pag. 10, linn. 1-2), et eadem verba inveniuntur iterum pag. 10, linn. 5-6. Ne quid nimis!

Super caput IV.

N. 17. a) Pag. 13, linn. 3-4 « Verbi Incarnati »: deleatur. *Ratio*: locutio exclusive ioannea non est ad rem, cum de 4 Evangeliis agatur; et non est necessaria: « Salvatoris » sufficit.

b) Lin. 6. Loco « semper et ubique, sine dubitatione tenuit ac tenet », ponatur: « semper tenuit ac tenet ». *Ratio*: tanta emphasis non iustificatur.

c) Lin. 8. Loco « ipsi et apostolici viri nobis tradiderunt », ponatur: « ab ipsis nobis tradita sunt ». *Ratio*: modus simplicior et accuratior quo loquitur Conc. Trid. (DENZ. 783) resumatur. Traditio apostolica originem non habet in « viris apostolicis ».

d) Lin. 9. Post « fundamentum » addatur « futurum ». *Ratio*: ita sonat textus Irenaei, et ita vitatur constructio nimis obscura.

e) Linn. 9-10. Post « quadriforme » et post « Ioannem » virgula ponatur. *Ratio*: ut sensus clarior evadat.

f) Linn. 12-13. Verba « quoque, qui christiano nomine decorantur » deleantur. *Ratio*: illa verba, in documentis magisterii et in ipso schemate *de Ecclesia,* designantur acatholici, et in hoc loco sonant ut inutiliter polemica contra Protestantes et Anglicanos.

g) Lin. 14. Loco « circumferantur » ponatur: « evocantur ». *Ratio*: ne textus nimis polemicus evadat.

N. 20. a) Pag. 14, lin. 8. Loco « ex aliis apostolorum libris Spiritu Sancto inspirante conscriptis » ponatur: « ex aliis apostolicis scriptis Spiritu Sancto inspirante exaratis ». *Ratio*: non agitur de « Libris » (cf. *Phm.*) et non omnes sunt apostolorum (cf. *Act.*).

b) Linn. 9-11. Textus ita evolvi posset: « ... veritas vitae, mortis et resurrectionis Christi confirmatur, genuina eius doctrina magis magisque declaratur, salutifera virtus operis eius proclamatur, caelestis gloria eius praedicatur, divinitatis eius ineffabile mysterium manifestatur ». *Ratio*: ut momentum et divitiae illorum scriptorum melius appareant.

c) Lin. 13. Loco « Paraclitum suum » ponatur « Paraclitum Spiritum ». *Ratio*: « Paraclitus » significat « advocatus », « defensor », « consolator ». Sed Spiritus dici non potest « advocatus » vel « consolator » Christi!

Super caput V.

N. 21. a) Lin. 6, pag. 15. Loco « acciperent » ponatur « susciperent ». Verbum a schemate adhibitum insufficiens videtur.

b) Linn. 6-8 « In Sacris... colloquitur » deleantur. *Ratio*: pietisticus modus dicendi, qui facile individualismum sapit.

c) Linn. 8-10 « tantaque... exstet » ita retractari posset: « Vivus est autem sermo Dei et efficax (*Hebr.* 4, 12), qui potens est aedificare et dare haereditatem in sanctificatis omnibus (*Act.* 20, 32), Ecclesiae filiis fidei robur, animae cibus, vitae spiritualis fons reapse exstans ». *Ratio*: vitatur modus dicendi nimis abstractus, et adhibeatur modus quo Scriptura loquitur.

N. 24. Pag. 15, lin. 30 ad pag. 16, lin. 1. Loco « ex eoque argumenta trahit, quibus firmissime roboretur et semper iuvenescat », dicatur: « ex cuius incessanti studio sacrae disciplinae semper iuvenescunt ». *Ratio*: ut sensus et voces Litt. Encycl. *Humani generis* (DENZ. 2314) serventur, et ne S. Scriptura appareat simpliciter ut « locus » e quo theologi argumenta eruunt ad probandas theses suas: S. Scriptura non est tantum fons argumentorum ad theses probandas, sed fons ipsarum thesium.

N. 25. a) Pag. 16, linn. 2-3. Loco « sed vere Dei verbum sunt, quo etiam verbi Dei ministerium... » ponatur: « sed vere Dei verbum sunt. Ex eis etiam verbi Dei ministerium... ». *Ratio*: ut vitetur confusio inter theologiam et praedicationem.

b) Lin. 10. Pro « ovibus suis » dicatur simpliciter « ovibus ». *Ratio*: possessivus est inutilis et disputabilis: oves enim sunt Christi potius quam sacerdotum.

14

EXC.MUS P. D. DOMINICUS LUCAS CAPOZI
Archiepiscopus Taeiuenensis

1. In Prooemio n. 1 velim sic dicatur: Sacrosancta Synodus Vaticana II, doctrinam catholicam de divina revelatione propositura, primo sollemniter declarat se reverenter excipere et suas facere S. S. Pii Papae XII Litteras Encyclicas *Humani Generis* die 18 augusti 1950 datas ipsasque ab omnibus devote et toto corde excipiendas esse. Deinde verba S. Ioannis in memoriam revocat... etc. etc.

Nam nullo modo Concilium Oecumenicum potest ignorare documentum tam magni momenti tractando de divina revelatione. Si ista constitutio manet talis qualis est, nullius utilitatis erit, immo superflua cum tantum res notissimas habeat.

2. In cap. I, linn. 5, 11, 18 et passim, Sacra Scriptura semper in primo loco ponitur, et sacra traditio secundo loco, quasi Scriptura potior esset; dum e contra traditio et tempore et pondere omnino praestat. Lin. 5 igitur dicatur: Apostoli fecerunt tum oretenus cum per scripta Spiritu Sancto inspirata. Et sic dicatur de ceteris locis.

3. In cap. II, prima periodus sicuti est non placet: velim sic corrigatur:

Divinae revelationis ea quae *afflante Spiritu Sancto litteris* consignata sunt, in Sacra Scriptura etc. etc.

4. In cap. IV, n. 18, lin. 19, addatur in parenthesi « quamvis non omnia », ita ut dicatur: Sancta Mater... *quattuor* recensita Evangelia vere tradere (quamvis non omnia) *quae* Iesus Filius Dei et fecit et docuit...

In ista constitutione stylus et lingua nobilior desideratur.

15

Exc.mus P. D. ALOISIUS CARLI

Episcopus Signinus

A) *In genere.*

1. Miror quod omnino omissa sint schemata de rebus valde momentosis maximeque « *pastoralibus* »: utputa de deposito fidei pure custodiendo et de christiano ordine morali. Spero utillimum schema dogmaticum de castitate, matrimonio etc. refusum esse in schema — nondum nobis traditum — de matrimonio.

2. Studium brevitatis valde nocuit, ni fallor, claritati et integritati materiae huius schematis. E documentis pontificiis hinc inde decerptae videntur locutiones, haud tamen semper felici manu, interdum contextu fontis non servato. Mirum quod ter tantum, et quidem prorsus marginaliter, citetur Encycl. *Humani generis.*

Legitimum mihi videtur dubium sitne praesens schema magis biblicum, magis patristicum, magis positivum, magis oecumenicum quam schema in I sessione reprobatum!

3. Schema omnino, aut fere omnino, silet de quaestionibus dogmaticis circa S. Scripturam et s. traditionem, quae sunt maximae actualitatis et animum angunt sacrorum pastorum, ob influxum quem exercent in vita pastorali. Hoc Concilii Vaticani II silentium valde perniciosum fiet, ob malam interpretationem quae de eo dabitur sive ab exegetis quorum hoc silentium interest (quique proinde adhuc audaciores evadent) sive a publica opinione. Postquam enim omnibus patefacta sunt quae in priore schemate continebantur, silentium concilii posset sonare quasi condemnationem prioris schematis: in quo, licet quaedam habebantur pro definitione nondum matura, tamen plura quae doctrinam communem referebant proindeque poterant, uti talis, proponi a Concilio, continebat.

4. Nimis propere, meo quidem iudicio, et sine seria ratione compilatores schematis accesserunt opinioni quorundam theologorum, quibus fastidium facit locutio illa iam traditionalis, et a documentis pontificiis adhibita, de « duobus fontibus revelationis divinae ».

Ceterum, etiam tyrones probe noverunt unicum esse « fontem » *constitutivum,* scil. originem primordialem, revelationis divinae, Deum nempe revelantem; duplicem vero esse « fontem transmissivum seu cognoscitivum » revelationis, nempe S. Scripturam et traditionem, relate ad nos qui Deo loquenti non interfuimus personaliter. Cur ergo volumus mutare terminologiam? Cui prodest?

5. Schema nostrum inscribitur « de divina revelatione », sed rectius deberet inscribi « de Sacra Scriptura », quia in schemate s. traditio (quae quidem eodem iure ad divinam revelationem pertinet) figuram gerit cuiusdam « *cenerentolae* », ut italice dicam. De traditione paucissimae lineae! Hic modus agendi valorem ipsum traditionis in oculis protestantium deprimit!

Mihi ergo videtur omnino necessarium addere cap. VI « De sacra traditione », ad clarificandas ideas Protestantium (ecce valor oecumenicus!). In hoc novo capite conficiendo:

a) tradatur notio clara et germana traditionis divino-apostolicae, ut est alter fons revelationis divinae: ita sensus genuinus dabitur locutionis Tridentinae « ... et sine scripto traditionibus »;

b) ambitus et varii aspectus traditionis indicentur;

c) eius vis et relatio clarius ostendantur ad S. Scripturam, ad magisterium Ecclesiae, sive ordinarium sive extraordinarium, ad Patres, ad analogiam fidei, et ad sensum fidelium;

d) quibus in documentis aut monumentis inveniatur haec traditio clare indicetur;

e) afferantur quaedam saltem exempla veritatum fidei, a nobis cognitarum ope solius traditionis.

6. Nullo modo apparet utrum schema hoc dogmaticum vim habeat definitoriam, an tantum expositivam. In primo casu, id clarissime dicendum est. In altero casu, schema apparet nimis « *minimista* ».

His praehabitis, quaedam audeo suggerere emendamenta.

B) *In specie.*

N. 1. Titulus intra uncos. Melius est dicere « *Obiectum* et necessitas revel. » quia necessitas pendet ab obiecto, non vicissim.

Opportunum videtur incipere dando aliquam definitionem, saltem descriptivam, revelationis.

Lin. 2, loco « de *sacra* revelatione » dicatur « de *divina* revelatione », ut recte in titulo generali schematis.

Linn. 4-6: « Annuntiamus... Christo ». Non videtur opportunum incipere per textum *1 Io.* 1, 2-3, quia hic textus refertur tantum ad N. T. et quidem solum ad Evangelium. Melius, ut in priore schemate, provocandum esset ad *Hebr.* 1, 1; deinde ad alios textus.

Quoad formam citationis *1 Io.* 1, 2-3 haec est genuina forma: « ... annuntiamus... et apparuit nobis: *quod* vidimus etc. ».

Linn. 8-9: « Quamquam... inveniant ». Citatio *Act.* 17, 27 non placet quia, nisi probe explicetur, suggerere posset quoddam dubium circa effectivam inventionem Dei. Melius esset citare *Rom.* 1, 19. Adhuc melius forsan dicerem cum Vaticano I (*DB* 1806): « Quamquam enim valent homines *naturali rationis humanae lumine, per ea quae facta sunt, certo cognoscere Deum unum et verum, creatorem et Dominum nostrum* (cf. *Rom.* 1, 19), non possent tamen etc. ».

Lin. 11: loco « ad quod *vocantur* » dicatur « ad quod *elevati fuerunt* ». Ratio est quia in stylo N. T. « vocari » dicitur de effectiva susceptione baptismatis.

Linn. 12-14. Non clare indicatur cur in Christo illucescat veritas, nisi affirmetur ipse esse plenitudo et recapitulatio totius divinae revelationis.

Lin. 13: locutio « *In* Christo » non placet, quia ambigua et cuidam subiectivismo ansam praebens. Nam nisi ipse *loquatur* (revelatio enim est locutio), Christus non est nobis revelatio proprie dicta. Propono igitur ut dicatur: « *per* Christum », ut apud *Io.* 1, 17. Neque obiiciatur *Hebr.* 1, 1 ubi legitur « *in* Filio », quia ibi est obvius hebraismus pro « *per* Filium »; quemadmodum et « *in* prophetis » idem valet ac « *per* prophetas » (cf. Symbolum).

Propono novam formam totius propositionis linn. 13-15: « *Quae revelatio veritatum* tam de Deo quam de homine *per* Christum, *Unigenitum Dei* (cf. *Io.* 1, 17-18), nobis *plene ac definitive* illucescit ».

N. 2. Lin. 17: loco « superno fine» dicatur clarius « *supernaturali* fine ».

Lin. 18: auferatur, quia inutile et forsan inopportunum, adverbium temporale « mox ».

Lin. 18: « restauravit ». Restaurare ex se significat « *denuo* instaurare »: at ordo ante peccatum Adae potestne vocari « ordo salutis »?, aut saltem estne eiusdem qualitatis ac post peccatum?

Linn. 19-21. Neque clare neque sufficienter, meo quidem iudicio, statuitur relatio inter « rationem » (scil. « il piano ») Dei, scil. redemptionem, et electionem peculiarem populi Israel. Unde proponerem sequentem explicitiorem formulam: « Postea in Abraham populum sibi elegit, ut in semine eius " *qui est Christus* " (*Gal.* 3, 16) *redemptor,* benedicentur omnes generationes terrae (cf. *Gen.* 12, 3) *et per prophetas, ex illo populo suscitatos, salutis promissionem confirmaret clariusque in dies explicaret,* et *sic* e longinquo viam Evangelio praeparet ».

N. 3. Lin. 22. Loco « *in* Christo » dicatur « *per* Christum »: ut supra n. 2.

Lin. 23. Loco « Apostolis promissum » dicatur « Apostolis promissum *et datum* ». Non sufficit appellare ad solam promissionem.

Lin. 24, post « dixerat (cf. *Io.* 14, 26) » addatur « *atque in totam veritatem duceret* » (cf. *Io.* 16, 13). Est novum elementum minime silendum.

Lin. 25. Loco « ultima » — vox aequivoca — dicatur « *definitiva* ».

Lin. 25. Auferatur (cf. *Hebr.* 1, 1), quia ex illo textu non videtur erui posse revelationem, novissime per Christum factam, esse definitivam et integram. Haec est una ex veritatibus quae nonnisi ex traditione hauritur.

Lin. 26. Loco « nova revelatio expectanda est » dicatur: « Nulla ergo, *post mortem duodecim apostolorum,* nova *publica* revelatio est adhuc expectanda... etc. ». Ratio quia agitur solummodo de publica revelatione, non de privata, et quia — ut nos traditio docet (en alia veritas quae nonnisi ex traditione nobis innotescit!) — revelatio publica cum morte S. Ioannis Evangelistae clausa est, non vero — ut quidam exegetae moderni insinuant — post mortem « apostolorum in genere », quo nomine hic venirent etiam viri apostolici!

Lin. 27. Improprie christianismus vocatur « aetas » historiae religiosae. Insuper opportunum est ut hic tangatur etiam obligatio moralis amplectendi christianismum. Unde novam formulam propono: « Quare christianismus non est tantum *forma* quaedam transitoria *doctrinae vitaeque* religiosae *hominum,* sed omnino novissima et definitiva, *ideoque pro omnibus unica et obligatoria* ».

N. 4, linn. 5-8. Non tota vita Christi fuit miraculosa; neque in sola eius vita continetur mysterium. Propono clariorem formulam: « Sicut per *Christi verba* mysterium *in Eo* contentum manifestatur, sic *per eius opera miraculosa* auctoritas testimonii Christi comprobatur ».

N. 5, lin. 12. Ne falso putetur a divina revelatione de facto excludi veritates humiles ordinis naturalis non connexas cum veritatibus ordinis supernaturalis, propono sequentem formulam: « ...; simul autem etiam affirmantur, *inter alias, quaedam* veritates altissimae ordinis naturalis etc. ».

Lin. 15. Loco « in praesenti generis » legatur « in praesenti *tamen* generis ».

Lin. 16. Loco « nonnisi lumine revelationis » dicerem « nonnisi *per divinam revelationem* » (cf. *DB* 1786 et 1807).

N. 6, lin. 22: dicatur: « Revelationi divinae *publicae* praestanda est... ».

Lin. 23: loco « quae *sensum* aperiat » dicatur « quae *mentem* aperiat ». *Ratio*: licet locutio « sensum aperire » sit biblica, tamen, nisi fulciatur aliqua expressa citatione biblica, potest esse ambigua.

Linn. 24-26. « Quo vero... perficit ». Propono additamentum: « Quo vero profundior usque evadat *in singulis credentibus* revelationis intelligentia, etc. ». *Ratio*: quia agitur hic de singulis, non vero de tota Ecclesia.

N. 7: Totus hic numerus mihi videtur funditus renovandus, quia non satis habet rationem eorum quae nunc dico: Mandatum Christi praedicandi Evangelium omni creaturae (*Mc.* 16, 15), per se, ex ore Christi (« quaecumque mandavi vobis », *Mt.* 28, 20) restringi videtur ad sola « dicta », non vero ad « facta ». Quaedam facta Christi intime coniungebantur dictis, et proinde in mandato illo iure dicenda sunt includi. Quaedam vero facta (v. g. infantia Christi) non coniungebantur dictis; et tamen etiam haec ab apostolis sunt praedicata tamquam salutifera, non quidem, ut videtur, ex expresso mandato Christi, sed potius ex instinctu Spiritus Sancti.

In hoc n. 7 verbum Dei scriptum restringi videtur ad solos libros Novi Testamenti. In Concilio Tridentino (*DB* 783), e contra, et in Vaticano I (*DB* 1787) expresse fiebat mentio de libris Veteris Testamenti. Insuper restringi videtur ad sola scripta apostolorum, non autem etiam ad scripta — et ipsa quidem inspirata — virorum apostolicorum.

Quoniam in hoc n. 7 sermo est de aliquo facto *historico,* scil. de adimplemento divini mandati ex parte apostolorum (legitur enim in lin. 5 « Quod quidem apostoli fecerunt... »), servandus videtur ordo *historicus* huius adimplementi, scil. prius nominetur traditio oralis, postea vero Scriptura. Neque obiicias in Tridentino (*DB* 783) prius indicari Scripturas quam traditiones: nam illic agebatur non de formatione *historica* depositi, sed potius de illiusmet *actuali* consistentia et continentia, dicitur enim: « ... hanc veritatem et disciplinam *contineri* in libris... et traditionibus ».

His dictis, novam audeo formulam proponere: « Christus Dominus mandatum dedit apostolis ut Evangelium suum, *promissum ante per prophetas in Scripturis sanctis Veteris Testamenti, deinde proprio ore a se promulgatum,* omni creaturae praedicarent. Cui *mandato statim ac fideliter obsequentes,* apostoli, ea quae per totam suam vitam Iesus fecerat et docuerat, *quaeque ipsi vel ex* ore *et consuetudine Christi vel a testibus fide dignis acceperant,* tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae *ubique* annuntiaverunt, sive oretenus *quasi per manus,* Spiritu Sancto dictante, tradendo, sive *libros, Spiritu Sancto inspirante, conscribendo.* Hoc *igitur* verbum Dei, apostolis *traditum et scriptum, ad quod et Veteris Testamenti Scripturae sacrae et libri inspirati apostolicorum virorum Novi Testamenti pari iure pertinent, totam publicam Dei revelationem continet,* et *unicum* fidei depositum constituit, ex quo Ecclesiae magisterium haurit ea omnia quae fide divina *et catholica,* tamquam divinitus revelata, credenda proponit ».

N. 8. Totus hic numerus est nimis vagus. Cum vero agatur de re, quae est cardo differentiarum inter catholicos et protestantes, opinor, ut supra dixi, necessarium esse speciale cap. VI « De sacra traditione ». Saltem nova formula detur linn. 14-16, hunc ferme in modum: « Nam ambae, *ad instar duorum laticum ex eodem fonte, scil. Deo revelante, suo cuiusque modo scaturientium, in unum*

aquae vivae veluti flumen coalescunt, laetificans et foecundans civitatem Dei (cf. *Ps.* 46, 5), *quae est Ecclesia.* Quapropter utraque pari etc. ».

N. 9, lin. 21. Ne intelligatur de solo extraordinario, sic legatur: « quod quidem magisterium, *sive ordinario sive extraordinario modo exerceatur* (cf. *Humani generis, EB* 611), non supra... ».

N. 10, lin. 31. Auferenda censeo, utpote subobscura, verba « sensu quoque... concurrente ». De sensu fidelium, ut dixi, tractandum esset in novo cap. VI. Insuper videtur dicendum sensum fidelium directe non concurrere ad animarum salutem — ut legitur in n. 10 — sed potius ad constabiliendam veram significationem S. Scripturae et traditionis. Sic ergo legendus esset n. 10: « Patet igitur... non possit, simulque haec tria ad animarum salutem, suo *quodque* modo, efficaciter conferat ».

N. 11. Titulus generalis cap. II sic amplificetur: « De Sacrae Scripturae divina inspiratione, *inerrantia,* et interpretatione ».

Lin. 1. Mirum quod statuatur *factum* inspirationis, et nihil dicatur de eiusdem *natura.*

Linn. 2-3. « Divina... prostat ». Locutio, uti iacet, ambigua. Nam quis falso intelligere posset totam divinam revelationem esse litteris sacris consignatam, aut omnes hagiographos necessario conscios fuisse se scribere sub influxu Spiritus Sancti. Unde clarius dicerem: « *Ea divina revelatio* quae litteris, Spiritu Sancto afflante *conscriptis,* consignata fuit, in Sacra Scriptura continetur et prostat ».

Lin. 6. Loco « hominibus ad id delectis » dicerem « hominibus ad id *specialiter* delectis »; ut praecaveatur inspiratio collectiva.

Lin. 8. Loco « quae ipse iuberet » dicerem: « quae ipse *scribenda vellet* ». *Ratio*: ne perperam intelligatur esse inspiratas solas *iussiones* Dei, non vero ceteras res. Insuper iussio supponit hagiographos esse conscios de influxu Dei inspirantis, quod non est necesse.

Ne obiicias illa verba « quae ipse iuberet » inveniri in *Providentissimus Deus* Leonis XIII (*EB* 125). Utique inveniuntur: at non licet ex aliquo textu quaedam tantum verba expiscari, cetera omittendo, quin sensus illorum verborum quodammodo obfuscetur.

Lin. 9. Verba « universis hominibus » auferantur, utpote inutilia immo et ambigua, saltem relate ad hagiographos. S. Paulus scribens ad Philemonem probabiliter non cogitabat se scribere pro universis hominibus: Deus vero inspirator, utique!

Lin. 9. Loco « scripto traderent », melius et clarius cum *EB* 125 propono: « *fideliter et apte infallibili veritate* scripto traderent ».

Linn. 10-13. Tota doctrina de inerrantia non potest profecto tribus lineis contrahi! Fiat de hac re numerus distinctus a n. 10; materia amplietur, et clarius exprimatur inerrantiam esse consectarium divinae inspirationis.

Lin. 11. Appositio « divinitus inspiratam » mihi videtur aequivoca quia limitativa, quasi diceret: « utique illam Scripturam quae est inspirata, non aliam ». Unde propono hanc formulam: « ... inde totam Scripturam, *utpote totam* divinitus inspiratam, ab omni prorsus errore immunem esse consequitur ».

N. 12. Iste numerus non placet quia, uti iacet, videtur quasi statuere *unicam* esse regulam interpretationis S. Scripturae, et quidem hermeneuticam humanam. Nihil enim hic habetur expresse de traditione, de magisterio, de Patribus, de analogia fidei tamquam principalibus criteriis hermeneuticis. Nihil habetur de aliis le-

gitimis sensibus scripturae a Deo intentis, praeter illum ab hagiographo perceptum (*EB* 558, ex quo verba n. 12 videntur desumpta, expresse loquitur de sensu *litterali* tantum!). Nihil in n. 12 de his quae *Humani generis* habet super hoc argumentum (cf. v. g. *EB* 612).

Clare dici debet librum divinum interpretandum esse *imprimis* mediis divinitus constitutis; cetera media esse subsidiaria.

Lin. 14. Dicerem cum S. Augustino (*De civitate Dei,* XVIII, 6, 2): « Cum autem Deus per homines *more hominum* scripserit ».

Linn. 17-18. Loco « ... *in* textu... *in* textu » dicerem: « ... *per* textum... *per* textum ». *Ratio*: nihil enim prohibet quominus *in* textu historico (v. g. Evangelium) inveniri possint partes parabolicae, et vicissim *in* textu parabolico affirmationes historicae. Unde melius mihi videtur ut hic quivis textus consideretur tamquam medium obiectivum *per quod* aliquid nobis proponitur.

Lin. 20. Locutio « modus veritatem attingendi » non videtur clara. Attingendi ex parte hagiographi aut lectoris? Dicatur ergo: « *modus quo veritas in S. Scriptura ab hagiographo affirmatur* ».

Lin. 23. Loco « scribens » melius cum *EB* 558 dicatur « *scribendo* ».

Lin. 24. Loco « significare voluit » dicatur « significare *reapse* voluit ».

Lin. 24. Loco « non recte intelligitur nisi rite attendatur » propono novam formulam: « *saepe* recte non intelligitur nisi rite attendatur ». *Ratio*: non enim agitur de regula absoluta et pro omnibus omnino casibus. Ceterum, etiam in *EB* 558 legitur « saepenumero ».

Lin. 25. Loco « dicendi narrandive modi » ponatur: « narrandi scribendive modi » (cum *EB* 561); vel fortasse etiam « *dicendi scribendive modi* », cum sint duae formae, scil. oralis et scripta.

Lin. 28. Auferantur verba « salva... et sanctitate » quia hic sunt superflua et illogica; bene vero relinquantur in subsequenti lin. 1, pag. 10 quia illic sunt consectaria (« proindeque ») eorum quae prius dicta sunt.

Linn. 28-30. Loco « Cum... inveniantur » dicatur « Cum... *inveniri possint* ». Statuenda enim est possibilitas, non autem factum reale. Neque obiicias locutionem « Cum... inveniantur » haberi in *EB* 560. Respondeo: in illo contextu clare intelligitur illud « cum » valorem habere suppositivum, non autem narrativum.

Lin. 1, pag. 10. Loco « haberentur » dicatur « *habita sint* », iuxta meliorem consecutionem temporum latinam.

Lin. 1, pag. 10. Loco « auctoritati et sanctitati » ponatur, cum *EB* 560 « *veritati et sanctitati* »; auctoritas enim pendet a veritate eique commensuratur.

Lin. 3, pag. 10. Loco « ad normam hermeneuticae rationalis et catholicae » dicatur « ad normam hermeneuticae *catholicae et naturalis* ». Priorem locum, hac in re, tribuere debemus hermeneuticae catholicae; altera hermeneutica dicenda potius « naturalis » quam « rationalis », ne inferatur catholica hermeneutica esse irrationalis!

N. 13, lin. 5. Verba « salva semper Dei veritate et sanctitate » ponerem post « quoad omnia » in lin. 8; nam, in comparatione illa, respondent verbis « excepto errore » secundi membri comparationis.

N. 14, cap. III melius inscriberetur « *De libris* Veteris Testamenti », quia Vetus Testamentum, sic et simpliciter, significare posset etiam oeconomiam V. T.

Lin. 3. Post verba « ... de populo a se electo » adderem: « *qui promisso totius*

mundi Redemptori viam pararet, peculiarem curam habuit ». Secus non clare intelligitur nexus inter salutem universalem et electionem illius populi.

Lin. 6. Quid significat illud « divinas cum hominibus vias experiretur »? Clarius fortasse dici potest: « ... ut Israel *Dei erga homines salutiferum experiretur consilium, illudque,* ipso Deo per os prophetarum loquente, penitius *clariusque* in dies intelligeret *atque latius inter gentes diffunderet* (cf. *Tob.* 13, 4) ».

Lin. 10. Adverbium « adhuc » auferatur, quia superfluum: iam satis in subsequenti linea dicitur « perenniter servant ».

Lin. 11. Videtur necessaria aliqua limitatio, hunc fere in modum: « ... et ideo hi libri, *licet Veteris Foederis oeconomia, superveniente temporis plenitudine, abrogata sit, tamen* vim atque auctoritatem suam perenniter servant, *quatenus* quaecumque *in eis scripta sunt* « ad nostram doctrinam scripta sunt etc. ».

N. 15. Mirum est quod in hoc numero nihil dicatur de caducitate Veteris Foederis, quod etiam pro Iudaeis factum est « ministerium mortis... quod evacuatur » (*2 Cor.* 3, 11).

N. 16, lin. 29. Loco « tamen Vetus Testamentum » dicatur « tamen *libri* Veteris Testamenti ».

N. 17. Totum cap. IV esset inscribendum « *De libris* Novi Testamenti ».

Lin. 1, « Neminem autem »: auferendum est illud « *autem* » quia minime contraponitur praecedentibus.

Lin. 13. Loco « de Evangeliorum fide historica » melius diceretur: « de *integrorum* Evangeliorum *indole* historica *et obiectiva* ». *Ratio*: non de toto evangelio sed de quibusdam eius partibus hodie dubitatur: « indoles » indicat aliquid obiectivum; « fides » e contra potest indicare aliquid subiectivum.

Lin. 15. Dicitur « praecipua principia »; et tamen unum tantum in subsequentibus indicatur principium!

Lin. 21. Loco « formam praeconii » dicatur « formam *praedicationis* », claritatis causa.

Lin. 22. Loco « compositionis rationibus » dicatur « compositionis *modis* ». Modus enim est aliquid extrinsecum et accidentale; ratio autem potest esse aliquid intrinsecum et essentiale.

Lin. 24. Loco « intentione conscripta sunt » dicatur: « intentione *inspirata et* conscripta sunt »: sic etiam intentio Dei declaratur.

Lin. 26. Loco « sive ex memoria et recordatione » dicatur « sive ex *testimonio fide digno* propinquorum etc. ». *Ratio*: testimonium potuit esse sive scriptum sive orale, sed necessario ab hagiographo ut fide dignum debuit haberi.

Lin. 28. Quoniam non citatur ad litteram *Lc.* 1, 2-4, utiliter potest referri plenus sensus, iuxta graecum, illius textus. Dicatur: « *plene* cognoscamus earum *rerum* de quibus *edocti* sumus *indubitatam certitudinem* » (cf. *Lc.* 1, 2-4) ».

Textus denique mihi videtur complendus sequentibus verbis: « Unde et facta vitae Christi Domini, iis non exceptis quae ad eius infantiam, miracula, a mortuis resurrectionem et ad Patrem gloriosam ascensionem respiciunt, firma et constantissima fide Sancta Mater Ecclesia tenuit ac tenet revera evenisse prout in quattuor illis Evangeliis narrantur; et sermones ibi Christo tributos, sincere et veraciter, saltem quod ipsam rem significatam, referri ». *Ratio*: magnum damnum, meo quidem iudicio, Ecclesia pateretur si, coram erroribus in hac re hodie serpentibus, Concilium sileret. Non utatur forma condemnatoria, at saltem forma asseverativa!

N. 19, lin. 1, pag. 14. Dicatur « servatis catholicae et naturalis hermeneuticae normis », ut supra in n. 12 dictum est.

Lin. 3, pag. 14: loco « expositionem » melius dicerem « *interpretationem* », ut legitur etiam *EB* 109.

N. 20, lin. 8. Loco « etiam ex aliis... constat » dicatur: « etiam ex *reliquis* apostolorum *et virorum apostolicorum* libris etc. ». Secus liber Actuum Apostolorum non includeretur.

N. 21, lin. 4. Loco « ... donum sibi concreditum... dispertire », dicatur: « ... donum sibi concreditum *non solum custodire et defendere sed etiam* fidelibus, praesertim *per sacram praedicationem et per liturgicas actiones,* dispertire etc. ».

Linn. 9-10. Nimis asseveranter dicitur, tamquam si verbum Dei sit unicum sustentaculum Ecclesiae. Nonne etiam habet Sacramenta? Insuper in hoc n. 21 agitur de solo verbo Dei scripto: at nonne idem valere deberet etiam de tradito? Quinimmo citationes biblicae allatae in notula 1, sese referunt ad verbum traditum, idest ad oralem praedicationem!

Unde propono clariorem formulam: « ... tantaque verbo Dei, *sive scripto sive tradito,* vis ac virtus inest, ut, *post salutifera a Christo Domino instituta Sacramenta,* Ecclesiae *praecipuum* sustentaculum ac vigor et Ecclesiae filiis *praecipuum* fidei robur etc ».

N. 22, lin. 13. Loco « Ecclesia Dei » dicatur simpliciter « Ecclesia » vel « Ecclesia catholica ».

N. 24, lin. 29. Loco « in verbo Dei » dicatur: « in verbo Dei, *sive scripto sive tradito* ».

Lin. 1, pag. 16. Loco « Sacrae etenim Scripturae » dicatur « Sacrae *autem* Scripturae ».

Lin. 3, pag. 16. Loco « etiam verbi *Dei* ministerium » dicatur « quo etiam verbi ministerium »; ad auferendam confusionem. Locutio classica biblica est « ministerium verbi » ad indicandam praedicationem.

N. 25. In hoc numero nihil dicitur de utilitate lectionis biblicae pro sacerdotibus ad nutriendam spiritualiter suam animam. Propono igitur lin. 8 sic: « in Sacris Scripturis haerere *ac seipsos nutrire* necesse est, *ut sint perfecti viri Dei, ad omne opus bonum instructi* (cf. *2 Tim.* 3, 17), *neve* inanis praedicator etc. ».

N. 26, lin. 13. Ad inculcandam fidelibus obligationem et utilitatem audiendi authenticam Scripturae explanationem, dicatur: « ... sive per sacram liturgiam divinis eloquiis confertam, *sive per pastoralem praedicationem,* sive per ceteras etc. ».

Animadversiones additae:

Infrascriptus *episcopus Signinus* reverenter petit ut in recognoscendo schemate *de divina revelatione* non derelinquatur conceptus et denominatio « *duplicis fontis* », quia:

a) Sunt iam traditionalia in Catechismis, Synodis provincialibus, et in sacra praedicatione Ecclesiae universae: ergo sunt iam in thesauro « *magisterii ordinarii* », quod est regula proxima fidei (cf. DENZ., nn. 1781 et 1792).

b) Inveniuntur in textibus officialibus pontificiis.

c) Sunt quasi tessera distinctiva inter nos et protestantes. Non est oblivioni mandandum quod legitur in prooemio const. dogm. de Fide Catholica « Dei Filius » Conc. Vat. I (quod prooemium fere numquam citatur, quia Enchyridion Symbolorum Denzinger id non fert, nonnisi in extrema sua parte). « Nemo enim ignorat,

haereses, quas Tridentini Patres proscripserunt, dum, reiecto divino Ecclesiae magisterio, res ad religionem spectantes privati cuiusvis iudicio permitterentur, in sectas paulatim dissolutas esse multiplices, quibus inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est. Itaque ipsa sacra Biblia, quae antea christianae doctrinae *unicus fons* et iudex asserebantur, iam non pro divinis haberi, immo mythicis commentis accenseri coeperunt... » (cf. « Acta et Decreta sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani in quattuor prioribus sessionibus », Romae 1872, p. 127).

16

Exc.mus P. D. VILLELMUS CONWAY

Episcopus tit. Nevensis, vic. cap. Armachanus

Prooemium, par. 6, pag. 6, lin. 23. Ne, ex contextu, actus fidei confundatur cum aliquo motu « sensus religiosi », velim ut par. 6, pag. 6, lin. 23, post verba « fidei actus » inserantur verba « qui est assensus intellectus veritati extrinsecus acceptae » (cf. Denz. 2145).

Cap. II, par. 12, pag. 10, lin. 4. Velim ut, agendo de ultima auctoritate in interpretatione Sacrae Scripturae, loco « Ecclesiae iudicio ultime subsunt », dicatur « Ecclesiae *magisterii* iudicio ultime subsunt », sicut fit pag. 14, lin. 2.

Cap. IV, par. 18, pag. 13, lin. 29. Velim ut doctrina Sacrosanctae Synodi de historica Evangeliorum veritate magis directe et explicite referatur ad errores periculosissimos nostri temporis. Etenim errores praecipuae Bultmann et aliorum in hac materia videntur in hoc consistere quod *a*) affirmant nos per evangelia non posse attingere « historicum Iesum » sed tantum historicam fidem communitatis primitivae, et *b*) affirmant multas doctrinas in Evangeliis Domino Nostro attributas re vera non fuisse eius doctrinae sed tantum doctrinae aetatis apostolicae.

Velim, ergo, ut ad finem par. 18, par. 13, lin. 29, addantur sequentia vel similia verba: « Nefas igitur est dicere nos per Evangelia historicum Iesum non posse attingere, vel aliquas doctrinas quae in Evangeliis Domino Nostro attribuuntur re vera et historice non fuisse a Verbo Incarnato, vitam inter homines degente, prolatas ac praedicatas ».

17

Exc.mus P. D. THOMAS COORAY

Archiepiscopus Columbensis in Ceylon

Sequentes propono emendationes:

1. Ad pag. 7 (cap. I), n. 7, in lin. 2: *a*) loco verbi « mandatum » scribatur « praeceptum », ad repetitionem vitandam (cf. animadversionem infra ad lin. 3); *b*) post « id est ea » inseratur « omnia », ut in *Mt.* 28, 20.

2. *Ibid.,* lin. 3: post « suam vitam » loco « fecerat et docuerat » inseratur « verbis vel factis mandaverat », iuxta textum sacrum (*Mt.* 28, 20) « mandavi ».

3. *Ibid.,* lin. 5: loco « praedicarent » inseratur « docerent », item iuxta textum *Mt.* 28, 20 « docentes ».

4. *Ibid.,* linn. 6-7: post verba « cum oretenus » addantur verba « vel variis aliis mediis », scil. per cultum liturgicum etc.

Post verbum « quae », loco « ex Christi ore vel a Spiritu Sancto dictanti », scribatur: « a Christo vel a Spiritu Sancto edocti ».

Haec mutata locutio exigitur tum propter introductionem verborum (cf. supra) « vel variis aliis mediis », tum ut melius servetur textus sacer (*Io.* 14, 26) ubi habetur verbum « docebit ».

5. *Ibid.,* linn. 8-9: claritatis causa, loco « Hoc autem verbum Dei » scribatur: « Hoc autem verbum seu revelatio Dei »; et loco « scriptum vel traditum, unum Depositum Fidei constituit », prosequatur textus « sub influxu Spiritus Sancti in Ecclesia permanens viva et efficax (*Hebr.* 4, 12) depositum fidei et quidem unicum constituit ».

Tunc totus n. 7 sic sonabit: « Christus Dominus *praeceptum* dedit apostolis, ut Evangelium suum, id est ea *omnia* quae per totam suam vitam *verbis vel factis mandaverat* tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae *docerent.* Quod quidem apostoli fecerunt cum per scripta a Spiritu Sancto inspirata, cum oretenus *vel variis aliis mediis* tradendo ea quae ab ipso Christo vel a Spiritu Sancto *edocti* acceperant.

Hoc autem verbum *seu revelatio Dei, sub influxu Spiritus Sancti in Ecclesia viva et efficax permanens,* depositum fidei *et quidem unicum* constituit, ex quo Ecclesiae magisterium haurit ea omnia quae fide divina tamquam divinitus revelata credenda proponit » (N. B.: Emendationes sunt sublineatae).

6. *Ibid.* ad n. 8, lin. 12: post verba « s. traditio » addantur verba « haud scripta »; nam ipsa etiam Scriptura ad nos pervenit ex traditione divina.

7. *Ibid.* ad n. 9, lin. 19: post verba « s. traditio » addatur « haud scripta », claritatis causa. Post verba « Dei depositum » addantur verba « sine errore servandum », claritatis causa.

Ad linn. 25-26: post verbum « Fidei » omittatur verbum « proxima » et loco verborum « remota vero » scribantur verba « eius vero fons », ita ut textus sic sonet: « Exinde regula fidei quidem est Ecclesiae magisterium, eius vero fons sacrum depositum ».

8. *Ibid.* ad n. 10, lin. 27: post « s. traditionem » addatur « non scriptam », ut supra ad 7.

9. Ad pag. 11 (cap. III), n. 16, lin. 26: post « Testamenti » addatur « librorum ».

18

Exc.mus P. D. IOSEPH M. CUENCO

Archiepiscopus Iarensis

Cap. V, n. 22. Postulatur a Sancto Concilio declaratio authentica utrum in vigore pergat an non, Sanctae Tridentinae Synodi provisio qua statuitur: « Vulgata editio... in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur et quod nemo illam reicere quovis praetextu audeat vel praesumat » (Denz. 785).

19

EXC.MUS P. D. IOSEPH ANTONIUS DAMMERT BELLIDO
Episcopus Caiamarcensis

Cap. I. Es demasiado conceptual, de tesis escolares, sin tomar en consideración a los « hechos de la revelación ».

La relación entre S. Escritura y S. Magisterio es muy fría.

Más convincente aparece la relación entre Escritura y Iglesia en la pág. 7 del « compendium » de los Presidentes de las Conferencias Episcopales de Austria, Bélgica, etc. distribuído en los primeros días de la primera etapa conciliar.

N. 26. Se debe insistir en una recomendación más explícita a los fieles para la lectura de los Libros Sagrados, de acuerdo con las recomendaciones de los Romanos Pontífices, como Benedicto XV y Pío XII.

Del primero: « En cuanto a Nos... jamás cesaremos de exhortar a todos los cristianos a que hagan su lectura cotidiana de la Biblia, principalmente en los Santísimos Evangelios de Nuestro Señor, así como en los Hechos de los Apóstoles y las Epístolas, esforzándose en hacerlos savia de su espíritu y sangre de sus venas » (Encíclica *Spiritus Paraclitus* de 15 de setiembre de 1920).

Del segundo: « Litterae Encyclicae *Divino afflante Spiritu* » in *A.A.S.,* 35 (1943), pp. 320-21.

20

EXC.MUS P. D. DAVID DE SOUSA
Episcopus Funchalensis

Mihi possibile non fuit, intra mensem iulii, multiplices ob occupationes, Concilii schemata examini subiicere.

Veniam proinde postulo ad quasdam additiones suggerendas relate ad schema *de divina revelatione,* plus minusve sequentis tenoris:

1. Cap. I, n. 7, pag. 7, in initio: « Deus verbum suum hominibus revelavit, in saeculorum decursu, per prophetarum orale ministerium et per auctorum sacrorum scripta, a Spiritu Sancto inspirata, maxime vero, in temporis plenitudine, per Incarnati Filii sui publicum ministerium (cf. *Hebr.* 1, 1-2). Siquidem, Christus Dominus... ».

Huius additionis ratio est quia Deus revelationis donum, et quidem tum oralis tum scriptae, hominibus concedere dignatus est, etiam ante Christum. Hoc autem in schematis textu expresse non dicitur.

2. Cap. IV, n. 20, pag. 14, lin. 8: « ... et apostolicorum virorum libris Spiritu Sancto... ». *Ratio* est quia libri Novi Testamenti scripti fuerunt non tantum ab apostolis sed etiam a viris apostolicis, prout expresse scribitur hoc in cap. IV, n. 17, pag. 13, lin. 8.

3. Cap. IV, n. 20, pag. 14, in fine: « Ecclesia, ergo, canonicos Novi Testamenti libros ut suas Scripturas reverenter agnoscit et accipit ». *Ratio* est quia, dum canonicitas librorum Veteris Testamenti expresse asseritur in cap. III, n. 16, pag. 12, linn. 2-3, e contra canonicitas Novi Testamenti librorum nullibi affirmatur.

21

Exc.mus P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO
Episcopus Lucknovensis

In Prooemium, n. 1, linn. 9, 10, 11.

Textus uti legitur: « ... non possent tamen mysteria Dei cognoscere, maxime subsistentiam eius in tribus personis ». Proponere velim ut verbum « *cognoscere* » mutetur, eiusque loco verbum « *comprehendere* » ponatur, ita ut textus hoc modo legatur: « ... non possent tamen mysteria Dei *comprehendere,* maxime subsistentiam eius in tribus personis ». Secundum philosophiam aristotelicam et scholasticam homo cognoscere potest Dei existentiam, ac praeterea eum perfectissimum intellectum ac voluntatem habere, idque naturaliter ratiocinando.

Is qui habet perfectissimum intellectum, necessario se ipsum cognoscit, ideo concipit Verbum mentis. Qui concipit est subiectum operationis, quo in casu persona Patris. Is qui concipitur est quoque subiectum operationis i. e. generationis passivae, ideo alia Persona, quae est persona Filii.

Cum in Deo voluntas sit perfecta, eius actio amandi est ratio essendi tertiae Personae, i. e. Amor Substantialis Dei.

Quae cum ita sint, concludendum est hominem sine revelatione, naturaliter ratiocinando, posse pervenire ad cognitionem existentiae trium Personarum in Deo, quamquam Trinitatem comprehendere nullo modo potest.

In Prooemium, n. 3, lin. 22. Textus ut legitur: « *In* Christo et *per* Spiritum Christi... publica revelatio... facta est ». Videtur praepositio « *in* » quae anteponitur Christo, substituenda esse particula « *per* », ita ut textus legatur: « *Per* Christum et *per* Spiritum Christi... publica revelatio... facta est ».

Quod si particula utimur « *in* », fieri possit ut quis cogitet Spiritum Christi non fecisse revelationem eodem modo. Si vero in utroque casu eadem praepositione « *per* » utimur, clarum erit tum Christum, tum Spiritum Sanctum eodem modo revelasse.

In cap. II, n. 12, lin. 24: (*Quomodo S. Scriptura sit interpretanda*). Proponere velim ut verba quae sunt in textu: « Veritas ergo... solebant », ita mutentur, additis his verbis « *quaedam et quandoque* » ante « *non recte* », ita ut textus ita legatur: « Veritas ergo... quaedam et quandoque non recte... solebant ». Si textus uti est relinquitur, fieri potest ut quis putet singula verba S. Scripturae, simpliciora et clariora quoque, non posse intelligi, nisi quis cognoscat « suetos cogitandi narrandive modos ».

Generatim praecepta S. Scripturae verbis tam simplicibus exprimuntur ut etiam homo simplex et rudis intelligere possit.

Verba, ut sunt in textu, nimis *extollunt* exegetorum laborem eorundemque opinionum necessitatem. Plerumque S. Scriptura tam simplex est ut etiam pueri illam intelligere valeant. Deus revelationem exegetibus non dedit, sed Ecclesiae Matri et Magistrae, immo omnibus hominibus his quoque qui exegetae non sunt.

Finis revelationis postulat ut plerumque Revelatio facile intelligatur atque ut fideles et Ecclesia indigeant opera exegetorum quandoque tantum ad « quaedam difficiliora » intelligenda, ut sancti Petri verbis utar.

22

EXC.MUS P. D. IOANNES DOOLEY

Archiepiscopus tit. Macrensis in Rhodope

Cap. II, art. 13, pag. 10: immediate post verba « ... facta sunt » (pag. 10, lin. 8), addantur verba « absque errore », et sic legatur: « ... Dei verba humanis linguis expressa, quoad omnia humano sermoni assimilia facta sunt, *absque errore,* sicut olim Unigenitum Patris Verbum, humanae infirmitatis assumpta carne, hominibus quoad omnia simile factum est, " absque peccato " (*Hebr.* 4, 16) ».

23

EXC.MUS P. D. ARTURUS ELCHINGER

Episcopus tit. Antandrensis, coad. c.i.s. Argentoratensis

Cette nouvelle rédaction représente un grand progrès sur le Schéma rejeté pendant la première Session. Il ne contient plus de textes tendancieux qui auraient pour effet d'entraver ou de décourager la recherche théologique et d'appauvrir l'enseignement chrétien.

Cependant, on peut souhaiter une pensée théologique plus réaliste et, par endroits, une formulation plus précise.

1. *Le Christ, source et contenu de la Révélation* (cf. pag. 5, n. 1). Ce texte pourrait laisser supposer que la Révélation n'est qu'un ensemble de faits et de vérités, alors qu'elle est avant tout le Christ Rédempteur lui-même, en qui Dieu se communique aux hommes pour leur salut, leur manifestant son mystère et son dessein de salut.

L'Ecriture dit avec éloquence que *le Christ lui-même* est, en sa personne, la révélation de Dieu en sa plénitude; qu'il est devenu cette révélation surtout dans cette gloire qu'il s'est acquise par sa mort afin que les hommes reconnaissent en lui Dieu et le Fils qu'il a envoyé et soient ainsi sauvés (cf. *Io.* 17, 1-3; *2 Cor.* 3, 16; 4, 6).

Il est d'une extrême importance d'affirmer que c'est la personne du Christ qui est la source et le contenu de la révélation. Car il s'ensuit que le Christ est aussi l'objet premier de la prédication apostolique (les apôtres n'ont pas prêché en premier lieu *des* vérités et des faits multiples, mais la personne du Christ ressuscité) et l'objet premier de la foi chrétienne (tout l'évangile de St Jean en témoigne et de multiples textes pauliniens, par exemple *Rom.* 10, 9; *Phil.* 2, 11).

Il semble que dans les temps modernes le concile doit nous fournir les éléments d'une doctrine vivante, biblique, de la foi, afin que, grâce à l'enseignement chrétien; la foi des fidèles redevienne vivante. Or elle ne sera vivante que si elle est personnelle, c'est-à-dire une foi en la personne du Christ. Dire que la révélation contient seulement des vérités, c'est appauvrir la doctrine de la révélation, et par voie de conséquence la prédication et la foi des fidèles. « Dummodo Christus annuntietur », dit l'Apôtre, et non pas « dummodo veritates christianae annuntientur ».

II. *Le Magistère, conscience de l'Eglise* (cf. pag. 7, n. 9; pag. 10, n. 12, lin. 4; pag. 14, n. 9, lin. 2). Ne faudrait-il pas justifier l'intervention du Magistère pour des raisons plus profondes que celle de l'importance d'une police doctrinale?

L'Eglise, représentée par le Magistère, n'est pas seulement là pour filtrer la vérité. Elle est seule apte à présenter à l'âme croyante une vérité qui s'impose à différents degrés. L'exégète et le théologien ne sont pas « la conscience de l'Eglise » et c'est pourquoi le résultat de leur travail ne s'impose pas comme tel à la conscience des fidèles.

Il faut donc introduire dans le n. 9 un texte exprimant, sous une forme adaptée, le principe suivant: « Revelatio divina, qua tale, non potest recipi nisi a mente quae per Dei gratiam huic revelationi connaturalis redditur. Mens sic ordinata non sit singulorum credentium sed Ecclesiae universalis quae sola assistentiae divinae illustrationibus cautionibusque pollet, scil. credendo et docendo. Hoc vere in Ecclesiae Magisterio universali efficitur ».

On pourrait aussi pag. 7, n. 9, lin. 19, intercaler les termes suivants: Adiungi deberet post verba « verbi Dei depositum », verba sicut: « quamquam custoditur in toto corpore Ecclesiae, vivens in cordibus fidelium, expressum in scriptis doctorum omnibusque documentis praesertim liturgicis vitae multiformis uniusque huius corporis », attamen non singulis...

24

Exc.mus P. D. IOSEPH BARTHOLOMAEUS EVANGELISTI

Archiepiscopus-episcopus Meerutensis

Cap. II, n. 11, lin. 3, addatur « praecipue ». « Divina revelatio... in Sacra Scriptura *praecipue* continetur et prostat ». *Ratio* est evidens: divina revelatio continetur non solum in S. Scriptura, sed etiam in traditione divina.

Cap. IV, n. 17, lin. 7, hoc fere modo ponatur: « Quae enim apostoli ex mandato Christi praedicaverant, eadem, *quoad praecipua capita doctrinae,* postea, divino afflante Spiritu, etc. ».

Cetera ceteris notanda relinquo. Meo quidem iudicio, nova schemata, quae ad nos huc usque pervenerunt, omni ex parte pulcherrima sunt, necnon admiratione et approbatione digna.

25

Exc.mus P. D. ALBERTUS ALOISIUS FLETCHER

Episcopus Petriculanus

In schemate constitutionis dogmaticae *de divina revelatione,* sub n. 26, ego infrascriptus Ordinarius episcopus emendationem sequentem propono: « Libri (commentarii) qui Sacram Scripturam tractant et ad institutionem laicorum adhibentur, adprobari debent a Commissione Conferentiae Nationalis Episcoporum, secundum normas quam Sancta Sedes afferet ». *Ratio*: *a*) Ne talis interpretatio Sacrae Scripturae locorum (veteris et novi Testamenti) « qui expositionem certam et definitam adhuc desiderant » (cf. n. 19) qualis in admirationem vel scandalum fidelium per imprudentes fiant.

b) Ne fideles ab quibusdam exegetis acatholicis, qui modo rationalistico, vetus Testamentum ad fabulas reducunt, decipiantur.

c) Ut auctores catholici vere « sub ductu magisterii Ecclesiae » (cf. n. 23) operam pastoralem praestent.

Schema tamen mihi permultum placet et em.mo card. Praesidi et rev.mis Patribus Conciliaribus huius commissionis gratulor et me gratissimum profiteor.

26

EXC.MUS P. D. HERMENEGILDUS FLORIT
Archiepiscopus Florentinus

Schema propositum, etsi non pauca elementa continet optima ideoque retinenda, ut perficiatur in nonnullis adhuc oportet, praesertim quod attinet doctrinam de s. traditione.

Quod autem huiusmodi perfectio necessaria sit, hisce quae sequuntur animadversionibus generalibus ostendere vellem.

I. *Ipse titulus schematis, nempe de divina revelatione, doctrinae ibidem expositae non adaequate respondet.* Reapse, si prooemium et cap. I excipiantur, in toto schemate doctrina tantum exponitur de S. Scriptura, perinde ac si divina revelatio cum S. Scriptura adamussim identificetur.

Hac habita ratione, illud simpliciter inscribi potuisset « De S. Scriptura ».

Iamvero, S. Scriptura est nonnisi medium quo divina revelatio transmittitur: medium quidem praestantissimum, at non unicum; cum et s. traditio in illa eadem transmissione suas habeat partes.

II. *Amplior facienda est doctrinae de s. traditione expositio.* Pluries a Patribus in aula conciliari dictum est Concilium Vaticanum II complementum quoque esse debere Concilii Vaticani I.

Hoc desiderium Patrum Concilium videtur abunde et feliciter esse adimpleturum quod attinet doctrinam de Ecclesia per peculiare schema huic doctrinae dicatum.

Idem tamen desiderium etiam ad ampliorem faciendam expositionem doctrinae de s. traditione est extendendum. Etenim ut ipsa fieret quidam Patres Vaticani I iam enixe petiverunt (cf. MANSI 50, 157 B-C, 268 D). Si tunc de illa petitione ratio habita non est, id tantum adscribi debet illius Concilii proposito doctrinam exponendi imprimis contra multiplices errores ex rationalismo derivatos, quorum permulti S. Scripturam attingebant. E contra doctrina de s. traditione, etsi terminologia post-tridentina expressa quae forsan aliquibus praecisationibus indiget, pacifice ab omnibus in sinu Ecclesiae retinebatur (cf. U. BETTI, *La Tradizione è fonte di Rivelazione?*, in « Antonianum », 38 [1963], pp. 35-49; A. KERRIGAN, *Doctrina Concilii Vaticani I « De sine scripto Traditionibus »*, in « De Scriptura et Traditione », Roma 1963, pp. 477-502).

At hodie non ita res se habent: dubia namque exorta sunt ac sententiae inter se discrepantes pervulgantur, quae mentem agendique rationem cleri atque populi christiani non parum perturbant.

Quae dixit Summus Pontifex Paulus VI in Allocutione ad Patres Conciliares die 4 decembris 1963, praesertim ad doctrinam de s. traditione referri videntur:

« Quaestio *de divina revelatione,* quam Concilium eo modo persolvet, ut hinc sacrum depositum veritatum a Deo traditarum tueatur adversus errores, abusiones, dubitationes, quibus vis earum subiectiva infringatur » (in *L'Osservatore Romano,* 5 dic. 1963, pag. 2, col. 1).

Ut autem Concilium Vaticanum II sit revera sui temporis eiusque necessitatibus remedium afferat et adiumentum, non potest circa doctrinam de traditione tenere silentium vel nimia illa loqui prudentia quae in summis religionis negotiis omnino dedecet.

Immo vero munus pastorale totius episcopatus instanter urget ut fidelibus cunctis, theologis non exceptis, hac in re gravissima, tuta et organica sententia pronuntietur.

Hisce hucusque dictis attentis, proponitur ut schema ita inscribatur « *De divina revelatione eiusque transmissione* ».

Quod ideo duas complecti deberet partes, quarum: in prima agendum erit de generalioribus circa divinam revelationem; in altera autem de eius transmissione per S. Scripturam et per s. traditionem, additis, per modum conclusionis, iis quae tenenda sunt de S. Scripturae et s. traditionis mutua relatione, et de utriusque relatione ad s. magisterium.

III. *Doctrina de s. traditione sit vere traditionalis, etsi modus loquendi theologiae hodiernae et nostri temporis mentalitati eam aptare oporteat.*

1. Quoad substantiam abscedendum non est a doctrina, praesertim post Concilium Tridentinum universaliter accepta, quae tenet s. traditionem esse medium transmissionis divinae revelationis a S. Scriptura vere distinctum, etsi necessario non alienum. Ut haec doctrina retineatur et a Concilio enuntietur tres hae suadent rationes:

a) *Ne magisterium ordinarium parvipendatur,* cum hanc doctrinam multifariam multisque modis inculcaverit sive in litteris pastoralibus episcoporum (cf. *Lettere Pastorali,* a cura dei Padri Francescani di Cittadella, Padova 1961-1962: I, 2426; II, 1851 s., 888 s.), sive in Conciliis particularibus et Catechismis (cf. H. SCHAUF, *Die Lehre der Kirche über Schrift und Tradition in den Katechismen,* Essen 1963), sive in documentis Romanorum Pontificum (cf. LEO XIII, Enc. *Providentissimus Deus,* d. 18 nov. 1893: *Leonis XIII Pont. Max. Acta,* XIII, p. 326 s.; PIO XI, Motu Proprio *Bibliorum Scientiam,* d. 27 apr. 1924: *A.A.S.,* 16 [1924], p. 180; PIUS XI, Encycl. *Mortalium animos,* d. 6 ian. 1928: *A.A.S.,* 20 [1928], p. 12; PIUS XII, Encycl. *Humani generis,* d. 12 aug. 1950: *A.A.S.,* 42 [1950], pp. 567, 568, 569; IOANNES XXIII, Enc. *Ad Petri Cathedram*: *A.A.S.,* 51 [1959], p. 512 s.).

Si autem (quidquid sit de interpretatione decreti tridentini *Sacrosancta* [DENZ. 783] superacriter controversa) magisterium ordinarium doctrinam a se usque in praesens propositam in dubium revocaverit nunc sollemni modo in Concilio Oecumenico docens, timendum erit ne in posterum, in orbe dispersum, debitam consequatur aestimationem. Iamvero singuli episcopi forsan illis verbis S. Pauli inculpabimur quasi « simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae » (*Eph.* 4, 14).

b) *Ne dubia apud clerum et populum oriantur.* Si enim uterque viderit ea quae in seminariis vel in instructione catechetica sibi tradita sunt, omnimoda certitudine carere, forsan fundatam suspicionem concipiet hucusque fuisse de-

ceptum. Immo timendum est ne quidam scandalum eousque patiantur ut Ecclesiam, in qua aliter educati fuerant, vel non fidentes audiant vel etiam derelinquant.

c) *Ne dialogus cum fratribus separatis infructuosus evadat et aliqua insinceritate laboret.* Ut dialogus cum fratribus separatis fructuosus evadat nullum debet afferre praeiudicium catholicis. Itaque ergo dialogus instituendus est in mente habitis verbis S. Pii X: « Voi allargate le porte per introdurre quelli che sono fuori, e intanto fate uscire quelli che sono dentro » (cf. Sacra Rituum Congregatio: Sectio historica, n. 77: *Romanae Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Pii Papae X...,* Typis Polyglottis Vaticanis 1950, XXVIII).

Iamvero, qualiscumque recessio a doctrina recepta circa s. traditionem, non solum praeiudicium afferret catholicis ob rationes supra indicatas, verum etiam difficiliorem redderet acatholicorum reditum ad auspicatissimam catholicam unitatem. Fratres enim separati optime sciunt quid hucusque retinuerimus. Ipsi sinceritatem omnimodam in dialogo exigunt, illamque nobis agnoscent si a doctrina traditionali nullatenus deflectimur.

2. Ut vero doctrina de s. traditione, quae substantialiter dictis rationibus servanda est, theologiae hodiernae ac nostri temporis mentalitati melius aptetur, haec quae sequuntur accurate videntur esse attendenda:

a) S. traditio praesentanda est non ut quoddam scrinium secretum in quo servarentur quaedam veritates verbis iam ipsa aetate apostolica formulatae ac ita materialiter per os ad os transmissae; econtra tamquam germen vivum est habenda quod tunc in sinum Ecclesiae est immissum et ibidem sub actione S. Spiritus incrementum consequitur atque ad maturationem perducitur.

b) Nulla detur suspicio concurrentiae inter S. Scripturam et s. traditionem; immo haec ostendatur esse complementum illius, non per superimpositionem sed per naturalem integrationem. Quo fit ut non solum traditio Scripturae numquam esse possit contraria, at eidem Scripturae sit harmonice coniuncta.

c) Traditio ita praesentanda est ne appareat exclusive tamquam transmittens locutiones Dei quae in libris sacris consignatae non sint, sed etiam ut inscripta in vita totius Ecclesiae, et cum hac quodammodo identificata. Ita apparebit eius indoles et natura dynamica et vitalis, ratione cuius et ipsae litterae materiales sacrorum librorum, quae in se mortuae sunt, indesinenter vivificantur, ac Deus, qui olim locutus est, velut in actu loquens redditur eiusque viva vox ab Ecclesia auscultatur et in praxim deducitur.

IV. *Nova schematis dispositio proponitur.*

Pars I - De divina revelatione.

1. *Necessitas et obiectum revelationis*: actualis n. 1, pag. 5. Proponuntur hae immutationes:

Pag. 5, lin. 2: possent omitti verba « Vaticana secunda », utpote non necessaria.

Pag. 5, linn. 7 s.: per verba « Quamquam enim... aut invenient », quod attinet cognitionem Dei naturalem, videtur regressum fieri respectu ad doctrinam iam a magisterio sancitam. Etenim Concilium Vaticanum I, provocans ad verba Pauli (*Rom.* 1, 20), ita docet: « Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine, e rebus creatis certo cognosci posse » (Const. dogm. « Dei Filius »: Denz. 1785, 1806); immo in iureiurando antimodernistico a Pio X die 1 sept. 1910 praescripto adiungitur: « adeoque demonstrari etiam posse » (Denz. 2145).

Dicta igitur verba ita compleri deberent: « Quamquam enim valent homines *Deum unum et verum, creatorem et Dominum nostrum, per ea quae facta sunt certo cognoscere,* non possent tamen... ».

2. *Revelatio gradatim peracta*: actualis n. 2, pag. 5.

3. *Revelatio in Christo ultima et completa*: actualis n. 3, pag. 5.

4. *Opera Christi signa revelationis*: actualis n. 4, pag. 6 (forsan melius si hic numerus unificatur cum praecedenti n. 3). Emendatio proponitur: pag. 6, lin. 7: deleatur verbum « miraculosam »; quia, ut antea dicitur (lin. 4), non tantum miracula comprobant auctoritatem testimonii Christi, sed etiam tota ipsius vita sanctissima.

5. *Veritates naturales cum revelatione connexae*: actualis n.5, pag. 6. Emendatio proponitur: pag. 6, lin. 20: periodus complenda videtur. Vita enim temporalis, cum per revelationem divinam principia praebeantur ad ipsam recte concipiendam et ducendam, eo ipso ad finem supernaturalem ordinatur. Quare, post verbum « *ducendam* », haec addi possent: « *cum et ipsa sit ex voluntate Dei ad finem supernaturalem hominis ordinata* ».

6. *Necessitas gratiae ad revelationem divinam accipiendam*: actualis n. 6, pag. 6.

Pars II - De divinae revelationis transmissione.

7. *Voluntas Dei est ut revelatio a se facta per S. Scripturam et s. traditionem transmittatur.* Ad instar tentaminis, textus huius novi numeri proponitur: Quae Deus per dicta et facta, et potissimum per Unigenitum Filium suum hominem factum ad salutem cunctarum gentium revelaverat, eadem benignissime disposuit ut in aevum integra permanerent atque transmitterentur. Itaque, indesinenter adiuvante gratia sua, duplici modo ad se accedentium fidem excitare atque munire voluit, Sacrae scil. Scripturae auctoritate et Ecclesiae catholicae traditione (cf. S. VINCENTIUS LIRIN., *Commonitorium,* c. 2: *PL* 50, 639 s.). Hae sunt veluti speculum in quo Ecclesia in terris peregrinans contemplatur Deum usque dum ad Eum videndum facie ad faciem sicuti est tota perducatur (cf. *1 Cor.* 13, 12).

De Sacra Scriptura.

8. *Statuitur factum inspirationis et inerrantiae S. Scripturae*: actualis n. 11, pag. 9.

9. *Quomodo S. Scriptura sit interpretanda*: actualis n. 12, pag. 9.

10. *Dei condescensio*: actualis n. 13, pag. 10. Emendatio proponitur: pag. 10, lin. 9: locutio « Unigenitum Patris Verbum » est inusitata. Cum verba « Unigenitum Patris » suggerat ideam « Filii » melius diceretur vel: « *Aeternum* Patris Verbum » vel: « Unigenitu*s* Patris *Filius* ».

De Vetere Testamento.

11. *Historia Populi electi in libris inspiratis enarrata*: actualis n. 14, pag. 11.

12. *Indoles Foederis Veteris eiusque librorum*: actualis n. 15, pag. 11.

De Novo Testamento.

13. *Oeconomia salutis in Novo Foedere consummata.* Hic numerus integer novus necessarius videtur, ut, ante quam de « Evangeliorum excellentia », aliquid dicatur de Novo Testamento in genere, sicut pro Vetere Testamento in n. 14 actuali (pag. 11) merito factum est. Textus huius novi numeri, per modum tentaminis,

proponitur: « Ubi autem venit plenitudo temporis (cf. *Gal.* 4, 4), aeternum aeterni Patris Verbum caro factum est et habitavit in nobis plenum gratiae et veritatis (cf. *Io.* 1, 14), atque exaltatum a terra, omnia ad seipsum traxit (cf. *Io.* 12, 32), utpote solum verba vitae aeternae habens (cf. *Io.* 6, 68). Quod enim aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, revelatum est sanctis apostolis eius et prophetis in Spiritu, Gentes esse cohaeredes, et concorporales, et conparticipes promissionis eius in Christo Iesu per Evangelium (cf. *Eph.* 3, 4-6). Quorum omnium libri Novi Testamenti testimonium extant perenne atque divinum ».

14. *Evangeliorum excellentia*: actualis n. 17, pag. 13. Hae emendationes proponuntur: pag. 13, linn. 1-3: Verba « Neminem autem fugit... excellere » hac forma magis affirmativa redigi possent: « Inter omnes, etiam Novi Testamenti Scripturas, Evangelia *procul dubio excellunt* ». Pag. 13, linn. 12-16: « Quoniam vero... principia enuntiare » deleri possunt. Ea enim quae postea sequuntur maiorem vim accipient si simpliciter affirmantur tamquam ad doctrinam catholicam pertinentia, abstractione igitur facta a dubiis quae hodie circumferuntur.

15. *Evangeliorum indoles historica*: actualis n. 18, pag. 13.

16. *De ceteris libris Novi Testamenti*: actualis n. 20, pag. 14. Haec emendatio proponitur: pag. 14, lin. 8: post verbum « apostolorum » addatur « *et apostolicorum virorum* » (cf. pag. 13, lin. 8).

17. *Relatio mutua Novi et Veteri Testamenti*: actualis n. 16, pag. 11 s., qui hic transfertur quo melius pateat quaenam sit mutua relatio Novi et Veteris Testamenti postquam de utroque actum est. Haec igitur emendatio proponitur: pag. 12, linn. 2 s.: verba « Ecclesia ergo... et accipit » ita paulum immutanda erunt: « Ecclesia ergo *omnes* canonicos *tam* Veteris *quam Novi* Testamenti libros ut suas Scripturas reverenter agnoscit et accipit ».

18. *Exegesis catholica*: actualis n. 19, pag. 13 s., qui hic transfertur, quia normae quae ibidem praebentur valent non tantum pro Evangeliis sed etiam pro aliis libris tam Novi quam Veteris Testamenti. Hae emendationes proponuntur: pag. 14, lin. 1: loco « rationalis et catholicae hermeneuticae » sufficiat dicere « catholicae hermeneuticae », ne insinuari videatur dari posse hermeneuticam vere catholicam quae rationalis non sit (quod aliud est ac « rationalistica »). Hac eadem de causa idem verbum « rationalis » delendum esset pag. 10, lin. 3.

Pag. 14, lin. 2: loco « ut Evangelii loci », potius dicatur: « ut *Sacrarum Scripturarum, imprimis Evangeliorum,* loci... ». *Ratio* est: quia, ut dictum est, principia de exegesi catholica referuntur ad omnes sacrae Scripturae libros.

De Sacrae Scripturae usu in Ecclesia.

19. *Ecclesia S. Scripturas veneratur*: actualis n. 21, pag. 15. Hae emendationes proponuntur: pag. 15, lin. 2: post verbum « thesaurum » addi posset: « sibi concreditum », ut magis inculcetur indissolubilis inter S. Scripturas et Ecclesiam coniunctio. Pag. 15, lin. 14: deleri possunt verba « insigne illud Dei donum sibi concreditum », ne bis repetatur verbum « donum » quod denuo occurrit in lin. 6, neque iterum dicatur « sibi concreditum », ut iam in lin. 2 emendata habetur.

20. *Commendantur accuratae versiones*: actualis n. 22, pag. 15.

21. *Doctorum catholicorum officium apostolicum*: actualis n. 23, pag. 15. Haec emendatio proponitur: pag. 15, lin. 21: deleatur referentia ad *Io.* 16, 13, ne videatur promissionem Spiritus Sancti ad id tantum factam esse ut plenior haberetur intelligentia Scripturarum. Alioquin innueretur ea quae Apostoli, a Spi-

ritu Sancto accepta, oretenus tradiderunt nonnisi aliud esse quam pleniorem Scripturarum sacrarum explicationem.

22. *S. Theologia verbo Dei innititur*: actualis n. 24, pag. 15 s. Haec emendatio proponitur: pag. 16, linn. 1-5: periodus « Sacrae etenim Scripturae... sancteque virescit », ita reformanda videtur: « *Cum autem* S. Scripturae verbum Dei non tantum contine*a*nt, sed vere Dei verbum s*i*nt, *iis potissimum sacrae disciplinae ut alantur oportet, iisque pariter* verbi Dei ministerium... sancteque virescit ».

In periodo ita reformata, duae habentur immutationes: per introductionem « *Cum autem* » exprimitur ratio eorum quae statim sequuntur; per verba autem « *iis potissimum sacrae disciplinae ut alantur oportet* » extollitur quidem momentum sacrarum Scripturarum, at insimul innuitur eas non esse fontem exclusivum nec s. theologiae nec pastoralis praedicationis.

23. *Lectio S. Scripturae sacerdotibus et fidelibus commendatur*: actuales nn. 25-26, pag. 16, in unum unificati.

De sacra traditione.

24. *De existentia s. traditionis*: actualis n. 7, pag. 7, ita immutatus: « Christus Dominus mandatum dedit Apostolis ut Evangelium suum, idest ea quae per totam vitam suam fecerat et docuerat, tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae praedicarent.[1] Quod quidem Apostoli fecerunt cum per scripta Spiritu Sancto inspirata, *tum* oretenus tradendo ea quae ex ipso Christi ore vel a Spiritu Sancto dictante acceperant.[2]

Unde Apostoli ipsi, dum fideles scripto instruunt, eosdem quod praecepta eis tradita teneant laudant (cf. *1 Cor.* 11, 2), semel traditae fidei supercertari deprecantur (cf. *Iud.* 3), denique doctrinam tenere quam sive per sermonem sive per epistulam didicerunt Paulus admonet aperte, magnus Apostolus (cf. *2 Thess.* 2, 14 et Conc. Constant. IV: DENZ. 336). Quapropter, sanctorum Patrum voce, multa tenet Ecclesia, quae, licet scripta non reperiantur, ab Apostolis praecepta bene creduntur (cf. S. AUGUSTINUS, *De Baptismo,* V, 23, 31: *PL* 43, 192) eaque esse fide digna censentur (cf. S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ep. II ad Thess.,* hom. 4, 2: *PG* 62, 488).

25. *De natura S. Traditionis*: numerus novus (adumbratio textus): « Doctrina autem ab Apostolis oretenus tradita, non est quoddam veritatum scrinium, iam primitus definitis verbis enuntiatarum, sed est potius consideranda tamquam germen vivum ac salutiferum divinitus datum quod ab apostolis in sinum Ecclesiae immissum, per inhabitantem in ea Sanctum Spiritum, incrementum consequitur, usque dum, tempore a Patre statuto, et quin sua in essentia immutatur, ad plenam et manifestam maturitatem perducatur. Cuius vitalis progressus Sanctorum Patrum dicta testimonium exhibent certissimum, eiusque supernaturales divitiae in praxim vitamque orantis et credentis Ecclesiae uberrime transfunduntur.

26. *De momento S. Traditionis in vita Ecclesiae*: numerus novus (adumbratio textus): « Traditio igitur est veluti fermentum quod corpus Ecclesiae salutifera sui divini Fundatoris impulsione incontinenter vivificat, donec fermentetur totum (cf. *Mt.* 13, 33; *Lc.* 13, 21). Per idem fit ut ipsae Sacrorum Librorum litterae vivificentur, ac Deus, qui olim locutus est, cum dilecta Filii sui Sponsa sine intermissione colloquatur, sicque Verbum Christi habitet in omnibus abundanter » (cf. *Col.* 3, 16).

27. *S. Scripturae et S. Traditionis mutua relatio*: actualis n. 8, pag. 7, ita re-

formatus: « S. Traditio et S. Scriptura arcte inter se connectuntur atque communicant. Nam ambae ex eadem divina scaturigine promanantes, in unum quodammodo coalescunt et in eundem finem tendunt: *Quod si in aliquibus s. traditionem a S. Scriptura profluere non constat, semper tamen in S. Scriptura ipsa reflectitur eamque illuminat.* Quapropter utraque pari pietatis affectu ac reverentia suscipienda ac veneranda est.[3] Utraque *unum Depositum Fidei constituit, ex quo Ecclesiae magisterium haurit ea omnia, quae tamquam divinitus revelata credenda proponit* ». (Ultima verba sublineata proveniunt ex actuali n. 7, pag. 7, linn. 8, 10: suppressa tamen sunt verba « fide divina » lin. 10, utpote superflua. De actuali autem n. 8 omittuntur verba: « ita mutuo se habent, ut altera alteri extranea non sit » [linn. 12 s.]. *Ratio* est: quia per ista verba videretur affirmari nihil in traditione haberi posse divinitus revelatum quod in Scriptura non sit quomodocumque contentum. Melius ergo est dicta verba derelinquere, ne iterum in quaestionem controversam incidamus).

28. *S. Scripturae et s. traditionis relatio ad s. magisterium*: actualis n. 9, pag. 7, ita immutatus: « Scriptura autem ac s. traditio, uti sacrum verbi Dei depositum, non singulis hominibus, sed vivo et infallibili Ecclesiae magisterio concreditum est,[4] per quod totum culmen auctoritatis lumenque rationis in uno nomine Iesu Christi et in una eius Ecclesia est constitutum (cf. S. AUGUSTINUS, *Epist.* 118, 5, 33: *PL* 33, 448). Quod quidem magisterium non supra verbum Dei est, sed eidem ministrat, quatenus illud, ex divino mandato et Spiritu Sancto assistente, tuetur et authentice interpretatur, illustrando et etiam enucleando quae in una vel altera Depositi parte implicite et obscure continentur.[5] Exinde regula fidei proxima quidem est Ecclesiae magisterium, remota vero Sacrum Depositum ».

29. *Conclusio*: actualis n. 10, pag. 7.

27

EXC.MUS P. D. DOMINICUS SENYEMON FUKAHORI
Episcopus Fukuokaensis

Schema in sua nova redactione mihi placet. Pauca tantum notanda sunt.

1. Ad n. 23 (pag. 15). « Doctorum catholicorum officium apostolicum ». Post verba: « Exegetae autem catholici », optandum est ut verba: « *professores Sacrae Scripturae* » addantur. Nam non omnes professores sunt exegetae.

Praeterea, in « Notis », optandum est ut addatur referentia ad « *Instructionem Commissionis Pontificiae de Re Biblica* », cuius titulus est: « *De Scriptura Sacra in clericorum seminariis et religiosorum collegiis recte docenda* » (*A.A.S.*, 42 [1950], pp. 495-505).

2. In cap. V: *De Sacrae Scripturae usu in Ecclesia,* lectio S. Scripturae sacerdotibus et fidelibus commendatur; nil tamen dicitur de *seminaristis* neque de *religiosis.*

Igitur valde optandum est ut novus numerus addatur sub titulo: « *Lectio S. Scripturae seminaristis necnon religiosis commendatur* ». Tanquam Fontes huius numeri novi, textus sequentes adhiberi possunt: a) *Sermo S. P. Pii XII* ad alumnos seminariorum, collegiorum etc., die 24 mensis iunii 1939 habita: *A.A.S.,* 31 (1939), p. 249; b) *Instructio Commissionis Pontificiae de Re Biblica*: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 495-505.

28

EXC.MUS P. D. HENRICUS IOSEPH GRIMMELSMANN
Episcopus Evansvicensis

Cap. I, n. 8 ss. The Council might do well to take no action on the relationship between Sacred Scripture and Tradition. The subject has not been sufficiently studied by theologians who have not agreed on the historical character and time of oral and written tradition. It would seem prudent to await further discussion and debate by the schools.

29

EXC.MUS P. D. CAROLUS HERMANNUS HELMSING
Episcopus Kansanopolitanus - S. Ioseph

Haec redactio schematis de revelatione maxime grata est. Quamquam haec res est minima, verbum « Christianismus » (Prooemio, n. 3) non proprium esse videtur.

N. B.: Quamquam tractatio plenior de traditione esset gratissima, decisio commissionis omittere hanc prudens videtur.

Simplicitas schematis valde commendanda est. Intra schema haec singula optima esse videntur: Acta Christi sicut signa revelationis; necessitudo exegesis secundum formas literarias; de versionibus ex linguis originalibus; de liturgia et de praedicatione.

De divina revelatione.

The work of the joint commission on this Schema is to be commended most highly.

Although a fuller treatment of the concept of Tradition would be most welcome, the decision of the commission to limit consideration of this theme is quite understandable.

The simplification which has been achieved in this Schema is most praiseworthy. Among many good points, it is especially gratifying to have such a well-balanced exposition concerning: the mutual relationship of Sacred Scripture, Tradition, and the Magisterium; the works of Christ as signs of revelation; the use of literary forms in the interpretation of the Sacred Scripture; the importance of basing vernacular versions of Holy Scriptures on the earliest texts; the relationship of liturgical preaching to Holy Scripture.

30

EXC.MUS P. D. ALOISIUS EDUARDUS HENRIQUEZ JIMENEZ
Episcopus tit. Lamdiensis, aux. Caracensis

Schema prout iacet in genere placet et esse potest basis disceptationis. Quaedam vero proponuntur emendationes, quibus meliorari adhuc potest.

Pag. 5, lin. 10: omittatur verbum « subsistentiam » quod nimis scholae sapit.

Eius loco suadetur emendatio a Patribus linguae germanicae et a Conf. Episc. Scandin. proposita. Cf. *De div. rev.* E/414, pag. 112. Deinceps citabitur: Germ., pag. ...

Pag. 5, lin. 11: addatur mentio de mysterio Incarnationis. Cf. Germ., pp. 112 et 113.

Pag. 5, lin. 17: pro verbo « superno », scribatur « ultimo ac supernaturali ».

Pag. 5, lin. 20: hiatus inter Abraham et Evangelium nimis largus apparet. Introduci potest forsan aliqua mentio prophetarum (cf. *Hebr.* 1, 1).

Pag. 5, lin. 26: melius esset si phrasis haec aliquantulum modificaretur, ne Parusia Christi, quae in Sacris Scripturis « revelatio » dicitur (*1 Cor.* 1, 7; *1 Pt.* 1, 7) videatur excludi.

Pag. 5, lin. 27: pro « christianismus » scribatur « aetas christiana ».

Pag. 6, lin. 3: opera Christi non sunt tantum argumentum divinitatis eius.

Pag. 6, lin. 5: non tantum « confirmavit » (quod nimis apologeticum sonat), sed etiam « manifestavit ».

Pag. 6, lin. 11: post verbum « mysterium », addatur « ipsius Dei et participationem... ». *Ratio* est ne revelatio modo nimis « utilitario » proponatur.

Pag. 7, lin. 5: proponitur sequens emendatio: « Quod quidem Apostoli *aliique apostolici viri* fecerunt cum primo oretenus, deinde etiam per scripta a Spiritu Sancto inspirata tradendo ea, quae ex ipso Christi ore et a Spiritu Sancto acceperant ». Cf. Germ., pag. 115.

Pag. 7, lin. 12: post verba « s. traditio », addatur: « quae viva in Ecclesia per doctrinam magisterii servatur, et quae simul ex sensu fidelium, ex usu liturgico, ex monumentis, ex Scriptis SS. Patrum et ex s. hierarchiae actione elucet, ita mutuo... ». Cf. Germ., pag. 115. Necessarium videtur aliquo modo conceptum traditionis explanare, ne sensu nimis materiali intelligatur.

Pag. 7, lin. 14: phrasis sic incipiat: « Nam ex eodem fonte... ».

Pag. 7, lin. 19: proponitur textus Germ., pag. 116: « Sacrum verbi Dei depositum in Sacra Scriptura et in traditione exstans, non singulis hominibus, sed Ecclesiae destinatur: eiusdem vero custodia et authentica interpretatio vivo et infallibili Ecclesiae Magisterio concreditae sunt.

Pag. 7, lin. 24: pro verbis « in una vel alia depositi parte... » scribatur « in fidei deposito », ut quaestio de fontibus omnino intacta remaneat.

Pag. 7, lin. 25: omittantur verba « et obscure »: satis enim est usus verbi « implicite ». Cf. Germ., pag. 116.

Pag. 7, linn. 25 s.: suadetur emendatio Germ., pag. 117: « Exinde regula fidei singulorum credentium proxima quidem est doctrina magisterii Ecclesiae, remota vero Sacrum Depositum ».

Pag. 7, lin. 28: post verbum « consilium » addatur « in oeconomia salutis Christi ». Cf. Germ., pag. 117.

Pag. 7, lin. 31: ultima sic mutetur: « ... conferunt, sensu quoque omnium fidelium concurrente ». Cf. Germ., pag. 117.

Pag. 9, lin. 8: post « praeditis » addatur « et veris auctoribus ». Cf. Germ., pag. 118.

Pag. 9, lin. 8: proponitur formula: « ... usus est, ut revelationem divinam universis hominibus scripto traderent ». Cf. Germ., pag. 118.

Pag. 9, linn. 13 s.: opportunum esset ut clarius adhuc doctrina de inerrantia Scripturae proponeretur, habita quidem ratione loquendi modi hominum huius

temporis. In eodem sensu, omitti potest in lin. 12 verbum « prorsus ». Cf. Germ., pp. 118-119.

Pag. 11, linn. 25 s.: desideratur clarior expositio de progressu revelationis in historia salutis.

Pag. 13, linn. 11-16: optatur ut haec paragraphus omittatur. Melius enim est doctrinam modo positivo proponere et sic erroribus ipsis adversari.

Pag. 13, linn. 17-29: suadetur ut accipiatur textus Germ., pag. 121: « Certum est quidem Evangelia formam praeconii resonare et cum historicae compositionis rationibus, quae nostris praesertim aetatibus adhibetur, non in omnibus convenire, sed hoc non obstante salutis veram et sinceram historiam nobis tradunt ».

Pag. 14, lin. 8: pro verbo « apostolorum » suadetur « canonicis », ne Concilium ingredi videatur in quaestionem de auctoribus librorum Novi Testamenti, quae quidem quaestio, pro aliquibus saltem libris, satis implicata est.

Pag. 16, lin. 16: addatur: « ... sive privatim ex Sacris Litteris profectum haurientes, legendo humiliter, simpliciter, fideliter » (*Imit. Christi* 1, 5). Cf. Germ., pag. 123.

Pag. 16, lin. 24: post verbum « aestimatione », addatur « crebra lectione ».

[*Subscripsit etiam*] Marcus G. McGrath R.

31

Exc.mus P. D. VINCENTIUS M. JACONO

Episcopus tit. Patarensis

Ad cap. I: *De verbo Dei revelato.* In n. 9, linn. 21 s., mea humili sententia, dicendum videretur: « quod quidem magisterium ipsum verbum Dei, non ratione mere humana, sed analogiam fidei et SS. Patrum firmum testimonium attendendo, ex divino mandato et Spiritu Sancto assistente, tuetur et authentice interpretatur » etc.

Necessaria videretur explicatio addita ne, in interpretanda S. Scriptura, recursus fiat « ad sensum humanum sacrorum Librorum sub quo sensus eorum divinus lateat, quem solum infallibilem nonnulli declarant » neve « Sanctorum Patrum et Sacri Magisterii doctrina quasi ad trutinam Sacrae Scripturae, ratione mere humana ab exegetis explicatae, sit revocanda » (cf. Enc. *Humani Generis*: *EB* 612).

32

Exc.mus P. D. ANDREAS JACQ

Episcopus tit. Cerasenus

Remarque générale. Ce nouveau schéma est beaucoup plus valable que le précédent de 1962. Sans doute pourrait-on encore l'améliorer, car certaines parties paraissent un peu pauvres et imprécises. Mais la chose n'est pas facile, quand il s'agit de points où un texte plus riche et plus précis rencontrerait des oppositions tenaces! L'effort devra pourtant être tenté.

Prooemium. Ce prooemium est assez heureux. Quelques remarques de détail:

1. La notion de « Révélation » n'apparaît pas clairement. Il serait souhaitable qu'on la précise et l'explicite.

2. Pag. 5, n. 1, lig. 10: le mot « subsistentia » est bien abstrait et scolaire. On pourrait lui substituer, par ex.: le mystère intime de Dieu.

3. Pag. 6, n. 4, lig. 7: à la place de « sic per vitam eius miraculosam »: « sic per eius vitam et miracula, auctoritas... » serait plus clair.

Caput I: *De verbo Dei revelato.* Ce chapitre sera sans doute le plus critiqué. Il laisse une impression de pauvreté et d'imprécision (très probablement voulue), conséquence des désaccords entre les rédacteurs. Cependant des améliorations sont très désirables.

1. *Le titre*: *De verbo revelato.* On a fait remarquer que la parole de Dieu est plus révélante que révélée. En réalité, dans ce chapitre, il s'agit de l'Ecriture et de la Tradition, et plus précisement de leurs rapports avec l'Eglise. Il serait mieux d'intituler ce chapitre: De Scriptura et traditione in Ecclesia; ou De habitudine inter Scripturam, traditionem et Ecclesiam.

2. *La notion de Tradition.* Sans entrer dans les controverses théologiques et sans vouloir les dirimer, il serait tout de même souhaitable que le schéma montre plus clairement ce qu'est la Tradition, ce qui la caractérise en elle-même, comment elle est un mode de transmission complémentaire du mode de transmission par l'Ecriture, et cela même quand elle transmet les mêmes choses que l'Ecriture. Le texte actuel semble limiter la Tradition à ce qui est transmis par la parole (« oretenus »), mais cette « traditio verbalis » ne tient pas suffisamment compte de toute la richesse de la Tradition, qui est transmission de *tout l'ensemble du christianisme,* tant de ce qui est écrit que ce qui ne l'est pas. Il ne suffit donc pas de considérer la Tradition uniquement comme moyen de transmission de la doctrine révélée en son état formel de doctrine: Verbum Dei, car « les paroles ne sont pas le seul moyen de transmission et d'enseignement, outre l'écriture »; les *réalités* « comportent aussi un enseignement, elle font partie du " dépôt " et de l'héritage apostolique; la Révélation se transmet aussi par elles, tout comme elle a été faite aussi par les gestes et les actes ». Une Tradition *intégrale* comprendra donc aussi cette « traditio realis » composée par la transmission concrète de la pratique chrétienne, des institutions, des traditions disciplinaires, et surtout de la liturgie. Ce dernier point est important du point de vue œcuménique puisque pour les Orthodoxes la tradition, outre la doctrine de la foi, englobe la loi de Dieu, les sacrements et les rites liturgiques: les Orientaux « professent pour la tradition, envisagée notamment sous son aspect liturgique, un grand respect; elle exprime, pour eux, la foi de l'Eglise, et constitue le " lieu " de l'intelligence priante de l'Ecriture ».

Cette Tradition intégrale est en outre une « Tradition *vivante* », car on ne peut la séparer du sujet vivant qui la transmet; à ce titre elle implique un certain *développement* (cf. n. 9). Ce développement représente: « une compréhension progressive que l'Eglise acquiert sous l'action du Saint-Esprit, du contenu du dépôt dont elle vit: non seulement par une réflexion sur les textes, faite par une Eglise qui " conserve toutes ces choses en son cœur ", mais par une intelligence progressive des realités qui sont en elle et dont elle fait spirituellement l'expérience en en vivant ».

Cette Tradition intégrale et vivante a un « *sujet* » (subiectum Traditionis). Ce sujet vivant d'une Tradition intégrale et vivante, c'est l'*Eglise,* et l'Eglise prise

dans sa *totalité,* qui garde, transmet, et aussi développe, le dépôt de la Foi. Dès lors, si le texte proposé (n. 9) souligne bien le rôle du Magistère, qui est au service de la Parole de Dieu et non au-dessus (n. 9, lig. 21 et 22), il est déficient à un double point de vue: tout d'abord parce qu'il paraît restreindre la Tradition au dépôt de la Parole (traditio verbalis), et en second lieu parce qu'il semble considérer ce dépôt comme confié au seul Magistère. Une précision ici s'impose: garder et transmettre le dépôt, c'est le fait de l'Eglise dans sa totalité, ce n'est pas réservé exclusivement au Magistère; expliquer et définir authentiquement, voire infailliblement, le contenu de ce dépôt, cela appartient en propre au Magistère. Le texte devra donc être précisé dans ce sens. Par contre la distinction entre « regula fidei proxima » et « regula remota », bien qu'admise par certains théologiens, n'est pas très heureuse (n. 9, lig. 25 et 26). La Parole de Dieu, la Vérité Première seule mérite le titre de « regula » (regula regulans, non regulata). Le Magistère, lui est « juge » des expressions qu'on donne au dépôt, par lequel il est lui-même réglé; il n'est donc tout au plus que « regula regulata, iudicans de interpretationibus propositis ».

De ces remarques, il ressort que ce n. 9 est à modifier, même à refondre et refaire entièrement.

Capita II, III, IV, V. Peu de choses à dire sur ces chapitres, bien plus satisfaisants que le chapitre I, et bien meilleurs que le texte de l'ancien schéma sur les mêmes sujets.

Une petite remarque sur un point du *chapitre II* (n. 12, lig. 31).

Le texte manque un peu de clarté lorsqu'il dit simplement: « quam cum paria aut similia in quotidiano usu haberentur... ». On pourrait préciser ainsi: « quam cum paria aut similia in quotidiano usu " huius temporis " haberentur... » ou peut-être mieux encore: « quam cum paria aut similia in quotidiano hominum usu in rebus temporalibus haberentur ».

33

Exc.mus P. D. LAURENTIUS JÄGER
Archiepiscopus Paderbornensis

Huic schemati diligenti cura bene elaborato proponere liceat mihi quasdam parvas emendationes.

Pag. 9, n. 11, lin. 8: post verba « usus est » sequentia verba ita componantur: *a*) usus est, ut revelationem divinam universis hominibus scripto traderent. *b*) *vel* ita: usus est, ut ea omnia eaque sola quae ipse voluit universis hominibus scripto traderent. *Ratio*: Formula *a*) indicat simpliciter finem inspirationis. Formula *b*) solummodo mutavit verbum « iuberet » in « voluit », quia « iuberet », quamvis omnino rectum et ex documentis venerandis desumptum est, aliquod dictamen proprie dictum indicare posset et tali modo male intellectum faveret inspirationis quasi « mechanicae » conceptui, quam quidam protestantes saeculi XVI affirmabant.

Pag. 9, n. 11, lin. 10: post verbum « Scripturae » addatur: inquantum Dei revelationem in historia factam testatur. *Ratio*: ut clare appareat, quare scriptura est sine errore. Finis est testimonium veritatis revelatae, cui fini omnia effata

sunt subordinata. Quomodo in singulis tota scriptura est sine errore, infra magis explicabitur.

Pag. 10, n. 12, lin. 4: post verbum « subsunt » addatur: « quae verbi Dei servandi et interpretandi divino fungitur mandato et ministerio ». *Ratio*: ut iterum reiiciatur obiectio protestantium, Ecclesiam dominationem arbitrariam sibi usurpari in verbum Dei.

Pag. 11, n. 15, lin. 19: post verba « typis significaret (cf. *1 Cor.* 10, 11) » addantur verba: « et lex paedagogus noster esset in Christo (*Gal.* 3, 24) ». *Ratio*: ut aliquo saltem modo ille aspectus legis vocetur, qui in Epistolis ad Galatas (3, 19-26) et ad Romanos (5, 20) enuntiatur.

Pag. 13, n. 18, lin. 21: deleatur verbum « aliquando ». *Ratio*: Evangelia in omnibus praeconii formam resonant et hoc nullatenus adversatur eorum historicitati, sed potius eam roborat et affirmat. Ideo etiam illa introductio « Quamvis » non placet. Melius tota enuntiatio ita formuletur: « Certum est quidem evangelia formam praeconii resonare et cum historicae compositionis rationibus quae nostris praesertim aetatibus adhibentur, non in omnibus convenire, sed hoc non obstante salutis veram et sinceram historiam nobis tradunt ». Nota: « Salutis » historiam hic ex omni parte in sensu catholico intelligi ex ipso contextu satis apparet. Solummodo apud quosdam protestantes verbum « Heilsgeschichte » satis ambigua est.

Pag. 14, n. 19, lin. 2: post verbum « adlaborare » textus ita formuletur: « ut plenitudo Evangelii in dies magis intelligatur ad serviendum Ecclesiae muneri praedicandi et explicandi verbum Dei ». *Ratio*: ne hic labor exegetarum coarctari videatur ad locos difficiles scripturae sacrae.

Animadversiones additae:

Pag. 5, n. 2, lin. 17, loco verborum « superno fine » dicatur « superna vocatione ». *Ratio*: adhibeatur locutio magis biblica (cf. *1 Pt.* 2, 9; 5, 10; *Col.* 3, 15; *Act.* 2, 38-39).

Pag. 5, n. 3, linn. 25 ss. ita mutentur: « Nulla ergo adhuc nova revelatio publica exspectanda est, sicut nulla alia salus usque ad gloriosum adventum Iesu Christi, " ita ut nihil desit in nulla gratia exspectantibus revelationem Domini nostri Iesu Christi " (*1 Cor.* 1, 7). Quare religio christiana revelata numquam transibit et nullo modo est aetas transitoria historiae religiosae humanitatis, sed omnino novissima et definitiva. Quamdiu enim peregrinemur in fide non haberi non potest intimior communicatio Dei cum hominibus, quibus ipsum Verbum Dei incarnatum loquitur et quibus viva fide credentibus ipse Spiritus Sanctus inhabitat diffundens in cordibus eorum gratias Christi, qui " semel in consummatione saeculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit " (*Hebr.* 9, 26) et " unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet ad dexteram Dei... Una enim oblatione consummavit in aeternum sanctificatos " (*Hebr.* 9, 12-14) ». *Ratio*:

a) Cum adventus gloriosus Domini secundum modum loquendi Scripturae sit « revelatio » (*1 Pt.* 1, 7; 4, 13), cautius loquendum erit.

b) Dicatur, quare religio christiana sit definitiva et hoc scripturae testimoniis confirmetur.

Pag. 6, n. 4, lin. 3, post verba « divinitatem suam », addatur: « et redemptionis gratiam ». *Ratio*: ut etiam aspectus soteriologicus in lucem veniat.

Pag. 6, n. 4, linn. 3-5, in hanc formam mutentur: « cum Christus divinitatem suam et redemptionis gratiam non verbis dumtaxat, sed etiam vita sanctissima, miraculis, prophetiis et maxime resurrectione gloriosa ex mortuis et manifestaverit et confirmaverit ». *Ratio*: ipsa miracula et praesertim resurrectio ex una parte manifestant credenti gloriam Filii Dei (*Io.* 2, 11), ex alia parte sunt signa certissima confirmantia divinam Iesu Christi missionem eiusque verborum veritatem.

Pag. 6, n. 6, loco textus schematis ponatur alius textus, v. g.: « Deo revelanti praestanda est oboedientia fidei (*Rom.* 16, 26), quae nobis inest per gratiae donum, id est per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem (Conc. Araus. II, can. 5). Nemo enim potest venire ad Christum nisi Pater traxerit eum (*Io.* 6, 44). Qui credit ei, qui misit Christum, habet vitam aeternam et in iudicium non venit, sed transit a morte ad vitam (*Io.* 5, 24). Quo vero profundior... etc. » ut in schemate. *Ratio*: ut fides magis elucescat tamquam gratiae donum.

Pag. 7, n. 7, lin. 2, loco verborum « id est », dicatur « attestans ». *Ratio*: Evangelium est testimonium eorum quae Iesus fecerat et docuerat.

Pag. 9, n. 11, linn. 2-3, textus ita mutetur: « Divinitus revelata afflante divino Spiritu litteris consignata in Sacra Scriptura testificantur et prostant ». *Ratio*: *a*) Distinguatur ipsa actio revelatrix a revelatis. *b*) Quamvis verbum « continere » omnino rectum et usitatum est, verbum « testificantur » melius videtur.

Pag. 9, n. 12, linn. 28-29, verba « salva Scripturae auctoritate et sanctitate » forsan possunt omitti, quia in eodem contextu pag. 10, linn. 1-2 idem effatum repetitur.

Pag. 13, n. 18, linn. 26-27, verba « sive ex memoria et recordatione propinquorum et discipulorum Domini » videntur superflua. *Ratio*: quia continentur iam in illis, quae ex *Lc.* 1, 2-4 optime vocantur.

Pag. 15, n. 24, linn. 28 ss. ita mutentur: « Sacra Theologia in verbo Dei revelato tamquam in suo primario et perenni fundamento innititur, ex quo fide illustrata omnem veritatem in mysterio Christi conditam perscrutatur et firmissime roboratur semperque iuvenescit, ita ut sacrae scripturae studium sit veluti anima sacrae doctrinae ». *Ratio*: cf. Conc. Vat. I, sess. III, cap. 4; Conc. Vat. II, schema *De sacrorum alumnis formandis,* pag. 13, linn. 37-38.

Pag. 15, n. 21, lin. 5, post verbum « liturgia » addatur: « proclamatione, praedicatione, hymnis et orationibus ». *Ratio*: ut breviter indicetur, quam multis modis verbum Dei in liturgia sacra adhibeatur.

Pag. 15, n. 21, lin. 6, post verbum « acciperent » addatur: « et ita vivant in verbo, quod procedit de ore Dei (*Mt.* 4, 4) ». *Ratio*: ut sacerdotes verbis Domini moneantur.

Pag. 15, n. 21, lin. 10, loco « vitae spiritualis » dicatur « vitae aeternae ». *Ratio*: locutio proposita est magis biblica.

Pag. 15, n. 25, lin. 7, post verbum « studio » addatur « ac fraterno colloquio ». *Ratio*: ut commendetur colloquium de sacra scriptura, quod tam multi sancti valde commendaverunt.

Pag. 16, n. 25, lin. 10, loco verbi « ovibus » dicatur « fidelibus ». *Ratio*: ita fit nexus cum sequentibus (n. 26), et insuper vox « ovibus » separatim sumpta absque pulcherrimis Domini nostri verbis de pastore bono a quibusdam non bene intelligitur.

De cap. V toto. Schema decreti pastoralis *De Verbo Dei* a secretariatu ad unitatem christianorum fovendam elaboratum vel cum cap. V in unum caput redigatur vel ut appendix huic schemati *de divina revelatione* adiungatur.

34

REV.MUS P. D. IOANNES B. JANSSENS

Praepositus generalis S.I.

N. 1, lin. 3: « in memoriam revocat »; nonne aptius « sua facit »? nam re vera Concilium intendit et ipsum « annuntiare vitam aeternam... ».

Ib., lin. 8: « Quamquam enim valent homines *propriis viribus* quaerere Deum... »?

Ib., lin. 12: « vocantur omnes homines... »; deleatur vox (homines) quae iam ut subiectum totius sententiae enuntiata est lin. 8.

Ib., lin. 13: rectius dicitur « revelatione *plenior* veritas tam de Deo... ».

N. 2, lin. 18: vox « mox » melius omittitur.

N. 3, lin. 28: vox « *omnino* » superflua est; christianismus est « aetas novissima et definitiva ».

N. 5, linn. 11-12: vox « respicitur » est vaga et nihil dicit; potius « innotescit » vel « patefit » vel simile quid definitum.

Ib., lin. 16: « ... et nullo admixto errore *nonnisi* lumine revelationis cognosci possunt ». Vox « nonnisi » addita est textui Vaticani I, et sensum huius Concilii mutat. Supprimatur haec vox, et restituatur ita verus sensus Vaticani I.

N. 7, lin. 10: « quae *fide divina* tamquam divinitus revelata... »; supprimantur verba « fide divina » quae pertinent ad sermonem technicum scholarum; omnino sufficiunt reliqua: « tamquam divinitus revelata ».

N. 9, lin. 24: locutio « in una vel altera depositi parte » resuscitat controversiam quam hoc schema vitare velle videtur (et sapienter) de « duplici » fonte. Dicatur simpliciter: « quae in deposito implicite et obscure continentur ».

N. 10, lin. 31: minime felix videtur additamentum « sensu quoque fidelium subordinate concurrente ». Ecclesia non est clerus; Ecclesia seu Corpus Christi mysticum sunt omnes fideles, clerici et laici. « Sensus fidelium » eatenus momentum habet quatenus prodit fidem Ecclesiae. Proinde non *subordinate* concurrit. Propono proinde ut hoc incisum, quod datum est confusionem et controversiam suscitare, simpliciter omittatur.

N. 17, linn. 11-16: hae lineae supprimantur; omnino inutiles sunt, et videntur inspiratae ista tendentia saepius iam in Concilio reprobata, inveniendi ubique errores et pericula. Positive, non negative procedatur.

N. 20, lin. 8: « ex aliis *apostolorum* libris... ». Estne mens Concilii dirimendi controversiam v. g. de Petro Apostolo auctore secundae epistulae « Petri »; vel de Paulo apostolo auctore « Epistolae ad Hebraeos »? Addo improprie vocari « libros » Epistolas. Dici potest: « ex aliis apostolicis scriptis », nam certe auctores etiam scriptorum de quibus controversia movetur, fuerunt « homines apostolici »; in fine eiusdem lineae loco « conscriptis » vox synonyma adhibeatur: v. g. « exaratis ».

N. 25, lin. 10: « amplissimae divitiae » videtur lapsus loco « amplissimas di-

vitias ». Eadem linea, loco « ovibus suis communicare » dicendum videtur secundum usum classicum « cum ovibus suis communicare ».

Ceterum schema in genere et omnibus consideratis placet.

35

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS GERARDUS KRAMER

Episcopus Lunganensis

Emendatio profunda a commissione mixta perfecta, quamvis sit laudanda ac grato animo accipienda, effecit, quod textus nunc praesentatus non sit sub omni respectu organice ad unitatem redactus.

Speciatim relate ad notionem revelationis notandum mihi videtur, quod hic doceatur revelationem tantummodo fieri communicatione aliquarum veritatum, illic vero etiam per facta gestaque historiae salutis, quin ista elementa organice coniungantur.

36

EXC.MUS P. D. IOANNES IOSEPH KROL

Archiepiscopus Philadelphiensis Latinorum

In genere: Schema recognitum *de divina revelatione* bene scriptum est.

Impossibile videtur ut habeatur ulla forma expressionis quae de se statim clara sit omnibus acatholicis. Multi ex eorum theologis concedunt theologos catholicos conari terminos definire et eos adhibere modo claro ac praeciso. Inter acatholicos, etiam apud theologos dictos systematicos, invenitur varietas terminorum quae quem fere perterret; praeterea, multi theologi acatholici suos terminos definire non tentant. Forsitan aliqua exempla terminorum ab acatholicis adhibitorum auxilium hac de re praestent.

Revelatio saepe designat unum ex sequentibus: quidquid potest de Deo disci ex quove fonte; quidquid potest de homine disci ex quove fonte; actio Spiritus sub quave forma; Dei continua manifestatio sui ipsius in natura vel in mente cordeve hominum; manifestationes actuales divinae providentiae. *Verbum Dei* plus minusve eodem modo adhibetur.

Traditio, sensu quem vocamus passivum, est id quod Deus revelavit praesertim in populo Israelitico Veteris Testamenti et in persona Domini Iesu (et eius apostolorum).

Praeterea, acatholici dicunt neminem summam veritatis possidere posse. Haec sententia vera videtur si intellegitur uti significans cognitionem explicitam omnium veritatum. (Concedi oportet ut talem distinctionem non faciant; videtur eius necessitatem non in mentem eorum venire).

Itaque venia postulatur ut aliqua dicantur de praeambula et de cap. I.

Debet afferri, quamvis non necessarie in ipsa constitutione, revelationem intellegi uti specialem manifestationem sui ipsius a Deo datam in Israele antiquo et in persona, in operibus, atque in doctrina Iesu, necnon in Ecclesiae primis annis.

De cap. I conclusione licet observare vera esse illa dicta in ordine exsistentiali definitivae constitutionis Ecclesiae. Observari autem potest partem traditionis ori-

gine praecessisse constitutionem magisterii, magisterium praecessisse origine scriptionem librorum Novi Testamenti.

Praeterea, Sacra Scriptura (et traditio) aliquando influxum beneficum exercet in animo et corde aliquorum qui magisterii auctoritatem non agnoscunt.

In specie.

1. Pag. 5, linn. 22-25: « *In Christo et per Spiritum Christi* ». Dictum omnino iustum est; *in Christo,* autem, potest intellegi de persona Christi physice exsistentis hisce in terris, sed talis non est significatio desiderata, uti patet e referentia ad *Io.* 14, 26. Suggeritur, itaque, loco in Christo scribi *per Christum.*

« *Doceret... dixerat* » (cf. *Io.* 14, 26): versiculum relatum ita legitur in *Vulgata*: « Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis ». Graecitas huius textus aliquatenus aliter sonat; secundum litteras traductio trium vocum ultimarum esset « quae dixi vobis ». Praeterea, secundum intellectum verosimiliorem Graecitatis clausula relativa stat tantum cum altero « omnia ». Certo certius Spiritus Sanctus docuit apostolos aliqua non praevie eis a Christo Domino tradita; itaque suggeritur *voluit docere* inseri post *dixerat,* nam ipse Christus voluit ut docerentur quae Spiritus Sanctus docuit.

2. Pag. 7, lin. 4: « omni creaturae ». Esset melius « omni homini ».

3. Pag. 7, lin. 7: « *a Spiritu Sancto dictante* ». Quamquam vox *dictante* adhibita est in Sacrosancta Synodo Tridentina (cf. DENZ. 783) et in aliis documentis magisterii, esset magis biblicum ut adhiberetur *docente* vel suggerente. Praeterea, verbum *dictare* saepius intellegitur uti *lente enuntiare illa quae ab alio scribi debent* (italice dettare, anglice dictate, gallice dicter, hispanice dictar, germanice diktieren), qui sensus heic non desideratur.

4. Pag. 7, linn. 21 s.: « *Magisterium non supra verbum Dei est, sed eidem ministrat* ». Forsitan claritatis causa voces uti *eidem verbo obnoxium* addi possint post verbum *sed,* nam ipsum magisterium revelationi divinae oboedit.

5. Pag. 14, lin. 8: « *apostolorum* ». S. Lucas, Actuum Apostolorum auctor, apostolus non fuit.

37

EXC.MUS P. D. MARCELLUS LEFEBVRE

Archiepiscopus tit. Synnadensis in Phrygia

Revelatio est actio Dei simul et hominis in instrumentum assumpti ad innotescendum mysterium salutis primo quidem Iudaeis, deinde omnibus gentibus, quae verbis et factis constituitur.

Revelatio divina progressive perficitur per totam historiam Veteris Testamenti et continuo refertur ad Christum, futurum Messiam a Deo promissum.

Perfecta revelatio datur tum verbis, tum actibus ab ipso Christo per totam vitam in terris peractam.

Christi revelatio immediate transmittitur tempore apostolorum, primo quidem per traditionem oralem, deinde per Sacras Scripturas divinitus inspiratas.

Libri canonici utriusque Testamenti accipiuntur, recognoscuntur et conservantur ab Ecclesia cui etiam pertinet agnitio et transmissio oralis traditionalis.

Solum Ecclesiae magisterium plenam possidet competentiam circa interpreta-

tionem documentorum revelationis quae traditionem sive scriptam, sive oralem, sive etiam realem referunt. Regulae scientificae historiae profanae, etsi saepe perutiles, ad obiectum integrale revelationis amplectandum impares sunt.

[*Subscripserunt etiam*] J. Prou; G. de Proença Sigaud.

38

EXC.MUS P. D. AMEDEUS LUDOVICUS LEFEVRE
Archiepiscopus Rabatensis

Animadv. in prooemio schematis. Conceptus « Revelationis » nimis est adhuc intellectualis quamvis non negetur alter aspectus eiusdem realitatis. Nimis adumbrata adhuc manet actio personalis Dei se revelantis unicuique credentium. Ita ut, legenti hoc schema, « revelare » videtur saepe tradere aliquot veritates, deinde signis miraculosis comprobatas. Quae praesentatio quidem non est erronea sed non satis consentanea biblicae notioni de « Verbo Dei », quod sane non consistit nec implicat solum quaedam dicta obiective sumpta, sed inseparabiliter « locutionem » Dei, i. e. actionem Dei loquentis.

Notamus textum feliciter memorasse Deum loqui hominibus non tantum verbis sed factis. Sicut aiebat S. Augustinus « Facta Verbi verba ».

Rursus, valde opportunum mihi videtur affirmare indolem essentialiter et principaliter « salvificum » divinae revelationis. Hoc « verbum salutis » ad id ordinatum est ut homines « mysterium » christianum participare valerent. Revelatio Christi est praesertim « oeconomica » non principaliter speculativa.

Aliunde hoc schema non satis accurate redactum est, indole nimis scholari.

In particulari vero lin. 10: « maxime eius subsistentiam in tribus personis », feliciter mutandum esset in aliam locutionem, biblicam.

Animadv. in cap. I. Art. 7. In hoc articulo, in sensu directo, Scriptura et traditio false videntur concipi ut duo elementa ita iuxtaposita ut ex adiunctione unius alteri fiat revelatio. Haec conceptio mihi videtur valde deficiens, multo magis non exponenda in schemate Concilii Oecumenici! Nostra interpretatio textus schematis roboratur per verbum « oretenus » quasi « traditio » consisteret in quodam compendio veritatum doctrinalium vel moralium. Traditio christiana in Ecclesia Christi requirit interpretationem multo latiorem.

Art. 7 et 9. Hic non satis exposita est notio « vivae traditionis » Ecclesiae, quae est vita ipsa Ecclesiae, ductore et vivificante Sancto Spiritu.

Art. 9. Tandem et super omnia, verba schematis huius de « magisterio » omnino mihi displicent.

Nunquam dici potest sine gravi confusione, magisterium Ecclesiae esse fontem revelationis, dum solum Evangelium ad nos transmissum per viam Scripturae Sacrae et traditionis potest et debet dici fons revelationis. Magisterium gaudet privilegio et officio, magni momenti et pernecessario, declarandi authentice sed non constituendi revelationem. Itaque magisterium non praeditum est dono « inspirationis » sed tantum « assistentiae a Spiritu Sancto » ne forte cadat in errore. Et haec sunt prorsus dissimilia. Insuper magisterium Ecclesiae ibi indebite restringitur formae infallibili. Atque Evangelium Dei universae Ecclesiae concreditum est, singulari modo collegio apostolorum et illorum successoribus duce Petro, ut sic traderetur usque in finem saeculi, etiamsi manifestum est magisterium infalli-

bile charismate inerrantiae gaudere in sua interpretatione et suis declarationibus. Propono haec verba addi: « magisterio tum solemni et infallibili, tum ordinario... et exinde per magisterium Ecclesiae, traditio ita fit regula permanens et actualis fidei ut Ecclesiae sit ministra verbi Dei ».

Art. 10. In fine propono hanc additionem: « sensu fidelium subordinate sed active concurrente ».

Et concludendo, propono mutationem infelicis tituli I capituli huius schematis. Loco « De verbo Dei revelato », scripserim « De revelatione », et hoc quidem quia Verbum Dei est magis revelans quam revelatum.

39

Exc.mus P. D. STANISLAUS LOKUANG

Episcopus Tainanensis

1. N. 10: in fine dicitur « sensu quoque fidelium subordinate concurrente ». Phrasis haec non est clara. Nescio si potest verti bene in alias linguas; in linguam sinicam difficillime verti potest. « Sensu » hoc verbum usu moderno introductum in philosophia et nunc etiam in theologia significationem determinatam nondum habet.

2. N. 18: « Quamvis enim formam praeconii aliquando resonent et cum historicae compositionis rationibus quae nostra praesertim aetate usurpantur non in omnibus conveniant, Evangelia tamen veram et sinceram historiam nobis tradunt ».

Mirum est quod fideles per tot saecula crediderunt et adhuc credunt veritati historicae Evangeliorum, nunc debent audire ab Oecumenico Concilio Evangelia saltem historiam tradere veram! Estne necessarium hoc conclamare in Concilio Oecumenico, vel non potius est res quae pertinet ad exegesim? Melius forsitan est dicere « Quamvis forma ac natura Evangeliorum differens sit ac ordinaria genera historicae narrationis, veracitas historica in eis non infirmatur ».

40

Exc.mus P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de El Obeid

1. In prooemio, par. 2 vel omitterem vel cum sequenti iungatur.

2. In prooemio, par. 4 vel omitterem aut suggererem ut ad notas transferatur.

3. In prooemio, par. 5 et 6 continent totum pondus disceptationis pro revelatione... forsitan necessarium erit hodiernis agnosticis pauca dicere ad stabiliendam virtutem rationis purae; quae virtus si penitus auferatur vel ignoretur, timeo ne, ratione penitus debilitata, receptaculum revelationis quoque infirmetur.

4. In cap. 1, puto quod par. 8 et 9 sit opportunum ut in unum redigantur.

5. Conclusio par. 10 in cap. 1 est explicanda clariori via: sensus fidelium estne quarta pars fundamenti revelationis cum Scriptura, traditione et magisterio? Vel est potius dicendum quod sensus fidelium sit tantum fulchrum (appoggio) magisterii quod considerari potest ut medium vel canale quo revelatio ad nos pervenit? Nonne pars revelationis pervenit et ad alios (e. g. Protestantes) sine

magisterio. Si hoc secundum propius est veritati forsan melius erit si Scriptura et traditio computentur separatim tamquam *fons revelationis*; magisterium vero et sensus fidelium numerentur tamquam *media* a Deo praestita quibus revelatio ad nos perveniat.

6. Puto quod inerrantia Scripturae, de qua sermo est in par. 11, cap. 2, referatur tantum ad res fidei et morum.

7. Rogo Patres Concilii ut in par. 24 et 25 statuant duas res: *a*) ut in cursibus theologicis seminaristarum omnium, tota Scriptura percurratur, saltem breviter; *b*) ut methodus studii Scripturae penitus innovetur ita ut sensus revelationis declaretur primo loco, et sensus disquisitionis apologeticae vel archaeologiae secundo loco tantum.

41

Exc.mus P. D. SIXTUS MAZZOLDI

Episcopus tit. Lamenus, vic. ap. Jubaensis

Hoc schema nimis indeterminatum esse videtur. Clarior expositio atque divisio inter traditionem et Sacram Scripturam desideratur.

Traditio prior atque amplior est quam Sacra Scriptura.

Traditio continet omnem veritatem revelatam sive per verbum traditum sive scriptum.

Per aliquot annos etenim sola traditio apostolica fuit fons revelationis.

Sacra Scriptura, utique maximi momenti, post atque secundum praedicationem verbi traditi, scripta est.

Traditio et Sacra Scriptura a Spiritu Sancto inspirata, depositum fidei sunt, quod concreditum est vivo et infallibili Ecclesiae magisterio.

Ex vivo et infallibili magisterio Ecclesiae solo certe novimus Canonem Sacrae Scripturae Veteris et Novi Testamenti, nempe authenticum numerum Sacrorum Librorum, qui a Spiritu Sancto inspirati sunt cum singulis suis partibus. Ex quo patet traditio exposita per infallibile magisterium Ecclesiae unicum criterium esse cognoscendi et interpretandi Sacram Scripturam a Spiritu Sancto inspiratam.

Hinc mihi videtur doctrina de traditione clarius asserenda et exponenda esse.

Ad cap. IV: « De Novo Testamento », pag. 13, n. 18, lin. 21. Omittere velim sequentia verba: « quamvis enim formam praeconii aliquando resonent et cum historicae compositionis rationibus quae nostra praesertim aetate usurpantur non in omnibus conveniant »; haec verba obscura sunt et locum praestant multis interpretationibus, quapropter videtur melius esse ea omittere atque incipere sic et simpliciter: « Evangelia veram et sinceram historiam nobis tradunt etc. ».

42

Exc.mus P. D. IOANNES IOSEPH McELENEY

Episcopus Kingstonensis

Pag. 5, sectio 1, linn. 10-11: « ... non possent tamen mysteria Dei cognoscere, maxime distinctionem trium Personarum in una divina essentia, adventum Domini in carnem, et visionem Dei facie ad faciem (cf. *1 Cor.* 13, 12), ad quam

vocantur omnes homines... ». *Ratio emendationis est*: Mysterium Trinitatis ita simplicius exprimi debet; Incarnatio, tamquam unum ex primariis mysteriis nostrae fidei introduci debet; et visio beatifica, tamquam consummatio vitae gratiae, praefertur consortio divinae naturae.

Pag. 5, sectio 2, linn. 18-19: « ... ac post peccatum Adae, misericorditer promittendo Redemptorem, mox corda hominum erexit in spem salutis. Postea in Abraham... ». *Ratio emendationis est*: restauratio ordinis salutis revera locum non habuit « mox » post peccatum Adae, sed multis saeculis elapsis in morte et resurrectione Domini.

Pag. 5, sectio 3, lin. 27: « Quare christianismus non est aetas quaedam tantummodo transitoria... ». *Ratio emendationis est*: Qualificatio « tantum » debet respicere adiectivum (« transitoria ») potiusquam nomen (« aetas »).

Pag. 7, sectio 9, lin. 24: « ... clarificando et etiam enucleando quae in Deposito fidei forte nonnisi implicite vel obscure continentur. *Ratio emendationum est*: 1) « clarificando », speciatim quando transvertitur in linguas modernas Europae, est vocabulum minus ambiguum, magis exactum, quam « illustrando »; 2) « quae in una vel altera depositi parte » innuit quod datur duplex fons revelationis. Sed hanc insinuationem Sacra Synodus vult evitare; 3) Sacra Synodus non debet categorice declarare quod quaedam veritates obscure et implicite continentur in deposito fidei; forte hae veritates clare et explicite continentur, sed res adhuc nobis latet.

Pag. 7, sectio 10, lin. 31: illa quaestio de consensu fidelium debet tractari modo ampliori; nam est quaestio summi momenti pro fratribus separatis, praesertim orthodoxis.

Pag. 9, sectio 11, lin. 12: « inde error cum Scriptura divinitus inspirata simpliciter componi non potest »; *vel* « inde omnes affirmationes hagiographi ab omni prorsus errore immunes esse consequitur »; *vel* « inde Scripturam divinitus inspiratam ab omni prorsus errore immunem esse consequitur ». *Ratio emendationis est*: praerogativum inerrantiae non respicit omnes sententias Sacrae Scripturae. Inspiratio multo latius patet quam inerrantia. Quaestio de inerrantia oritur solummodo ubi adest affirmatio hagiographi.

Pag. 13, sectio 18, lin. 19: « ... recensita Evangelia vere et substantialiter tradere... ». *Ratio emendationis est*: « et substantialiter » inseritur ne videatur doctrinam Christi semper in ipsissimis verbis Christi proferri.

Pag. 14, sectio 19, lin. 2: « ... sub materna vigilantia Ecclesiae... ». *Ratio emendationis est*: non est necesse ut magisterium (in concreto, hierarchia) Ecclesiae agat tamquam *dux* exegetarum.

Pag. 15, sectio 23, lin. 24: « sub ductu magisterii » simpliciter expungi debet. *Ratio omissionis*: phrasis innuit quod exegetae catholicae nihil aliud possunt, vel debent, facere nisi *sequi* magisterium. Sed magisterii est vigilare; exegetarum autem est proficere, investigare, invenire.

Pag. 16, sectio 26, lin. 21: « ... ut commode ac utiliter... ». *Ratio emendationis*: adverbium « tuto » innuit quod Scriptura est aliquid in se periculosum. Talis insinuatio fratres separatos non placeret.

43

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI
Patriarcha Antiochenus Maronitarum

A) *Considérations générales*. Les progrès marqués par le présent Schema sur celui qui a été discuté lors de la première session sont évidents. Les rapports de l'Ecriture et de la Tradition sont mieux exprimés. On ne parle plus de « Deux Sources » pour la Révélation. La question du genre littéraire des Evangiles est exposée avec précision.

Notons, de plus, et à cause même de cela, le sens pastoral et le sens œcuménique de ce Schema, son allure concrète et adaptée aux problèmes du monde contemporain.

B) *Considérations particulières*. a) *Le Prooemium*:

1. Le préambule cherche, avec raison, à situer la « Révélation », sans pour autant en donner qu'une définition implicite.

Il faudrait, de toute nécessité, me semble-t-il, éviter que la Révélation soit considérée comme un ensemble d'énoncés ou de thèses de manuels. Si elle était considérée comme telle, l'on perdrait de vue le Dieu révélant; l'on couperait la Révélation de son origine. On lui enlèverait une grande partie de son effet et son sens.

La Révélation nous met, en effet, en contact personnel avec Dieu qui s'adresse à nous constamment, Lui qui, par sa Parole, ne cesse de nous retrouver dans nos problèmes et nos situations concrètes.

La Révélation doit être considérée comme l'acte par lequel Dieu s'est dévoilé et ne cesse de le faire. Dieu ne cesse de révéler son Fils et le Salut qui en est la conséquence. La Parole de Dieu est toujours opérante, dynamique.

Que si l'on veut maintenir à la Révélation son sens de *locutio formalis*, qu'on n'oublie pas le point de vue fondamental de l'activité de Dieu qui se révèle. De la sorte, l'on évitera l'accusation d'intellectualisme: les paroles n'ont de valeur que par l'intention ou le vouloir de celui qui les profère. Il y a action et réaction entre la parole qui incarne une intention et l'intention qui porte la parole. La Parole de Dieu est un « signe ». Cette Parole de Dieu tout entière est orientée vers le Mystère Chrétien du Christ Jésus. Et ce Mystère est structuré, unifié organiquement.

2. Je regrette que le latin de ce préambule ne soit pas à la hauteur du sujet traité.

3. Du point de vue pastoral, il serait bon, peut-être, de marquer les différents étagements ou les différentes périodes dans les objets de la Révélation et de la foi, tout en maintenant le lien organique qui lie les diverses parties du contenu révélé.

4. Il faudrait, me semble-t-il, éviter toute expression qui sente l'Ecole. Ainsi, p. e. la formule, p. 5, par. 1, ligne 10, « subsistentiam in tribus personis », devrait être remplacée par toute autre, comme « le Mystère intime de Dieu » p. e.

5. P. 5, par. 3, lignes 25-26: dire « nulla revelatio *publica* ».

Caput I: De verbo Dei revelato.

1. Le titre laisse à désirer et porte à critique: La Parole de Dieu est plutôt

révélante que révélée, dans la mesure, où, comme nous venons de le dire, l'on veut insister sur sa véritable nature dynamique et non figée de « dépôt » de la Révélation.

2. Notre texte est à revoir de près. Avant d'y apporter deux ou trois critiques, disons l'une de ses qualités, par rapport au texte proposé à la première session.

a) Il évite les énoncés malencontreux. Son apport positif reste pourtant réduit.

b) Il évite aussi de donner des rapports de l'Ecriture et de la Tradition une définition nette, qui ferait croire, ou bien, que l'une est indépendante de l'autre, ou bien, que l'une contient des vérités totalement indépendantes de l'autre. De la sorte on serait revenu à la théorie refusée, lors de la première session, des deux Sources.

Au contraire, le présent Schema dit que les rapports entre Tradition et Ecriture sont comme des rapports de présence mutuelle, de connexion. C'est pourquoi, le par. 8 est bon comme tel. Il faudrait le conserver, sans entrer dans des discussions générales qui ne seraient pas du ressort du Concile.

c) Cependant des remarques s'imposent:

1) Le présent Schema devrait, me semble-t-il, définir la Tradition davantage en elle-même, comme une *transmission vivante* d'exemples, de gestes, d'attitudes, de formes de vie significatives, etc. En d'autres termes, il faudrait appuyer davantage sur l'acte lui-même de la transmission, beaucoup plus que sur un *matériel transmis*; ensuite, comme une *transmission de réalités* et pas seulement de paroles.

Or, notre texte limite la Tradition à ce qui est transmis *oretenus* (p. 7, ligne 6), et cela, parce qu'il vise la tradition comme moyen de transmission de la doctrine révélée, elle-même considérée comme *locutio formalis* (lignes 8, 19). En plus de mots, des paroles et de l'écriture, il y a un autre moyen d'enseigner: celui des réalités elles-mêmes. Depuis Mohler et Newman, il n'est plus permis d'oublier ces points de vue riches et indispensables, hautement pastoraux et œcuméniques.

2) Dans le présent Schema, on n'insiste pas suffisamment sur la compréhension de la Tradition dans son progrès et son développement, sous l'action du Saint-Esprit qui travaille l'Eglise.

Il y aurait, tout d'abord, à enlever la sorte d'équivoque qui existe d'un paragraphe à l'autre dans le sens du mot « Tradition ».

Dans le par. 7, le texte parle davantage des traditions apostoliques, de la partie orale de l'enseignement apostolique. Plus bas, par. 8, Tradition est comprise dans un sens plus compréhensif: ce que l'Eglise transmet, en plus des Saintes Ecritures. Il s'agit donc, ici, d'un développement du contenu de la foi vivante de l'Eglise transmise de génération en génération, de manière active et mystérieuse.

Pourquoi n'a-t-on pas intégré, dans le présent Schema, d'une façon ou d'une autre, ce que l'ancien Schema avait dit de ce développement au c. V: « de progressu doctrinae », p. 45 sq. de l'ancien Schema.

Certes le par. 9 en parle, mais rapidement. Ce développement, notons-le, ne relève pas d'une réflexion sur des mots, mais d'une intelligence des *réalités* sous l'action du Saint-Esprit.

C'est pourquoi, il faudrait, me semble-t-il, faire mention plus explicite de cette action du Saint-Esprit, qui est l'âme de l'Eglise. Le présent Schema en parle aux

par. 7 et 9, lignes 22-23, mais pauvrement. On ne peut structurer une théologie de la Tradition, sans la mettre en rapport très intime avec le Saint-Esprit.

3) Au par. 9, le texte dit, sans nuances aucunes, que le dépôt de la Parole de Dieu a été confié au Magistère infaillible de l'Eglise, et non aux individus comme tels.

C'est là une affirmation vraie, mais incomplète. Elle a besoin d'être distinguée comme suit: c'est toute l'Eglise qui doit garder et transmettre le « dépôt », alors qu'il revient au Magistère de définir infailliblement, authentiquement ce « dépôt » de la foi. Cette double distinction a sa valeur pastorale. Les parents, les Laïcs transmettent, ont le devoir de transmettre le dépôt de la foi, son contenu objectif.

Après cette première et importante affirmation, il faudrait montrer l'apport des fidèles au développement du dépôt de la foi, le Magistère restant juge de l'authenticité de ce développement. Dans ce sens, il faudrait noter, au moins en passant, le rôle des théologiens dans ce développement. L'ancien Schema en parlait. Le présent Schema garde sur ce point un grand silence. Ce qui est dit à la ligne 31, n'affirme rien de la part réelle des fidèles dans ce développement. Il faudrait, peut-être, reprendre ici ce qui est dit des Laïcs et de leur place dans le Corps du Christ, dans le *Prooemium generale* du Schema *de apostolatu laicorum,* par. 3: « Totius Ecclesiae... » etc.

4) Une remarque enfin sur le même par. 9. Il emploie la distinction: « regula fidei proxima », et « regula fidei remota ». Est-il nécessaire que cette distinction soit canonisée par le Concile, surtout qu'elle n'est pas indemne de toute critique. La Parole de Dieu, seule, est « regula regulans » *non regulata*; le Magistère, en sa prédication, est « regula regulata ». Il juge seulement des *expressions* de la foi.

Capita II ad V.

L'ensemble de ces chapitres me semble satisfaisant. Quelques remarques, cependant, sont nécessaires.

a) Aux Règles d'interprétation mentionnées dans le cc. III et IV, il faudrait, me semble-t-il, ajouter celle de l'analogie de la foi dont l'absence étonne. Léon XIII (DENZ. 1943), Pie X (DENZ. 2146) et Pie XII (DENZ. 3015) en ont parlé. Tout, dans la foi, en effet, doit être compris par rapport au Mystère du Chirst et de la Rédemption qu'il a apportée à l'homme.

b) On fait allusion à la liturgie comme adjuvant dans la lecture des Saintes Ecritures. Il faudrait, me semble-t-il, parler de la Tradition, en général dont la liturgie n'est qu'une partie. De plus, il faudrait mettre la lecture de la Bible en rapport avec le Banquet Eucharistique, avec la célébration de l'acte liturgique par excellence.

c) Il faudrait, me semble-t-il, développer l'insinuation portée au par. 21, lignes 6-11, sur la lecture de l'Ecriture, qui doit se faire dans une atmosphère de piété et de ferveur, où l'Esprit règne. Cette lecture est porteuse de signification efficace.

44

REV.MUS P. D. VILLELMUS MOEHLER

Rector generalis Societatis Apostolatus Catholici

Discussio de fontibus revelationis respicit quaestionem, quomodo se habeant ad invicem, in revelationis divinae quaerendae et investigandae negotio, Scriptura, traditio et ecclesia.

Peritis compertum est, *nonnullos ad id inclinare,* ut *Scripturae primatum* absolutum et sufficientiam materialem adiudicent. Traditio, quam contra Scripturam contradistinguunt, secundum illos, si id forte excipias, quod praeter conceptum inspirationis numerum librorum ad Scripturam pertinentium determinet, mere *interpretativa* est. Ecclesia vero ambabus, ab ipsis mensuranda, post et subordinatur.

Haec idea optime quidem quadrat cum privilegio inspirationis, quo gaudet Scriptura, sed reliquis rationibus, in hac re haud minus considerandis ponderandisque, parum consona, immo et clandestinis periculis obnoxia esse videtur.

Videtur (in redigendis propositionibus schematis respectivi) praeferenda haec altera suppositio: Sacra Scriptura ipsa est traditionis ecclesiasticae primaevae et apostolicae vitae documentum et pars. Sed quemadmodum non est unicus modus traditionis, ita nec est modus revelationis materialiter omni numero adaequatus vel *exhaustivus.* Est Ecclesiae, quae in munus Christi docentis succedit et quae ab apostolis usque ad nos unam efficit personam moralem, praecipuum opus et instrumentum litterarium. Ideo enumerationi: « Scriptura, Traditio, Ecclesia », tum sub respectu temporis tum dignitatis, aptius substituitur haec altera: « Ecclesia, Traditio, Scriptura ».

Explicatio brevissima:

1. Perspicuum est, Ecclesiam verbi Dei vel Evangelii non esse dominam, sed ministram.

Ecclesia vero Dei verbum Dei, quod accepit fideliter tradendum, primo habet suis visceribus impressum, ex quo primario fonte et sede deinde procedit traditio: sive oralis, sive per sacram Scripturam.

2. Traditio verbi Divini oralis praecedit Scripturam primo naturaliter, inquantum littera scripta natura sua est imago vocis vivae vicem gerens. Praecedit et temporaliter, inquantum Ecclesia per diuturnum tempus vivebat per traditionem tantum oralem, priusquam accessit, ad praedicationem complendam vel continuandam, traditio apostolorum vel Evangelistarum scripta.

Praecedit et per mandatum Domini, inquantum Christus, sicut nec ipse quidquam scripsit (si excipias, quod semel coram Scribis et Pharisaeis, « inclinans se deorsum, digito scribebat in terra » *Io.* 8, 6), sic nec, ut scriberent, sed praedicarent, mandavit apostolis et discipulis. Quo fit, ut nec omnes apostoli scripta reliquerint, nec illi, qui scripserunt sacram Scripturam (N. T.) omnes apostoli sunt, et insuper, quod ipse Ioannes in litteris componendis vir versatissimus, se libentius colloqui quam scribere professus est (3 *Ioannes* 13). Solum ad redigendam Apocalypsim formale scribendi accepit mandatum (1, 19; 2, 1 etc.).

Quae praestantia traditionis oralis prae traditione scriptis facta quoad substantiam etiam de Vetere Testamento videtur asserenda.

3. Sicut communiter scientia et conscientia intrinseca cum sermones tum litteras, quibus homines inter se communicant, superant et excedunt, sic et apostoli omnia scribere voluisse vel primo scripsisse, quae de revelatione sciebant, minime sunt praesumendi, id quod S. Ioannes expressis verbis confessus est (20, 30; 21, 24-25).

Nec inspiratione non obstante, ipse Deus Sacram Scripturam tamquam ultimum et *completum documentum* sui Verbi voluisse censendum est. Numquid, ceteroquin, permisisset, ut tot in describendis eisdem et eventibus exstiterint relationes non omni ex parte eaedem, et ut tot et tantae variationes textus irrepserint, quin etiam ut saltem una pars Sacrae Scripturae, nempe littera S. Pauli ad Laodicenses (ab ipso apostolo memorata, *Col.* 4, 16), penitus disparuerit atque evanuerit.

4. Omnibus bene perpensis ac consideratis haec relatio inter Ecclesiam, traditionem et Scripturam videtur statuenda: Ecclesia ad Scripturam se habet ut auctor ad documentum litterarium, quo conscientiam suam originariam de revelatione accepta describit, manifestat atque conservat. Sic Ecclesia Scripturae est praeordinata. Quod Sacra Scriptura inspirata est, huic non contrariatur. Nam et Ecclesia (docens) Spiritu Sancto est animata, mota, ducta; et est ex hac sede in corde Ecclesiae, quod Spiritus Sanctus primos magistros Ecclesiae ad Scripturam conficiendam instigaverit, direxerit atque in servitium instrumentale assumpserit. Priusquam Verbum Dei pergamento confisum fuerit, menti Ecclesiae fuit impressum. Quare S. Paulus hunc in modum alloquitur: « quod epistola Christi estis, ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus » (*2 Cor.* 3, 3).

Sic bene intelligitur solam Ecclesiam (docentem) talem esse, ut et rationem essentialem (factum inspirationis) et ambitum materialem (determinatos libros) et sensum doctrinalem Scripturae indicare possit; quia auctoris est de libris suis iudicare. Ecclesiam hodiernam his eisdem facultatibus instructam esse ex eo patet, quod cum Ecclesia primaeva unam facit personam moralem.

5. Quocum bene correspondent facta quae sequuntur:

a) quod in antiquitate instructiones orales, praesertim in catechizandis rudibus et in conferendo baptismate adeo praevaluerint;

b) quod « kanon » et « regula » (Clm. *1 ad Cor.* 7) et « traditio (IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 1-4) magis doctrinam et quidem oralem, respiciant, immo quod Clemens Alexandrinus in elucubratione, quae *Stromata* nuncupatur (lib. 1, 13, 2 et 4), doctrinam de Deo multo magis verbo vivo quam scripto reservatam habere velit;

c) quod Irenaeus (*l. c.*, III, 4, 2) barbaros sine charta et atramento Deum nosse declaraverit, et quod ultimum munimen fidei, Scriptura deficiente, in traditione viva voce facta collocaverit (*l. c.*, III, 4, 1);

d) quod iam Irenaeus locis citatis duplicitatem « Traditionis » et « Scripturae » luculenter innuerint, ita quidem, ut traditionem tamquam rem magis amplam supponat.

6. Mirandum non est, quod in historia dogmatum Patres et theologi in mutua relatione inter traditionem et Scripturam determinanda (utrum e. g. Scriptura sit materialiter sufficiens necne) ab invicem differant. Verisimillimum est doctrinam reflexam de hac relatione non iam ab initio exstitisse, sicut nec clara et reflexa seiunctio Sacrae Scripturae a ceteris libris ecclesiasticis exstiterit. Una et altera cognitio fructus est lentae evolutionis.

7. Omni exceptione maius autem semper fuit, revelationem tum in libris scriptis et sine scripto traditionibus pari pietatis affectu ac reverentia suscipiendis inveniri, id quod inculcant.

a) Concilium Tridentinum, *DB.* 783.

b) Concilium Vaticanum I, *DB.* 1787.

c) Concilium Provinciale *Coloniense* (a. 1860), MANSI, *Collectio Conciliorum,* Tom. 48, Parisiis 1915, pp. 76-77: « Apostolorum et sanctorum Patrum voce edocti profitemur, veritatem revelatam contineri tum in libris divinitus inspiratis veteris et novi testamenti, tum in traditionibus non scriptis », quae omnia secundum doctrinam Ecclesiae debent intelligi.

d) Concilium Provinciale *Ultraiectense* (a. 1865), MANSI, *l. c.,* pp. 649-651, ubi luculenter (ex locis quoque patristicis) et praestantia traditionis oralis prae scriptura ostenditur, tum quoad tempus, tum quoad contentum.

8. Facta evolutionis dogmatum (e. g. Conceptio Immaculata et Assumptio B. M. Virginis) facilius, vel etiam unice explicantur, si Ecclesia viva et viva traditio Spiritu Sancto illuminata et ducta, Sacrae Scripturae praeordinatur vel saltem aequiparatur. Vide SUARESIUM, *De Fide* 3, 11, 11: « Non est minor auctoritas Ecclesiae quando veritatem definit, quam auctoritas sit sacrae Scripturae ». Id quod fortius iam Hieronymus, commentans *Gal.* 1, 11-12 sic expressit: « Nec putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis... » (*PL* 26, 347).

Nec condemnandum putamus, quod ipse *Martinus Luther* in prima praelectione super psalmos dixerit: « Deus spiritum legis minime in charta vel Scriptis collocavit, sed in hominibus ad munera deputatis, ita ut ex ore ipsorum veritas percipiatur. Quid secus facilius diabolo quam ut illum seduceret, qui in scripturis vult dux esse sibi ipsi » (videas J. LORTZ, *Die Reformation in Deutschland* I, 2 [1941], p. 165).

Finem faciat Stapleton, Relectio scholastica et compendiaria principiorum fidei doctrinalium per controversias, quaestiones et articulos tradita... Parisiis 19 (1690), p. 735: « Omnis Scriptura debet habere interpretem... Scriptura Sacra... est ita scripta, ut non possit ab aliis quam fidelibus et orthodoxis intelligi », provocans ad libros Aristotelis, nuncupatos « libros auscultatorios editos et non editos, quia ab his solum intelligi poterant, qui illum docentem audierunt ».

45

EXC.MUS P. D. THOMAS VILLELMUS MULDOON

Episcopus tit. Fesseitanus, aux. Sydneyensis

Cap. II, pag. 9, linn. 2-3, scil.: « Divina revelatio, afflante divino Spiritu litteris consignata, in Sacra Scriptura continetur et prostat ». *Non placet,* quia non obstantibus iis quae in cap. I dicta sunt, aliquis ex istis verbis arguere possit (sicut de facto non pauci arguunt) *totam* revelationem divinam in Sacra Scriptura inveniri, ita ut nihil sit in sacra traditione quod in Sacra Scriptura non inveniatur. Quod evidenter falsum est. Ergo, loco verborum in textu schematis, haec alia propono sufficienda: « Eae veritates revelatae quae, afflante divino Spiritu, litteris consignatae sunt, in Sacra Scriptura continentur et prostant ».

Cap. IV, pag. 13, linn. 7-10, scil.: « Quae enim apostoli... Evangelium ». *Non placet,* quia non est verum. Ex istis verbis, uti iacent, aliquis facile concludere possit quod *tota* praedicatio apostolica in scriptis tradita sit. Dicitur enim: « *Quae* apostoli praedicaverant, *eadem* in scriptis nobis tradiderunt ». Revera, mihi videtur quod quoties schema de hac re agit, proprietas verborum desideratur. Quod satis dolendum est, data confusione quae inter nostros fere ubique viget.

Cap. IV, pag. 13, lin. 23, scil.: « Evangelia tamen veram et sinceram historiam nobis tradunt ». *Propono* ut haec verba post « tradunt » statim addantur: « in qua germana ipsius Christi doctrina et opera fideliter narrantur ». *Ratio*: seposita disputatione de « ipsissimis verbis » Christi, saltem explicite dicere debemus Evangelia genuinam *doctrinam ab ipso Christo prolatam* fideliter tradere. Secus enim Concilium fere nihil ad confusionem removendam faciet.

Cap. V, n. 26 (Item fidelibus). Quare non commendatur lectio *privata* Sacrae Scripturae?

Animadversio: verba *divino afflante Spiritu* in schemate nimis frequenter adhibentur.

46

EXC.MUS P. D. PAULUS NGUYEN VAN BINH

Archiepiscopus Saigonensis

N. 9, page 7, ligne 25. « Exinde regula fidei *proxima* quidem est Ecclesiae Magisterium, *remota* vero Sacrum Depositum »: D'après le contexte, l'idée est sans doute: « proxima singulis hominibus ». Mais les deux mots « remota » et « proxima » laissent place à une équivoque. Interprétés dans une mentalité protestante, ils pourraient faire penser que « Ecclesiae Magisterium » est plus important que « Sacrum Depositum ».

En fait, le texte du n. 9 et encore plus celui du n. 10 affirment très nettement que l'Ecriture, la Tradition et le Magistère sont indissolublement liés.

La phrase « Exinde... » serait donc à supprimer: elle n'éclaire rien et risque de paraître atténuer ce qui précède ou ce qui suit.

Il serait peut-être préférable de préciser que le Magistère de l'Eglise *fait lui aussi partie de la Tradition.* En effet l'histoire nous manifeste que la Tradition s'est développée non seulement par les écrits des Pères et la Liturgie, mais encore par les décisions du Magistère. Celui-ci dans ses interprétations n'est pas indépendant de l'assistance de l'Esprit-Saint: il n'est pas une sorte de police extérieure au dogme et à la vie intérieure de l'Eglise. Il exprime de façon privilégiée le développement du dogme.

N. 11, page 9, lignes 10 à 12. Ne serait-il pas bon de préciser « *ab omni errore esse immunem* » par « *quoad ea quae pertinent ad salutem* »?

En effet, on admet que l'Ecriture peut comporter des inexactitudes historiques (exemples: chronologies symboliques, faits historiques rapportés différemment par des livres différents, etc.). Elle pose des affirmations non conformes à la science d'aujourd'hui sur des points qui ne concernent pas directement la foi religieuse (exemples: récits de la Genèse conformes à la cosmologie du temps, etc.). Il faut donc distinguer les affirmations proprement religieuses en lesquelles l'Ecriture est totalement exempte d'erreur, sinon elle ne serait plus la règle de la

foi, et les autres qui sont dépendantes des habitudes littéraires de l'auteur en son temps ou de l'état de sa science profane. Ces inexactitudes n'engagent aucunement la valeur religieuse de l'Ecriture: refuser de les reconnaître serait au contraire faire tort à la valeur de la foi.

N. 17, page 13, ligne 9. Ne serait-il pas suffisant de dire: « ... eadem, divino afflante Spiritu, in scriptis *nobis tradita sunt* » au lieu de « ipsi et apostolici viri nobis tradiderunt »?

Ainsi on ne décide pas dans quelle mesure les Evangiles ont été directement et immédiatement écrits par les Apôtres eux-mêmes.

On peut être amené à admettre que l'Evangile de St. Jean n'a pas été écrit par lui, mais composé par ses disciples. Ceci ne diminuerait pas sa valeur.

L'Evangile de St. Luc n'est pas d'un Apôtre et il affirme lui-même n'avoir fait que recueillir avec grand soin des traditions.

Il est préférable de faire entrer les Evangiles dans la Tradition elle-même. La Tradition ne succède pas aux Apôtres. Elle ne vient pas remplacer leur prédication. Les Evangiles sont les premiers documents écrits relatant une tradition catéchétique qui a tout d'abord été orale. Ils font partie de la toute première tradition et c'est ce qui leur confère leur autorité supérieure. Par eux la Tradition apparaît apostolique en sa source: elle est inséparable des Evangiles. La question d'auteur immédiat n'importe pas tellement. Les Evangiles sont l'expression exacte d'une tradition exacte que l'on peut faire remonter à Matthieu, Marc, Luc et Jean. Cela suffit et nous débarasse de problèmes inutiles et parfois insolubles.

N. 24, page 16, lignes 1 à 5. « Sacrae enim Scripturae verbum Dei non tantum *continent,* sed vere *Dei verbum sunt* ».

Quel est le sens de cette opposition? Si les Ecritures contiennent la parole de Dieu, cette parole est celle de Dieu, sinon ce n'est pas celle de Dieu qu'elles contiennent « vraiment »!

Par ailleurs, Dieu ne « parle » pas: il se sert des paroles humaines en les inspirant et suivant la personnalité même de l'écrivain.

Donc cette opposition est inutile.

N. 26, page 16, lignes 22 à 25. Le rapprochement entre le culte de l'Eucharistie et le culte de la parole de Dieu repose sur des analogies tellement lointaines qu'il est préférable de ne pas les mentionner ici de façon si brève.

L'Ecriture n'est pas un sacrement au sens actuel du mot: elle n'agit pas *ipso facto* comme l'Eucharistie.

L'action divine qui peut s'exercer par le moyen de l'Ecriture n'est pas du même genre que celle qui opère dans l'Eucharistie. La présence de l'Esprit-Saint en l'Ecriture n'est pas semblable à celle du Christ en l'Eucharistie.

47

Exc.mus P. D. SIMON HOA NGUYEN VAN HIEN
Episcopus Dalatensis

Mihi valde placet hoc novum schema ob eius eximiam claritatem, concisam sobrietatem et ad hodierna problemata plenam accommodationem. Mihi liceat aliquas observationes proponere.

a) In prooemio, n. 1, lin. 12, post verba « ad quos vocantur omnes homines » addatur: « *in Christo* »; ita, expressius indicantur tria mysteria primordialia: SS. Trinitatis, Incarnationis redemptricis et vocationis supernaturalis, ad quae praecise S. Ioannes in praecitato textu alludebat. Praeterea, ex tali adiunctione, nulla subsequetur ambiguitas pro sequenti sententia, ubi manifesto agitur de homine historico, non abstracto.

b) In cap. V: de S. Scripturae usu in Ecclesia. In hoc capitis schemate credere audeo aliquid desiderari. Nam, in toto expositionis decursu, emphatice — et quidem iure — asseritur verbum Dei scriptum ac traditum destinari « omnibus hominibus » (n. 1), « omnibus generationibus terrae » (n. 2), toti « humanitati » in eius novissima aetate (n. 3), omni creaturae » (n. 7), « universis hominibus » (n. 11), « generi humano » (n. 20)... — ut patet — *mediante Ecclesia.*

Attamen in hoc capite, ubi de « S. Scripturae usu in Ecclesia et pro Ecclesia », videtur quod solummodo hic usus restringi ad solos filios (n. 23), ad Dei plebem (n. 23), ad oves gregis (n. 25). Oportuit quidem haec dilucide asserere, nec tamen S. Scripturae universalem ad apostolatum oecumenicum apud fratres separatos et missionalem apud non christianos destinationem omittere.

Siquidem, quoad apostolatum apud Fratres separatos, S. Scripturae usus est instrumentum privilegiatum ut notatum est in schemate de Oecumenismo (n. 21); est pariter instrumentum magni faciendum in locis missionum: fere omnes religiones non christianae ad suas « Scripturas atque traditiones in scriptis consignatas » saepe appellant, in quibus non paucae naturales veritates in S. Scriptura contentae, immo quaedam veritates primitive revelatae ac per legendas traditae inveniri possunt: condescensio divina erga Israelem in S. Scriptura revelata, ad ipsos qui longe sunt, est extendenda. Quapropter optarem ut titulus huius cap. V sic mutaretur: *de Sacrae Scripturae usu in Ecclesia ac pro Ecclesiae missione.*

Consequenter, alium numerum (27) esse addendum de hoc usu in apostolatu oecumenico et missionali putarem.

48

EXC.MUS P. D. HENRICUS NICODEMO
Archiepiscopus Barensis

I. Schema in genere placet, cum clare denuo affirmentur, quasi in compendio, quae hac de re docent Concilium Tridentinum et Concilium Vaticanum I necnon pontificium ordinarium magisterium.

Tamen, ad integritatem tractationis *de divina revelatione* conficiendum videtur caput, etsi perbreve, « De traditione », in quo indicetur quid sit traditio, sensu quo hic traditio sumitur, et agatur de huius traditionis cognoscibilitate. Secus non bene intellegitur cap. I « De verbo Dei revelato ».

II. *Cap. IV,* n. 19. In fine, post verba « iudicium Ecclesiae maturetur » addatur: « Interim variae interpretationes ne in scholis tradantur, minus autem vulgentur, nisi magna cautela adhibita, normis ab Ecclesiae magisterio acceptis ».

49

EXC.MUS P. D. ALFREDUS OBVIAR Y ARANDA
Episcopus tit. Linoensis, adm. ap. Lucenensis

Prooemium.

1. Necessitas et obiectum revelationis.
2. Revelatio gradatim peracta.
3. Revelatio in Christo ultima et completa.
4. Opera Christi signa revelationis.
5. Veritates naturales cum revelatione connexae.
6. Necessitas gratiae ad revelationem divinam accipiendam.

Observatio: Hac in redactione brevitas et simplicitas veritates aeternas exponendo feliciter notatur. Ideoque doctrina omnibus clara et facilis intellectu redditur. Utinam omnes schematum textus pari modo exponantur.

Cap. I: De verbo Dei revelato.

7. Apostoli praedicatores Evangelii.
8. S. Scripturae et s. traditionis mutua relatio.
9. Utriusque relatio ad s. magisterium.
10. Conclusio.

Observatio: Inter S. Scripturam et s. traditionem arcta coniunctio simpliciter describitur. Omissio autem verborum « duplex fons » revelationis conspicue notatur. Num verbum Dei, scriptum vel traditum, simpliciter ut una vel altera depositi pars in posterum vocabitur?

Cap. V: De Sacrae Scripturae usu in Ecclesia.

21. Ecclesia S. Scripturas veneratur.
22. Commendantur accuratae versiones.
23. Doctorum catholicorum officium apostolicum.
24. S. theologia verbo Dei innititur.
25. Lectio S. Scripturae sacerdotibus commendatur.
26. Item fidelibus.

Observatio: Quid in praxi commendetur, ut fideles facile et libenter ad sacrum textum accedant?

50

EXC.MUS P. D. THOMAS LEO PARKER
Episcopus Northantoniensis

Page 7, line 31: Suggest adding after « sensu quoque fidelium », e. g. « ut apparet in scriptis, lege orandi, et sacra arte ».

51

EXC.MUS P. D. FERDINANDUS PASINI

Episcopus Saniüenensis

Duodecim schemata Constitutionum et Decretorum — nunc usque mihi missa —, de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus, quantum potui, diligenter examinavi.

In aliquibus ex his schematibus quaedam notavi, mea sententia, secundarii momenti, de quibus proinde non interest ut scribam.

In schemate *de divina revelatione* vero quae de S. Scriptura exponuntur et statuuntur mihi placent, sed ut doctrina de divina revelatione completa sit ac magis perspicua, necesse esse, opinor, aliqua de s. traditione clarius proponere. In uno capite de s. traditione, parvo iudicio meo, quae sequuntur determinanda essent:

1. Natura s. traditionis, seu quid stricte sit s. traditio.

2. Quantum s. traditio se extendat; v. g. num s. traditio latius pateat quam S. Scriptura, ac veritates complectatur quae in S. Scriptura aut nullatenus aut nonnisi obscure contineantur, ut satis saepe scribitur in manualibus s. theologiae.

3. Quomodo cognosci possit num agatur necne de veritate catholica derivante a s. traditione:

A. In praedicatione Summi Pontificis et collegii episcoporum;

B. In scriptis SS. Patrum;

C. In iis quae omnes fideles generatim admittunt vel credunt.

4. Quomodo discerni possit differentia inter s. traditionem dominicam, apostolicam ac tantummodo ecclesiasticam, et quaenam sit connexio harum traditionum in relatione ad fidem et ad dogmata.

5. De Ecclesiae magisterio, regula fidei proxima: in sollemni Ecclesiae magisterio veritas credenda plerumque facile patet, in ordinario autem Ecclesiae magisterio pressius statuendum esset, mihi videtur, quid requiratur ut veritas ad depositum fidei revera pertineat.

52

EXC.MUS P. D. VILLELMUS PHILBIN

Episcopus Dunensis et Connorensis

Pag. 6, lin. 2. Pro *faceret ea* substituatur *facienda.*

Pag. 9, lin. 28. Pro *haec omnia* substituatur *tales influxus.*

Pag. 9, lin. 30. Pro *inveniantur* substituatur *operentur.*

Pag. 13, lin. 12. Pro *quoque* substituatur *etiam.*

Pag. 14, lin. 5. Addendum esse videtur: Notandum est tamen hoc iudicium iam infallibiliter expressum esse non tantum per formalem definitionem sed etiam per ordinarium et universale Ecclesiae magisterium affirmans, verbi gratia, historicitatem, in stricto sensu, rerum in Evangeliis narratarum.

53

EXC.MUS P. D. PAULUS PHILIPPE
Archiepiscopus tit. Heracleopolitanus

Prooemium.

1. (Necessitas et obiectum revelationis).

Cum Ecclesia aetate moderna aptitudinem rationis humanae naturalis ad cognoscendum Deum firmiter vindicare debuerit (cf. Conc. Vat. I, DENZ. 1785; Iusiurandum antimodernisticum, DENZ. 2145; PII PP. XII, Litt. Enc. *Humani Generis,* DENZ. 2305), cumque « fideismus » quidam hodie sat diffusum sit, opportunum videtur magis insistere in hac doctrina, quae in schemate quasi obiter repetitur (lin. 8).

Propterea propono, ut loco Actuum Apostolorum (17, 27) saltem adiungatur locus Epistolae ad Romanos (1, 20), a Concilio Vaticano I iam allatus, qui viam ad cognoscendum Deum ex visibilibus indicat.

Ideo, in pag. 5, lin. 8, sequentia propono: « Quamquam " invisibilia (Dei) a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas " (*Rom.* 1, 20), atque valent homines " quaerere Deum si forte attrectent eum, aut inveniant " (*Act.* 17, 27), non possent tamen mysteria Dei... ».

5. (Veritates naturales cum revelatione connexae). Divina revelatio respicit primo ipsum Deum et secundario mysterium participationis vitae Dei in homine. Quare, in pag. 6, n. 5, lin. 3 haec addenda propono: « In divina revelatione agitur quidem de veritatibus et eventibus quibus mysterium *ipsius Dei et* participationis hominis ad Dei vitam intimam respicitur; ... ».

Cap. I: De verbo Dei revelato.

7. (Apostoli praedicatores Evangelii). *Animadversio:* Mandatum a Christo acceptum Evangelii praedicandi omni creaturae Apostoli peregerunt primo orali praedicatione ac deinde per scripta inspirata. Quem ordinem ab omnibus admissum textus schematis invertit dicendo, pag. 7, lin. 5: « Quod quidem apostoli fecerunt cum per scripta... cum oretenus tradendo... ».

Ad hunc modum loquendi defendendum, non potest dici quod servare voluerunt modum loquendi Concilii Tridentini. Nam, Concilium Tridentinum non loquitur de modo quo apostoli mandatum Christi exsecuti sunt, sed de « locis » (ne loquamur de « fontibus »!) in quibus Ecclesia invenit « veritatem et doctrinam » ab apostolis praedicatam (cf. DENZ. 783).

Propositio. Quapropter in pag. 7, lin. 5 haec propono dicenda: « Quod quidem Apostoli fecerunt cum oretenus tradendo ea, quae ex ipso Christi ore vel a Spiritu dictante acceperant, cum per scripta Spiritu Sancto inspirata ».

Cap. II: De Sacrae Scripturae divina inspiratione et interpretatione.

11. (Statuitur factum inspirationis et inerrantiae S. Scripturae). *Animadversio.* Concilium nec intendit nec potest adhuc solvere quaestionem disputatam utrum omnes veritates revelatae in S. Scriptura contineantur, an quaedam sola traditione nobis pervenerint. Atqui prima propositio n. 11 intelligi forsan posset ac si tota

divina revelatio in S. Scriptura contineretur. Ideo opportunum est rem ita exprimere ut clare intelligatur quod revelatio, in quantum litteris consignata est, in S. Scriptura continetur et prostat.

Propositio. Quapropter in pag. 9, lin. 1, haec dicenda propono: « Divina revelatio, *prout* divino Spiritu litteris consignata *est,* in Sacra Scriptura continetur et prostat ».

Cap. V. De Sacrae Scripturae usu in Ecclesia.

N. 23. (Doctorum catholicorum officium apostolicum). *Animadversio.* Negari nequit quod hodie quaedam conclusiones studiorum exegeseos haud parvas sollicitudines et anxietates, uti novimus, generant apud non paucos Pastores et sacerdotes etiam exocultos, necnon apud fideles, cum saepe novae interpretationes Sacrorum Librorum non satis probatae, imo cum doctrina communi minus consentaneae, divulgentur. Deplorandus est etiam frequens defectus fructuosae cooperationis inter exegetas et theologos (cf. K. RAHNER, *Esegesi e Dommatica,* Brescia, Paideia 1963: Auctor, qui minime de « integrismo » argui potest, situationem bene describit).

Attamen revocatio principiorum exegesis catholicae facienda est modo positivo, ne iniusta suspicio iniciatur exegetis eorumque laudabilibus laboribus.

Paragraphus autem n. 24 cap. V schematis constitutionis *de fontibus revelationis,* die 13 iulii 1962 propositi, illis postulatis bene respondet.

Propositio. Quapropter, loco n. 23, cap. V huius schematis *de divina revelatione* reassumatur paragraphus n. 24 cap. V schematis *de fontibus revelationis,* die 13 iulii propositi.

Si forte hoc fieri nequeat, propono saltem ut principia exegesis catholicae, quae habentur in ultimis lineis illius paragraphi, in novo schemate inserantur, scil.: « Haec omnia fieri possunt tantummodo si in Biblia exponenda qua par est reverentia ac oboedientia ad analogiam fidei, ad Ecclesiae traditionem, et ad Apostolicae Sedis de re normas iugiter attendatur ».

N. 24. (S. Theologia verbo Dei innititur). *Animadversiones*:

1. In cap. I huius schematis, revocatum est Ecclesiae magisterium esse proximam regulam fidei, remotam vero esse Sacrum Depositum. Quod autem de ipsa fide, de theologia etiam valet, quae, tanquam suo fundamento, verbo Dei innititur *in Ecclesia proposito.* Porro, legenti litteram huius n. 24, videri posset quod theologia immediate super Scripturam construitur.

2. Notandum est, quod anno 1950 in Litt. Enc. *Humani generis,* Pius PP. XII laudabat eos qui « ad veritatis divinitus patefactae haustus redire » cupiebant et agnoscebant « verbum Dei in S. Scriptura asservatum..., utpote disciplinae sacrae fundamentum », sed haec addebat: « At simul dolendum est haud paucos istorum... quo libentius Dei revelantis auctoritatem extollant, eo acrius Ecclesiae magisterium aspernari, a Christo Domino institutum, ut veritates divinitus revelatas custodiat atque interpretetur » (*A.A.S.,* 1950, p. 563). Haec autem monitio hodie adhuc nequaquam inutilis est. Omnes enim reditus ad fontes proclamant ac nemo dubitat quin verbum Dei fundamentum sit theologiae, at haud pauci in scriptis et verbis suis ostendunt se magisterii Ecclesiae documenta parvi facere.

3. Theologia utique fundatur in Verbo Dei, sed non solum in verbo Dei scripto, sed etiam tradito. Atqui sat mirum est, textum schematis de sola Scriptura

loqui et insuper in hunc sensum trahere verba commemorata Litterarum Encyclicarum *Humani generis* (in nota 2), quae reapse docent sacras disciplinas iuvenescere studio sacrarum fontium, Scripturae scil. et traditionis (cf. *A.A.S.*, 1950, pp. 568-569).

Propositio. Propono ut, loco huius n. 24, reassumatur textus n. 29 (de habitu theologiae ad S. Scripturam) cap. V schematis *de fontibus revelationis,* die 13 iulii 1962 propositi, sublato tamen, si placet, verbo « fontis » in lin. 3. Qui textus relationem theologiae ad S. Scripturam multo melius declarat, habita quoque ratione praesentium conditionum.

54

EXC.MUS P. D. ROBERTUS POBOŽNÝ

Episcopus tit. Neilenus, adm. ap. Rosnaviensis

Prima emendatio. In cap. I *de verbo Dei revelato* consequenter est primo loco S. Scriptura, deinde S. Traditio, et quidem in linn. 8, 12, 18, 19, 27. Rectus ordo servandus est: S. Traditio et S. Scriptura. *Ratio* est: nam ita est ex institutione D. N. I. Christi. Ipse non miserat homines pro addiscenda veritate a se revelata ad librum scriptum. Iussit eos audire magisterium apostolicum a se institutum. Valde noto modo solet hoc explicari: non dixit: « Sedete, scribite », sed « Euntes docete, praedicate »; neque aliis hominibus dixit: « Qui non legerit et non intellexerit, condemnabitur », sed « Qui apostolis praedicantibus non crediderit, condemnabitur ».

Qui ordo mutari nequit, nec disceptantibus dissidentibus fratribus occidentalibus. Veritas christiana avita manet intacta: S. Traditio est primus fons revelationis divinae. Aliae non paucae rationes item notae sunt pro hac veritate s. fidei.

Conclusio valet: s. depositum fidei est S. Traditio et S. Scriptura, et non viceversa.

Secunda emendatio. In cap. V *de Sacrae Scripturae usu in Ecclesia* (commendantur accuratae versiones) lin. 17 continuetur sequenti additione: « S. Synodus ex omnibus versionibus declarat, firmat et confirmat auctoritatem versionis Vulgatae, cuius revisio et emendatio est in succinctu. Monentur episcopi, ne cito approbent alias versiones vernaculas neve a praecellentibus Sacrorum Librorum textibus linguae primigeniae. Et tuenda sunt loca theologica et liturgica contenta in versione Vulgata.

In lin. 17 recte scribendum est: ... e praecellentibus Sacrorum Librorum linguae primigeniae. *Rationes* sunt, prout sequuntur:

1. Textus primigenius nullius libri sacri exstat. Recte dicitur: textus linguae primigeniae exsistit, sed apud nonnullos libros sunt controversiae, quaenam lingua sit primigenia.

2. Auctoritas versionis Vulgatae tuenda, tenenda est hodie quoque. Sic auctoritatem huius versionis S. Ecclesia tuebatur decursu temporum pluries: S. Synodi et Summi Pontificis. Hoc saec. XX S. Pius X, Benedictus XV, Pius XI; revisio et emendatio Vulgatae uti notum est, commissa est filiis S. Benedicti. Quae auctoritas huius versionis Vulgatae necessaria est in s. theologia tam theoretica quam practica: in scientiis s. theologiae et in praedicando verbo divino.

3. Sedula cura adhibeatur ab episcopis in approbandis versionibus S. Scriptu-

rae in linguas vernaculas ex textibus linguae primigeniae. Nam et lingua primigenia, in genere textus Sacrorum Librorum iniuria temporum multa passa sunt mutilatione, aut descriptione mendosa; non raro sunt lectiones variantes unde crux exegetica apparet non paucis in locis. Qui hanc emendationem commendat, multos annos egit in lectionem Sacrorum Librorum variis in linguis; textum criticum in lingua Hebraica conscribere studuit e prophetis minoribus et S. Ezechiele, semper debui agnoscere: quam labilis est etsi non cassa et inanis operatio re vera; ast e. g. prophetas minores metro Hebraico arte sic dicta critica revisos edere nolo, manebit ut Hebraicum manuscriptum in archivo episcopali Rosnaviae.

Attentio adhibenda est item in usu Sacrorum Librorum in translationibus, ne lectiones variantes vel in primigeniis linguis textum leviter possint mutare: *a*) loca liturgica, scil. s. liturgia a saeculis iam usitata; *b*) eo minus sint mutanda vel expungenda arte critica loca theologica nec in illo casu, quod loca theologica de aliqua veritate s. fidei alibi item reperiantur in S. Scriptura.

Causa est in propatulo: longaevus usus sacer in S. Ecclesia est in reverentia habendus. Talis enim sacer longaevus usus liturgicorum et theologicorum locorum S. Scripturae in Ecclesia, non est sine assistentia Spiritus Sancti. Valet quoque auctoritas S. Patrum, Doctorum S. Ecclesiae, qui ista loca S. Scripturae sensu a versione Vulgata tradito cognoverunt, iisque usi sunt atque sic ista loca pertinent iam non tantum ad S. Scripturam, quam ad ipsam s. traditionem.

Duo haec principia non sunt servata in nova translatione Psalterii, hinc inde textus novus latinus ex hoc quoque titulo revisione et emendatione est dignus.

Nota. Alicuius emendationis instar adnotatur. In prooemio 2 in lin. 18 verbum: mox mirabiliter restauravit... corrigi proponitur in hanc formam: ... restauratus fuit.

Nam restauratio in oeconomia salutis facta est tantum salvifica morte D. N. I. Christi; restauratio sperata erat a patriarchis, prophetis et iustis tamquam futurus eventus.

55

Exc.mus P. D. ALEXANDER PONCET
Episcopus tit. Basilinopolitanus

Pag. 7, lin. 5. Post verba « omni creaturae praedicarent », sic mutanda: Quod quidem apostoli fecerunt cum praesertim et ordinarie oretenus, tradendo ea quae ex ipso Christi ore vel a Spiritu Sancto dictante acceperunt, tum etiam aliquoties per scripta a Spiritu Sancto inspirata, a quibusdam eorum aut eorum discipulis, data opportunitate, aut repente inflante eodem Spiritu, feliciter confecta.

Haec ultima ratio Evangelium praedicandi, quamvis non ordinaria, a quibusdam tantum ac rarius adhibita, pretiosissimum tamen Ecclesiae, Deo sic peculiariter providente, pro toto tempore eius in hoc mundo peregrinationis adiumentum praebuit. Sic enim editi sunt Novae Legis Libri, cum aliis Veteris Testamenti unum verbum Dei scriptum efficientes.

In quantum autem idem Evangelium ab Apostolis oretenus traditum est, testante S. Paulo, Timotheum sic alloquente: « Et quae audisti a me per multos testes, hoc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere » (*2 Tim.* 2, 2), in Ecclesia, ab omni errore a Spiritu Sancto defensa, integre servatum est,

praesertim per magisterium successorum Apostolorum, in primis Petri: unde etiam efformatus est « sensus fidelium ».

Hoc autem universum Dei verbum, et traditum et scriptum, unum depositum fidei constituit... etc.

Pag. 9, lin. 2. Addendum post verba « in Sacra Scriptura »: « ut supra expositum est ».

Rationes pro his mutationibus:

1. Cum praedicatio ab ipsis apostolis ordinarie, et etiam prioribus annis unice oretenus facta est, postea tantum, rarissime, data solum occasione, per scripta, quamvis inspirata, mirum videtur prius asserere eam per scripta factam esse, quod insinuat hunc modum praedicationis fuisse ordinarium et praecipuum et hoc contradicit historiae. Emendationes hic propositae, historicam restituunt veritatem et simul ingentem momentum librorum Novi Testamenti pro Ecclesia illustrant: quod consentaneum est veritati et multis christianis acatholicis non potest non placere.

Praeterea necesse videtur hic commemorare Libros Veteris Testamenti, cum hi supponuntur sequentibus verbis (lin. 8, 11).

2. Explicatio, paucissimis verbis, quam suggero de traditione, utilis mihi videtur pro illis acatholicis christianis qui solam Scripturam agnoscunt tamquam. Fidei regulam, et fastidiri possent crudo verbo « traditionis », quod eis displicet.

Praeterea his paucissimis, prius dictis de traditione, mox illustrantur quae postea asseruntur, numeris 8, 9, 10, de mutuis relationibus S. Scripturae et traditionis, et utriusque relationibus ad magisterium, necnon de « sensu fidelium ».

56

Exc.mus P. D. IOANNES B. PRZYKLENK

Episcopus Ianuariensis

Schema de divina revelatione generatim placet et utraque manu novum schema applauditur.

Animadversiones minoris momenti sunt hae:

1. Pag. 5, linn. 2-3. Cum toti schemati titulus « De divina revelatione » praefigatur, aequum et iustum est in *primo* sollemni inciso idem adhibere adiectivum; proinde dicatur, quaeso: « ... doctrinam de *divina* revelatione sollemniter proponens... ». Cf. pag. 6, linn. 9-10, 17, 22 ubi adiectivum « divina » constanter adhibetur.

2. Pag. 7, linn. 1 ss. apostoli Evangelii praedicatores exhibentur. Cur autem linn. 5 ss. dicatur apostolos id fecisse *cum* 1. scriptis Spiritu Sancto inspiratis, *cum* 2. oretenus tradendo etc.? Nescio utrum elegans sit, cum de praedicatione sermocineris, primo loco ponere verbum *scriptum,* deinde verbum *traditum* seu praedicatum simpliciter. Memor cum sim e. g. *2 Pt.* 3, 1 s. et *2 Thess.* 2, 14, textum praefero melius constructum. V. g.: Quod quidem apostoli fecerunt sive verbis (sermonibus - *2 Thess.* 2, 14) sive scriptis; siquidem et scripta Ecclesiae (cf. animadversionem proxime sequentem), Spiritu Sancto inspirata, reliquerunt, et oretenus tradiderunt ea quae ex ipso Christi ore vel a Spiritu Sancto dictante acceperant.

3. Pag. 9, linn. 8-9. Dicitur hagiographum ea omnia eaque sola quae Deus eum iuberet, *universis hominibus* scripto tradidisse. Quibus verbis nihil aliud puto dici ac librum sacrum pro universis hominibus veritatem, doctrinam etc. contineri. Ne sit periculum falsae intelligentiae, perinde ac si S. Scriptura universis hominibus sit tradita, praefero textum, uti iacet, omisso illo « universis hominibus ».

4. Pag. 14, lin. 8. De « aliis *Apostolorum* libris » fit sermo. Ab epistulae ad Hebraeos auctore abstrahamus. At S. Lucas qui praeter Evangelium librum *Actuum Apostolorum* nobis tradidit, extra apostolorum seriem est positus, licet doctrinam apostolorum referat. Ignoro, utrum schematis loquendi modus sufficienti undequaque cautela et universalitate eniteat.

5. Sacra Scriptura absque dubio verbum Dei non tantum continet, sed est (cf. pag. 16, linn. 1-2). Abstractione facta ab omnibus de Sacrae Scripturae cum Sacra Traditione comparatae sufficientia ut aiunt materiali discussionibus, schema nostrum pag. 7, linn. 7 ss. enuntiavit « verbum Dei, scriptum vel traditum, unum depositum fidei constituere, ex quo Ecclesiae magisterium haurit... » totumque titulo « De verbo Dei revelato » subordinat. Quae cum ita sint, verissimum quidem est, sub titulo « De Sacrae Scripturae usu in Ecclesia » proferri posse quae pag. 15, linn. 28 ss.; pag. 16, linn. 1 ss. leguntur; sacrae vero theologiae scientia « quae *in verbo Dei* tamquam in suo primario et inalienabili fundamento consistit ex eoque argumenta trahit, quibus firmissimo robor*e*tur (?) et semper iuvenesc*a*t (?) », iuxta Pii XII mentem nota 2 allegatam (*A.A.S.*, 42 [1950], p. 568) « verbo Dei *et* scripto *et* tradito » attendere debet. Etenim Pius XII *l. c.* habet: « Verum quoque est, theologis semper redeundum esse ad divinae *r*evelationis (sic! - cf. animadversionem p. s.) fontes (sic!)... Accedit quod uterque doctrinae divinitus revelatae fons (sic!) tot tantosque continet thesauros veritatis, ut numquam reapse exhauriatur. Quapropter *sacrorum fontium* (sic!) *studio* sacrae disciplinae semper iuvenescunt... ».

Effectum beneficum verbi Dei *et* scripti *et* traditi in scientias sacras colendas, a Pio XII laudatum, hoc in loco ad *solum* verbum Dei *scriptum* referre non expedit, nisi quis eo pacto Sacrae Scripturae sufficientiae materiali quam vocant, favere velit. Quae autem quaestio, considerato statu in quo versatur, favorem conciliarem non(dum) mereri videtur.

Qua de causa exopto, ut saltem nota 2 pag. 16 omittatur.

6. Quod ad modum scribendi verba technica ceteraque attinet, mentem meam aperui in animadversionibus de schemate de B. M. V. Conferantur, quaeso, nostri schematis pag. 5, v. 2 (*R*evelatione); v. 13 (*r*evelatione); pag. 6, v. 25 (*R*evelationis); pag. 7, vv. 8-9 (*D*epositum *F*idei); v. 19 (sacrum verbi Dei *d*epositum); v. 26 (*S*acrum *D*epositum) etc. etc.

Oportet ut unitas scribendi in omnibus Concilii documentis saltem quoad verba technica quaeratur, ut etiam Sacra Rituum Congregatio magna cum laude in reformandis libris liturgicis unum eundemque scribendi modum appetivit.

7. Pag. 16, linn. 6 ss. S. Scripturae lectio sacerdotibus commendatur. Optime quidem; sed mihi commendatio generalior toti clero et sodalibus status perfectionis instanter, instantius, instantissime facta magis placeret. Quoad clericos non sacerdotes, puta diaconos, commendationis extensio eo vel magis urget, quoniam Concilium valorem diaconatus ordinis in se stantis efferre et per consequens numerum praedicatorum non sacerdotum augere forsitan paratum est (cf. schematis *de Ecclesia,* pag. 26, linn. 28 ss.).

Utilitatem autem conciliaris commendationis lectionis S. Scripturae utriusque sexus sodalibus status perfectionis nemo non videt qui experientia scit numerum eorum et conversorum et religiosarum haud parvum quibus Sacrae Scripturae libri etiam Novi Testamenti septem signaculis sunt clausi.

Postscriptum. Appendicis instar, ad n. 7 supra, textum novum parare ausus sum, omissa quoque illa grammaticae inelegantia qua textus in schemate lectus laborat, quoniam sacerdote*s* alloquens, priorem propositionem subordinatam in forma singulari (ne inanis... fi*at* qui non *est*...), alteram vero proponit in forma plurali (et ut... communicare vale*ant*). En textus:

Quapropter clerici omnes, imprimis Christi sacerdotes ceterique legitime « ministerio verbi instantes » (*Act.* 6, 4) assidua lectione ac exquisito studio in Sacris Scripturis haerere necesse est, ne quis eorum inanis forinsecus praedicator fiat « qui non est intus auditor » (S. Augustinus, etc.), et ut verbi divini amplissim*as* diviti*as*, praesertim in culto liturgico, cum ovibus sibi commissis communicare valeat; siquidem « nisi quis antea comederit Volumen, docere non potest » (S. Hieronymus, in Ez.: « Accipe librum et devora illum », locum autem in Migne indicare non valeo, cum hanc collectionem non possideam).

Pariter Sacra Synodus sodales status perfectionis vehementer peculiarique amore exhortatur, ne « ob ignorantiam Scripturarum ignorantia Christi » (S. Hieronymus, ? - Migne non possideo) laborent, sed ut frequenti divinarum Scripturarum lectione « eminentem scientiam Iesu Christi » (*Phil.* 3, 8) ediscere satagant.

57

Exc.mus P. D. ALOISIUS RAIMONDI

Archiepiscopus tit. Tarsensis

1. *Ad prooemium,* n. 2. Minus apta et aequivocationi subiecta apparent verba illa « Inde ab initio Deus amore permotus testimonium dedit generi humano de semetipso et de hominis superno fine; ac post peccatum Adae... ». Verba haec interpretari possent ac si primaeva manifestatio vel revelatio Dei alia fuerit « generi humano » ac ea quae facta est Adam uti capiti generis humani.

2. *Ad cap. V,* n. 21. Videtur haberi repetitio quando verba « Dei donum » legitur in linn. 4 et 6 eiusdem sententiae.

58

Exc.mus P. D. VINCENTIUS ROIG Y VILLALBA

Episcopus tit. Aradensis, vic. ap. Valleduparensis

Lecto schemate constitutionis dogmaticae *de divina revelatione,* mihi videtur opportunum has indicationes facere:

1. Ad *prooemium,* pag. 5, n. 3, lin. 2: dicit textus: « per Spiritum Christi ». Forsitan melius sonet: « *per Spiritum Sanctum* » vel « *per Spiritum Paraclitum* ».

2. In *cap. V,* pag. 15, n. 23, dicit textus: « Verbi Incarnati Sponsa, Ecclesia nempe, Sancto Dei et Christi Spiritu edocta ». Renovetur sic: « Verbi Incarnati

Sponsa, Ecclesia nempe, *Spiritu Sancto* (vel Paraclito) *et Verbo Dei Incarnato edocta...* ».

3. In eodem *cap. V,* in nn. 25 et 26, pag. 16, lectio S. Scripturae commendatur, respective, *sacerdotibus* et christi*fidelibus.*

Nulla commendatio fit benemeritis religiosis utriusque sexus, cui vitae spirituali, magnum alimentum pro stimulo ad currendam viam perfectionis, afferre potest quotidiana lectio sacrae Scripturae. Item dici potest de iis qui nomen suum dant Statibus Perfectionis adquirendae. Pro his etiam magnam afferre potest utilitatem si occasione Oecumenici Concilii Vaticani secundi explicite et ferventer commendetur constans et devota lectio librorum sacrorum.

59

Exc.mus P. D. INNOCENTIUS ALFREDUS RUSSO

Episcopus tit. Pegaeus

Lo schema mi piace, per la chiarezza e la concisione; mentre contiene tutte le verità essenziali sull'argomento. Il titolo stesso è il migliore che si poteva scegliere, in sostituzione del precedente. Un vero gioiello, poi, di sintesi risolutiva sulle *Fonti* è, in tutto, il buon cap. I, n. 8.

Mi permetto fare alcune proposte di emenda, che, a mio modesto avviso, potrebbero giovare al testo presentato in esame.

Segnalerò anche qualche altro punto, che mi è parso particolarmente felice.

Nel proemio, al n. 1, lin. 8, sostituirei il testo paolino, preso dagli *Atti* (1, 27), con l'altro paolino, della *Rom.* (1, 20), come più esplicitamente asseverante la capacità della ragione, e usato anche dal *Vaticanum* (*De Fide,* c. 4): *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur.*

Alla lin. 13 del n. 1, dello stesso proemio, la dizione « *de homine in Christo* » — giacché poco prima si è parlato della vocazione di tutti gli uomini al « *consortium divinae naturae* » — dovrebbe essere chiarita. Si intende, cioè, parlare di quella vocazione degli uomini alla vita soprannaturale, ovvero del mistero della natura umana nella persona di Cristo?

Alla lin. 23 del n. 3 del proemio, sostituirei la dizione — certamente legittima — « *Spiritum Christi* », con un'altra, come dire?, più *trinitaria,* proprio, a parer mio, secondo il luogo citato (*Io.* 14, 26): « *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo* ».

Nel cap. II, n. 11, lin. 2, è detto: « *afflante divino Spiritu* »; nel cap. III, n. 14, lin. 8, si legge: « *divino afflante Spiritu* »; nel cap. IV, n. 17, lin. 8, si trova: « *divino afflante Spiritu* ». Penserei, non necessaria al certo, ma opportuna, una variante.

Al cap. IV, n. 20, lin. 13, mi parrebbe più aderente al testo Giovanneo, a cui si richiama la dizione, scrivere: « *et iis Paraclitum Spiritum Sanctum misit* »; anziché: « *et iis Paraclitum suum misit* ».

Al cap. V, pag. 16, n. 24, lin. 4, non saprei lodare abbastanza l'affermazione, a proposito di predicazione pastorale, che, in questa, « *homilia liturgica principem locum sibi vindicat* ».

Allo stesso cap. V, n. 26, linn. 22-25, è ispirato, l'auspicio: Come — vi si dice — la Chiesa trae vigore dal cresciuto culto verso la Santissima Eucaristia, così è sperabile che la vita spirituale tragga aumento di santificazione e fervore « *ex digna aestimatione et cultu verbi Dei quod manet in aeternum* ».

60

EXC.MUS P. D. CAROLUS EDUARDUS SABOIA BANDEIRA DE MELLO

Episcopus Palmensis

In prooemio, lin. 11, dicitur hominem non posse consortium divinae naturae, ad quod vocantur omnes homines, cognoscere, nisi Deus ipse revelasset. At Indi in sua religione ad id adspirant, immo « theandricam naturam » omnium hominum postulant, sicut Deus fecit in Christo Iesu. Habentne hanc ideam ex se ipsis, an ex revelatione? Quis affirmare vel negare potest? Praeterea in variis religionibus, aegyptiaca, indica, aliis, elementa inveniuntur, quae saltem cognitionem ipsius Trinitatis aliqualiter innuant. Unde? Si ex revelatione, unde probatur?

Censeo melius esse nullum exemplum adducere de aliqua veritate, quam homo nonnisi ex revelatione Dei cognoscere potest, sed tantummodo id generaliter asserere.

N. 3, lin. 25. Nulla nova revelatio in sensu stricto post Christum exspectari potest. Certo certius. Ast notandum: in sensu stricto, seu: revelatio illa, quae complectitur salvationem totius mundi. Attamen privatae revelationes semper sunt possibiles. Quis quid Deo prohibere quit?

Existimo necesse esse adiungere: « Nulla ergo adhuc nova revelatio de redemptione hominis exspectanda est... ».

In cap. I, n. 7, lin. 5, dicendum puto: « ... apostoli fecerunt cum oretenus, cum per scripta... », nam primum oretenus tantum Evangelium praedicaverunt, postea varia de doctrina et fide scripserunt. Traditio fuit prima. Traditio semper manet. Scripturae vero finitae sunt cum ultimo apostolo. Non debemus maiorem valorem dare Sacrae Scripturae quam traditioni.

Sic etiam n. 9, in principio: non « At S. Scriptura ac traditio... », sed « At traditio et S. Scriptura... ».

Valet quoque n. 10: Traditio ponenda est ante Scripturam.

N. 8, sub fine, linn. 15 et 16: « ... pari pietatis affectu ac reverentia suscipienda ac veneranda est », sed dicendum: « Utraque... suscipienda et credenda est ».

In principio vero huius numeri exstinguatur passus negativus, nempe « ... ut alter alteri extranea non sit », et dicatur positive: « ... ut alter alteri arcte connectatur ». Assertio enim illa negativa sensum quasi exprimit nos debere nos defendere contra protestantes.

In cap. II. Hoc caput debet esse « de traditione », saltem paucissimis verbis:

1. Sacra apostolica traditio est ipsum verbum Christi, seu doctrina eius, quam Apostoli ab eius labiis audiverunt et Spiritu Sancto edocti homines docuerunt, sive instructione orali sive scripta; quae Divini Spiritus afflatu in Ecclesia Christi indesinenter, constanter, incorrupte custoditur. Ad quam pertinent ipsi libri Sacrae

Scripturae, quae nisi ex traditione sub Spiritus vigilantia nec cognosci nec retineri, vel conservari possent.

2. Exinde nullum dogma seu doctrina christiana existere potest, quod non contineatur in traditione et ex traditione veniat. Ita etiam nulla interpretatio S. Scripturae vera exsistit, nisi cum traditione concordet.

(Similiter, vel melius).

61

BEAT.MUS P. D. MAXIMUS IV SAIGH

Patriarcha Antiochenus Melchitarum

On ne peut que se réjouir de l'amélioration considérable réalisée dans le texte de ce Schéma par rapport à l'ancien.

Nous pensons que l'actuel Schéma peut être approuvé tel quel. Quelques petites remarques cependant:

1. N. 5, p. 6, lin. 9. « Veritates naturales... »: Tout ceci a déjà été dit suffisamment au 1[er] Concile du Vatican. En général, il faudrait éviter de redire ce qui a déjà été dit à ce Concile-là, dans la question de la foi comme dans celle de la papauté, le rôle du Vatican II étant de compléter, non de renforcer ce qui a été dit au premier.

2. N. 9, p. 7, lin. 19. S'il est vrai que le dépôt de la parole de Dieu est confié à l'Eglise et à son magistère, il faudrait noter que la parole de Dieu, comme telle, s'adresse *à tous les hommes absolument*. Cette vérité n'étant pas bien mise en lumière, il y a risque que le texte du Concile soit compris de travers plus tard par les théologiens.

De même pour les lignes 25-26: *Exinde regula fidei...* Telle qu'elle est énoncée, la relation entre la foi et le magistère risque d'être comprise dans un sens maximaliste, et créer de nouvelles confusions parmi les théologiens. Il vaudrait mieux supprimer la phrase. La relation entre la *regula proxima* (magisterium) et la *regula remota* (depositum) est inadéquate. C'est beaucoup plus complexe que cela, et en reléguant l'Ecriture dans le *remotum,* on fausse les perspectives.

3. N. 10, p. 7, lin. 31. « *Sensu fidelium subordinate concurrente* ». N'y a-t-il pas des cas où le *sensus fidelium* entraîne toute l'Eglise, comme c'est arrivé pour la dogmatisation de l'Assomption, au dire même de Pie XII? Il vaudrait mieux mettre: « *concomitanter concurrente* ».

4. N. 14, p. 11, lin. 7. Le mot « *instrumentum* » appliqué aux écrivains sacrés, même si cette expression a fait fortune dans l'enseignement, ne paraît pas suffisamment digne pour figurer dans un texte conciliaire. C'est du langage scolaire. Elle a une résonance mécanique. On l'emploie aussi dans la théologie sacramentaire, où elle a entraîné une conception mécaniciste de l'efficacité de la grâce sacramentelle. De telles expressions dans les textes conciliaires risquent d'amener plus tard un durcissement néfaste dans la théologie. Le Concile de Trente n'a pas échappé à ce danger.

5. N. 19, p. 14, lin. 4. Supprimer le mot *quasi.* Le texte invite les exégètes catholiques à faire en sorte que les passages des Evangiles qui n'ont pas encore reçu une interprétation certaine et définie soient bien expliqués et compris. Ainsi, poursuit le texte, *par une recherche pour ainsi dire préparée,* « quasi praeparato

studio », mûrira le jugement de l'Eglise. Le mot *quasi* nous semble de trop. Le jugement de l'Eglise ne peut mûrir que par une vraie recherche, souvent longue et obscure, ce qui ne diminue en rien l'assistance de l'Esprit-Saint. Le texte ne doit pas donner l'impression que le jugement de l'Eglise fait abstraction de toute recherche proprement dite, et se contente d'une « quasi recherche préparatoire » ou d'une recherche « quasi préparatoire ».

6. N. 23, p. 15, lin. 24. Ajouter après « sub ductu magisterii Ecclesiae »: « *praesertim Sanctorum Patrum, qui partem praecipuam istius magisterii efformant* ». Il est important de se référer aux Pères pour l'interprétation des Ecritures.

7. N. 26, p. 16, lin. 15. Pourquoi toujours mettre des formules comme « approbante auctoritate Ecclesiae », qui ont une résonance un peu dictatoriale? Mettre, par exemple, « sub ductu Ecclesiae et Antistitum ».

62

EXC.MUS P. D. ANTONIUS SANTIN

Archiepiscopus-episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

N. 23 aliquid mihi videtur adiungendum esse. Patres ad Concilia conveniunt ut veritatem clarius doceant et errores damnent, qui Conciliorum aetate diffunduntur. Circa historicitatem Evangeliorum falsae et periculosae opiniones in scholis, in libris, in ephemeridibus late docentur. De his silentium tenere non expedit, quod ceterum contra Ecclesiae spem et exspectationem eveniret. Admonitio, quae proponitur, verae scientiae progressum non impedit, sed prudentiam commendat ut cautim procedatur.

Haec vel alia similia sint verba: « Eorum studia ad perfectiorem cognitionem Sacrorum Librorum, divino afflante Spiritu conscriptorum, valde laudanda sunt, quia veritati, nunquam timendae, inserviunt, cuius auctor, quando genuina est, Deus ipse est, quae vero cordis humilitate, ratione non mere humana sed ad mentem Ecclesiae (*EB* 612) et analogiam fidei sequentes eruenda est. Ad hoc animum attendant exegetae in suis difficilibus investigationibus et hoc procedant spiritu, caveantque ne limites transgrediantur a documentis pontificiis statutos ad veritatem fidei ac doctrinae catholicae tuendam (*EB* 620), memores de historica veritate Evangeliorum sive simul sumptorum sive de singulis partibus nullum dubium relinquendum esse. Nec denique putent, falso irenismo indulgentes, ad Ecclesiae sinum dissidentes et errantes feliciter reduci posse, nisi integra veritas in Ecclesia vigens, absque ulla corruptione detractioneque, sincere omnibus tradatur (*EB* 620) ».

63

EXC.MUS P. D. IOSEPH ASAJIRO SATOWAKI

Episcopus Kagoshimaensis

1. Revelatio supernaturalis est non solum locutio Dei amantis cum hominibus, sed etiam manifestatio caritatis Dei in hominibus (*1 Io.* 4, 9) et mysterium salutis humanae.

In schemate vero repetitur terminus « veritas » 14 vicibus, nunquam tamen

agitur de caritate divina: certe, semel invenitur verbum « amor »: hic autem amor Dei tractatur non ut obiectum quod revelatur, sed ratio qua revelatur.

Praeterea, in schemate frequenter occurrimus terminis qui respiciunt cognitionem, e. g. intelligere, cognoscere, intelligentia, cognitio, scientia et similia. Homines hodierni solent abhorrere ab omnibus quae sapiunt intellectualismum: quoad igitur revelationem, potius insistendum esse videtur in factum historicum uti allocutio, collocutio, vel contactus personalis et vitalis Dei cum hominibus.

2. In versionibus Sacrorum Librorum in linguas vernaculas saepe adhibentur verba nimis vulgaria, quae dedeceat legi in actionibus liturgicis: post igitur locum « accuratae » (n. 22, 16) addi est verbum *cultae* vel *politae*. Insuper sacra liturgia requirit ut versio Sacrorum Librorum conficiatur uniformis et unica per totam regionem eiusdem linguae, neque adhibeatur in actionibus liturgicis versio quae a Conferentia episcopali non fuerit approbata.

64

Exc.mus P. D. PAULUS SAVINO

Episcopus tit. Caesariensis in Thessalia, aux. Neapolitanus

Prooemium. N. 4. Consideratione habita muneris et evolutionis quae, his ultimis annis, quaestio de criteriologia supernaturali, non tantum sub aspectu apologetico sed etiam et praesertim pastorali, haec paragraphus videtur ieiuna et elementaris, praesertim relate ad schema iam priori Concilii Vaticani II sessioni propositum (cap. IV de revelatione publica et de fide catholica, pp. 38-40).

N. 5. Proponitur ut paragraphus sequenti modo legatur: « In divina revelatione *continentur* quidem veritates et eventus quibus mysterium participationis hominis ad Dei vitam intimam respicitur; simul autem affirmantur veritates altissimae ordinis *religiosi et moralis naturalis* cum veritatibus supernaturalibus connexae. Quae veritates licet humani rationi per se imperviae non sint, in praesenti generis humani condicione, ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admisso errore nonnisi lumine revelationis cognosci possunt; *unde patet earum revelationem moraliter necessariam homini fuisse*. Sic revelatione etc. ... » (cf. Pius XII in Encycl. *Humani generis*).

65

Exc.mus P. D. VILLELMUS SCHOEMAKER

Episcopus Purvokertensis

De consulto peritorum Conferentiae Episcoporum Indonesiae, haec quae sequuntur observationes, humaniter propono.

De divina revelatione. Schema ut iacet est compromissum inter duas opiniones-factiones, et proinde nemini *plene* satisfaciet. Nihilominus valde melius placet quam priore. Nobis videtur « acceptabile ut promulgetur » sed « correctibile ».

Ad prooemium: n. 1, pag. 5, lin. 11. Addatur: « Deus autem se ac suiipsius consilium-salutis, non solum per verba ad homines locuta, sed simul etiam per magnalia in historia sacra *facta* revelat, ita ut per opera auctoritas verborum con-

firmetur et per verba mysterium in operibus contentum manifestetur. Etenim etiam « Facta Verbi, verba sunt ».

N. 2, pag. 5, linn. 17-19. Scribatur potius: « ... ac post peccatum Adae, redemptione promissa, mox ordinem salutis mirabilius restaurandam inchoavit ».

N. 4, pag. 6, linn. 1-8. Scribatur hoc fere modo: « Christus, Verbum et Filius Dei, homo factus et a Deo missus, " verba Dei loquitur " (*Io.* 3, 34), et opera, quae dedit ei Pater ut faceret ea, testimonium perhibent de Eo (*Io.* 5, 36). Quapropter non solum vita sua sanctissima, miraculis ceterisque signis confirmat se esse a Patre missum et a Patre loqui, suaque verba doctrinam esse Patris, sed simul per eventus ac actus vitae suae ostendit nobiscum Deum esse (*Mt.* 1, 23), ad salvandos homines ex morte ac peccati servitute et ut eos ad novam aeternam vitam resuscitet ».

Quodsi tali modo articulus redigitur, poni potest ante art. 3 et totum prooemium magis harmonice procedit.

N. 5, pag. 6, lin. 18. « Ad supernaturalem finem assequendam ». Sic habebitur aptior disiunctio cum « vita temporali » de qua lin. 19.

Ad cap. I: n. 7, pag. 7, lin. 7. Post verbum « acceperant » addi optamus tale quid: « Quapropter Ecclesia catholica credit, Evangelium Christi ad nos pervenire, non per solos Sacrae Scripturae apostolicos libros, sed simul etiam per traditionem, qua idem Evangelium in fide Ecclesiae viva continua successione conservatur et a generatione in generationem transmittitur per ministerium eorum quibus Evangelii praedicandi officium incumbit, sensu quoque christiano fidelium concurrente, et per christianas consuetudines inter quas Sacra Liturgia eminet ».

N. 9, pag. 7, lin. 20. « Vivo et infallibili magisterio concreditum est ». Potius dicatur: « Ecclesiae, vivo magisterio duce, concreditum est ».

N. 9, pag. 7, lin. 23. « Quatenus illud tuetur ». Potius dicatur: « ... quatenus illud... *annuntiat,* tuetur etc. ».

N. 9, pag. 7, lin. 23. Vox « obscure » non placet, dicatur potius « *latenter* ».

N. 10, pag. 7, lin. 31. « Sensus quoque fidelium subordinate concurrente », haec verba *hic* suum locum *non* habent, melius supra ponantur (cf. ad n. 7, pag. 7, lin. 7).

Ad cap. II: n. 11, pag. 9, lin. 7. « Instrumentis » potius dicatur: « ministris ».

N. 12, pag. 9, lin. 16. « Significare », potius dicatur: « significare et affirmare ».

N. 12, pag. 9, lin. 17. Enumeratio incompleta: desideratur i. a. « apocalypticum ».

N. 12, pag. 9, lin. 23. Adiciatur etiam « indolis auctoris et eius scopus peculiaris ».

Ad cap. III: nil observandum.

Ad cap. IV: n. 20, pag. 14, lin. 8. « Aliis apostolorum libris », omnino dicatur « aliis apostolicis libris ».

Ad cap. V: n. 21, pag. 15, linn. 2-5. « Sententia etsi non omnino falsa, tamen vix sincera. Dicatur potius: « Sacrorum librorum... thesaurum Ecclesia maxima veneratione prosequitur eumque fidelibus enixe commendat pie accipiendum tamquam Dei donum ».

N. 22, pag. 15, lin. 17. Addatur: « Insuper curabit ut de mandato Synodi, cum omni sapientia et eruditione curetur *novus textus vulgatus latinus* pro omni christianitate, versio quidem e praecellentibus Sacrorum Librorum textibus primigeniis, in veram utilitatem Ecclesiae hodiernae ».

N. 26, pag. 16, linn. 12-16. Dicatur: « sive per sacram liturgiam divinis eloquiis confertam, *sive per piam S. Scripturae lectionem,* sive per ceteras... etc. ».

66

Exc.mus P. D. PAULUS LEO SEITZ

Episcopus Kontumensis

Dieu se révèle aux hommes. Dieu est le sujet qui révèle; l'Objet de cette révélation c'est Lui-même; le bénéficiaire de cette révélation c'est l'homme.

Dieu a créé l'homme à son image, ce qui lui donne d'une part une intelligence capable de lire l'univers au dedans jusqu'à atteindre une certaine notion de Dieu comme source de tout être, d'autre part une disposition à recevoir sa révélation.

Dieu a créé l'homme pour le faire participer à la vie de sa Famille divine (vie Trinitaire), l'élevant progressivement à la condition de fils qui connaît les secrets de son Père. C'est là que se situe la Révélation dans le dessein divin.

Dieu, Père très aimant, s'est fait connaître Lui-même à l'homme. Dieu se révèle en se disant, en se montrant, manifestant ainsi son amour qui se donne, le premier et gratuitement.

Le Créateur, « sachant ce qui est en l'homme », s'est révélé progressivement:

— dès l'origine, au genre humain, doué d'intelligence et de conscience, enrichie de lumières surnaturelles;

— après le péché, à tous les peuples d'une part, par des semences de révélation (conscience morale malgré ses déviations, traditions malgré leur dégradation, rites malgré leurs superstitions), d'autre part, et principalement, au peuple élu, peu à peu, par la voix des Prophètes, jusqu'à Jean;

— enfin la Révélation atteint son sommet en la personne du Verbe incarné, par ses paroles et ses actes, donnés comme Vérité, Voie et Vie pour tous les peuples de la terre.

Ainsi Dieu se révèle en se disant: c'est la mission du Verbe, Parole émise du Père et portée aux hommes par l'Esprit d'amour. La Parole dite, l'Esprit demeure pour en donner l'intelligence et susciter la réponse.

Dieu se révèle en se montrant: c'est la mission du Verbe incarné, Parole non seulement entendue mais vue comme agissante. Une fois le Christ remonté auprès du Père, l'Esprit demeure sur l'Eglise pour animer la transmission (traditio activa) de la Révélation jusqu'à la fin des temps, veiller à l'intégrité du donné révélé (traditio passiva) en donnant intelligence et approfondissement du sens (inerrance ecclésiale, progression dans la connaisance, adaptation de l'expression à tous les peuples).

Dieu s'est révélé en adressant son Verbe aux hommes, qui leur parla leur langue propre et selon ce qu'ils pouvaient en recevoir. Mais l'homme comprend

et imite mieux ce qu'il voit que ce qu'il entend seulement; de plus il a besoin pour cela de la Présence d'une personne qui l'aime. Le Verbe du Dieu très aimant et prévenant s'est incarné; Jésus c'est la révélation en personne révélant Dieu, révélation efficace qui donne la Vie.

Quand l'homme n'aime pas Dieu, c'est qu'il ne le connaît pas. C'est la situation d'un nombre toujours plus grand d'hommes. Mais l'homme est fait pour connaître et aimer Dieu; cette exigence demeure en lui tension tragique entre sa situation et sa vocation. Par ailleurs, de nos jours notamment, l'homme *attend,* plus ou moins consciemment, comme solution à son drame intérieur, ni une philosophie ni une dogmatique abstraite, mais une *personne* existante et qui l'aime. C'est la mission de l'Eglise de lui révéler le Dieu personnel et aimant dont elle est sacrement.

A partir de ces bases il est aisé de se livrer à une critique constructive:

Le *titre* même de la constitution n'est pas heureux; il serait avantageusement remplacé par: *de Deo seipsum revelante,* ce n'est d'ailleurs qu'ainsi qu'on pourrait le traduire correctement dans toutes les langues de notre pays (Vietnam) que les abstractions occidentales ont toujours gêné. Encore une fois ce n'est pas ce que le monde attend... ni ce que Dieu veut lui donner. Pourquoi abstraire des essences, alors que Dieu est Personne existante? Le Concile ne changera rien à rien si on ne révise pas profondément la façon dont nous réalisons actuellement notre relation à Dieu; c'est là l'A et l'Ω du Concile sous son aspect pastoral.

P. 5, avant le § portant le n. 1, il conviendrait de placer: Quid sit revelatio? est Deus seipsum revelans — comme il est indiqué plus haut.

Certes les sous-titres ne font pas partie du texte de la constitution, mais ils peuvent influencer la lecture et la compréhension des numéros, ainsi:

N. 1: « necessitas »: du côté de Dieu il n'y avait aucune nécessité à se révéler. Il est remarquable, mais non louable, que la rédaction de plusieurs §§ dans les divers schémas part d'un aspect humain de la question, d'une situation matérielle, plutôt que de données dogmatiques; cela reflète peut-être un souci pastoral, mal pensé.

N. 2: son titre inclut le n. 3.

P. 5, n. 2: le rôle des Prophètes doit être signalé et leur succession jusqu'à Jean.

N. 3: le rôle des Apôtres doit être signalé et l'achèvement de la Révélation à la mort du dernier.

N. 3, lin. 26: non est expectanda nova revelatio sed revelationis explanatio (cf. *Jean* 14, 26).

P. 6, n. 4: il faudrait ajouter: necnon opera Christi in Ecclesia sua signa sunt revelationis.

N. 6: ajouter comment recevoir la Révélation: « sicut parvulus » qui admire et fait confiance, et cherche à comprendre, comme un pauvre qui ne se suffit pas mais a besoin de Dieu.

P. 7, lin. 8: « verbum scriptum vel traditum »: insuffisant, ne montre pas le lien organique: Verbum, etiam scriptum, traditum est antequam scriptum.

Lin. 13: « extranea non sit »: insuffisant, trop négatif et vague: In viva traditione Ecclesiae fit pro nobis illud vivum Dei Verbum. Tout est Tradition, ce qui a été écrit fut oral aussi avant d'être écrit.

N. 9: devrait être fondé sur d'autres documents que des textes du XX siècle.

P. 7, lin. 24: « enucleando »: ce n'est pas seulement le travail du Magistère, mais aussi des théologiens et exégètes sous la direction du Magistère.

L'acte propre et incommunicable du magistère hiérarchique, en ce qui concerne la tradition, est de reconnaître la vérité révélée, reçue, conservée et vécue par la foi des fidèles, et de la proclamer comme dogme de foi, comme norme de la foi de toute l'Eglise.

Lin. 30: « tria simul »: inadmissible, en saine théologie tout autant que dans une vue œcuménique. Il était déjà regrettable d'opposer Ecriture et Tradition comme deux éléments sur le même plan, l'adjonction du Magistère comme troisième élément est une nouveauté intolérable.

Il conviendrait plutôt de centrer cette conclusion sur le Dieu personnel qui se révèle et se trouve présent, secundum quid, dans l'Ecriture, la Tradition et le Magistère.

P. 9, lin. 8: « iuberet », plutôt: voluit.

Linn. 11-12: l'expression est un peu simpliste, malgré les précisions du § sq.

P. 10, lin. 3: « rationalis et catholicae »: il faudrait préciser. « Rationalis » c'est bien, cela favorise les études bibliques dans un esprit scientifique qui progresse en clarté; mais on ne peut pas faire l'économie des commentaires traditionnels, de l'exégèse des Pères (les quatre sens de l'Ecriture, etc.) et dans l'esprit qui les animait.

P. 11: les nn. 14 et 15 sont mal articulés. Ainsi il faudrait expliquer le « particularem curam » (lin. 3): parce qu'Israel est figure de l'Eglise.

P. 12, lin. 2: « Ecclesia ergo » ajouter: in V. T. annuntiata et in N. T. fundata...

P. 13, linn. 1-4: cela est un motif pour préférer la Vigne, comme image de l'Eglise, à celle du Corps (cf. critique schéma Eglise).

P. 15: tout ce chapitre pèche: il n'est pas assez solidement charpenté et fondé; il est incomplet.

a) L'Ecriture doit être lue *dans l'Eglise* où se trouve l'Esprit, le sens de l'Ecriture est déterminé par la vie de l'Eglise qui a l'assistance de l'Esprit (cf. introduction supra). La Tradition, a dit St Irénée, c'est l'intelligence ecclésiale de l'Ecriture. L'Eglise est le lieu de l'intelligence priante de l'Ecriture.

L'Ecriture doit être lue dans l'Esprit qui l'a inspirée, or cet Esprit se trouve dans l'Eglise.

L'usage de l'Ecriture dans l'Eglise se situe lors de l'assemblée, au cours de la liturgie: lectures et homélie.

Ce qui fonde les affirmations du chap. V et évite l'interprétation individualiste, sans négliger pour autant la lecture privée qui devrait être continuation et méditation de ce qui a été entendu dans l'Assemblée liturgique.

b) Il faut mettre en valeur un usage traditionnel dont il n'est pas question dans ce chapitre: l'Ecriture est l'élément primordial de toute catéchèse: catéchisme biblique; catéchétique fondée sur l'Ecriture (pédagogie divine, exemple de Jésus et des Apôtres); kérygme aux païens — le missionnaire constate que le verbe est efficace par lui-même quand il utilise la Parole même de Dieu comme première annonce aux païens.

A ceci il conviendrait d'ajouter des principes de saine traduction pour tous les peuples, afin que ceux-ci, lisant l'Ecriture ou l'entendant proclamée, comprennent cela même que Dieu a voulu nous dire de Lui.

P. 15, lin. 16: « e praecellentibus textibus »: voilà de quoi irriter les Réformés. Il est de fait très dangereux de *choisir* dans l'Ecriture qui fait un tout, où tout se tient, où tout verset s'explique par le contexte et par les parallèles dans les deux testaments, parce qu'il n'y a qu'*une* Parole de Dieu. En choisissant on risque d'édulcorer ou de fausser en ne présentant qu'un aspect. Il y a une Ecriture, une Tradition, une Foi, un Baptême; on ne peut choisir, c'est à recevoir en bloc. La pédagogie ne doit pas ignorer la doctrine.

La réforme liturgique vise notamment à faire lire dans l'assemblée si possible l'intégralité de l'Ecriture, surtout du N. T., par une meilleure répartition, voire échelonnée sur plusieurs années.

67

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS IOSEPH SHEHAN

Archiepiscopus Baltimorensis

Hoc schema mihi perplacet. Tractatur enim de divina revelatione modo positivo et erudito atque virtute unius conceptus in tractatu unitas vera habetur. Verbum « fons » de quo in prima sessione multum disceptabatur in hoc schemate bene usurpatur sensu Concilii Tridentini (cf. DENZ.-BANNWART, § 783).

Emendationes propositae:

1. Fol. 7, linn. 6, 7: « Hoc autem verbum Dei scriptum *et* traditum ». *Ratio emendationis*: cf. DENZ.-BANNWART, Conc. Trid. § 783.

2. Fol. 7, linn. 24, 25: « ... quae *in deposito* implicite et obscure continentur ». *Ratio emendationis*: omittuntur verba « una vel altera parte » quia in Concilio Tridentino reiecta est phrasis « partim... partim »; cf. JEDIN, *A History of the Council of Trent* (Eng. Trans.) Graf; Herder, vol. II, caput II, fol. 87.

68

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS SIMONS

Episcopus Indorensis

Ad cap. I, n. 7, pag. 7, et passim. Deus sese revelat primarie rebus gestis, secundarie verbis. Hoc patet ex creatione ipsius mundi et quod caelorum ambitu continetur. Multo serius venit revelatio verbis prolata.

Hoc valet etiam pro novo testamento seu Evangelio. Iesus Christus ipse « coepit (primo) facere et (secundo) docere ».

Evangelium primarie consistit in ipso opere salvifico Christi, quod continuatur in Ecclesia praecipue per sacramenta et sacratissimum Missae sacrificium. Christus non dixit tantum « praedicate », sed et addidit « baptizantes », et alibi « hoc facite in meam commemorationem ». Haec etiam essentialiter evangelium constituunt.

A parte hominum Evangelium primarie constat ex gratia ab ipsis recepta seu vita divina actibus amoris perfecta; secundarie tantum consistit in verbis vel

doctrinis vel veritatibus quae edicuntur de opere Christi salvifico. (Secundarie, sed tamen essentialiter, quia sine verbis, mente vel ore prolatis, homo nihil cognoscere potest).

In hoc schemate res ita proponitur ac si revelatio primarie consistat in verbis vel doctrinis.

Quoad nos, ne quidem in ipsis verbis Christi, quae continentur in libris Novi Testamenti, revelatio primarie consistit, sed in Ecclesia, in qua Christus ut in Corpore suo mystico incarnatus remanet et opus suum salvificum conficere pergit. Nec praedicatio sola multum valebit, si non amplificatur et confirmatur ipso vivo Corpore Christi, ipsa viva societate Ecclesiae, quae vivit et operatur de Spiritu Christi, quae exemplum praebet sanctitatis Christi, quae orat et se offert Deo in Spiritu Christi. Iam ipsi infantes et pueri non tam verbis parentum, qui sunt membra Ecclesiae, quam eorum actione et exemplo in vitam christianam introducuntur, et sic de ceteris.

Rem ita proponendo « conflictus » traditionem inter et Scripturam evanescet.

Cap. II, n. 11, pag. 9, linn. 8-12: « ea omnia eaque sola... », « ab omni prorsus errore immunem... ». Attendendo ad gressus maximos, quos studia biblica nostris diebus fecerunt, non videtur opportunum dare definitionem inspirationis et inerrantiae Scripturae nimis arctam.

Clarum est S. Scripturam continere errores in campo scientiarum naturalium, v. g. in rebus cosmologicis, biologicis, etc., etiam in campo historiae. Videtur plures scriptores sacros non aliter scripsisse quam scriptores profani eiusdem temporis, v. g. in casu Cantici Canticorum et librorum indolis historicae. Inde quid sibi velit tandem aliquando « inspiratio » vel ad quod extendatur inerrantia Scripturae nunc non clare scimus. Proinde melius esset relinquere quaestionem « apertam » et non definire « inspirationem » modo maximalistico conceptam, nec inerrantiam totalem Scripturarum.

69

EXC.MUS P. D. IOANNES SMIT
Episcopus tit. Paraliensis

Pag. 15, lin. 23: legatur « dent opera*m* oportet ».

Pag. 16, lin. 24: adiungatur « ex digna aestimatione, crebra lectione et cultu etc. ».

70

EXC.MUS P. D. BERNARDUS DIONYSIUS STEWART
Episcopus Sandhurstensis

Relate ad cap. IV, par. 19, in pag. 14, lin. 4: post verbum « intelligantur » addantur verba « et christifideles veritatibus fidei firmius credant » et deinde ita ut etc.

Ratio: Monitum Sancti Officii anno 1961 datum contra quorumdam exegetarum modum scribendi de sensu Sacrae Scripturae mihi videtur valde opportunum imo et adhuc necessarium; proinde multum prodest illud monitum aliquo modo repetere vel verbis supra positis vel melioribus.

71

EXC.MUS P. D. ARTURUS TABERA ARAOZ
Episcopus Albasitensis

Schema *de divina revelatione* in genere mihi placet, prout nunc proponitur. Refert indolem pacificatricem, cum illas quaestiones, quae adeo acres disputationes provocarunt et Patres, hic inde, in prima Concilii sessione divexarunt, caute devitet. Faxit Deus ut haec minimismi et irenismi intentio — non erga fratres separatos, sed erga diversas opiniones catholicas —, minime doctrinae ulteriorique theologicae investigationi obsit, immo vere prosit.

Aliqua tamen in schemate invenio, nec minimi momenti, impraecise proposita aut enucleata, quae falsis interpretationibus ansam periculose praebere possint, quaeque inde perpolienda aut complenda essent.

Adnotationes et animadversiones ad prooemium.

N. 1, linn. 10-11. Loco formulae « subsistentiam eius in tribus personis », alia adhibeatur: « *essentiae eius unitatem in trinitate personarum* », vel « *trinitatem in unitate* ». *Ratio*: vox « subsistentia » nimis populo esset impervia, nimisque technicismum sapit scholae.

Addendam esse necessario puto enuntiationem mysterii Verbi Incarnationis post enuntiationem mysterii Trinitatis: v. g. « *Incarnationem Verbi* » vel « *personalem* (hypostaticam) *Verbi Divini unionem cum natura humana* ».

Post verba S. Petri, quibus vocatio omnium hominum ad consortium divinae naturae (communionem in divina natura: θειας κοινωνοί φυσεως), fundamentale et inscrutabile mysterium in religione christiana, adderem verba: « *per gratiam et gloriam* », ut sensus verborum et biblicae citationis magis fidelibus pateat.

N. 2, lin. 18. Post verba « promittendo redemptorem », ponatur citatio: (cf. *Gen.* 3, 15). Verbum « mox » substituatur a « *statim* ».

Lin. 25. Post verba « e longinquo », adderem alia quae hanc formulam vagam, aliquantulum determinarent et complerent: v. g. « *per foedus cum Patribus et Prophetis* »; « *per foedus cum Abraham et Moyse* »; « *per Legem et Prophetas* » (*Mt.* 5, 17; *Lc.* 24, 27-28), aut si placet « *per totam historiam salutis* ».

N. 3, lin. 26. Addatur verbum « *publica* » (adhuc nova revelatio « *publica* ») quod videtur necessarium; et post verba « exspectanda est » haec vel similis formula addatur: « *nullumque novum foedus,* sicut nulla... ». *Ratio*: ita clare patet non tantum non esse exspectandam novarum veritatum revelationem, sed neque novam revelationem quae novum foedus Dei cum hominibus, quod in Redemptione Verbi Incarnati et in communione gratiae sistit, instauraret.

N. 4. Non placet. En lacunae et difficultates.

a) Opera Christi non sunt tantum « signa revelationis »; sunt etiam veluti eiusdem revelationis vehiculum et instrumentum.

b) Gesta Christi (vita sanctissima, miracula...) non tantum eius divinitatem affirmant, sed etiam ipsis gestis divina eius in mundum missio comprobatur.

c) Simul cum « resurrectione gloriosa ex mortuis », memoranda esset « *mirabilis in caelum ascensio* ».

Hinc, numerus novae redactioni esset subiiciendus, v. g. « *Opera Christi,* quae dedit ei ut faceret, *non tantum mysteria divina recondita manifestant* (*reve-*

lant), *verum etiam* testimonium perhibent de eo (cf. *Io.* 5, 36), cum Christus divinitatem suam *eiusque divinam in mundum missionem* non verbis dumtaxat affirmaverit, sed etiam vita sanctissima... ex mortuis *et mirabili in caelum ascensione* confirmaverit. Sicut per verba... ».

N. 5, linn. 9-12. Deleantur verba: « In divina... respicitur ». Videntur mera repetitio iam dictorum.

Linn. 17-20. Non placet. Potius verbis uterer formulae a Conc. Vat. I adhibitae (Denz. 1786); resque alio ordine disponerem: « Huic divinae revelationi tribuendum quidem est ut veritates altissimae ordinis naturalis cum veritatibus supernaturalibus connexae, quaeque humanae rationi imperviae non sint, in praesenti generis humani (sauciata) conditione ab omnibus... possunt. Sic, revelatione divina, Deus ex infinita bonitate, non tantum aperit vias ad supernaturalem finem assequendum, ad participanda sc. bona divina, sed etiam principia praebet ad vitam temporalem... ».

N. 6, lin. 21. « *Deo divina revelanti* » praestanda est oboedientia (oboeditio) fidei (cf. *Rom.* 16, 26)...

Lin. 24. Citentur: (cf. *Io.* 6, 44; *Rom.* 10, 9 s.).

Cap. I. De verbo Dei revelato. Tria, ni fallor, desunt in hoc capite ut doctrina catholica de verbo Dei clare et complete exponatur, discussionibus et irenismis inopportunis posthabitis et quin quae adhuc investigationi sunt obnoxia tangamus. Aliquando sensum et timorem alicuius retrocessus doctrinalis in animum ingerit huius capitis redactio.

1. Aliquid, ni fallor, necessarium dicendum est de locis ubi, post mortem Apostolorum, « verbum Dei et scriptum et oretenus traditum », invenitur: Sacra Scriptura nempe et divina traditio.

2. Addenda etiam essent verba quibus clare affirmetur quod tum Sacra Scriptura tum traditio, loci sunt ubi Evangelium vel revelatio dignosci et cognosci potest.

3. Quum non habeatur in n. 9 expressa aliqua referentia ad rationem activam traditionis, aliquid deesse videtur quod et genuinam magisterii ecclesiastici naturam sufficienter declaret et fundet et eius essentialem ad apostolicam traditionem relationem nitide statuat.

Hinc, quae sequuntur correctiones in textu huius capitis introducendas, modeste propono:

N. 7, lin. 3. « ... Et docuerat, *et ea quae postea Spiritus Sanctus* apostolis et apostolicis scriptoribus inspiravit (*Io.* 14, 26; 16, 12-13) tamquam... ». *Ratio*: *a*) ad « Evangelium suum », etiam pertinent quae a Spiritu Sancto apostolis et apostolicis scriptoribus scribenda acceperunt; *b*) nominandi sunt expresse, praeter apostolos, alii scriptores (cf. *1 Cor.* 12, 28; *Eph.* 4, 11), qui tempore apostolico libros inspiratos scripserunt; *c*) non omnibus placebit verba « dictare », « dictante », etsi a magisterio sollemni Ecclesiae saepe sint adhibita.

Lin. 9. « ... unum depositum fidei constituit, quod post apostolorum mortem in SS. Scripturis atque continua apostolorum successorum praedicatione, christifidelium fidei professione et universalis Ecclesiae praxi, perenniter conservatur et dignoscitur. Ex hoc deposito Ecclesiae magisterium... ». *Ratio*: accurate et caute erit vitandum proponere in schemate notionem traditionis divinae, ac si mera esset conceptualis, et non vitalis, veritatum communicatio.

N. 9. Textus proponitur aliquantulum mutatus et novo ordine dispositus: « Sacrae Scripturae ac sacra traditio, uti sacrum verbi Dei depositum, universae Ecclesiae ita concreditum est ut non singuli christifideles, sed solum eiusdem Ecclesiae vivum, authenticum vel infallibile magisterium possit, ex divino mandato et Spiritu Sancto assistente, sensu quoque fidelium subordinate concurrente, illud tueri et authentice vel infallibiliter interpretari, illustrando et etiam enucleando quae in ipso deposito (vel: in fidei deposito) nonnisi obscure ac veluti implicite continentur. Exinde pro fidelibus credentibus regula fidei remota depositum est, proxima vero ipsum Ecclesiae magisterium, quod quidem non supra verbum Dei est, sed ei ministrat ». *Ratio*: a) Textus huius numeri aliquantisper mutatur, ut proximius adhaereat textui parallelo Enc. *Humani generis* (DENZ. 2314).

b) Verba numeri sequentis (lin. 31) « sensu quoque fidelium subordinate concurrente » ad hunc locum, aptius ut credo et efficacius, transferunutr: nam, si quid opinari licet, functio sensus fidelium cum functione activa magisterii in interpretatione, illuminatione et enucleatione depositi sacri, arctissime cohaeret.

c) Verba « in una vel altera parte » (in lin. 24) expunguntur, ne alicui famosa illa « partim... partim... » in memoriam et praeoccupationem revocent: dicitur simpliciter « in deposito » vel « in fidei deposito » ut in Enc. *Humani generis* (DENZ. 2314).

d) Similiter adhibeatur formula aptior ab eadem Encycl. mutuata « nonnisi obscure et veluti implicite »: obscuritas enim et implicitas sunt, in casu, conceptus relativi, non in se sed relate ad nos.

e) Depositum et magisterium non in eodem sensu nec sub eadem ratione dicenda sunt regula fidei: ideo additur haec formula « pro fidelibus credentibus » (lin. 25), pro quibus verum est tam depositum quam magisterium esse regulam fidei, remotam et proximam.

g) Verba « magisterium non supra verbum Dei est » (lin. 21), in finem huius numeri transferuntur, ut consequentia eorum quae in numero praecedenter dicta fuere. Forsan esset conveniens et opportunum ut formula aliquantulum temperaretur, ne quis perperam falsas ex ea consequentias erueret. Licet, enim, verissimum sit, ut patet, entitative « Verbum Dei supra magisterium sit », tamen affirmandum etiam est magisterium, *functionaliter,* sit venia verbo, aliquo quodam modo est supra verbum Dei, prout in scriptis prostat: magisterio etenim competit, non tantum verbum Dei interpretari et tueri, verum etiam, ex divino mandato et ministerio, declarare si et quando in Scriptura et traditione authenticum verbum Dei habetur et nobis proponitur: quod aliqualem supponit auctoritatem vel iudicium supra verbum Dei vel in verbum Dei.

Cap. II. De Sacrae Scripturae divina inspiratione et interpretatione.

N. 11, lin. 3. Forsan opportunum esset, ne dicam necessarium, aliquid in hoc numero addere de canonicitate eiusque ratione, vestigia sequentes Conc. Tridentini et Vaticani II (cf. Conc. Tridentini, DENZ. 783-784; Vatic. I, DENZ. 1787). Unde textus (lin. 3), ita mutari possit: « Quae Scriptura, prout in Libris N. et V. Testamenti prostat Ecclesiae traditis, ex apostolica fide... ».

Nn. 5-8. Textus aliquantulum mutari possit: « Deus autem hominibus ad id delectis, qui hagiographi vocantur, tanquam vivis instrumentis, omnibus humanis facultatibus nempe praeditis, usus est ut, *veri suorum librorum auctores,* omnia eaque sola quae ipse iuberet, et illi *recte mente conciperent* et fideliter uni-

versis hominibus scripto traderent ». *Ratio*: *a*) Hagiographi sunt quidem « instrumenta viva », quibus Spiritus Sanctus utitur, sed etiam « veri auctores librorum suorum ».

b) Additur formula a Leone XIII adhibita « et recte mente conciperent » (Denz. 1952), ut vitetur conceptus nimis mechanicus et impersonalis inspirationis in hagiographis.

N. 12, linn. 15-27. Textus reducatur et emendetur. Quae in linn. 20-27 habentur, sunt vel fere, mera repetitio eorum quae in paragrapho anteriori prostant (linn. 13-19).

Incomplete videntur exposita quae ad genera litteraria spectant — praesertim quoad textus et libros historicos —, ut conferre possint criterium « verae et genuinae interpretationis S. Scripturae », salva eius inerrantia. Unde proponerem ut primae paragrapho (linn. 13-19) verba aliqua addantur vel aptentur ex Pii XII Enc. *Divino afflante* mutuata, quae ad rem magni facerent et doctrinam tanti ponderis complerent (cf. *A.A.S.*, 35 [1943], pp. 314 et 316).

Textus ergo sit: « Cum autem Deus per homines scripserit, hac de causa, ut pateat quamnam veritatem nobis communicare voluerit, interpres Scripturae « omni cura et conatu dispicere enitatur methodum compositionis uniuscuiusque sacri scriptoris ac dicendi formam seu litterarum genus ab eo adhibitum in libro inspirato conscribendo. Sic satius dignoscetur quod scribendo hagiographus significare voluerit, itaque qui sensus S. Scripturae ab errore immunis habendus sit. Aliter enim veritas in textu historico... ».

Lin. 4 (pag. 10). *a*) Post ultima verba citari convenienter possent Conc. Tridentini et Vatic. I (Denz. 786 et 1788) et Enc. *Providentissimus Deus* (Denz. 1942) quae aliquid concretius exponunt de normis et criteriis interpretationis catholicae de qua hic et in n. 19 (cap. IV).

Ni fallor, amplius deberemus criteria et normas proponere hermeneuticae catholicae: traditio exegetica, si quae habeatur, praecipue SS. Patrum, fidei analogia etc.

Cap. III. De Vetere Testamento. N. 15, lin. 19. Citari possent: *Hebr.* 1, 1-2; *1 Pt.* 1, 10; *1 Cor.* 10, 11; *Gal.* 3, 24 (lex paedagogus).

Cap. IV. De Novo Testamento. N. 17, linn. 5-11. « Quatuor enim Evangelia secundum nempe *Mt.*, *Mc.*, *Lc.* et *Io.* originem apostolicam habere Ecclesia Dei semper et ubique sine dubitatione credit et credidit... » vel « Quadriforme Evangelium, secundum *Mt.*, *Mc.*, *Lc.* et *Io.*, originem... ». *Ratio*: Mutationes proponimus — inversionem nempe ordinis et substitutionem verborum « tenuit ac tenet » pro « credidit ac credit » —, ut: *a*) non tantum ad originem apostolicam, sed etiam ad auctores concretos Evangeliorum applicetur et extendatur formula adhibita; *b*) origo apostolica Evangeliorum, quae cum eorum inspiratione necessario coniuncta est, affirmetur ut *revelata.*

Lin. 12. Verbum « dubia » substituatur pro « sententiae » vel « opiniones ».

N. 18, lin. 20. Verba addantur: « ...fecit et docuit *ab eius* virginali *conceptione* usque ad eius mirandam in caelum Ascensionem ».

Lin. 21. Non omnibus placebit, immo aliquibus falsa omnino, aut valde periculosa, formula videbitur: « *Quamvis enim formam praeconii aliquando resonent...* ». Similiter verba: « *et cum historicae compositionis rationibus quae nostra praesertim aetate usurpantur non in omnibus conveniant...* » desumpta, licet non

ad pedem litterae ex Resp. S. Officii ad card. Suhard (DENZ. 2302), praeoccupationem in multorum animum ingerent. Verendum enim est ne aliquis, exaggerate Evangelia, quae plene ad epocham historiae pertinent, aequiparare possit, quoad formam litterariam et historiae conceptum spectat, primis Geneseos capitibus.

Hinc paulisper mutandus esset hoc vel simili modo tenor redactionis: « Quamvis enim *in apostolorum testimonio et praeconio fundata* cum historicae compositionis rationibus quae nostra aetate usurpantur *non omnino* conveniant, Evangelia tamen *libri historici sunt* qui veram et sinceram historiam nobis tradunt. Ea enim *forma in narrandis utuntur,* eaque intentione conscripta sunt, ut sive... cognoscamus eorum verborum et *gestorum* de quibus eruditi sumus veritatem (cf. *Lc.* 1, 2-4) ».

N. 19, lin. 2 (pag. 14). « ... adlaborare, ut *si qui Evangeliorum* loci qui expositionem... ».

N. 20, lin. 8. « ... aliis apostolicis (vel canonicis) libris... ».

Lin. 13. « ... misit, qui (loco: ut) omnia... ».

Lin. 14. « ... quaecumque iis Christus dixerat (cf. *Io.* 14, 26 et 16, 14) ».

Cap. V. De Sacrae Scripturae usu in Ecclesia. N. 21, lin. 8. Vox « fere » deleatur.

N. 23, lin. 23. « ... collatis viribus *maximaque reverentia* dent operam... ».

72

EXC.MUS P. D. DOMINICUS VALERII
Episcopus Marsorum

1. Quaestiones maximi momenti vix delibatae sunt. Id manifestius apparet si comparatio fiat cum schemate prioris sessionis. Hinc, meo humillimo iudicio, oriri potest quaedam idearum confusio apud nostros sacerdotes, qui a Concilio Oecumenico certas definitiones exspectant.

2. Non clara mihi videntur verba quae sequuntur: « ... non magis erroris eadem argui debent quam cum paria aut similia in quotidiano usu haberentur, immo habeantur » (in pag. 9, n. 30).

3. Quod dicitur in pag. 14 (linn. 4-5) hoc modo clarius mutari posse ego puto: « ita ut, quasi praeparato studio, Ecclesia uti possit ut iudicium maturet ».

73

EXC.MUS P. D. IOANNES IULIANUS WEBER
Archiepiscopus-episcopus Argentoratensis

Schemata quae nobis cura excellentiae tuae transmissa sunt secundum meas possibilitates examini subieci, verbo facto, pro aliquibus ex eis, cum peritis sive theologis, sive canonistis. Tibi committere audeo praecipuas animadversiones quae mihi faciendae videntur.

Textus autem nobis propositi generatim optimi sunt et doctrina referti; magnum et laude dignum laborem revelant ex parte membrorum diversarum Commissionum.

Schema tamen *de revelatione* forsan nimis breve redditum est. Prima redactio, quae profunda revisione et emendatione indigebat, plenior apparebat: doleo eam nimis sua substantia privatam esse. Sed quid dolendum de praeterito?

Novum schema Patribus Concilii Vaticani II propositum in genere placet. Vitat enim aliquas difficultates primo schemati oppositas. Licet tamen aliquas animadversiones referre.

Prooemium. Pag. 5. 1. Prooemium ex abrupto incipit. Esset-ne melius prius definire quid attendatur per vocem « revelatio »? E. g.: « Multifariam multisque modis olim Deus loquens in Prophetis, novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio » (*Hebr.* 1, 1). Haec locutio Dei ad homines, « multis modis » peracta, scil. verbis, scriptis et factis, revelatio nuncupatur. Pandit seu revelat nempe mysteria divina, sive de vita intima Deitatis, sive de suis gratiis erga filios hominum.

2. Consequenter lin. 2, in fine, legatur: de *hac* sacra revelatione...

3. Lin. 5, in medio, legatur, secundum textum authenticum: *quod* vidimus...

4. Lin. 14, cum Christus sit ipsum Verbum Dei, addatur in fine: qui est non solum mediator sed summa totius revelationis (*Io.* 17, 1-3; *1 Cor.* 2, 2; *2 Cor.* 3, 16; 4, 6).

5. Lin. 29, ad finem, addatur, ut significetur revelationem esse etiam formam transitoriam veritatis divinae nobis manifestatae: donec dies elucescat et lucifer oriatur in cordibus nostris (*2 Pt.* 1, 19).

Pag. 6. §§ 4-6 proveniunt ex alio schemate primae sessioni Concilii oblato, et satis artificialiter §§ 1-3 iunguntur.

Cap. I. Pag. 7. 1. Lin. 2, ut clarius elucescat vera natura nuntii Christi, ut fuit ab apostolis transmissum, legatur: Evangelium suum, id est seipsum et salutem quae in eo solo consistit, simul cum eis quae...

2. Lin. 12, ut pateat quae sit haec sacra traditio, legatur: S. traditio, quae viva in Ecclesia servatur, et quae simul ex sensu fidelium, ex usu liturgico, ex monumentis, ex scriptis SS. Patrum et ex S. Hierarchiae actione elucet, ita mutuo...

3. Si haec lectio admittitur, finis lin. 31 inutilis est, i. e.: « Sensu quoque... ».

Cap. II. Pag. 9. 1. Redactio linn. 16-19 proposita insufficiens videtur, saltem iudicio meo, qui per 20 annos exegesim docui, ad omnes difficultates solvendas quas sacer textus praesentat in sua interpretatione, ita ut eius inerrantia servetur. Legatur potius, verba Pii XII sequendo in Encyclica *Divino afflante Spiritu.* Attente investigare debet methodum compositionis uniuscuiusque sacri scriptoris et genus litterarium uniuscuiusque libri inspirati: singula enim genera litteraria suam propriam veritatem habent. Sic solummodo dignoscetur quid reapse hagiographus significare intenderit.

2. Omittatur textus propositus a lin. 28 huius paginae, usque ad lin. 2 paginae sequentis, nam omnino inutilis est et nihil novi affert. Verba quae sunt ad finem lin. 2 in pag. 10 et linn. 3 et 4: « Cuncta autem haec... » iungantur ad lin. 27, pag. 9.

Cap. III. A linn. 28 s. pag. 11 usque ad lin. 2 pag. 12, proponitur sequens lectio quae est doctrinae S. Pauli conformior: Nam, etsi Veteris Foederis instituta a Nova abrogata sint Lege (*Rom.* 7, 4; *Col.* 2, 14), Vetus tamen Testamentum integrum, in praeconio evangelico assumptum et pars unius revelationis factum, in

Novo sensum suum completum aut, melius, adimpletum acquirit (cf. *Mt.* 5, 17 s.; *Rom.* 8, 2, 3) et ostendit. Ecclesia ergo...

Cap. IV. Pag. 13. In lin. 21, omittatur verbum « aliquando », nam totum Novum Testamentum scriptum est ab auctoribus qui in alia aetate vixerunt ac nostra.

Cap. V. Pag. 17. In finem lin. 26 liceat addere pauca verba quae exegetis aliquam laudem tribuent, in quantum veritati divinae per totam vitam servierunt: Cum Summo Pontifice Pio XII (*EB* 569) Sacrosanctum Concilium Oecumenicum biblicarum rerum cultores quotquot devoti sunt Ecclesiae filii, eiusque doctrinae et normis fideliter obsequuntur, non modo gratulatur quod ad munus adeo excelsum delecti et vocati sint, sed animum etiam addit ut opus feliciter susceptum, renovatis in dies viribus, omni studio omnique cura exsequi pergant.

74

Exc.mus P. D. MATTHIAS WEHR

Episcopus Trevirensis

Si schema istud iterum Patribus proponatur, diligentissime retractetur, ut cum indole pastorali Concilii Vaticani II apprime congruat. Ideo imprimis ea tantum principia exarentur eaeque res inculcentur, quae istam rationem praeseferant et foveant, e. g. quae in cap. V exhibentur de Sacra Scriptura in usu Ecclesiae. Qua in re opportune respectus quoque habeatur schematis « De verbo Dei », ante initium Concilii a secretariatu ad unitatem christianorum fovendam exarati.

Omnino autem provideatur, ut quaestiones omnes inter theologos disputatae plane eliminentur viaeque liberae discussionis et investigationis apertae serventur. Ex historia enim Conciliorum constat Concilii nunquam fuisse res inter theologos controversas dirimere. Cum vero circa hoc schema sat multae quaestiones controversae extent, opportunius forte videtur, si illud non proponatur.

[*Subscripserunt etiam*] Bernardus Stein, aux.; Carolus Schmidt, aux.

75

Exc.mus P. D. IOANNES F. WHEALON

Episcopus tit. Andrapenus, aux. Clevelandensis

Cap. IV, par. 20, pag. 14, lin. 8: loco « apostolorum », fortiter suggero « virorum apostolicorum », propter dubia realia de authentia aliquorum N. T. librorum (e. g. *Hebr., Apoc., 2 Pt.*). Plures exegetae catholici moderni, puto, possibilitatem tamen pseudonymitatis pro his libris vident. Pseudonymitas nullo modo inspirationem et inerrantiam afficit.

76

EXC.MUS P. D. RADULFUS ZAMBRANO CAMADER

Episcopus Facatativensis

El concepto de *Tradición* en el esquema *de divina revelatione* no está claro. El par. 7, pg. 7, parece dar a entender que la *Tradición* se limita a la predicación de los Apóstoles y que en ellos concluyó, así como con ellos, o más explícitamente, con el Apocalipsis de S. Juan, terminó la Sagrada Escritura, y que *Tradición* (Apostólica) y *Sagrada Escritura,* constituyen el Depósito de la Revelación que el Magisterio Eclesiástico entrega a los hombres por mandato divino. Con ese parágrafo se hace una distinción fundamental entre *Tradición y Magisterio Eclesiástico,* que no solía ser muy evidente entre los autores. Sinembargo, la forma descriptiva del parágrafo deja lugar a dudas y mucho más se ganaría si fuera positivamente definido lo que se debe entender por *Tradición.*

77

EXC.MUS P. D. PETRUS ZUCCARINO

Episcopus Bobiensis

Quae omnia de doctrina catholica de sacra revelatione sollemniter sunt proposita et ego omni studio prosecutus et amore ut veritas de Deo quam de homine in Christo omnibus illucescat, laetus accepi meaque feci dum gratias ago Optimo Deo Maximo propter operam labore confectam quam Patres venerabiles eius commissionis confecerunt.

Nihil est tamen quod adiiciam nisi confirmem me esse magis in die magisque oraturum.

78

PLURES PATRES CONCILIARES

Optatur ut prooemium huius schematis definitionem exhibeat, quantum fieri possit, simul claram, strictam et adaequatam revelationis tum ex parte Dei revelantis, cum ex parte obiecti revelati consideratae.

Adhibeatur formula didactica ad describendum modum transmissionis depositi revelati, sive per Scripturam, sive per realem et oralem traditionem peragatur.

Ut percipiatur relatio universalis inter Scripturam et traditionem, omnino necessaria est ipsius vivae traditionis nitida integraque definitio.

Quoad exegesim catholicam, firmiter delineantur limites quos exegetae transgredi vetantur. Omnia tanquam obiectum fidei a magisterio Ecclesiae proposita plane immunia sunt a quacumque legitima contestatione ex ratione vel naturalibus scientiis deprompta (cf. Conc. Vatic. I, sess. III, c. 4: DENZ. 1797).

Prooemium, §§ 1-2 placent. § 3 placet iuxta modum, scil. ut in lin. 25, ante verbis « Nulla ergo » haec addentur: « *Ante ergo ultimum adventum Christi et*

revelationem filiorum Dei nulla adhuc revelatio... etc. ». *Ratio additionis*: ut non videantur contradici verba quaedam apostoli (*1 Cor.* 1, 7 et *Rom.* 8, 19) de ultima Christi revelatione expectanda in fine huius mundi.

§ 4 placet iuxta modum, scil. ut 1. in lin. 5, post verbum « confirmaverit » haec adduntur: « *simulque mysterium salutis manifestaverit et adimpleverit* ». *Ratio additionis*: opera Christi non solum confirmant eius divinitatem sed, una cum doctrina ab eo prolata, totum mysterium christianum ostendunt, praedicant et perficiunt.

2. In lin. 6, ante « manifestatur » addatur: « Plene ». *Ratio additionis*: ipsa vita Christi iam ex se manifestat mysterium: plena tamen huius mysterii manifestatio non habetur nisi verbis quibus significatio actorum declaratur.

3. In lin. 7, verba « per vitam eius miraculosam auctoritas testimonii Christi comprobatur » ita mutantur: « per miracula ceteraque mirabilia vitae eius auctoritas testimonii Christi comprobatur et opus salutis perficitur ». *Ratio modificationis*: locutio « vita miraculosa » impropria est. Miracula Christi et alia Eius opera non tantum confirmant ipsius divinitatem necnon proprii testimonii auctoritatem, sed etiam perficiunt et suo modo iam manifestant ipsum salutis mysterium.

§§ 5-6 placent.

Cap. I. Titulus: De verbo Dei revelato: non placet. Alius datur, v. g.: « De revelationis transmissione ». *Ratio substitutionis*: ut titulus revera respondeat iis de quibus in hoc capite tractabitur.

§ 7 placet iuxta modum, scil. 1. ut in linn. 5-7 verba « Quod quidem apostoli... dictante acceperant » ita amplientur: « Quod quidem apostoli fecerunt primo cum oretenus tradiderunt ea quae ex ipso Christi ore vel a Spiritu Sancto interius docente acceperunt, aut cum multa, Christum imitantes vel divinam inspirationem prosequentes, instituerunt vel disposuerunt praesertim circa mysteriorum celebrationem, postea cum exempla vitae christianae necnon pastoralis activitatis praebuerunt, cumque etiam per Scripta Spiritu Sancto inspirata, propria manu vel per viros apostolicos exarata, testimonium eximiae praedicationis evangelicae litteris mandaverunt ».

2. Ut in linn. 7-8 verba « Hoc autem verbum Dei, scriptum vel traditum » ita mutentur: « Hoc autem integrum testimonium verbis, actibus, et scriptis conflatum ». *Ratio harum mutationum*: ut traditio apostolica integre describatur, quae non tantum verba scripta vel ore prolata continet, sed institutiones, facta et exempla quibus iam ab initio vita Ecclesiae conflabatur. Et ideo integrum fidei depositum non tantum verbis, scripto vel oretenus traditis constat, sed etiam vividis exemplis et institutionibus.

§ 8 placet iuxta modum, scil. ut initio, lin. 11, post verba « ita mutuo se habent, ut » haec addentur: « quamvis latius pateat traditio quam scriptura ». *Ratio huius additionis*: ut nullo modo, ne quidem per omissionem, favere videatur Concilium uni alterive duarum opinionum circa possibilitatem, vel non, inveniendi in traditione quasdam veritates fidei quae non saltem implicite continerentur etiam in Scripturis. Si intacta ramaneret prima propositio huius par. 8, plurimi eam intelligerent hoc sensu quod traditio nullam veritatem fidei docere potest quam saltem implicite non affirmat Scriptura. Et sic dicerent Concilium iam consecrasse effatum cuiusdam recentis theologi: « Totum in traditione et totum in Scriptura ».

Si vero additur huic propositioni: « quamvis latius pateat traditio quam Scriptura », libertas plena relinquitur theologis utriusque campi. Nam

1. haec verba impediunt interpretationem strictiorem eorum quae sequuntur (scil. « altera alteri extranea non sit ») permittendo opinionem multorum dicentium aliqua « virtualiter » tantum contineri in Scriptura quae sola traditio viva Ecclesiae transmittit ut quid revelatum;

2. non tamen imponunt hanc opinionem, cum, etiam propter alias rationes ab omnibus receptas (scil. propter facta, institutiones etc., quae sola traditio realis et viva transmittit, et propter continuum profectum homogeneum huius traditionis) omnino certum est traditionem plura memorare de quibus Scriptura silet.

§ 9 placet iuxta modum, scil. ut 1. in linn. 19-20, verba « non singulis hominibus, sed vivo et infallibili Ecclesiae magisterio concreditum est » ita mutantur: « non singulis tantum hominibus, sed magis ipsi Ecclesiae et imprimis vivo et infallibili eius magisterio concreditum est ». *Ratio additionis*: ut rectius indicetur subiectum cui depositum commissum est. Tota Ecclesia custodit depositum, sed praecipue per magisterium quod, solum, illud authentice interpretat.

2. In linn. 22-23, verba « quatenus illud ex divino mandato et Spiritu Sancto assistente tuetur et authentice interpretatur » ita mutantur: « quatenus hoc magisterium et ipsum solum illud verbum, ex divino mandato et Spiritu Sancto assistente efficaciter tuetur et authentice interpretatur ». *Ratio additionis*: ut clarius describatur officium proprium magisterii, quod ipsum solum exercere potest. Soli magisterio competit efficaciter tueri depositum quod nequit plene custodiri sine ipso. Eadem de eius interpretatione authentica dicenda sunt.

§ 10 placet iuxta modum, scil. ut, in linn. 29-30 verba « ... consistere non possit. Tria simul ad animarum salutem... » ita mutantur: « consistere ex integro non possit. Tria ergo ad animarum salutem... ». *Ratio mutationis*: ne dicatur quod non solum tota traditio simul sumpta sine scriptura consistere non possit (quod verum est), sed etiam quod quaecumque pars traditionis indigeat scripturae testimonio corroborari (quod saltem sub dubio remanere debet).

Cap. II. §§ 11-12 placent. § 13 placet iuxta modum, scil. ut in fine huius paragraphi restituatur ultimum verbum quod ponebatur in fine paragraphi 14 prioris schematis, videlicet: « ... ignorantia ». *Ratio additionis*: de fide est Christum, saltem ratione scientiae suae beatae visionis, nullam habuisse ignorantiam proprie dictam.

Cap. III placet.

Cap. IV. § 17 placet iuxta modum, scil. in lin. 13, loco « de Evangeliorum fide historica » scribatur: « de Evangeliorum valore historico ». *Ratio emendationis*: verba « valor historicus » facilius ab omnibus intelliguntur; expressio « fides historica » est nimis technica praesertim cum applicatur alicui libro et non aliquae personae.

§ 18 placet; § 19 placet iuxta modum, scil. ea conditione ut in finem paragraphi, haec, ex primo schemate deprompta (§§ 21 et 22), addantur paucis verbis mutatis: « Caveant tamen errores quibus denegatur vel extenuatur quovis modo vel quavis causa, germana veritas historica et obiectiva factorum vitae Domini Nostri Iesu Christi, prout in sanctis illis Evangeliis narrantur. Qui errores adhuc perniciosiores evadunt si in dubium revocent facta quae ipsam fidem afficiunt, ut sunt, v. g., praecipui eventus infantiae Christi, Redemptoris signa et miracula,

eiusdem mirabilem a mortuis Resurrectionem et ad Patrem gloriosam Ascensionem. Nefas sit etiam asserere Christi verba, quae et quatenus ab Evangeliis Domino adscribuntur, saltem quoad ipsam rem verbis significatam, plerumque ipsius Christi non esse, sed potius mentem referre Evangelistae, seu, quod vel gravius est, communitatis christianae primitivae ». *Ratio additionis*: ut postquam perlaudatus fuerit labor exegetarum, limites certi ponantur quos transgredere eis nefas sit.

§ 20 placet iuxta modum, scil., ut in lin. 13 loco « Paraclitum suum », scribatur: « Paraclitum Spiritum ». *Ratio emendationis*: Spiritus Sanctus non est « Paraclitus », i. e., Defensor Christi.

Cap. V. §§ 21-22 placent. § 23 placet iuxta modum, scil., ut in lin. 24, post verba « sub ductu magisterii Ecclesiae », haec adduntur: « analogiam fidei sedulo sequentes, traditionesque Patrum fideliter observantes ». *Ratio additionis*: intellectus plenus cuiusvis textus Sanctae Scripturae obtineri nequit nisi referatur ad integrum mysterium christianum quod in aliis locis sub aspectibus diversis revelatur. Insuper « Sanctorum Patrum... summa auctoritas est quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumque doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes » (Leo XIII, Litt. Encycl. *Providentissimus,* Denz. nn. 1943-44).

§§ 24-26 placent.

[*Subscripserunt*] Petrus de la Chanonie, ep. Claramontensis; Marcellus Lefebvre, arch. Synnadensis in Phrygia; Augustinus Grimault, ep. tit. Maximianopolitanus in Palaestina; Xaverius Morilleau, ep. tit. Coloniensis in Cappadocia; Ioannes Prou, sup. gen. Congr. Gallicae O.S.B.

79

QUIDAM PATRES CONCILIARES AFRICAE CENTRO-ORIENTALIS

A. *Animadversiones generales.*

Schema, post longiores et graviores discussiones elaboratum, commendatur et quoad compositionem et quoad doctrinam in eo expositam; in genere ergo sumptum placet eiusque textus sacrae synodo proponatur.

B. *Animadversiones speciales.*

1. Pag. 5, *Prooem.* n. 1, linn. 8-14. Desideratur aliqua plenior simulque planior expositio conceptus « revelationis » secundum sacras Litteras elaboranda. Ex ipsis verbis S. Ioannis allatis resultat Deum sese non solum verbis sed et factis, verbo utique ulterius determinandis, revelasse. Quorum factorum principalissimum est ipsa Incarnatio, vita, mors et resurrectio Iesu Christi, quae in allatis mysteriis revelationis christianae deesse non deberent. Ideo sequens formula ut paradigma emendationis proponitur: « ... non possent tamen mysteria Dei cognoscere, imprimis scil. Deum esse unum in tribus personis neque eius oeconomiam qua in Dei Patris Filio et in Spiritu Sancto ad consortium divinae naturae (*2 Pt.* 1, 4) vocantur, nisi Deus ipse eadem verbis et factis revelasset. Qua revelatione et veritas tam de Deo quam de homine in Christo nobis illucescit, et simul Dei caritas demonstratur (*Rom.* 5, 1-5), ita ut verbo eius ex parte hominis in fide et caritate accepto iam foedus quodammodo inter Deum hominemque statutum sit ».

2. Pag. 5, n. 2. Cum « ordo » salutis neque per peccatum Adae sublatus fuit neque umquam tempus erat quo homo ad salutem vocatus non esset, illud « restaurare ordinem salutis » forsan nimia affirmat. Melius poneretur: « confirmavit ».

Illud « mox », quod intelligimus in sensu « statim » (DENZ. 531), melius traheretur ad: « misericorditer promittendo ». Insuper attendatur historiam salutis tunc tantum « e longinquo » praeparari dici posse si tota historia humana, prouti hodie intelligitur, consideratur neque sola phasis Abrahamitica, quae relative brevis dici debet; ideo illud « e longinquo » omittatur.

Proponimus ergo hanc immutationem textus n. 2: « Inde ab initio Deus amore permotus testimonium dedit generi humano de semetipso et de hominis *supernaturali* (melius quam « superno ») fine; ac post peccatum Adae, mox misericorditer promittendo redemptorem, mirabiliter Ordinem salutis *confirmavit communionemque suam cum homine* restauravit. Ad adducendam plenitudinem temporis (*Gal.* 4, 4) in Abraham populum sibi elegit, ut in semine eius benedicerentur omnes generationes terrae (*Gen.* 12, 3), et ita iam via Evangelio praepararetur ».

3. Pag. 5, linn. 27-29. « Christianismus » neologismus minus aptus esse videtur, cum christianam religionem designet ad modum, quo historici Religionum loqui solent. Proponimus: « Quare *oeconomia christiana* non est tantum aetas quaedam transitoria historiae religiosae humanitatis, sed — *ut plenitudo temporis* — omnino novissima et definitiva ».

4. Pag. 6, n. 6. Describitur humanum responsum Deo sese revelanti dandum. Supposito pleniore sensu biblico conceptus revelationis supra designato, humanum quoque responsum latiore indiget expositione.

Proponimus: « Revelationi divinae *qua Deus se homini cognoscendum et amplectendum offert* praestanda est obedientia fidei caritate perficienda, sed *ut hoc fidei responsum* suscitetur, opus est gratia Dei, quae sensum aperiat, cor moveat et convertat. Quo vero *homo* revelationem profundius usque intelligat *arctiusque amplectatur,* Spiritus Paraclitus fidem eius iugiter per dona sua perficit ».

5. Pag. 7, n. 8, linn. 12-13. Non apparet utilitas formulae negativae: « ut altera alteri extranea non sit »; ideo textus *contrahatur* hoc modo: « S. Scriptura ergo et s. traditio arcte inter se connectuntur atque communicant ».

6. Pag. 7, n. 9, linn. 24-25. Laudanda est formula magisterium non supra verbum Dei esse, sed eidem ministrare. Cum huic magisterio totum depositum concreditum sit cumque totum depositum veritates implicitas continere possit et contineat, in lin. 24 loco « in una vel altera depositi parte » commendatur scribere simpliciter « quae in deposito... ». Insuper minus placet illud « obscure » cum haec qualitas negativa revelationi Novi Testamenti in genere imponenda non sit. Sufficit « implicite ». Vel alia formula magis positiva eligatur. Proponitur ergo: « ... quae in *Sacro Deposito* implicite continentur ».

7. Pag. 7, n. 9, linn. 25-26. Aptior formula commendanda esse videtur ad exponendas fidei normas, sive proximam sive remotam. Nam hic distinctio normae sive proximae sive remotae refertur ad fideles seu credentes, quod in textu exprimendum est. Proponimus hanc formulam: « Exinde regula fidei *credentibus* proxima quidem est Ecclesiae magisterium, remota vero Sacrum Depositum ».

8. Pag. 9, nn. 11 et 12. « Aliter enim veritas in textu historico et aliter in textu didactico, prophetico, poetico, allegorico aut parabolico proponitur et exprimitur ». Verba citata ad defendendam S. Scripturam contra obiectiones circa eius inerrantiam hodie propositas vix sufficiunt. Schema supponit illa verba « aliter

enim veritas in textu *historico* » iam continere perspicuam regulam hermeneuticam. Neque pro V. T. neque pro N. T. problemata solvi possunt nisi terminus « historicitatis » aliquomodo explicetur et in sua complexitate ostendatur. Tota doctrina de inerrantia S. Scripturae indiget aliqua forma, quae difficultatibus hodie propositis sufficere possit. Imprimis quae, n. 11, linn. 10-12 dicuntur, adeo generalia sunt, ut fini S. Concilio Vaticano II a Ioanne XXIII f. m. proposito non sufficiant, cum non vetera tantum repetenda sint, sed necessitatibus novis medendum sit.

9. Pag. 13, n. 17, lin. 6: n. 18, lin. 18. Quaeritur utrum recte electa sit formula « tenuit ac tenet » ad qualificandam certitudinem qua origo apostolica Evangeliorum eorumque historicitas affirmetur. Forte alia formula magis apta esset, sc.: « *credidit* ac *credit* ».

10. Pag. 13, n. 18, lin. 21. « ... quamvis enim formam praeconii *aliquando* resonent ». Illud « aliquando » difficultates potius creare quam solvere videtur. Nam forma aliqua « kerygmatica » Evangeliorum tamquam proprietas totalis agnoscenda esse videtur. Si illud « aliquando » retinetur, difficilis inquisitio necessaria erit, ubinam forma haec kerygmatica admittenda sit vel non; immo falsa oppositio ad historicitatem insinuari videtur. *Illud « aliquando » ergo melius erit delendum.* Notandum insuper agnitionem characteris kerygmatici omnium Evangeliorum optimum praebere fundamentum doctrinae de traditione orali, cum « kerygma » praecise sit illud « vivum tradere verbi Christi », quod Ecclesia a Spiritu Sancto ducta inde ab initio exercuit.

11. Pag. 14, n. 20, lin. 13. « Paraclitum suum misit, *qui* omnia eos doceret » (loco « ut omnia eos doceret »).

12. Pag. 15, n. 23, lin. 23. « dent *operam...* ».

13. Pag. 16, n. 25, lin. 10. Loco « ovibus », commendatur « *fidelibus* », quia illud in quibusdam linguis modernis durius sonat quam in lingua latina.

[*Subscripserunt*] Ioannes Theunissen, arch. de Blantyre; Adam Kozlowiecki, arch. de Lusaka; Guido Del Mestri, arch. tit. Tuscamiensis; Francis Mazzieri, ep. de Ndola; Marcel Daubechies, ep. de Kasama; L. P. Hardman, ep. de Zomba; F. Courtemanche, ep. de Fort Jameson; C. Chitsulo, ep. de Dedza; A. Fürstenberg, ep. de Abercorn; R. Pailloux, ep. de Fort Rosebery; Jean Louis Jobidon, ep. de Mzuzu; James Corboy, ep. de Monze; N. Agnozzi, ep. aux. de Ndola; Rupert Hellerich, praef. apost. de Solwezi.

80

QUIDAM PATRES CONCILIARES AFRICAE ORIENTALIS

Novum schema cum novo titulo in genere sumptum placet, eiusque textus prout iacet disceptationi in aula conciliari proponantur.

[*Subsignaverunt*] Edgar Maranta, arch. de Dar Es Salaam; Marcus Mihayo, arch. de Tabora; James Holmes-Siedle, ep. de Kigoma; Victor Haelg, ep. tit. de Baia; Herman Van Elswyk, ep. de Morogoro; Eberhard Spiess, ep. tit. Cemerinianensis; Edward McGurkin, ep. de Shinyanga; Eugene Arthurs, ep. de Tanga; Elias Mchonde, ep. tit. Adraenus; Renatus Butibubage, ep. tit. de Casi; Gervase Nkalanga, ep. tit. de Balbura; James Komba, ep. tit. Thignicensis; Vincent McCauley, ep. de Fort Portal; John Ogez, ep. de Mbarara.

81

CONFERENTIA EPISCOPORUM AFRICAE MERIDIONALIS

In genere. Schema, Conferentia unanimiter consentiente, inter optima omnium censendum est, quippe quod 1. mirabiliter omnium in prima Concilii sessione disceptatorum, synthesim exhibet; 2. originalis schematis defectibus (ut erat e. g. insistentia in dualitatem fontium revelationis) aptum remedium opponit; 3. attingit expositionem quasi perfecte pastoralem et positivam, quae, nedum portam ad ulteriorem investigationem claudat, eam latissime patere sinit.

Dolendum tamen est schema nimia condensatione laborare; quo fit ut in non mediocri eius parte, verborum paucitas tanta sit ut nonnulla obscura et incompleta maneant, ut v. g. ea quae infra sub titulo « in particulari » inveniuntur.

In particulari. 1. *In cap. I,* n. 10, verba « sensu fidelium subordinate concurrente » Conferentiae displicent, hac de causa quod fidelibus munus tribuatur solum passivum, ab episcopis veluti separatum, quin ullum habeant ad magisterium active gerendum.

2. *Cap. II* totum conferentiae displicet. Etenim licet in eo « De Novo Testamento » proponatur agendum, reapse fere exclusive de Evangeliis est sermo, ita quidem ut imprimis appareat nimia anxietas circa modum recentium peritorum historicitatem Evangeliorum indagandi. Propterea enixe commendat conferentia ut ad tale defectum corrigendum totum hoc caput ex integro recognoscatur, hoc etiam debite considerando: integrum Novum Testamentum, Deo inspirante e viventis Ecclesiae scaturigine promanans, huius Ecclesiae vocem exhibere.

3. *In cap. V,* n. 26, animadvertit conferentia nullam fieri explicitam mentionem eius familiaritatis cum Sacris Litteris quam fideles sibi comparare debent ex ipsissimarum sacrarum paginarum frequenti lectione; et commendat ut huiusmodi defectui remedium apponatur.

82

CONFERENTIA EPISCOPORUM ARGENTINAE

El Esquema de la constitución dogmática sobre la « *Revelación Divina* » responde bien, en términos generales, a la finalidad de presentar *íntegramente* la verdad católica en una forma más asequible a la mentalidad moderna y con un sentido prevalentemente pastoral.

Hay un esfuerzo evidentemente logrado de síntesis de doctrina, de claridad en la presentación y con marcado acento escriturístico que fácilmente puede ser asimilado como la eterna « Buena Nueva » renovadamente joven y despojada de elementos expresivos inactuales a la mentalidad moderna.

La lectura del proemio y de los primeros capítulos aisladamente, deja insatisfacción y hasta la impresión de disconformidad algunas veces. Sin embargo, la lectura continuada de los Capítulos a medida que avanza, disipa insatisfacciones, disconformidades e incógnitas y al terminar el Cap. V que es el último, el panorama se aclara, completando los conceptos que, al comienzo del esquema, parecían exigir mayor amplitud.

El estudio realizado por los Excmos. Sres. Obispos de la Provincia Eclesiástica de Buenos Aires sobre este Esquema « de divina revelatione » presenta a Vuestra consideración las siguientes observaciones:

1. *Al Proemio.* Para aclarar el pensamiento final del n. 1, se sugiere colocar una coma después de « homine »; o bien redactar la oración de esta manera: « Qua revelatione veritas tam de Deo quam de homine nobis in Christo illucescit ».

2. En el n. 2, en el segundo punto (línea 3), « ac post peccatum Adae, misericorditer promittendo Redemptorem, mox mirabiliter *restauravit* ordinem salutis », se juzgó conveniente proponer la siguente modificación: ..., mox mirabiliter instaurare decrevit.

La razón es que si bien es cierto que con la promesa del Redentor quedó instaurando el « Ordo salutis », sin embargo, también es cierto que tal orden fue conocido antes de Jesús, por reducidos núcleos que pudieron, por la Fe en el futuro Redentor entrar al orden de la gracia: por otra parte es evidente que el « ordo salutis » tuvo un lento desarrollo durante la larga era del advenimiento del Redentor, cuya Buena Nueva se dirigió a toda la humanidad y pronto se difundió entre todas las Naciones. La modificación propuesta es de carácter accidental, pero sugiere el principio de un hecho que se inicia y se desarrolla lentamente hasta el cumplimiento de la promesa.

3. En el n. 5, en la línea 6, se propuso sustituir la palabra « *illae* » por « *haec* ». Después de nuevo estudio personal juzgo que no corresponde tal modificación.

Cap. I. « De Verbo Dei revelato ».

Se hizo notar que el título no parecería corresponder exactemente al texto, por cuanto no se alude explícitamente en este capítulo al Antiguo Testamento. En concreto se hizo notar que:

a) El n. 7 lleva el subtítulo de « Apostoli praedicatores Evangelii », alude solamente a los Escritos del Nuevo Testamento. ¿Porqué no decir explícitamente que también el Antiguo Testamento es « Depositum Fidei »?

b) Se añadió *por algunos* que sería oportuno *previamente* determinar el concepto de « Verbum Dei revelatum ».

c) *Se expuso* el deseo de ver precisado el alcance de las palabras « dictante Spiritu Sancto ».

d) Por fin *se sugirió* dejar aclarada así la inclusión del Antiguo Testamento en el « Depositum Fidei »: « Christus Dominus, in se continens et complens revelationem, multifariam multisque modis olim factam per prophetas..., mandatum dedit apostolis ».

Por mi parte juzgo que el n. 7 y todas las dificultades expuestas tienen respuesta y explicación en el n. 1787 del Enchiridion Symbolorum de Denzinger: « Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem a Sancta *Tridentina* Synodo declaratam continetur " in libris et libris scriptis et sic scripto (in) traditionibus, quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut (ab) ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt " (Conc. Trid., v. n. 783).

Qui quidem Veteris et Novi Testamenti integri cum omnibus partibus prout in eiusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt.

Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis, *non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint adprobati*; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti (,) Deum habent auctorem, atque ut tales ipsae Ecclesiae traditi sunt » (Can. 4).

En cuanto al n. 8 algunos señalaron la conveniencia de dar la definición de « Traditio ». Cabe, sin embargo, contestar que para los fines señalados a este Concilio, sin dar una definición formal y explícita, como tal, en el n. 7 se ha enseñado con síntesis y claridad admirables que los Apóstolos cumplieron el mandato del Señor de predicar el Evangelio « cum per scripta Spiritu Sancto inspirata, cum oretenus tradendo ea, quae ex ipso Christi ore vel a Spiritu Sancto dictante acceperant ». Añadiendo que: « Hoc autem Verbum Dei, scriptum *vel traditum* unum depositum fidei constituit... ».

También se insinuó la conveniencia de añadir, en una breve introducción qué se entiende por « Verbum Dei revelatum ». Asimismo se manifestó el deseo de ver precisado el alcance de las palabras « dictante Spiritu Sancto ».

En cuanto al n. 9 se pidió precisar el concepto de « Magisterium vivum Ecclesiae » cosa que no parece necesaria. Más necesario parecería el pedido de precisar el término de « sensus fidelium » del n. 10, que, sin embargo es evidente.

Cap. II. « De Sacrae Scripturae divina inspiratione et interpretatione ».

1. Al n. 11. En el renglón 8 pareció conveniente sustituir la palabra « iubere » por la de « voluit », para que apareciera disminuída la participación humana en la redacción de la Sagrada Escritura y sin embargo se dejara bien sentado que Dios es su principal Auctor.

En el Cap. V y en la línea 6 algunos propusieron que se sustituya la palabra « donum » por « munus », a fin de no repetir la misma palabra en el mismo párrafo.

[*Adhaeserunt*] Em.mus card. Caggiano; exc.mi Mozzoni, Fasolino, Rodriguez y Olmos, Plaza, Esorto, Aramburu, Castellano, Vicentin, Buteler, Tortolo, Tato, Marengo, Rau, Vennera, Cafferata, Menendez, Bolatti, Raspanti, Perez, Kemerer, Chalup, Mayer, Aguirre, Scozzina, Marozzi, Primatesta, Iriarte, Schell, Lira, Bonamin, Blanchoud, Rodriguez, De Nevares, Gottau, Magliano, Devoto, Muguerza, Rosch, Rossi, Quarracino, Sansierra, Segura, Carreras, Cardenas, Ponce de León, Torres Farias, Toma.

83

CONFERENTIA EPISCOPORUM BELGII

1. Exoptant exc.mi episcopi, ut in n. 1, *de facto et necessitate revelationis,* explicite adducantur declarationes Concilii Vaticani I, de possibilitate naturalis cognitionis Dei, simul cum relativa necessitate revelationis ad legem naturalem dignoscendam.

Simul exoptant ut revelatio non exclusive ut « verbalis » describatur, sed ostendatur etiam eius indoles « realis », qua Deus « Seipsum » revelare hominibus decrevit, secundum verba Decreti Vaticani I, DENZ. 1785.

2. Suadent ut in n. 2, *de revelatione gradatim peracta,* etiam locutio Dei per prophetas memoretur.

3. In n. 7, *Recipiuntur Libri sacri et traditio apostolorum,* enixe exoptant *ut* idea accuratius exprimatur, explicite allatis verbis Concilii Tridentini, DENZ. 1783, de Evangelio a Christo ore prolato et ab eo apostolis ad praedicandum commisso.

Ad apostolos quod attinet, dicendum quod ex una parte prius ore praedicaverunt quae a Christo oretenus, vel Spiritu Sancto suggerente (cf. *Io.* 14, 26) acceperunt; et ex altera parte Scripturam inspiratam Ecclesiae commiserunt, i. e. libros tum Antiqui tum Novi Testamenti, sive a se, sive ab aliis viris apostolicis scriptos.

4. Ad n. 9, *Utriusque relatio ad s. magisterium,* exoptant ut dicatur sacrum verbi Dei depositum, *Ecclesiae commissum,* vivo et infallibili magisterio concreditum esse, ut illud custodiat et interpretetur; ne scil. impressio oriatur quasi *solum* magisterium depositum custodiat, dum etiam a tota Ecclesia in fide et vita sua sedulo servatur.

5. Suadent episcopi ut in n. 14, *de Vetere Testamento,* clarius exhibeatur triplex finis illius veterotestamentariae revelationis, quae intendit nempe, tum inculcare agnitionem unici veri Dei, tum exhibere historiam salutarem populi electi, tum denique praeparare adventum Christi redemptoris.

6. In n. 26, ubi *Scriptura fidelibus commendatur,* exoptant episcopi ut res profundius tractetur et insistatur super necessitatem Scripturae secundum ecclesiastici et catholici sensus normam interpretandi.

84

EXC.MI PP. DD. EPISCOPI PROVINCIARUM AQUENSIS ET AVENIONENSIS ET DIOECESIS MASSILIENSIS

I. *Animadversiones generales.* A) Novum hoc schema constitutionis dogmaticae *de divina revelatione* placet. Minus enim priore extensum, quaestiones vitans disputatas et hermeneuticae sacrae maioris momenti principia ad memoriam revocans, certo erit adiumento ad rectarum exegeticarum investigationum progressum; locum etiam divini verbi in magisterio ecclesiastico vitaque christiana magis concinniter praefinit.

B) Optabile tamen nobis videtur, ut firmius asseveretur Iesum Christum, Dei verbum, fontem esse primum et vivum revelationis christianae; eiusdemque vitam, mortem, resurrectionem aequo iure revelationem dicendas quam doctrina ab ipso tradita.

II. *Animadversiones particulares. Prooemium*: n. 1, pag. 5, linn. 8-12. Sicuti factum est a Vaticano I (cf. DENZ. 1786), iterum asserenda opportune videretur, et modo quidem positivo, revelationis divinae necessitas, ex eo quod ordinetur homo ad finem supernaturalem (cf. n. 5, pag. 6, linn. 9-12).

Ad memoriam etiam non sine utilitate revocaretur: cognitionem scil. Dei, quae ex revelatione habetur, imperfectam semper manere, et ideo, v. g. ad lin. 12, post verbum « revelavisset », addere « in quantum fieri potest ».

Lin. 13. Opportune mentio fieret Incarnationis, qua sumus redempti, verbis « in Christo » haec alia addendo « Salvatore nostro ».

N. 2, lin. 21. Non sine utilitate hic addi posset textus *Hebr.* 1, 1 post ver-

bum « praepararetur »; revocaretur ad memoriam revelationem scil. fieri in Verbo Dei, et ita introduceretur n. 3.

N. 3, lin. 25. Post verba « facta est », loco *Hebr.* 1, 1, melius ponerentur haec Ioannis (1, 1-16): Ipse est verbum Dei.

Lin. 27. Loco verbi « christianismus » qui videtur potius referri ad historiam religionum, melius adhiberentur verba « oeconomia christiana ».

Lin. 29. In fine citetur *Hebr.* 3, 8 (cf. *Gal.* 4, 4 et *Eph.* 1, 10).

N. 5, pag. 6, linn. 9-12. Asserendae essent magis explicite partes Iesu Christi in revelatione.

Cap. I. Relationes inter Scripturam et traditionem intra revelationem sedulo observantur.

Ministeriale magisterii munus, relate ad revelationem, a qua suam haurit doctrinam, sicut a fonte, studiose praefinitur.

N. 7, pag. 7, linn. 5-7. Quod ore praedicaverunt apostoli, Spiritus Sancti assistentiae privilegio gaudebat, traditionemque scriptam praecessit. Vocabulum « oretenus » magis videtur menti evocare traditiones ore prolatas, quibus completur Scriptura, quam apostolicam traditionem. Vocabulo « dictante », cum facile menti suggeri posset Spiritum Sanctum dictavisse Scripturam, textus ita videtur redigendus: Quod quidem apostoli a Spiritu Sancto inspirati fecerunt, tum ore docendo, tum scribendo ea quae... vel a Spiritu Sancto afflante acceperant.

N. 9, lin. 24. Eloquendi modus « in una vel altera depositi parte » non multum placet. Melius diceretur: « in deposito fidei tam scripto quam tradito », vel alio modo « in verbo Dei tam tradito quam scripto ».

Linn. 25-26. « Exinde... »: vocabulum « remota » aliquid ambiguitatis videtur afferre posse. Melius videretur si ambiduae lineae istae omnino tollerentur.

Cap. II, n. 11, pag. 9, lin. 11. « Vellet » melius sonaret quam « iuberet ».

N. 12, linn. 17-19. Ne videatur catalogum generum litterariorum definitive stabiliri, melius dici posset: « et aliter verbi gratia in textu allegorico ».

Pag. 10, lin. 3. Hermeneutica, cum sit sacra scientia, loco verborum « ad normam hermeneuticae rationalis et catholicae » simplicius diceretur: « ad normam scientiae hermeneuticae ». Item dicendum esset n. 19, pag. 4, lin. 1: « Servatis rationalis... ».

Cap. III, n. 14, pag. 10, lin. 8. Ad verba « quae eventuum series... » addere haec: « ac illustrationum series... ».

Lin. 11. Ad finem textus citare *Mt.* 5, 17.

Cap. V, n. 26, pag. 16, lin. 25. Nonne congrue adderentur haec pulcherrima S. Hieronymi verba: « Ignorantia Scripturae, ignorantia Christi ».

85

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI REGIONIS APOSTOLICAE BURDIGALENSIS

Remarques générales. Dans l'ensemble, ce schéma ne déplait pas. Cependant, il aurait besoin de retouches assez importantes, ainsi qu'on le verra dans les remarques particulières, dont certaines ne sont pas seulement de détail, mais touchent le fond.

La Révélation y apparaît quelquefois comme orientée vers une pure connaissance (cf. v. g. p. 5, n. 1, l. 9-14) alors qu'elle a pour objet propre de nous permettre *de participer au plan salvifique de Dieu.*

Il faudrait pour cela que soit mieux précisé les rapports vitaux entre la Révélation et la vie de l'Eglise.

Dans cette perspective, la réunion des Evêques demande instamment que le schéma « De Ecclesia » soit discuté avant le schéma « De revelatione ».

Remarques particulières. Chapitre I. La déficience principale de ce chapitre tient en ce que: il n'y est donné aucune définition, ni même aucune description, de *la Tradition.*

Il faudrait exprimer à tout le moins que:

la Tradition ne peut être séparée de la réalité vivante du salut, et donc de l'Eglise du Christ;

qu'elle est la manifestation de la vie de l'Eglise, v. g. dans son culte et son organisation, et l'interprétation vivante de ce qui est contenu dans l'Ecriture.

Tout ce qui a trait à l'économie du Salut est de *l'essence* de la Tradition.

Pour cela, il est nécessaire de se défaire d'une conception dualiste de la Révélation, de ne pas chercher une ligne de séparation entre ce qu'enseigne l'Ecriture et la Tradition, et de bien marquer la connexion de nature qui existe entre elles.

P. 7, n. 7, l. 6. « Oretenus tradendo » expression très insuffisante. La Tradition n'est pas seulement ce qui n'a pas été écrit de la Révélation. Elle est aussi tout ce qui se trouve inclus de Révélation dans la pratique de l'Eglise.

P. 7, n. 9. Les rapports du Magistère et de la Révélation ne sont pas suffisamment marqués.

Chapitre II. Comme les chapitres suivants, celui-ci semble souffrir quelque peu d'une certaine insuffisance doctrinale. Il est vrai qu'il est très important qu'elle se fasse dans la lumière et ne risque pas, pour avoir été trop hâtive, de fermer la porte à un travail de pénétration plus profond de l'Ecriture.

Chapitre III. La place centrale du Christ n'est pas suffisamment mise en valeur, même au n. 15 (p. 11): « Scrutamini Scripturas... ».

Chapitre IV. On se félicite de ce que, selon le style conciliaire, on y trouve bien un rappel de vérités chrétiennes, sans vouloir en apporter une démonstration.

P. 13, n. 18, l. 24. Nous nous posons la question de savoir s'il faut conserver le mot « *historiam* ». En effet, il apparaît actuellement chargé de toutes sortes d'exigences vis-à-vis de la méthode et de l'objet propre du récit comme de la rigueur dans l'exposé, qui ne semblent pas correspondre à ceux de l'Evangile. Nous proposons à la place l'expression « narrationem ».

P. 14, n. 19. L'expression « *rationalis* » semble peu heureuse. Pourquoi ne pas reprendre celle de Vatican I « *rectae rationis* »?

P. 14, n. 20. Nous regrettons qu'il ne soit pas fait allusion ni aux Epitres de St Paul, ni à l'Apocalypse.

Chapitre V. L'esprit et les orientations de ce chapitre nous apparaîssent excellents.

Mais, nous demandons qu'il y soit explicitement formulé que les *Traductions de l'Ecriture* soient spécialement surveillées par une Commission du sein de chaque Conférence Episcopale, le « nihil obstat » ne suffisant pas, la traduction devant être aussi *exacte.*

86

Exc.mi PP. DD. Episcopi Regionis Apostolicae Galliae Meridionalis

I. *Nota generalis.* Locus traditioni in schemate factus minutus extra modum videtur, respectu amplitudinis Scripturae Sacrae reservatae: manifesta est disparilitas. Traditioni ne paragraphus quidem confertur, cum quatuor capita de Scriptura Sacra tractent.

Quapropter traditio non satis definitur, aut saltem parum apte in seipsa describitur.

Expedire videtur inserere post n. 7 specialem paragraphum in qua exponatur vera traditionis notio. Quae quidem non modo verbis coagmentatur, sed etiam omnibus quae capit oeconomia salutis, i. e.: celebrationibus liturgicis, institutionibus diversis, vitae christianae exemplis, actione pastorali, multiplicibus manifestationibus consuetudinis christianae religionis etc.

Optandum est ut etiam atque etiam prematur haec traditionis nota non solum in verbis, sed etiam in re et vita, atque insuper momentum quod ei attribuit Ecclesia in transmittendo, conservando atque explicando deposito revelato.

Non sine periculo imminueretur traditionis officium in vita doctrinaque Ecclesiae.

II. *Observationes particulares.* Prooemium, n. 2:

a) Linn. 17 et 18. Textus *Gen.* 3, 15 non commemorat promissionem proprie dictam, sed inter ea quae Deus diabolo minatur et poenae nuntiationem quam continent, praevideri potest redemptor venturus.

Melius igitur dicitur « praenuntiando » quam « promittendo ».

b) Verbum « postea » suggerere posset Deum inter Adam et Abraham sibi non testificatum neque seipsum manifestatum esse, tamquam revelatio per tam longam annorum seriem interrupta esset. Porro inter Adam et Abraham alii exstiterunt patriarchae, Abel, Hénoch, Noe; qui bene commemorari possint.

Cap. I, n. 7. Linn. 5 et 6: servato temporis ordine, apostoli locuti sunt priusquam scripserunt. Praeferendum ergo videtur ordinem duorum membrorum invertere et sequenti modo scribere: « Quod quidem apostoli fecerunt cum oretenus, cum per Scripta a Spiritu Sancto inspirata tradendo ea quae... ».

Cap. I, n. 9. *a*) Linn. 20 et 21. Magisterii officium quoad Sacram Scripturam et traditionem oritur a missione quam ab ipso Christo accepit ad praedicandum Evangelium omni creaturae.

Quod convenit significare v. g. addendo (lin. 21) post « concreditum est » haec verba: « Cui Christus officium commisit praedicandi Evangelium omni creaturae » (*Mc.* 16, 15).

b) Lin. 26. Aptius videtur dicere sacrum depositum « supremam » esse regulam quam « remotam ». Magisterium enim ipsum hoc deposito regitur, sed aestimator est interpretationum quae de eo praebentur.

Cap. V, n. 26, linn. 12-16. Bonum esset commemorare « ecclesialem » Scripturae Sacrae lectionem summe fieri in actu liturgico quem constituit coetus eucharisticus. Quod autem attinet ad lectionem quam Ecclesia fidelibus suadet,

conveniens esset eam non reservare « ceteris ad id aptis institutionibus ». Lectio autem privata, quae traditione « lectio divina » nuncupatur, propriam virtutem habet. Consuetudinem enim praebet quasi-sacramentalem cum verbo Dei qua generatur in anima fructus gratiae.

Quo in sensu Imitatio Christi eloquitur de duabus mensis quae sunt « hinc et inde in gazophylacio Sanctae Ecclesiae positae » (*De Imitatione Christi,* lib. IV, cap. XI). Quod in textu perutile videtur designare.

87

CONFERENTIA EPISCOPORUM REGIONIS APOSTOLICAE GALLIAE OCCIDENTALIS

Hoc novum schema melius est quam prius schema sic dictum de fontibus revelationis. Cap. II-V redactionem sufficientem ad disceptandum in Concilii sessionibus dant. Sed prooemii et capituli primi redactio totaliter nova necessaria videtur.

1. *Ad prooemium.* Rogamus quod divina revelatio recte definiatur. Principaliter ostendendum est in tali expositione quod revelatio, non tantum in mysteriorum successione per propositiones et locutiones ex ore Christi et prophetarum collectas consistit, sed ipsa actio Dei vivi est, propositum gratiae eius revelans et efficiens, novissime etenim in Iesu Christo seipsum manifestans. Revelatio, ergo, non solum collectio verborum, sed verbum Dei ipsius est, nostro tempore ad nos loquente atque in cordibus hominum per signa quibus Deus cognoscitur (verba et facta ut unum totum hic considerata) operante.

2. Comprehensio et notionalis expressio revelationis minus est summa veritatum singularium quam mysterium unum Christi et Ecclesiae. Cum omnes revelatae veritates de fide credendae sint, comprehensio tamen earum ad mysteria fundamentalia in articulis fidei apostolorum symboli exposita maius vel minus stricte refertur.

3. *Ad cap. I.* Traditio est *a*) actus Spiritus Sancti Ecclesiam totam ad dona Iesu Christi fruenda inspirantis; *b*) actus totius Ecclesiae quae, ut unum corpus, verbum Dei audit et accipit, sacramentis alitur, Sacrae Scripturae lectionem divinam facit, exemplum apostolorum et sanctorum imitatur, in deposito fidei nihil amittens, nihil addens.

4. *Ad alia capitula.* Sacra theologia non tantum in thesauro scripturarum rationes et argumenta haurit, sed praecipue ostendit quod mysteria per analogiam fidei alia ab aliis illucescuntur.

Prooemium. Art. 1, linn. 8 s. Haec paragraphus simplex repetitio est doctrinae Concilii Vaticani I, sine ulla elucidatione: omittatur.

Art. 2. Paragraphus mere descriptiva et valde incompleta: omittatur vel denuo redigatur.

Art. 3, linn. 25-26. « Nulla ergo adhuc nova revelatio exspectanda est »: haec verba materialiter contradicere Scripturas videntur. V. g. *1 Cor.* 1, 7: « ita ut nihil desit in ulla gratia exspectantibus revelationem Domini Nostri Iesu Christi »; *Rom.* 8, 19: « Nam exspectatio creaturae revelationem filiorum Dei exspectat ». In isto sensu, aliqua « revelatio » exspectanda est, cum depositum fidei clausum sit.

Art. 4-6. Ratio horum articulorum in notione nimis verbali invenitur, qua « revelatio » definitur ut manifestatio veritatis qua Deus conceptus in mente humana causat per aliquam locutionem; ita revelatio fieri nequit per facta, sed tantum per verba. Sed facta aliqua, uti opera Christi, aliquo modo pertinent ad revelationem: unde necessarium visum est aliquid dicere de operibus Christi, in quibus revelatio non proprie datur, sed tantum significetur. Fateri tamen debet hunc modum revelationis concipiendi a Concilii Patribus non admitti. In hac theoria, ea quae fecit Iesus nihil manifestant, nihil « revelant », sed tantum verba eius « confirmant » (lin. 5) et « comprobant » (linn. 7-8). Istae propositiones non placent. Rogamus novam redactionem.

Cap. I. Titulus: clarius dicatur id de quo agitur: « De S. Scriptura et S. Traditione ».

Art. 7-10. Proponitur novum textum: *Emendatio*:

De traditione. « Non tamen Scripturis tantum, sed etiam sine scripto traditione ad nos usque pervenit plenitudo Evangelii salutaris, ita ut, testante S. Vincentio Lerinensi, si quis vellet " in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam adiuvante deberet, primum scilicet divinae legis auctoritate, tum deinde Ecclesiae catholicae traditione ".[1] Nec ipse Dominus quid scripsit, nec apostoli, testantibus ipsis scriptis suis omnia in scripto tradiderunt eorum quibus Ecclesias aedificaverunt et successoribus suis Ecclesias aedificaturis transmiserunt. Praedicaverunt vero ubique Evangelium, iusserunt, multa instituerunt ac disposuerunt, mysteria sacra celebrarunt, exempla vitae necnon pastoralis activitatis praebuerunt, sed imprimis omnia quibus constat oeconomia salutis, eaque pura atque integra tradiderunt, post se usque in finem integre pureque tradenda: verbis, certe, sed insuper et praesertim celebratione liturgica mysteriorum salutis, necnon actibus ipsis ac praxi religionis christianae.

Haec integra traditio realis simul ac verbalis in Ecclesia perrexit modo viventi, cum traditio inseparabilis sit a subiecto suo vivo. Qua de re fit ut in subiecto suo viventi, populo scil. Dei Spiritu Sancto vegetato, traditio profectum habeat: crescit enim intelligentia ecclesiastica tam rerum quam verborum traditorum; tum ex contemplatione credentium ea conferentium in corde suo (*Lc.* 2, 19 et 51), tum ex ipsa experientia intima spiritualium realitatum. Non enim otiosa, volventibus saeculis, remanet Ecclesia, sed tanquam mulier illa evangelica abscondit acceptum fermentum in farinae satis tribus, donec fermentatum est totum (cf. *Mt.* 13, 33; *Lc.* 13, 21).[2] Omnia tamen quae in medio Ecclesiae proferuntur examinari perpendique debent a magisterio divinitus instituto, cuius est de doctrinis decernere et inter effata varia sinceram traditionem Ecclesiae discernere ».

Ecclesia, subiectum traditionis. « Ecclesia nempe est quasi vas in quo custoditur, et organum per quod transmittitur traditio viva, Spiritu Sancto, " qui nimirum in ipsa Ecclesia inhabitat " [3] iuvenescere faciente eximium fidei depositum et ipsum vas in quo est.[4] Ecclesia autem cum nominatur intelligi debet corpus organicum, " plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens ",[5] uno membro,

---

[1] S. CLEMENS ROMANUS, *Ad Corinthios*, c. 42, 1-3 (*PG* 1, 292).
[2] *Epist.* 24 (*PG* 46, 1088 D).
[3] *Commonitorium*, c. 2 (II 50, 639).
[4] S. BASILIUS, *De Spiritu Sancto*, c. 27, 66 (*PG* 32, 189).
[5] S. CYPRIANUS, *Epist.* 66, 8 (Bartel, p. 733).

adspirante Spiritu Sancto, munus adimplente suum in corpore. Tota ergo credens, amans, oransque Ecclesia custodit tradita atque transmittit, praesertim parentes natis, in sinu familiarum christianarum, quas in saeculo nequam constitutas amanter admonet sancta Synodus, verba repetens senescentis apostoli discipuli iuniori: " Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae " (*1 Tim.* 6, 20).

Partes autem praecipuas habet hierarchicum collegium episcoporum, sub capite suo Petri successore, in custodiendo tradendoque sanctum depositum salutiferae fidei, cum insuper ipsi, et quidem soli, pertineat munus depositum authentice interpretandi explicandique, insurgentes errores iudicandi ac solemniter condemnandi, fidem tandem Ecclesiae, si necesse sit, definiendi. In hoc tamen munere pastores ut ministri verbi Dei, non domini, sunt positi. Non licet eis aliam revelationem proponere, cum testes sint revelationis apostolis traditae, et ligati exstant in Domino " iis quae in Sacra Scriptura et in traditione continentur nec non definitionibus a magisterio ecclesiastico iam editis ". Neque eis munus tantum concreditum est quin eis, in persona apostolorum, quibus succedunt, promissa sit assistentia Spiritus Sancti. Ipse Spiritus Dei est qui cum distantiam superet temporum vel locorum, cum illabetur uniuscuiusque et universorum menti et sit ipse Communicatio (cf. *2 Cor.* 13, 33), omnes communicare, conspirare concordareque facit, ita ut eum nominare possimus principium intimum quamvis transcendens, identitatis tam Corporis Christi mystici quam sanctae traditionis, tempora locaque superans ».

De habitudine inter traditionem, Scripturam et Ecclesiam. « Patet ergo tria esse quae disposuit Deus arcteque coniunxit, ut omnes, usque ad consummationem saeculi, eiusdem unicuique Evangelii, in quo, sicut in Christo sunt omnes thesauri scientiae et sapientiae (cf. *Col.* 2, 3), participes fieri queant, scil. traditio, Scriptura et Ecclesia. Quanto enim arcte coniunctae sunt ex hoc apparet quod nulla earum sine alia integre existere valeat.

a) Nam *Ecclesia* ex verbo Dei vivit scripto vel tradito. Omnes fidei veritates per viam Scripturarum simul ac per viam traditionis semper inspicit, quasi utrisque lucidissimis oculis corporis sui. Constat insuper Ecclesiam nullum fidei dogma sola Scriptura fulcire, nullum traditione sola. Cum tamen Ecclesia indigeat Scripturis et traditione ut vivat, indigent quoque illae Ecclesiae et indigent invicem ut sint vel fiant Scripturae canonicae sinceraque traditio.

b) *Scripturae* enim exstant, ad minus pro parte redactio aliqua traditionis vel Synagogae, vel apostolorum. Nobis non proponuntur ut Scripturae canonicae nisi per Ecclesiam nec nobis nisi in Ecclesia Spiritu inhabitata authenticum sensum suum revelant. Insuper, dissentientibus tractatoribus necesse est " ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur ".[8] Nam viget in Ecclesia sensus catholicus et ecclesiasticus, quo Scripturae interpretari queant eodem Spiritu quo conscriptae fuerunt et qui in ipsa traditione vivens asservatur.

---

[6] *Declaratio Episcoporum Germaniae, mense ianuarii* 167, in *Der Katholik* ann. 55 (1875/1), p. 212.

[7] Cf. *Deut.*, 17, 6; 19, 15; *Mt.*, 18, 16; *Jn.* 8, 16-17; *2 Cor.*, 13, 1; *1 Tim.*, 5, 19; *Heb.*, 10, 28.

[8] S. VINCENTIUS LERINENSIS, *Commonitorium* c. 2 (PL 50, 639).

c) *Traditio* enim, etsi reguletur a Scriptura velut a norma primaria, continet ac transmittit intellectum illum Scripturarum quem Dominus, postquam cum eis manducasset, discipulis suis impertivit, eos testes mysterii sui constituens eisque promissum Spiritum largiens.[9] Huius unctione Spiritu edocta non destitit Ecclesia traditionem suam ampliare, hauriens ex Scripturis ut mysterium Christianum perspiciat et ex experientia christiani mysterii ut Scripturas intelligat.

Hanc tamen vitam traditionis moderatur in Ecclesia magisterium vivum, ut sincera remaneat et ut omnes perfecti inveniuntur " in eodem sensu et in eadem sententia " (cf. *1 Cor.* 1, 10).

Invicem ergo se constituunt Ecclesia, traditio et Scriptura. Simul concurrunt vel conspirant ad efficiendum ut populus Dei in plenitudine simul ac in puritate Evangelii salutaris vivat, ad gloriam Patris ».

Cap. V. Art. 21. Sacrae Scripturae verba non solum in sacra liturgia in usu sunt, sed etiam a primordiis evangelici nuntii in praedicatione Ecclesiae.

Emendatio pag. 15, lin. 1: « Non per alios dispositionem salutis nostrae cognoscimus, quam per eos per quos Evangelium pervenit ad nos; quod quidem tunc praeconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostrae futurum ».[10] Praedicationis ergo evangelicae testimonium eximium sunt Scripturae Sacrae. Eas velut ipsum corpus dominicum semper venerata est Ecclesia, cum non desinat et ex mensa tam Verbi Dei quam Corporis Christi panem vitae sumere atque porrigere fidelibus; has semper sicut supremam fidei suae regulam habuit, cum non tantum a Deo inspiratae sint, ita, ut verbum ipsius Dei impertiant, sed insuper characterem immutabilitatis ad regulam pertinentem praebeant et ipsissima prophetarum apostolorumque verba personare faciant. Omnis ergo praedicatio ecclesiastica atque religio christiana ad Scripturam semper se referre debet tamquam ad normam et auctoritatem quibus regulantur et indicantur ».

Art. 24. *Emendatio*: « Sacra theologia in verbo Dei tamquam in suo primario et perenni fundamento innititur, ex quo per analogiam fidei omnem veritatem in mysterio Christi absconditam penetrat, firmissime roboratur et semper iuvenescit. Sacrae enim Scripturae verbum Dei non tantum continent, sed vere verbum Dei sunt. Ex eo etiam verbi Dei ministerium, pastoralis quoque praedicatio, in qua homilia liturgica principem locum sibi vindicat, salubriter nutritur sancteque virescit, et ex eo simul fides credentium Veritatem primam Dei revelantis recognoscit ».

Art. 26. *Emendatio*: « Christifideles quoque ad sacrum ipsum textum accedant, et sensum secure penetrant, ducente ecclesiastica traditione sive per sacram liturgiam divinis eloquiis confertam, sive per divinam lectionem feliciter excultam in ceteris ad id aptas institutionibus, quae, approbante... ».

---

[9] Cf. *Io.* 24, 25-31; 41 sq.; *Act.* 1, 4 sq.

[10] S. IRENAEUS, *Adv. Haer.*, I, 10, 2 (*PG* 7, 552).

88
Exc.mi DD. PATRES CONCILIARES LINGUAE GERMANICAE ET CONFERENTIAE EPISCOPORUM SCANDINAVIAE

I. *Generaliora*. 1. Cum istud schema suppleat illud « De fontibus revelationis » ante Concilium praeparatum, quod acres disceptationes inter Patres conciliares excitaverat, mirandum ex una parte non est, quod novum schema, spectata materia satis breve, praesefert indolem alicuius pacificae conventionis, qua multae causae dissensionis evitantur eo, quod multa tacentur, de quibus de se ulterior doctrina lubenter audiretur. Ita v. g., quae pag. 5, linn. 15-21 de revelatione gradatim peracta dicuntur, parciora et obscuriora sunt quam quae praesertim sub respectu pastorali laudari possint. Ex altera parte hoc novum schema ex iisdem rationibus historiae suae schema est, de quo omnes convenire possunt, cuique iam aliud novum et melius schema substitutum iri practice sperari nequit.

2. Spectata igitur historia schematis, id, prout iacet, bonum est. Remota sunt ea, quae in schemate anteconciliari aut minus certa aut inopportuna aut indole pastorali carentia videbantur. Hinc praesertim approbamus doctrinam cautam, quae exhibetur de traditione et Scriptura et de mutua connexione utriusque huius modi, quo Christi revelatio transmittitur. Explicite fatemur nos non optare, ut de hac ardua quaestione plura dicantur quam quae dicta sunt, sed ut retineatur consensus, qui post tot disceptationes de hac quaestione in commissione mixta obtentus est. Spectato titulo, quo schema inscribitur, censere forte quis poterit expedire, ut de revelatione in genere (eius natura, historia, modo eam cognoscendi) plura dicantur. Attamen putamus consultius esse, si Concilium in ulteriores quaestiones has non intrat. Arduae enim sunt nimis, quam ut sperari possit fore, ut Concilium eas pacifice et celeriter absolvat.

3. Ea, quae retinentur aut de novo in hoc schemate dicuntur, ab omnibus ita admitti possunt, ut ulterior quaestio de addenda accuratiore qualificatione theologica circa singula, quae dicuntur, in *hoc* schemate non necessario movenda sit. Pro legitima interpretatione theologica *huius* schematis sufficiunt textus ipse et regulae aliunde notae interpretationis textuum conciliarium. Nihilominus notandum esse videtur, etiam in hoc schemate illa tantum tamquam definitiones proprie dictas habenda esse, quae in isto schemate sollemniori modo a Concilio enuntiantur.

4. Hinc textum in genere Concilio probari posse censemus. Aliquas emendationes minutiores, quas utiles et facile exsequendas censemus, infra subiungimus.

5. Quantum tamen tempus et vires id permittunt, optamus, ut schema his vel illis additamentis adhuc ditior et fini pastorali adhuc magis correspondens efficiatur. Non quidem debet intrare in ulteriores quaestiones, de quibus inter catholicos theologos est adhuc disceptatio, sed dicere et potest et debet de vi et momento, quod verbum Dei, praesertim Spiritu inspirante scriptum, habet tum pro vita Ecclesiae totius eiusque renovatione, tum pro vita religiosa singulorum. Exstant quidem de his quaedam docte et pie dicta, sed de his adhuc plura dicere convenit. Ita schema etiam magis testificaret coram fratribus separatis aestimationem actuosam, qua erga Scripturam in dies magis afficiuntur catholici. Hoc vero optime conferret fini oecumenico, quem sibi constituit Concilium.

6. Instanter petimus, ne de hoc schemate statim in initio secundae periodi Concilii tractetur, sed posteriori tempore. Fiat initium secundae Concilii periodi

cum schemate de Ecclesia. Istud illo praestat et amplitudine materiae et profunditate, qua tractatur, et spe fore ut sine nimis magna et diuturna discussione approbetur. Hinc schemate de Ecclesia faustius initium novae periodi Concilii habebitur.

7. Optatur, ut in hoc schemate Concilium enuntiet suam voluntatem, ut nova versio latina totius Sacrae Scripturae conficiatur iuxta hodiernam criticam textus et principia modernae artis translationis et insuper habita ratione dictionis, qualis in « Vulgata » habetur.

II. *Specialia.* Pag. 5, lin. 5. Loco « quae » legatur « *quod* »: ita textus graecus et Vulgata.

Pag. 5, lin. 10. Deletis verbis « subsistentiam in tribus personis » ponatur: « *unum esse Deum, Patrem eiusque Filium et Spiritum Sanctum* ». Ratio haec est: locutio Concilii evitet odorem scholae.

Pag. 5, linn. 10 s. Duae hic enuntiantur veritates, quae reapse inter mysteria stricte dicta recensentur, quae nonnisi revelatione divina innotescunt et revelatione facta imperscrutabilia mysteria manent. Attamen tertium mysterium addi deberet, quia ex una parte est maxime fundamentale in religione christiana et simul via, qua mysterium subsistentiae Dei in tribus personis revelatur, et ex altera parte eodem charactere mysterii absoluti insignitur, mysterium scilicet Incarnationis seu unionis hypostaticae. Propterea inseri convenit ante: « et consortium divinae naturae » (pag. 5, lin. 11): « *incarnationem Divini Verbi per eius unionem hypostaticam cum natura humana* ».

Pag. 5, lin. 17. Loco: « superno » clarius dicere convenit: « *ultimo ac supernaturali* ».

Pag. 5, lin. 18. Post verba « *promittendo redemptorem* » addatur citatio « (cf. *Gen.* 3, 15) ».

Pag. 5, lin. 18. Non bene intelligitur, quid sibi velit illud: « mox... restauravit ». Certe agitur non de oeconomia Veteris Testamenti presse dicti, quod in Abrahamo et Moyse constitutum est, sed de illo ordine salutis, quo totum genus humanum inde a protoparentibus comprehenditur. Iamvero iste ordo salutis *statim* post peccatum Adae « restauratus » est, immo est ordo, in quo indefectibilis voluntas divina elevandi hominem ad consortium divinae naturae, quam Deus ante peccatum hominis habuerat, revera perseverat, cum « sine poenitentia sint dona et vocatio Dei ». Hinc ista expressio « mox » expungenda esse videtur, cum non satis felix quoad rem et modum dicendi videatur, licet « mox » idem ac « statim » sonare possit.

Pag. 5, lin. 19. Defectus alicuius sensus pastoralis deprehenditur etiam hic: Brevi aliquo « postea » saltus fit a protoparentibus eorumque peccato et poenitentia ad Abraham, qui tamen iuxta scientias hominis moderni decies centena milia annorum a suis protoparentibus distat, ita ut, spectata absoluta mensura historiae generis humani, Abraham eiusque foedus cum Deo non « e longinquo » (pag. 5, lin. 21), sed satis prope viam Evangelio praeparet. Insinuari debuisset aliquid de historia salutis et revelationis, quae totum tramitem historiae generis humani comitatur. Multa sane dici non possunt, sed quae dici possunt, hic saltem breviter exponi debuissent, ut revera mentalitati hodiernae satisfieret.

Pag. 5, linn. 22-29. Totum hoc incisum non omnino satisfacit. Sensus propositionis pag. 5, linn. 25-26 « nulla ergo adhuc revelatio exspectanda est » videtur

esse: cum aetate apostolica revelationem *publicam* clausam esse. Sed si hoc intenditur, textus *Io.* 14, 26 non bene electus est, cum Spiritus Sanctus hoc in loco non exclusive apostolis, sed etiam temporibus subsequentibus promissus esse videatur. Aut, praesertim in lineis sequentibus 27-29 de nova revelatione alio sensu sermo est, i. e. non iam de novis veritatibus revelationis christianae, sed de novis revelationibus foedus christianum prorsus abolentibus, quae exspectandae non sint. Haec tamen, si urgentur, sermo fit contra non-christianos et alio modo argumentandum esse videtur, quam de facto fit. Dicendum esset: cum religio christiana profiteatur intimam et immediatam communicationem Dei cum hominibus, factam per Verbi incarnationem et per Spiritus divini inhabitationem et quidem ita, ut haec nunc etiam ad explicitam et publicam fidei professionem pertineant, alia et sublimior revelatio et commercium Dei cum hominibus exspectari non possunt, quia quae data sunt et explicite creduntur superari non possunt nisi immediata Dei intuitione facie ad faciem. Haec vel similia si adduntur, satisfit mentalitati hodiernae, quae secus non intelligit, cur historia salutis et revelationis currente adhuc tempore et historia profana concludi possit aetate aliqua « novissima et definitiva », licet antea etiam quoad salutem et revelationem habitae sint aetates sibi succedentes, quarum ex conceptu suo nulla videtur posse esse ultima ante abolitam totam historiam humanam.

Pag. 5, lin. 26. Post « revelatio » addatur: « publica usque ad adventum gloriosum Christi ». Ratio est haec: revelatio, quae privatis fit, et quam Ecclesia exspectare potest (cf. *Io.* 16, 13; *Acta* passim), non excluditur. Insuper adventus futurus Domini a Sancta Scriptura dicitur revelatio (cf. *1 Cor.* 1, 7; *1 Pt.* 1, 7; 4, 13), quem usum Concilium retineat.

Pag. 5, lin. 27. Cum « Christianismus » sit neologismus, qui Christi religionem inter varias alias ideologias recensere videtur, loco huius verbi verius et simplicius dicatur: « aetas christiana » sive « aetas religionis christianae » aut simile quid.

Pag. 6, linn. 22-26. Loco textus schematis proponatur sequens: « Deo revelanti praestanda est oboeditio fidei (*Rom.* 16, 26), quae possibilis non est nisi praeveniente gratia, qua ipse Deus sensum aperiat, cor moveat et convertat. Nam nemo potest venire ad Christum, nisi Pater traxerit eum (*Io.* 6, 44). Si quis non tantum ore confiteatur Dominum Iesum, sed corde crediderit, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus erit. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* 10, 9 s.). Per fidem Christus habitat in cordibus (*Eph.* 3, 17). Nam qui credit ei, qui misit Christum, habet vitam aeternam et in iudicium non venit, sed transit a morte in vitam (*Io.* 5, 24). Quo vero profundior usque evadat revelationis intelligentia, Spiritus Paraclitus fidem iugiter per dona sua perficit ». *Ratio* est: expositio necessitatis gratiae pro fide in schemate nimis ieiuna et brevis est, quam ut correspondeat momento et pondere huius veritatis. Protestantes iure offenderentur, si adeo « per transennam » de hac re diceremus.

Pag. 7, lin. 2. Ut clarius elucescat vera natura nuntii Christi, prout fuit ab apostolis transmissum, legatur: « Evangelium suum, id est seipsum et salutem quae in Eo solo consistit, simul cum eis quae per totam suam vitam... ».

Pag. 7, linn. 5 s. Non obstante aestimatione Sacrae Scripturae hunc verborum ordine insinuante, censemus et successionem historicam et obiectivam rerum connexionem postulare inversionem ordinis verborum. Dicendum igitur videtur: « Quod quidem Apostoli et sub eorum auctoritate " prophetae, evangelistae et doctores sancti " (cf. *1 Cor.* 12, 28; *Eph.* 4, 11) fecerunt cum primo oretenus,

deinde etiam per scripta a Spiritu Sancto inspirata tradendo ea, quae ex ipso Christi ore et a Spiritu Sancto acceperant ». Scimus quidem etiam Tridentinum adhibere expressionem « Spiritu Sancto *dictante* ». Attamen nihilominus putamus hoc verbum, quod, ut patet, verissime intellegi potest et debet, ansam praebere alicuius conceptionis inspirationis, quae, praesertim hodie, nullatenus admitti potest. « Dictare » hodierno lectori insinuat modum communicandi alteri veritatem, quo iste quasi mere mechanice recipit verba loquentis, ita, ut recipiens nullatenus auctor eorum, quae scribuntur, dici possit. Iamvero talis conceptio dictationis fere mechanicae aliena prorsus est a genuino conceptu inspirationis et iuxta doctrinam Ecclesiae hagiographi veri auctores Scripturae habendi sunt. Propterea deleatur simpliciter illud « dictante » nec aliud addatur, quia illimitata relinquenda est actio Spiritus Sancti in apostolos, quippe cum is apostolis nova possit revelare et inducere in rectam intelligentiam revelationis iam factae. Praeterea praeter apostolos stricte dictos alii nominandi sunt, cum tempore apostolico et alii praedicaverint et libros inspiratos conscripserint.

Pag. 7, lin. 12. Ut pateat quae sit haec sacra traditio legatur: « Sacra traditio quae viva in Ecclesia per doctrinam magisterii servatur, et quae simul ex sensu fidelium, ex usu liturgico, ex monumentis, ex scriptis SS. Patrum et ex S. Hierarchiae actione elucet, ita mutuo... ».

Pag. 7, lin. 14. « Scaturigo » latine potius aquam ex fonte promanantem significare videtur quam fontem ipsum, ex quo profluunt aquae. Iamvero hic de fonte ipso sermo est. Propterea clarius loco « ex eadem scaturigine » dicatur « ex eodem fonte ».

Pag. 7, linn. 19 s. Valde inopportunum esse videtur dicere: revelationem immediate magisterio Ecclesiae, et non Ecclesiae ipsi factam esse, quippe cum magisterii munus sit veritates revelatas custodiendi et interpretandi. Proponitur igitur ut dicatur « Sacrum verbum Dei depositum in Sancta Scriptura et in traditione exstans, non singulis hominibus, sed Ecclesiae destinatur: eiusdem vero custodia et authentica interpretatio vivo et infallibili Ecclesiae magisterio concreditae sunt ». (Similiter ac Vaticanum I: libri Veteris et Novi Testamenti « ... ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt »— « sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum »).

Pag. 7, lin. 24. Verba « in una vel altera depositi parte » mutentur sic: « in eodem deposito » vel « in Scriptura et traditione ». Protestantes enim saec. XVI et ulteriores statuebant contra catholicos « sufficientiam » Sacrae Scripturae, quae sola sit sufficiens fons et interpres et iudex revelatorum. E contra catholici nonnulli opinantur, Sanctam Scripturam continere (saltem implicite) ea omnia (praeter testificationem naturae et ambitus Scripturae ipsius), quae divinitus revelata sunt. Alii catholici docent, Sanctam Scripturam partem tantum doctrinae revelatae continere. Lis praeterea inter catholicos est de sensu decreti Concilii Tridentini. Denique disputant auctores catholici de conceptu traditionis et de habitudine traditionis apostolicae (obiective consideratae) ad Sanctam Scripturam. Concilium Vaticanum II sequens Tridentinum vero non vult dirimere lites inter catholicos, nec favet uni vel alteri opinioni. Hinc haec mutatio proposita.

Pag. 7, lin. 25. Non obstante eadem locutione Pii XII iterum perpendendum nobis esse videtur, num reapse conveniat dicere in verbo Dei quaedam « obscure » tantum contineri. Quatenus in verbo Dei divina mysteria revelantur, *omnia* quae ibidem dicuntur et non aliqua tantum sacro aliquo mysterii velamine teguntur.

Quatenus sine dubio multa, quae postea explicite credenda proponuntur, in priore statu depositi fidei scripto et tradito implicite tantum exstabant, haec, prouti tunc implicite continebantur, *nobis* obscura erant. Sed haec obscuritas est relativa quoad nos et potius defectum nostrae intelligentiae verbi Dei sese lente evolventis indicat quam obiectivum defectum ipsius verbi Dei, quod omnino non potest omnia explicite dicere, quia hoc simpliciter repugnat. Et haec « obscuritas » relativa verbi Dei iam sufficienter indicatur eo, quod dicitur verbum Dei multa implicite continere. Insuper magisterium non bene concipitur tamquam medium, quo medetur obscuritati Scripturae. Scriptura necessario et *semper* indiget authentica interpretatione, et haec fit per magisterium, quod propterea vere necessarium dici debet in oeconomia salutis Christi. Sed haec necessitas ultimatim non provenit ex eo, quod verbum Dei est obscurum et verbum Ecclesiae clarum, quod absonum est cogitare, sed ex eo, quod verbum in certa historica situatione prolatum in alia situatione historica et humana necessario interpretatione indiget, ut praesens et clarum manere possit. Hisce difficultatibus omnibus facile et sine detrimento veritatis occurritur, si illud « et obscure » expungitur.

Pag. 7, lin. 26. Regula proxima et regula remota, ut revera sub uno eodemque conceptu comprehendi possint, re eiusdem naturae esse debent. Depositum sacrum dicit aliquam doctrinam, magisterium autem aliquam potestatem docendi; haec igitur re parallela non sunt. Propterea melius et accuratius dici deberet: « Exinde regula fidei singulorum credentium proxima quidem est doctrina magisterii Ecclesiae, remota vero sacrum depositum ». Notandum etiam est pro ipso magisterio sacrum depositum esse regulam proximam doctrinae suae, quippe cum doctrina authentica prioris magisterii pro magisterio subsequente etiam pertineat ad depositum ipsum. Propterea, si de regula fidei proxima et remota sermo est, fides *singulorum* christifidelium respicitur.

Pag. 7, linn. 27-30. Haec sententia statuit aliquem nexum inter Scripturam et Ecclesiae magisterium ut indissolubilem et etiam pro Sacra Scriptura ipsa necessarium, ita ut etiam Scriptura dicatur sine magisterio consistere non posse. Hoc quidem verum est pro Foedere Novo et si ordo rerum consideratur, prout de facto a Christo conditus est. Sententia ista autem rem ita proponit, acsi ageretur de principio quasi metaphysice necessario et de principio, quod in *omni* periodo historiae revelationis valet. Iamvero primum vix certo probari potest et secundum est falsum, quia in Vetere Testamento habebatur Sacra Scriptura, quin simul haberetur magisterium Synagogae infallibile. His omnibus difficultatibus obviari posset, si post: « iuxta sapientissimum Dei consilium » adderetur: « in oeconomia salutis Christi » vel simile quid.

Pag. 7, lin. 31. Dicatur « Conferunt, sensu quoque omnium fidelium concurrente ». Cum additamentum de sensu fidelium arcte quoad rem coniungendum sit cum priore sententia, non semicolo (;), sed solo commate (,) distinguendum est a prioribus. Omittatur « subordinate » quia tale verbum praebet ansam inutilium disceptationum et quoad rem in verbo: « concurrente » implicite continetur.

Pag. 9, linn. 2-3. Loco « Divina Revelatio » legatur: « *Divinitus revelata...* continentur et prostant ». *Ratio* est: terminus « revelatio » primarie actum revelandi significat.

Pag. 9, lin. 8. Optandum est, ut doctrina de hagiographis Scripturae ut veris auctoribus, quae in priore anteconciliari schemate explicite habebatur, etiam hic explicite proponatur, ne putentur hagiographi meri « secretarii » Spiritus Sancti.

Huic falsae interpretationi inspirationis nondum satis occurritur dicendo hagiographos esse « viva instrumenta omnibus facultatibus praedita ». Nam haec etiam dici possent, si hagiographi fuissent meri « secretarii » Spiritus Sancti, qui tantum dictationem eius recipere et scripto exprimere debuissent. Propterea pag. 9, lin. 8 post: « praeditis » addatur: « *et veris auctoribus* ». Tali enim modo etiam melius intelligeretur, cur Deus pag. 9, lin. 5 dicatur non auctor, sed « principalis » auctor Scripturae.

Pag. 9, lin. 8. Post verba « usus est » sequentia verba ita componantur: vel *a*) « usus est, ut revelationem divinam universis hominibus scripto traderent » vel ita: *b*) « usus est, ut ea omnia eaque sola quae ipse voluit universis hominibus scripto traderent ». *Ratio* est: Formula *a*) indicat simpliciter finem inspirationis. Formula *b*) solummodo mutavit verbum « iuberet » in « voluit », quia « iuberet », quamvis omnino rectum et ex documentis venerandis (DENZ. 1952) desumptum est, aliquod « dictamen » proprie dictum indicare posset et tali modo male intellectum faveret inspirationis quasi « mechanicae » conceptui, quam quidam protestantes saec. XVI affirmabant.

Pag. 9, linn. 10-13. Nemo, qui enuntiationes magisterii Ecclesiae a Leone XIII usque ad Pium XII perpendit, audebit negare, Sacram Scripturam ab omni prorsus errore esse immunem. Attamen desiderari posset — ut schema reapse haberet indolem vere pastoralem, i. e. respicientem et mentalitatem et difficultates huius temporis — brevis saltem expositio, quidnam hic voce « erroris » intelligendum sit. Nam ea, quae pag. 9, lin. 13 ad pag. 10, lin. 4 dicuntur tamquam regulae hermeneuticae, quibus ita sensus Scripturae statuitur, ut suspicio alicuius erroris in ea excludatur, verissima et utilia quidem sunt; attamen dubitari potest, num haec principia sufficiant ad pacandos animos hominum huius temporis, qui his vix dedocebuntur, ne in sua propria terminologia loquentes « errores » in Sacra Scriptura inveniant. In inciso « ab omni prorsus errore » omittatur igitur saltem illud « prorsus ».

Pag. 9, linn. 17-19. Redactio linn. 17-19 proposita insufficiens videtur ad omnes difficultates solvendas quas sacer textus praesentat in sua interpretatione, ita ut eius inerrantia servari possit. Scribatur vel addatur, verba Pii XII sequendo in Encyclica *Divino afflante Spiritu*: « attente investigare interpres Scripturae debet methodum compositionis uniuscuiusque sacri scriptoris et genus litterarium uniuscuiusque libri inspirati: singula enim genera litteraria suam propriam veritatem habent. Sic solummodo dignoscetur quid reapse hagiographus significare intenderit et ita sensus, qui ab errore immunis habendus est ». Insuper haec notari placet: Hic respicitur problema generum litterariorum, quae vocantur. Haec reapse magni momenti sunt pro accurata determinatione sensus alicuius libri. Attamen quae tamquam genera litteraria hic enumerantur sunt quidem talia, sed non illa, quae ad difficultates exegeticas reales, quae hodie habentur, solvendas reapse multum conferunt. Nam quae hic enumerantur tamquam talia genera, praecise sunt genera, quae etiam hodie modernis prorsus nota sunt. Iamvero ipsa Commissio de re biblica sub Pio XII urgebat, agi in his rebus de generibus litterariis, quae nulli ex aequo correspondent categoriae classicae, quaeque diiudicanda non sunt secundum genera litteraria graeco-latina et moderna; et hinc v. g. historicitatem *Gen.* 1-11 neque simpliciter affirmari neque negari posse, quin eis indebite applicentur normae generis litterarii, cui subici nequeunt (DENZ. 2302). Inde apparet his verbis (pag. 9, linn. 17-19) parum aut nullum auxilium praestari exegetis catho-

licis in defendenda Sacra Scriptura ab illis obiectionibus erroris, quae hodie de facto fiunt. Schema rem ita proponit, acsi qualificatio alicuius textus tamquam historici iam normam hermeneuticam clare applicabilem statueret. Hoc autem verum non est. Nam et in Vetere et in Novo Testamento problemata haec solvi non possunt nisi accuratius distinguendo *varias* quasi species inter se satis diversas, quae in illa qualificatione alicuius textus tamquam historici nimis indiscriminatim comprehenduntur. Quae postea adduntur (pag. 9, lin. 20 ad pag. 10, lin. 2), vera quidem sunt, immo et utilia, sed etiam haec adeo generalia manent, ut lacunam, quae hic deprehendi potest, non impleant.

Pag. 10, lin. 4. Post verbum « subsunt » addatur: « quae verbi Dei servandi et interpretandi divino fungitur mandato et ministerio ». *Ratio* est haec, ut iterum reiciatur obiectio Protestantium, Ecclesiam dominationem arbitrariam sibi usurpari in verbum Dei.

Pag. 11, lin. 8. Loco « intelligeret » legatur: « intelligere posset ». Finalitas enim coniunctionis « ut » (pag. 11, lin. 6), antecedente « ita » (pag. 11, lin. 5) non satis patet. Revera intellectus in dies distinctior revelatorum non sequebatur factam revelationem.

Pag. 11, lin. 9. Non bene intelligitur, quid dicat verbum: « annuntiata », si sensus huius verbi distinguendus est a verbis immediate subsequentibus, « enarrata atque explicata ». Praeterea dura et insolita esse videtur phrasis, seriem eventuum ut verbum Dei in libris Veteris Testamenti adhuc prostare (pag. 11, linn. 8-10). Nam non eventuum series, sed relatio seriei horum eventuum est verbum Dei.

Pag. 11, lin. 19. Post verba « typis significaret (cf. *1 Cor.* 10, 11) » addantur verba: « et lex paedagogus noster esset in Christo (*Gal.* 3, 24) ». *Ratio*: ut aliquo saltem modo ille aspectus legis vocetur, qui in Epistolis ad Galatas (3 19-26) et ad Romanos (5, 20) enuntiatur.

Pag. 11, lin. 20. Verbis: « Veteris... debeat » deletis ponantur haec: « Veteris Testamenti libri pro conditione generis nostri ante Christum vigente salutem humanam et modos, quibus Deus iustus et misericors cum hominibus agit, omnibus manifestant ». *Ratio* est: in schemate mentio *iustitiae* divinae desideratur, quae satis characteristica est pro Vetere Testamento. Ea quae in schemate de universali vi et momento ethicae Veteris Testamenti pro omnibus hominibus omnis aetatis dicuntur, vix recte intelligi possunt, cum multa in hac ethica hodie iam sustineri non possint, uti v. g. ius talionis.

Pag. 11, lin. 28 ad pag. 12, lin. 2. Hic obscuritas haberi videtur. Si « Vetus Foedus » significat instituta religiosa in populo israelitico ante Christi adventum, et « Vetus Testamentum » libros Veteris Testamenti, deinde potius iuxta doctrinam Sancti Pauli, qui comprehendit omnia instituta Veteris Foederis reduplicative qua talia sub voce legis, dicendum est omnia et non quaedam tantum Veteris Foederis instituta esse abrogata, sicut Paulus dicit legem (thora) esse simpliciter abolitam. Si autem Foedus Vetus et Vetus Testamentum synonymice intelliguntur, contradictio haberi videtur inter ea quae pag. 11, linn. 28 s. dicta sunt et ea quae pag. 11, lin. 29 ad pag. 12, lin. 2 asseruntur. In hac suppositione forte melius dicatur (pag. 11, linn. 29 ss.): « Tamen illa Veteris Testamenti, quae in praeconio Evangelico assumpta et pars unius revelationis facta sunt, in Novo Testamento sensum suum completum acquirunt et ostendunt ».

Pag. 13, lin. 6. Originem apostolicam evangeliorum, quae cum horum inspi-

ratione necessario coniuncta est, videtur spectare ad ipsam fidem divinitus revelatam. Quapropter non videtur, cur tantum dicatur Ecclesiam hanc originem apostolicam *tenuisse et tenere.* Talis locutio potius insinuare videtur factum dogmaticum aut aliquam veram deductionem infallibilem ex revelatis, quae ipsa non est revelata. Dicatur: « *credidit et credit* ».

Pag. 13, lin. 7. Cum soli apostoli praedicaverint tempore apostolico, « *apostolici viri* » iam pag. 13, lin. 7 inserendi sunt et non tantum pag. 9, lin. 8.

Pag. 13, lin. 7. Deleatur: « eadem », ne Concilium positive favere videatur sententiae, secundum quam praedicatio apostolorum oralis materialiter nihil simpliciter continet nisi ea quae etiam in Scripturis exhibentur.

Pag. 13, linn. 12-16. Aut omnia verba « Quoniam... enuntiare » deleantur aut saltem verba « hodie... decorantur » (pag. 13, linn. 12-13). *Ratio* est: verba haec superflua sunt et partim graviter offendunt adversarios, quin necessitas talis offensi habeatur.

Pag. 13, lin. 18. « Tenuit ac tenet »: de hoc idem dicendum esse videtur, quod iam monuimus in praecedentibus ad pag. 13, lin. 6.

Pag. 13, lin. 21. Si reapse intenditur id, ad quod alludit ista sententia, hodiernam scil. exegesim opinari narrationis evangeliorum bene quidem efferre res reapse gestas, sed nihilominus non esse biographiam Iesu seu non constituere genus illud litterarium, quod conscribunt hodierni historici, non debet dici evangelia *aliquando* resonare formam praeconii. Forma ista praeconii pervadit tota evangelia in omnibus. Et praecise *ita* tamquam narrationes historicae sunt aestimanda, quia praeconium istud est proclamatio realium eventuum in historia salutis. Sententia, prouti sonat, insinuare videtur illa tantum, quae non induunt formam praeconii, in narratione vitae Iesu esse historica. Propterea tuto illud « aliquando » delendum est. Ideo etiam illa introductio « Quamvis » (pag. 13, lin. 21) non placet. Melius tota enuntiatio ita formuletur: « Certum est quidem evangelia formam praeconii resonare et cum historicae compositionis rationibus, quae nostris praesertim aetatibus adhibentur, non in omnibus convenire, sed hoc non obstante salutis veram et sinceram historiam nobis tradunt ». Nota: « Salutis » historiam hic ex omni parte in sensu catholico intelligi ex ipso contextu satis apparet. Solummodo apud quosdam protestantes verbum « Heilsgeschichte » satis ambigua est.

Pag. 13, lin. 30 ad pag. 14, lin. 14. Rationes logicae postulare videntur, ut n. 19 (« Exegesis catholica ») post n. 20 (« De ceteris libris Novi Testamenti ») ponatur. Exegetis enim non de solis Evangeliis tractandum est.

Pag. 13, linn. 30 ss. Munus, quod in textu exegetis tribuitur, nimis coarctatum esse videtur. Nam exegetarum non solum est « adlaborare, ut Evangelii loci, qui expositionem certam et definitam adhuc desiderant, bene intelligantur... ». Proponitur, ut textui schematis substituatur (aut addatur) sequens: « ... adlaborare, ut Evangelii Domini atque apostolicae praedicationis divitiae evolvantur, ita ut theologia dogmatica et praedicatio ecclesiastica pro sua quaeque parte ex plenitudine fontis sacrae possint haurire ». Verum est, de hoc munere exegetarum in capite sequente pag. 15, linn. 22 ss. tractari; sed neque illa sufficere videntur.

Pag. 14, lin. 8. Loco « aliis apostolorum libris » dicatur: « ceteris canonicis libris ». *Ratio*: non constat indubitanter, omnia prorsus Scripta canonica praeter Evangelia ab apostolis esse conscripta.

Pag. 14, linn. 9-10. Post: « confirmatur » inseratur: « aut ». *Ratio* est: non

in omnibus libris Novi Testamenti confirmatur veritas vitae Christi; cf. v. g. Ep. *Iac., 3 Io., Iud.*

Pag. 14, lin. 13. Ut melius et expeditius intelligatur, quisnam sit subiectum huius sententiae: « ut omnia eos doceret », scil. Paraclitus, expedit ut ante: « omnia » inseratur: « is ».

Pag. 15, linn. 3 s. Loco « numquam intermisit » dicatur: « non intermittit », ne inaniter quaestiones de historica veritate huius assertionis excitentur nec Concilium nimis defensive vel apologetice loquatur. Minus de praeterito quam de futuro solliciti simus.

Pag. 15, lin. 8. « ... cum eis fere colloquitur »: illud « fere » potest deleri, immo potius delendum est.

Pag. 15, linn. 11 s. Textus ita augeatur: « n. 22 (Commendantur accuratae versiones). Ut autem christifidelibus aditus late pateat, Ecclesia Dei sua auctoritate mandat et materna sollicitudine curat ut, ad penitiorem cognitionem et uberiorem declarationem verbi Dei, et illa ex multis saeculis usitata versio latina quae Vulgata nuncupatur recognoscatur et accuratae in linguas vernaculas versiones in liturgia atque catechesi adhibendae e praecellentibus Sacrorum Librorum textibus primigeniis conficiantur ».

Pag. 15, lin. 23. Loco: « operant » ponendum est: « operam ».

Pag. 15, lin. 27. In finem lin. 26 liceat addere pauca verba quae exegetis aliquam laudem tribuunt, inquantum veritati divinae per totam vitam servierunt: « Cum Summo Pontifice Pio XII (*EB* 569) Sacrosanctum Concilium Oecumenicum biblicarum rerum cultoribus quotquot devoti sunt Ecclesiae filii eiusque doctrinae et normis fideliter obsequuntur, non modo gratulatur quod ad munus adeo excelsum delecti et vocati sunt, sed eis animum etiam addit, ut opus feliciter susceptum renovatis in dies viribus, omni studio omnique cura exsequi pergant ».

Pag. 16, lin. 4. Cum non certe probetur nec sine ulla restrictione affirmari posse videatur homiliam liturgicam ita principem locum in praedicatione obtinere, ut omnes formae praedicationis aliae minorem locum occupare dicendae sint, quod v. g. de prima annuntiatione evangelica et missionaria dici nequit, licet ea sit praedicatio et certe non fiat tamquam homilia liturgica, cautius dicatur: « principem aliquem locum ».

Pag. 16, lin. 10. Loco: « ovibus », quae vox saltem in linguas vernaculas translata (quod futurum esse sperari licet), non bene sonat, dicatur: « fidelibus ».

Pag. 16, lin. 10. Loco nominativi: « amplissimae divitiae » ponatur accusativus: « amplissimas divitias », quia dependet a verbo « communicare ».

Pag. 16, lin. 16. Ne lectio privata Sacrae Scripturae silentio praetermittatur, addantur post « diffunduntur » haec: « Sive privatim ex sacris litteris profectum haurientes, legendo humiliter, simpliciter, fideliter » (cf. *Imitatio Christi,* 1, 5).

89

CONFERENTIA EPISCOPORUM INDONESIAE

Novum hoc schema melius placet quam illud quod olim Patribus Concilii submittebatur. Dum enim exorditur a descriptione revelationis, melius et magis positive in lucem ponit locum quem Scriptura et traditio in vita Ecclesiae et singulorum fidelium tenent; positive indicat viam qua exegesis catholica progrediatur;

aequilibratius reflectit veram Ecclesiae erga verbum Dei devotionem. Non tamen videtur respondere expectationi, quam catholici et fratres seiuncti tamquam tanti laboris fructum fovent. Quaedam autem sunt quae opinione nostra correctione adhuc indigent. Quapropter schema videtur, adhibitis quibusdam correctionibus admitti posse; dolemus tamen quod non maiori cum gaudio plausum nostrum meretur.

Ad prooemium. In genere satisfacit. Optatur tamen ut clarius ac plenius statuatur Deum se revelasse non solis verbis, sed ipsis etiam operibus magnalibus suis. De qua re infra.

N. 1, pag. 5, lin. 10: « subsistentiam eius in tribus personis ». Haec descriptio supremi religionis nostrae mysterii nimis redolet scholam. Quapropter potius dicatur simpliciter: « Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

N. 1, pag. 5, lin. 14: addatur: « Deus autem se ac suum salutis consilium non solum per verba ad homines locuta, sed simul etiam per magnalia in historia sacra facta revelat, ita ut per opera auctoritas verborum confirmetur et per verba mysterium in operibus contentum manifestetur. Etenim etiam « facta Verbi verba sunt ».

N. 2, pag. 5, lin. 16: « testimonium dedit generi humano » addatur: « (cf. *Act.* 14, 17) ».

N. 2, pag. 5, linn. 17-19: scribatur potius: « ac post peccatum Adae, redemptione promissa, mox ordinem salutis mirabilius restaurandum inchoavit ».

Ratio huius mutationis est duplex: 1. proprie ordo salutis non est restauratus nisi per adventum Christi; 2. Concilium ne praecludat viam, qua exegetae quaerunt, utrum *Gen.* 3, 15 significet redemptorem personalem per seipsum, an sub luce tantum posterioris revelationis.

N. 3, pag. 5, lin. 24: « publica revelatio ». Vox « publica » melius deletur, quia superflua est, et quia scholam redolet. Nemo enim existimabit, Ecclesiam in hoc schemate de revelationibus privatis agere; et de facto in vocabulo ecclesiastico haec vox sine addito significat solam revelationem publicam. Scholam redolet, quatenus introductio scholastica duas revelationis species distinguere solet, sed in rei veritate non agitur de speciebus, sed de usu analogice.

N. 4, pag. 6, linn. 1-8: totus hic articulus aliquantulum plenius debet redigi, et ita redactus poni potest ante n. 3.

Sicut nunc iacet, potius agit de revelationis credibilitate quam de revelatione ipsa. Ad actus enim Christi non videtur attendere, nisi inquantum est « vita miraculosa » et inquantum multiplicia praebet signa credibilitatis: « vita sanctissima (= miraculum morale), miraculis, prophetiis, resurrectione ». Iamvero in oeconomia revelationis vita et actus Christi sunt simul « miracula » sensu stricto, seu signa credibilitatis, et simul etiam actus revelativi qui ostendunt qualis nobis sit Deus in Christo se revelans: Deus misericors erga peccatores, salvans ex morte et peccato, panem vitae aeternae eis praebens, etc. Hoc recte dicitur in schemate *de clericis*: « Christi persona, vita et doctrina revelatio sunt veritatis », n. 19, pag. 14, lin. 5; cf. *de apost. laic.,* n. 19, pag. 5, lin. 25; *de Ecclesia,* n. 1, pag. 7, lin. 6: Ecclesia signum).

Quapropter optamus ut scribatur hoc fere modo: « Christus, Verbum et Filius Dei homo factus et a Deo missus, " verba Dei loquitur " (*Io.* 3, 34), et opera, quae dedit ei Pater ut faceret ea, testimonium perhibent de eo (cf. *Io.* 5, 36). Quapropter non solum vita sua sanctissima, miraculis ceterisque signis confirmat se

esse a Patre missum et a Patre loqui, suaque verba doctrinam esse Patris, sed simul per eventus ac actus vitae suae ostendit nobiscum Deum esse (cf. *Mt.* 1, 23) ad salvandos homines ex morte ac peccati servitute et ut eos ad novam aeternam vitam resuscitet ».

Quodsi tali modo hic articulus redigitur, poni potest ante articulum 3, et totum prooemium magis harmonice procedit.

N. 5, pag. 6, lin. 18: « ad supernaturalem finem assequendum ». Potius scribatur: « ad aeternam vitam assequendam ». Sic habebitur aptior disiunctio cum « vita temporali » de qua lin. 19.

Ad cap. I. Caput hoc, in quo tantopere laboratum est, revera non continet nisi ea quibus omnes assentiunt. Dolendum tamen est, commissionem non pervenisse ad aliquam traditionis definitionem delineandam, ac omisisse quae dicit Tridentinum: « continua successione in Ecclesia catholica conservatas » (DENZ. 783). Malumus ergo aliquam praebere traditionis descriptionem. Si tamen hoc fieri nequit, nisi pax iterum turbetur, acquiescere poterimus. Quaedam tamen in textu corrigenda videntur.

N. 7, pag. 7, lin. 7: post verbum « acceperant » addi optamus tale quid: « Quapropter Ecclesia catholica credit, Evangelium Christi ad nos pervenire, non per solos Sacrae Scripturae apostolicos libros, sed simul etiam per traditionem, qua idem Evangelium in fide Ecclesiae viva continua successione conservatur et a generatione in generationem transmittitur per ministerium eorum quibus Evangelii praedicandi officium incumbit, sensu quoque christiano fidelium concurrente, et per christianas consuetudines inter quas sacra liturgia eminet ».

N. 9, pag. 7, lin. 20: « vivo et infallibili magisterio concreditum est ». Potius dicatur aut: « Ecclesiae, vivo magisterio duce, concreditum est » aut: « Interpretatio authentica S. Scripturae ac S. traditionis... vivo Ecclesiae magisterio concreditum est ».

Rationes sunt quod 1. Depositum concreditum est non soli magisterio infallibili sed magisterio simpliciter, etiam in actibus suis fallibilibus.

2. Videtur non recte dici, quod depositum ipsum soli magisterio est concreditum. Etiam fideles in deposito servando habent officium suum, sed in hoc officio ducuntur a magisterio, cui competit eius interpretatio.

N. 9, pag. 7, lin. 23: « quatenus illud tuetur ». Potius dicatur: « quatenus illud... annuntiat, tuetur etc. ». Nam cetera magisterii munera profluunt ex annuntiandi officio. Cf. DENZ. 1836-7, ubi Vaticanum I progreditur ex officio « caelestis doctrinae pabulo » nutriendi fideles.

N. 9, pag. 7, lin. 23: vox « obscure » non placet, quippe quae possit videri iniuriosa erga Scripturam. Dicatur potius « implicite », « occulte » vel « latenter » etc.

N. 9, linn. 25 s.: « Regula remota s. depositum ». Expressio a theologis frequentata, cui subest verus sensus; in tanto tamen documento non placet, quia innuit magisterium creare distantiam inter Scripturam et fideles (quae est accusatio Reformationis), et facile intelligitur quasi Scriptura, utique a magisterio praedicata et explicata, non immediate alloquantur omnes fideles, contra id quod infra dicitur, n. 21, pag. 15, lin. 7, et contra *Rom.* 10, 8.

Quare totus passus omittatur, aut res intenta evolvatur formula quadam pleniore magis aequilibrata.

N. 10, pag. 7, lin. 31: « sensus quoque fidelium subordinate concurrente ». Haec verba, quasi appendix adiecta, hic suum locum non habent; quapropter melius supra ponantur (cf. dictum ad n. 7, pag. 7, lin. 7). Absurdum satis videtur sensum fidelium concurrere ad animarum salutem, cum salus illa consistat in fide fidelium.

Ad cap. II. Caput hoc non dicit nisi verissima. Modus autem quo minus placet. Nam totum fere est in praecavenda obiectione tacita: exstant in Scriptura verba quae secundum scientiam non sunt vera, ergo Scriptura errat. Potius, sicut in Encyclicis ex quibus haustum est, caput modo positivo exponat quid melior haec inspirationis intelligentia conferat ad Scripturam rectius intelligendam.

Ad quod conferre posse videtur:

1. Ut initium sumatur ex principio fundamentali enuntiato in n. 13 de verbo divino vero facto verbo humano.

2. Deinde statuatur, Scripturam vere esse verbum Dei, quia Deus hagiographum inspiravit.

3. Dein statuatur, quia vero factum est verbum humanum, ad capiendum verbum Dei opus esse, ut media illa adhibeantur, quae ad alicuius auctoris humani textum bene intelligendum conferunt; idque eo studiosius, quia agitur de verbo humano-divino.

Particularia autem omnia, quae in Encyclicis melius evolvuntur, omitti posse videntur.

In specie. N. 11, pag. 9, lin. 7: « instrumentis ». Magis placeret « ministris », quia vox instrumenti, praesertim in translationibus modernis, materialiter sonat.

N. 11, pag. 19, linn. 10-12: ordo hic: verum quia inspiratus, potius redolet scholam quam doctrinam revelationis de seipsa. Prius revelatur, quod est verbum Dei et prorsus vera ac verax, deinde evolvitur: Deus auctores inspiravit.

N. 12, pag. 9, lin. 16: « significare »: potius dicatur « significare et affirmare ».

N. 12, pag. 9, linn. 17 ss.: potius ne detur enumeratio (ceteroquin incompleta: desideratur apocalypticum) singulorum generum litterariorum, quae se compenetrant.

N. 12, pag. 9, linn. 23 ss.: haec possent omitti. Adiciatur etiam indoles auctoris (cf. *Divino affl. Sp.*, DENZ. 2294) et eius scopus peculiaris.

N. 12, pag. 9, lin. 28 ad pag. 10, lin. 2: haec sunt indigna, quae tractet Concilium.

Ad cap. III nihil observandum.

Ad cap. IV. Hoc caput satis placet. Attamen magis convenire videtur ut exordium sumat ex consideratione Novi Testamenti totius, deinde descendat ad Evangelia in specie. Quapropter praemittatur id quod nunc dicitur n. 20, pag. 14, linn. 6-9. Sicut nunc est, n. 20 videtur adiectus solius completitudinis causa.

N. 18, pag. 13, lin. 21: « formam praeconii aliquando resonent »; vox « aliquando » videtur melius omittenda, quia integra Evangelia sunt praecise Evangelia.

N. 18, pag. 13, lin. 23: « non in omnibus conveniant »; melius omittenda videntur vocabula « in omnibus ». Diversa enim compositionis ratio omnia pervadit.

N. 18, pag. 13, linn. 26-27: verba « sive ex memoria et recordatione propinquorum et discipulorum Domini » omittenda sunt, quia 1. haec verba citationi Lucae adiecta argumentum reddunt minus firmum; 2. inquantum « propinqui » in-

telliguntur Iesu consanguinei, exprimunt piam sententiam, quae in tanto decreto assumenda non est.

N. 20, pag. 14, linn. 6-15: totus hic numerus, ut supra dictum est, melius omittitur, quia manifestum est, eum solius completudinis causa adici, quin Concilium doceat aliquid maioris momenti.

N. 20, pag. 14, lin. 8: « aliis apostolorum libris ». Omnino dicatur: « aliis apostolicis libris ». Libere enim discutitur, inde ab antiquis temporibus, an *Ep. ad Hebr.* et *Apoc.* sint ab apostolis conscriptae.

Ad cap. V. N. 21, pag. 15, linn. 2-5: sententia etsi non omnino falsa, tamen vix sincera. Etsi enim Ecclesia Scripturam fidelibus in liturgia semper legerit et commendaverit, fuerunt tamen tempora, quando non multam curam adhibuit ut verba lecta a fidelibus intelligerentur. Redeatur itaque ad priorem conceptum: « Sacrorum Librorum... thesaurum Ecclesia maxima veneratione prosequitur eumque fidelibus enixe commendat pie accipiendum tamquam Dei donum ».

N. 23, pag. 15, linn. 25 s.: « et quam plurimi... suppeditent ». Sententia obscurior et superflua, quia idem dicitur in fine n. 24.

N. 26, pag. 16, linn. 12-16: mirum est quod lectio Scripturae ipsius fidelibus non expresse commendatur. Dicitur enim quod fideles debent libenter ad textum sacrum accedere, sive per liturgiam, sive per institutiones. Dicatur ego: « sive per sacram liturgiam divinis eloquiis confertam, sive per piam S. Scripturae lectionem, sive per ceteras etc. ».

90

CONFERENTIA EPISCOPORUM APRUTIORUM

I Vescovi concordemente asseriscono che l'attuale schema, ridimensionato, non affronta, né risolve i problemi teologici in atto e particolarmente:

a) Nei nn. 8 e 9 non vengono approfonditi, con la precisione che i tempi richiedono, le convergenze e le divergenze tra S. Scrittura, Tradizione e Magistero;

b) Nei nn. 11, 12, 18, relativi al concetto e alla natura dell'Ispirazione e della interpretazione della S. Scrittura, si desidererebbe fosse inserita l'affermazione di alcuni principi generali, atti a calmare le discussioni e ansie in atto tra gli studiosi cattolici.

Il parere degli ecc.mi Presuli è che lo schema, perché abbia la sua ragion d'essere, debba apportare un vero contributo positivo e chiarificatore ai problemi che appassionano l'attuale mondo cattolico; se lo schema dovesse rimanere come ora si presenta, sarebbe meglio annullarlo.

[*Adhaeserunt*] Exc.mi PP. DD. P. Perantoni, arc. Lanciano; C. Stella, arc. Aquila; B. Falcucci, arc. tit. Preslavo; Domenico Valerii, vesc. Marsi; L. Marcante, vesc. Valva e Sulmona; S. Battistelli, vesc. Teramo e Atri; P. Crivellari, vesc. Trivento; A. Jannucci, vesc. Penne-Pescara.

91
CONFERENTIA EPISCOPORUM APULIAE

1. *In genere.* Desideretur in textu schematis doctrina magis cohaerens ac organica de divina revelatione. Recte dicitur divinae revelationis plenitudo in Christo Verbo Incarnato apparuisse; relatio tamen inter historiam salutis, cuius fastigium est Incarnatio, ac sacram doctrinam divinitus revelatam obiter et non satis accurate innuitur.

2. *In specie. a*) Prooemium: N. 1, lin. 2, post verba « ... de sacra revelatione » addatur: « iam a Conciliis Tridentino et Vaticano primo definitam, sollemniter etc. ... ».

b) Cap. I, n. 8, lin. 15: post verba « finem tendunt » addatur: « Traditio autem, eaque sola, via est qua veritates quaedam revelatae, inter quas ipse Ss. Librorum Canon, Ecclesiae innotescunt. Quapropter... ».

c) Cap. V, lin. 22: ad versiones Ss. Librorum quod attinet, ne silentio praetereantur « Latina Vulgata » et « Graeca Alexandrina », tanquam, saltem, traditionis testimonia.

[*Subscripserunt*] Exc.mi PP. DD. Henricus Nicodemo, arch. Barensis; Caietanus Pollio, arch. Hidruntinus; Reginaldus Ioseph Addazi, arch. Tranensis; Nicolaus Margiotta, arch. Brundusinus; Gulielmus Motolese, arch. Tarentinus; Gregorius Falconieri, ep. Conversanensis; Achilles Salvucci, ep. Melphictensis; Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus; Aurelius Marena, ep. Rubensis; Paschalis Quaremba, ep. Gallipolitanus; Albericus Semeraro, ep. Uritanensis; Franciscus Minerva, ep. Lyciensis; Carolus Ferrari, ep. Monopolitanus; Antonius Rosarius Mennonna, ep. Neritonensis; Franciscus Brustia, ep. Andriensis; Nicolaus Riezzo, ep. Castellanetensis; Ioseph Vairo, ep. Gravinensis; Antonius D'Erchia, prael. Altamurensis.

92
QUIDAM PATRES CONCILIARES MEXICI

1. Ut res omnino completa sit et non appareat mens Patrum conciliarium unice considerans S. Scripturam et quasi despiciens s. traditionem, desideramus ut *quaedam proferantur, tamquam speciale caput, circa s. traditionem.* N. B.: Proferantur est opus res quae sub lite non sint.

2. Cap. IV, n. 19. *Utinam* hic *manifestetur relatio inter ea quae continentur in hoc numero et Professionem Fidei Tridentinam* ut clare appareat non adesse antinomiam.

[*Subscripserunt*] A. M. Sánchez, ep. Papantlensis; A. Szymanski, ep. tit. Cerasuntinus.

[*Adhaeserunt etiam*] E. P. López, arch. Ialapensis; E. Talamás C., ep. Civitatis Juarezensis; M. García F., ep. Mazatlanensis; R. Ayala, ep. Tehuacanensis; Ios. a Guad. Padilla, ep. Veraecrucis; E. Corripio, ep. Tampicensis; F. Cortès, ep. Chilapensis; A. Munive, ep. Tlaxcalensis; I. Lehonor A., ep. Tuxpaniensis; Ios. a Iesu Martínez A., ep. tit. Arcae in Armenia.

93

CONFERENTIA EPISCOPORUM NEERLANDIAE

Maxime gaudet conferentia de perpolitionibus a commissione mixta iam allatis. Ex altera parte constat novum schema non esse organice ad unum redactum. Huius causa est quod deest clara notio revelationis, ita ut hic dicatur revelationem tantummodo fieri communicatione aliquarum veritatum, illic vero etiam per facta gestaque historiae salutis, quin haec duo elementa organice concatenentur.

Difficultas potest resolvi, si in n. 4 (pag. 6) dicatur: « Opera Christi, quae dedit ei Pater ut faceret ea, testimonium perhibent de eo (cf. *Io.* 5, 36), *immo tota historia salutis revera est portatrix revelationis, quae tamen ut nobis data tantum per verbum Dei fit cognita, ita ut quidquid revelationis lateat in historia salutis, per verbum fiat apertum. Revelatio proinde fit per dicta, facta gestaque. Insuper,* sicut per verba Christi mysterium in vita eius contentum manifestatur, sic per vitam eius miraculosam auctoritas testimonii Christi comprobatur ». Per hanc circumscriptionem vitatur modus loquendi, acsi traditio sit mera communicatio conceptualis veritatum, dum de facto etiam fit per traditionem realitatum salutarium, v. g. per cultum et per totam vitam christianam.

Ex hac praecisiore notione revelationis facile recognosci possunt quaedam particularia in hoc primo schemate, scil.:

Pag. 6, n. 7: lin. 6 loco « oretenus » dicatur « oretenus et per facta et gesta ».

Pag. 9, n. 9: linn. 19-20 vitetur impressio data, acsi subiectum traditionis esset unice magisterium Ecclesiae. Explicite addatur depositum fidei esse concreditum toti Ecclesiae. Licet ad explicandum auctoritative tantum magisterio Ecclesiae sit concreditum. Initium n. 9 proinde sic sonare potest: « S. Scriptura ac S. Traditio, uti sacrum verbi Dei depositum, non singulis hominibus, *sed toti Ecclesiae, duce tamen* vivo et infallibili Ecclesiae magisterio concreditum est; *solius tamen magisterii est authentice interpretari illud depositum. Quod faciendo* magisterium non supra verbum Dei est... ».

Pag. 7, n. 9: lin. 24 locutio « quae in una vel altera depositi parte implicite... continentur » potest ansam praebere malae intellectionis. Simpliciter dicatur: « quae in quovis loco depositi implicite... continentur ».

Pag. 7, n. 10: lin. 31 loco « sensu quoque fidelium subordinate concurrente », dicatur: « sensu quoque fidelium concurrente ». *Ratio*: si n. 9 mutetur, prout proposuimus, sufficienter patet quod concurrentia sensus fidelium subordinatur magisterio Ecclesiae. Non datur locus tali insistentiae, dum e contra sub respectu oecumenico praestat ut insistatur in hoc quod sensus authenticus fidelium (sane de quo iudicat ipsum magisterium) *reapse* concurrat.

Pag. 16, n. 24: linn. 1-3 « verbum Dei » adhibetur sensu ambiguo; etenim, tum pro verbo Dei inspirato, tum pro verbo Dei revelato adhibetur.

B - *Post diem 10 iulii 1964.*

1

Em.mus P. D. CLEMENS card. MICARA

Episcopus Veliternus

N. 4, pag. 7, linn. 8-10. Postrema verba textus prioris (« sicut... comprobatur ») in nova redactione abrogata sunt. Nunc ergo, cum plures etiam catholici viribus rationis diffidant, timor exsurgit ne talis omissio ita considerari possit quasi Vaticanum II doctrinam Vaticani I de parte rationis in actu fidei eliciendo (Denz. 1790) non amplius urgeat. Iuvat igitur suppressa verba retineri, immo ad uberiorem significationem illud etiam ex Enc. *Humani generis* revocari: « Quin immo, mens humana difficultates interdum pati potest etiam in certo iudicio credibilitatis efformando circa catholicam fidem, quamvis tam multa ac mira signa externa divinitus disposita sint, quibus vel solo naturali rationis lumine divinae christianae religionis origo certe probari possit » (Denz. 2305).

Nn. 7-8, pag. 15-16. Circa divinam revelationem transmittendam sermo fit fere exclusive de hierarchia et solum in obliquo de Spiritu Sancto, qui hierarchiae adest. Hunc vero loquendi modum, iam in textu priori adhibitum, Nikos A. Nissiotis, ecclesias orthodoxas repraesentans apud « Consilium Oecumenicum » Genavense, carpsit (*Kerigma und Dogma,* 10, 1964, p. 155), quasi doctrina catholica de Ecclesia Spiritui Sancto debitum locum negaret. Expedit ergo ut magis enucleetur pars de Spiritu Sancto, a quo ponuntur episcopi regere Ecclesiam Dei (*Act.* 20, 28).

Nn. 7-10, pag. 15-17. Huius capitis textus, iuxta Animadversionem (pag. 19), consulto abstinet a « vexata quaestione » utrum Sacra Scriptura contineat necne omnes depositi revelationis veritates (cf. etiam pag. 21, ad *B*). Iamvero, si Concilium quaestionem hanc tamquam apertam habet neque supponit « in pacifica possessione » eam sententiam quae, praeter libros sacros canonicos, veritates revelatas agnoscat in Sacra Scriptura non contentas, eo ipso disputatam quaestionem dirimit. Nam, si Vaticanum II quaestionem hanc adhuc liberam censet, exinde profluit Concilium Tridentinum (Denz. 783) non definiisse veritates revelatas existere in Sacra Scriptura non contentas atque theologos usque ad Geiselman perperam Tridentinum interpretatos esse. Si res ita se haberent, Concilio Vaticano II officium incumberet significandi quomodo divinitus revelata intelligenda sint quaedam dogmata, quae, iuxta communem doctorum sententiam, nullatenus in Scriptura Sacra continentur, ut, v. g., virginitas in partu et post partum sanctissimae Mariae eiusdemque in caelum assumptio, septenarius sacramentorum numerus, etc.

N. 9, pag. 16, lin. 16. Rerum spiritualium intima experientia memoratur ad dogmatis profectum explicandum. Haec verba, sat obscura, diversas et subiectivas interpretationes habere possunt.

N. 21, pag. 43, linn. 9-10. Verba affirmantia Ecclesiam semper coluisse Sacram Scripturam aeque ac Eucharistiam, etsi vera — si recte accipiantur — in hodiernis rerum adiunctis erroneam pati possunt interpretationem (quasi Christus in Eu-

charistia adsit solummodo ut in sacro Scripturarum Libro) et serpentes abusus fovere, ut, v. g., cum in cultu, prae Sanctissimo Sacramento, Biblia collocatur et extollitur.

2

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

In hoc textu accurate ac bene emendato, duas additiones; parvas sed non sine momento, humiliter propono:

1. In cap. II, n. 8, pag. 16 existimo quod viva traditio non his verbis satis complete exponitur. Exopto ut, post verba « ... traditorum intelligentia » praeponatur « tum e praedicatione pastorum et studiis theologorum » et postea « tum ex intima spiritualium rerum... ».

2. Cur in fine cap. V non clare et breviter declaretur ratio quae permittit semper affirmare revelationem clausam esse post mortem ultimi apostoli? Necesse esset ad solvendas quaestiones frequenter de hac re allatas.

3

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI
Archiepiscopus Januensis

Art. 10, pag. 17, linn. 19-26. Textus ita refert: « Quod quidem magisterium (Ecclesiae); ... custodit et fideliter exponit ac ea omnia ex hoc uno fidei deposito haurit quae tanquam divinitus revelata credenda proponit ».

Iamvero si res sumuntur stricte uti in hoc textu sonant, valde restringitur obiectum magisterii ecclesiastici; etenim hoc magisterium restringeretur tantum ad propositiones « de fide divina credenda ». Sed hoc est falsum.

Enimvero non habentur tantum propositiones « de fide » in doctrina catholica, sed sunt etiam propositiones simpliciter certae, uti connexae cum revelatis vel inde deductae etc. Ad haec omnia hucusque extensum est etiam in solemnibus documentis magisterium Ecclesiae et quod fuit certum in doctrina, pergit esse certum atque mutari nequit.

Ergo textus est recognoscendus omnino.

Quaestio est gravis eo magis quia schema accurate silet de traditione uti adiunctiva praeter Sacram Scripturam. Hoc silentium non placet, quia omnes qui docuerunt sacram theologiam bene norunt plures theses non posse probari sine traditione, dum probari non possent per solam Sacram Scripturam. Etenim etiam si textus scripturalis innuit, de se non probat.

Haec omnia aliquam suspicionem innuunt circa totum hoc schema.

Art. 12, pag. 27, linn. 23 ss. Ad interpretationem Sacrae Scripturae primum criterium ponitur « intentio hagiographi ».

Textus uti sonat non impedit quominus hoc fiat criterium subiectivum interpretationis. Etenim hagiographi est exploranda « mens » obiective. Auctor est

Deus. Hic textus ergo, ne periculum oriatur, est prudentius recognoscendum et uti iacet potest male sonare.

Sed est aliud in hoc articulo notandum. Pag. 28, a lin. 21 sermo est *secundo loco* de criterio traditionis, sub « analogia fidei ». Hoc deberet poni primo loco. Etenim agitur de libro divino et primum criterium ad interpretandum librum cuius mens est divina non aliud potest esse quam criterium divina promissione fulcitum. Quod est magni momenti.

Art. 21, pag. 43, linn. 20-23. Quamvis probabiliter haec non sit mens schematis, tamen hic praedicatio et ipsa religio provocat tantum ad Sacram Scripturam. Quod esset protestanticum. Textus ergo debet recognosci ita ut inde non eruatur exclusivitatem Scripturae.

4

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CAROLUS BORROMEO

Episcopus Pisaurensis

1. In pag. 7, n. 4, lin. 6, verba: « tota sua persona revelationem complendo perficit » obscura mihi videntur, et, forsan, non vera. Si volumus dicere quod Christus revelavit uti persona, rem inutilem dicimus, quia actus entis rationalis, qua talis, semper ad personam refertur uti ad subiectum a quo procedit. Si vero volumus dicere « totam personam » Christi constituere perfectionem revelationis, falsum dicimus, quia persona Christi mysterium altissimum est quod revelari oportuit, potius quam ipsum revelationem, immo revelationis perfectionem constituere. Propono igitur ut verba illa omittantur.

2. In pag. 7, n. 6, lin. 38, verbum « quidem », cum periodus non contineat continuationem seu declarationem praecedentis periodi, sed rem omnino diversam, propono ut eius loco ponatur verbum « praeterea », vel si verbum « quidem » servari placeat, propono ut periodus incipiat per verbum « praeterea » vel per verbum « item ».

3. In pag. 15, n. 7, lin. 19, verba « tum ab ipsis virisque apostolicis » commutanda propono cum verbis: « tum ab ipsis tum a viris apostolicis ».

4. In pag. 16, lin. 5, verbum « acceperunt » non omnia dicit relate ad alios apostolos, quamquam bene dicat relate ad Paulum; quia ceteri apostoli tradunt non quae acceperunt, sed quae audierunt, viderunt, manibus suis contrectaverunt.

5. In pag. 16, n. 8, periodi a linn. 13-19, propono ut omittantur. Videtur enim in iis duas res bene distinctas confundi: traditionem, nempe, quae *tradit,* et traditionem quae *addit.* Illa enim ad revelationem pertinet, haec ad magisterium.

6. In pag. 17, n. 10, lin. 17, verba « per quod » videntur parum inintelligibilia; quid, enim, sibi volunt? Voluntne complementum medii an complementum finis exprimere? Propono ut omnia verba: « per quod suprema auctoritas in uno nomine Iesu Christi et in una eius Ecclesia est constituta » omittantur, et periodus terminet cum verbis « concreditum est ».

7. In pag. 44, n. 22, propono ut ultima periodus omittatur: non enim sufficit ut aliquid fiat cum fratribus separatis, ut eo ipso adprobetur et omnibus

proponatur. Quamquam de versionibus adprobandis alibi sermo sit, tamen mentionem hic faciendam puto de necessariis adprobationibus et cautelis adhibendis in versionibus fidelibus proponendis. Ecclesia enim de cuius auctoritate in hoc numero est expressa mentio, nunquam indiscriminatim permisit ut libri sacri in vernaculas linguas verterentur et vulgarentur. Qui ergo ad eius auctoritatem provocat, etiam ad eius cautelas provocare debet.

8. Non placet cura qua « schema » se vitasse dicit declarationem omnem circa duas contrarias sententias circa obiectivam extensionem Scripturarum et traditionis. Si verum est quod et ipsi fautores Scripturae concedunt traditionem hoc saltem continere quod Scriptura non continet, canonem, scil., librorum inspiratorum, cur, saltem hoc in quod omnes conveniunt non est declaratum in schemate? Nimia illa cura in aliquo veritatem offendit et tantum specie, non autem re, iustum medium inter duas sententias servat.

5

Exc.mus P. D. LEOPOLDUS BRELLINGER

Episcopus Chimseienensis

Valde placet principium adoptatum in elucubratione schematis praesentis, scil.: « ... censuit subcommissio iis tantum postulatis attendere, quorum obiectum in pacifica possessione videbantur; ab illis e contra abstinere, quae vexatam quaestionem ... denuo excitarent », pag. 19.

6

Exc.mus P. D. ALOISIUS M. CARLI

Episcopus Signinus

Iudicium generale: Textus emendatus multo magis placet quam textus prior et de hoc gratiae agendae sunt commissioni de doctrina fidei et morum. Nonnullae tamen emendationes proponuntur, ad illum meliorem reddendum.

Cap. I. De ipsa revelatione.

N. 2, pag. 5, lin. 18: loco illius ablativi instrumentalis « quo » (scil. sacramento voluntatis suae), rectius dicendum videtur « *secundum quod* »: instrumentum enim statim indicatur in illo « per Christum ».

N. 4, pag. 7, lin. 6: « et tota sua persona ». Non placet quod hic (et etiam in schemate *de Ecclesia*) adhibeatur vox « persona » in sensu diverso ab illo in theologia adhibito. Propono igitur ut dicatur « *toto denique seipso* », ut clare appareat hoc elementum non esse aliquid diversum a superius dictis (nempe: « verbis et operibus... signis... miraculis... morte... resurrectione... missione), sed esse veluti omnium recapitulationem.

Pag. 7, lin. 13. Loco « novissima et definitiva » dicerem: « *definitiva ac*

necessaria pro omnibus hominibus ». *Rationes*: *a*) illud « novissima » est superfluum; quod enim definitivum est simul novissimum est; *b*) praeter characterem definitivitatis expresse enuntiandus est etiam character necessitatis et universalitatis.

N. 5, pag. 7, lin. 27. Loco « *et* internis Spiritus Sancti auxiliis » dicerem: « *seu* internis Spiritus Sancti auxiliis », ne videatur agi de re diversa a gratia praeveniente et adiuvante. In fontibus citatis Conc. Arausicani et Vaticani auxilia Spiritus Sancti identificantur implicite cum gratia.

Cap. II. De divinae revelationis transmissione.

N. 9, pag. 16, lin. 40. Videtur necessarium ut indicetur breviter quinam sit ille finis unicus (cf. lin. 34) ad quem traditio et S. Scriptura tendunt. Unde sic propono. In lin. 40, post verba « fideliter transmissa », sic pergat propositio: « *utraque vero data est ut credamus quia Iesus est Christus Filius Dei et ut credentes vitam habeamus in nomine eius* (cf. *Io.* 20, 31). Quapropter etc. ».

N. 10, pag. 17, linn. 14-15. Sic legendum propono: « Munus autem verbum Dei scriptum vel traditum *sancte custodiendi* et authentice interpretandi... ». Verba addita ex Conc. Vaticano I, etsi inveniantur in lin. 23, etiam hic repetenda videntur, ut clare dicatur *soli* magisterio competere munus etiam custodiae depositi.

Cap. III. De S. Scripturae divina inspiratione etc.

N. 12, pag. 27, lin. 28. Loco « significare » dicatur « *asserere* », quia *a*) sic consonat cum lin. 17 « asserit » « assertum »; *b*) significare latius patere videtur quam « asserere »: relationem enim dicit ad varios sensus S. Scripturae.

Pag. 28, lin. 3. Ante vocabula « propheticis, poeticis » ponatur « *vel... vel* », quia secus illud « vario modo », contra intentionem ipsius commissionis, afficere posset etiam « propheticis, poeticis »: grammaticaliter enim id possibile est.

Pag. 28, lin. 8: loco « et expresserit » dicatur « et *reapse* expresserit » ut habetur in fonte *EB* 558.

Pag. 28, lin. 9. Loco « significare » ponatur « asserere », ut supra dictum.

Pag. 28, lin. 13. Loco « mutuo hominum commercio » dicatur « *in* mutuo hominum commercio », ut habetur in fonte *EB* 560.

Cap. IV. De Vetere Testamento.

N. 14, pag. 33, lin. 5. Loco « cui promissiones concreditae sunt » sic legerem: « cui promissiones *suas* concre*deret* ». *Rationes*: *a*) sic specificatur hic agi de promissionibus ipsius Dei; *b*) verbum in activo melius ponit in lucem « initiativam » Dei; *c*) verbum in coniunctivo melius indicat finem ob quem Deus elegit populum peculiarem.

Pag. 33, lin. 16. Loco « ab auctoribus sacris praenuntiata » dicerem: « *per* auctor*es* sacr*os* praenuntiata », quia non semper hagiographi (plene) conscii erant de his rebus quas praenuntiabant.

Cap. V. De novo testamento.

N. 19, pag. 38, linn. 7-30. Hic numerus mihi videtur prorsus insufficiens sive ad explendam mentem Summi Pontificis Pauli VI de hac re (vide eius verba relata in pag. 53), sive ad satisfaciendum exspectationi catholicorum, qui turbantur hodie ob errores et dubia ubique grassantia circa Evangeliorum veritatem historicam. Problema hodiernum, valoris maxime pastoralis, hoc est: suntne Evangelia fide

historica digna *in omnibus suis partibus?* Meo quidem iudicio non sufficit statuere, ut fit in schemate, reapse evenisse quae, iuxta Evangelia, Iesus fecit et docuit. Etenim in Evangeliis plura continentur quae respiciunt Iesum antequam ipse inter homines vitam degeret (v. g. prologus Ev. Ioannis); plura quae ab aliis personis dicuntur dicta aut facta (v. g. a Magis, a B. Maria Virgine, a Ss. Elisabeth et Zacharia, et ita porro). Ne ergo videatur Concilium silere de hoc ponderoso problemate, et sic actualem situationem quodammodo aggravare, propono quandam emendationem. Linn. 8-12 sic legantur: « Sancta Mater Ecclesia firmiter et constantissime tenuit ac tenet quattuor recensita Evangelia *referre iuxta historicam veritatem ea omnia facta et dicta quae sive Iesu Dei Filio sive aliis ab ipsis adscribuntur.* Quae quidem omnia ab apostolis post mortem Domini auditoribus *suis* ea pleniore intelligentia etc. ... ».

Supprimantur commata « vitam inter homines degens » « ad aeternam eorum salutem » « quae Ipse dixerat et fecerat » quia, in nostro contextu, videntur quodammodo limitativa.

Pag. 38, linn. 28-30. Quoniam textus lucanus non citatur ad litteram in omnibus, praestat referre significationem plenam textus graeci, solvendo hebraismos. Unde linn. 26-30 sic legerem: « ... sive ex testimonio illorum " qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis " (*Lc* 1, 2), ut *plene* cognosc*eremus earum rerum* de quibus *edocti* sumus *indubitatam certitudinem* (cf. *Lc* 1, 3-4 gr.).

Caput VI. De Sacra Scriptura in vita Ecclesiae.

Generalia. a) In toto hoc capite indiscriminatim sermo est de « Sacr*a* Scriptur*a* » in singulari et de « Sacri*s* Scripturi*s* » in plurali. Usus verborum sit sibi constans.

b) Cap. VI, et merito quidem, totum est in statuendo loco quem ad S. Scripturam spectat in vita Ecclesiae; totum in laudibus et valore concinendis S. Scripturae; totum in exhortandis theologis et fidelibus ad amorem et studium S. Scripturae. Optime quidem. At cum omnino sileatur de s. traditione, quae et ipsa est verbum Dei (si excipias brevissima commemoratio traditionis in pag. 43, lin. 13 et pag. 45, lin. 1), legentibus persuasio ingeri posset S. Scripturam sufficere pro vita Ecclesiae, nihil ad hanc vitam de facto traditionem conferre, non esse ergo verum quod legitur in pag. 16, lin. 40: « quapropter *utraque pari* pietatis affectu ac reverentia suscipienda et veneranda est ».

Meo quidem iudicio cap. VI sic esset inscribendum: « De *verbo Dei* in vita Ecclesiae »; valor traditionis pro vita Ecclesiae in genere et pro s. theologia in specie esset clare statuendus; docti catholici revocandi essent ad officium studendi *etiam* s. traditioni, in suis monumentis genuinis, praesertim in S. Patribus et in Liturgia. Sic aequilibrium aliquod instauraretur in textu circa s. traditionem et S. Scripturam.

N. 21, pag. 13-20. Propositio « Eas una cum traditione... faciant » non placet quia: *a*) comma « una cum traditione » posset ita intellegi: Ecclesia, *s. traditionem sequuta,* semper sicut supremam fidei suae regulam habuit. Quod neque undequaque verum est (nam in regula fidei habetur etiam traditio, immo traditio fuit unica regula fidei antequam Scripturae exararentur), neque est in intentione commissionis, ut patet ex relatione pag. 47; *b*) per illa verba « illam immutabilitatis indolem... prae se ferant » videretur excludi etiam traditioni competere immutabilitatem, utique modo suo proprio; *c*) per verba linn. 20-24: « Omnis ergo

praedicatio... iudicantur » videtur destrui quod immediate supra dicitur de traditione tamquam regula fidei.

Unde propono novam redactionem linn. 13-24: « Sacram traditionem Sacrasque Scripturas Ecclesia semper habuit *et habet* sicut *unam* eamque supremam fidei suae regulam, cuius auctoritate omnis praedicatio ecclesiastica *atque adeo* ipsa religio christiana *ultimatim* regitur et iudicatur. Sacris autem Scripturis *id peculiare tribuit* (vel: recognoscit) quod ipsius Dei verbum, cum a Deo inspiratae sint, impertiunt atque *per scripta* Prophetarum Apostolorumque vocem Spiritus Sancti *veluti* personare faciunt, *et* insuper illam immutabilitatis indolem, quae regulae *fidei propria est* (vel: competit), *clarius patefaciunt* (vel: prae se ferunt). In sacris libris Pater qui in caelis etc. ».

Pag. 43, lin. 32. Auferenda videtur citatio litteralis *Act.* 20, 32 quia illa verba, in suo fonte, referuntur non ad verbum Dei (eoque minus ad verbum Dei scriptum, ut supponi videtur in schemate) sed ad ipsum Deum, seu potius Dominum (Christum).

N. 23, pag. 44, lin. 34. Loco « ... cultores... animum addit » videtur dicendum « cultor*ibus*... animum addit ».

7

EXC.MUS P. D. ALFREDUS CAVAGNA

Episcopus tit. Tianus

Frequentemente quando si parla « *De apostolis eorumque successoribus episcopis* » non si nomina il Sommo Pontefice « *Successor Petri et Vicarius Christi* » (v. g. pag. 15, n. 7, riga 25; pag. 16, n. 9, riga 38). Item quando si parla del magistero ecclesiastico (v. g. pag. 44, n. 23, riga 25). Sub ductu magisterii. Sarebbe invece molto opportuno richiamare questa verità e senza esagerare le ripetizioni, ma richiamarla con saggezza.

8

EXC.MUS P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO

Episcopus Lucknovensis

In prooemium, n. 1, linn. 9, 10, 11.

Textus uti legitur: « ... non possent tamen mysteria Dei cognoscere, maxime subsistentiam eius in tribus personis ».

Proponere velim ut verbum « *cognoscere* » mutetur, eiusque loco verbum « *comprehendere* » ponatur, ita ut textus hoc modo legatur: « ... non possent tamen mysteria Dei *comprehendere,* maxime subsistentiam eius in tribus personis ».

Secundum philosophiam aristotelicam et scholasticam homo cognoscere potest Dei existentiam, ac praeterea eum perfectissimum intellectum ac voluntatem habere, idque naturaliter ratiocinando.

Is qui habet perfectissimum intellectum, necessario se ipsum cognoscit, ideo concipit Verbum mentis. Qui concipit est subiectum operationis, quo in casu

persona Patris. Is qui concipitur est quoque subiectum operationis i. e. generationis passivae, ideo alia Persona, quae est persona Filii.

Cum in Deo voluntas sit perfecta, eius actio amandi est ratio essendi tertiae Personae, i. e. Amor Substantialis Dei.

Quae cum ita sint, concludendum est hominem sine revelatione, naturaliter ratiocinando, posse pervenire ad cognitionem existentiae trium Personarum in Deo, quamquam Trinitatem comprehendere nullo modo potest.

In prooemium, n. 3, lin. 22.

Textus ut legitur: « *In* Christo et *per* Spiritum Christi... publica revelatio... facta est ». Videtur praepositio « *In* » quae anteponitur Christo, substituenda esse particula « *per* », ita ut textus legatur: « *Per* Christum et *per* Spiritum Christi... publica revelatio... facta est ». Quod si particula utimur « *In* », fieri possit ut quis cogitet Spiritum Christi non fecisse revelationem eodem modo. Si vero in utroque casu eadem praepositione « *Per* » utimur, clarum erit tum Christum, tum Spiritum Sanctum eodem modo revelasse.

Cap. II, n. 12, lin. 24. Proponere velim ut verba quae sunt in textu: « Veritas ergo... solebant », ita mutentur, additis his verbis « *quaedam et quandoque* » ante « *non recte* », ita ut textus ita legatur: « Veritas ergo... quaedam et quandoque non recte... solebant ».

Si textus uti est relinquitur, fieri potest ut quis putet singula verba S. Scripturae, simpliciora et clariora quoque, non posse intellegi, nisi quis cognoscat « suetos cogitandi narrandive modos ».

Generatim praecepta S. Scripturae verbis tam simplicibus exprimuntur ut etiam homo simplex et rudis intelligere possit.

Verba, ut sunt in textu, nimis *extollunt* exegetorum laborem eorundemque opinionum necessitatem. Plerumque S. Scriptura tam simplex est ut etiam pueri illam intelligere valeant. Deus revelationem exegetibus non dedit, sed Ecclesiae Matri et Magistrae, immo omnibus hominibus his quoque qui exegetae non sunt.

Finis revelationis postulat ut plerumque revelatio facile intelligatur atque ut fideles et Ecclesia indigeant opera exegetorum quandoque tantum ad « quaedam difficiliora » intelligenda, ut sancti Petri verbis utar.

9

Rev.mus P. D. IOANNES B. JANSSENS

Praepositus generalis S. I.

Pag. 7, n. 6: enuntiatio linn. 36-37 non videtur adeo felix. Qui eam legit prima fronte et donec legerit ea quae sequuntur, dixerit revelationem coartari ad illas veritates quae humanae mentis intellegentiam omnino superant. Multo magis perspicua erat enuntiatio Vaticani I (Denz. 1785, 1786).

Pag. 33, de Vetere Testamento, n. 14, repetit plura quae pag. 6, n. 3, iam dicta erant. Possit in alterutro loco res in brevius compendium redigi.

10

EXC.MUS P. D. EMMANUEL LLOPIS IVORRA

Episcopus Cauriensis-Castrorum Caeciliorum

Mihi multum placet redactio nova huius schematis elaborata biblice et theologice. Quapropter laudes maximas tribuimus omnibus in hoc schemate laborantibus.

Nihilominus aliquas invenio obscuritates quas sincero animo vobis intendo proponere. Sic:

I. In cap. I schematis, n. 2. De revelationis natura et obiecto, linn. 2-3 dicitur: « ... revelare et notum facere nobis sacramentum voluntatis suae ».

A) Substitutionem facerem verbi « *revelare* » per verbum « *manifestare* ». Quia: 1. Revelare est verbum nimis genericum; 2. Intenditur explicatio huius nominis. Sic credo in textu debet poni: « Manifestare seipsum et arcana divinae voluntatis suae ». Revelatio enim est autocommunicatio ipsius Dei hominibus.

B) Emendetur phrasis: « Notum facere nobis sacramentum voluntatis suae ». 1. Quia Sacramentum, difficile intellectu, est traductio defectuosa verbi graeci *mysterion*; 2. praeterea, utpote non est textus litteralis Sacrae Scripturae, facile subrogari potest per alium magis explicitum et clariorem.

Sic aestimo emendari posse textum: « ... et notum facere nobis mysterium absconditum a saeculis in Deo qui omnia creavit » (*Eph.* 3, 9).

Existimo hanc novam redactionem esse rationabilem, utpote: 1. Clarior: mysterium enim pro Divo Paulo aliud non est nisi Christus in vobis: spes gloriae (*Col.* 1, 27). 2. Mirabiliter locatur Christus apex creationis et restaurationis in hoc opere salutis.

II. In eodem capite, eodemque numero, in linn. 4, 5 et 6 exprimitur idea mirabilis, sed confusa: « Quo homines per Christum, Verbum carnem factum, in Spiritu Sancto accessum habent ad Patrem et divinae naturae consortes efficiuntur ».

Hanc novam redactionem vobis propono iuxta ea quae supra diximus: « Sicque per Christum, mediatorem inter Deum et homines (*1 Tim.* 2, 5), accessum habeamus ad Patrem in uno eodemque Spiritu Sancto ».

Rationes:

1. Tollimus verbum « quo » eo quod optime et clare explicatur per verba supra relatis in nostra emendatione; immo phrasis manet in redactione schematis obscura, maxime apponendo relativum *quo,* ut patet simplici intuitu.

2. Apponimus verba: « sicque per Christum », quia est explicatio textus Divi Pauli ad Ephesios 3, 9.

3. Inserimus textum S. Pauli ad Timotheum, quia coniunctio et participatio naturae divinae ab hominibus est effectus primordialis *mediationis Christi,* peractae morte et resurrectione sua.

Ergo claritatis gratia repetam emendationem ex integro: « Placuit Deo in sua bonitate et sapientia seipsum et arcana voluntatis suae manifestare et notum facere nobis mysterium absconditum a saeculis in Deo qui omnia creavit (*Eph.* 3, 9) sicque per Christum, mediatorem inter Deum et homines (*1 Tim.* 2, 5) accessum habeamus ad Patrem in uno eodemque Spiritu Sancto ».

III. Ipsomet cap. II, eodemque numero, linn. 9, 10, 11 et 12, aliquam observationem vobis expando:

1. Ut elementum specificum descriptionis revelationis inseritur verbum « alloquitur ».

Credimus hanc notationem optimam esse. Sed in citationibus Sacrae Scripturae deficit textus in quo expresse invenitur hoc vocabulum: *loquitur.* Talis textus est Epistula ad *Hebr.* 1, 2: « Multifariam multisque modis olim *locutus est* Deus... novissimis diebus istis *locutus est* in Filio ».

2. Credimus etiam hanc quaestionem tractandam esse seu enucleandam explicite magis et accuratius, siquidem in schemate tantum expresse affirmatur opus Dei, licet postea attingat quaestionem de Fide praebenda revelationi, ab homine.

3. Immo revelatio est communicatio ipsius Dei hominibus per verbum seu locutionem, bifarie intellectum ut apparet in ipsa Sacra Scriptura: *Creatrix*: « Dixitque Deus: fiat lux et facta est lux » (*Gen.* 1, 3). *Salvifica*: « ... ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in Verbo vitae » (*Eph.* 5, 26).

Igitur, exoptandum amplius elaborandam esse revelationis notionem seu descriptionem, innixam praecipue in verbis Epistulae ad *Hebr.* cap. 1, vv. 1-2.

Haec omnia vobis subiicio ut vestro criterio roborentur et firmentur si placuerint antequam schema approbetur.

* * *

Gaudium immensum est in corde hic et nunc videndo collegium episcoporum sub directione Ecclesiae Romanae quae praesidet « in Regione Romanorum, praesidens in caritate ». Hodie est locus mihi pro dissertatione quam vobis exponam.

In primis gratias agam simulque laudes exprimam diversis commissionibus tanto tempore tantoque studio incumbentibus in schematibus elaborandis, praesertim in hoc decreti textu ubi simul pariterque Sacra Scriptura et theologia elucescunt.

Nihilominus aliquas faciam observationes lucem intendens.

I. In cap. I, in n. 3 (de evangelicae revelationis praeparatione), in linn. 16-19 ubi dicuntur: « Deus qui in Verbo suo omnia creavit et in ipsa rerum natura perenne sui testimonium hominibus ostendit (*Rom.* 1, 19-20; *Act.* 14, 15-17); exoptamus maiorem claritatem, ideoque observationem hanc vobis offerimus: « Deus qui in Verbo suo omnia creavit »... Deficit textus biblicus quo roboretur haec affirmatio, ideo textus erit: « Deus qui in Verbo suo omnia creavit (*Col.* 1, 16-17) et in ipsa rerum natura... etc. ».

Rationes:

1. Videtur iuxta schema talis propositio inniti in *Rom.* 1, 19-20 aut in *Act.* 14, 15-17. Sed in hiis textibus nec vestigium adest. Igitur claritatis causa praedictum textum supra dictum proponimus.

Nam in textu Epistulae Divi Pauli ad Colossenses, cap. 1, vv. 16-17 legimus:

« In Ipso condita sunt universa... omnia per Ipsum, et in Ipsum creata sunt... ». Patet haec affirmatio.

2. Haec intelligi possunt de Verbo ut est secunda Persona SS. Trinitatis, aut de Verbo carne facto... iuxta placita cultorum scientiae biblicae.

Immo sunt etiam in Sacra Scriptura textus ubi habetur verbum — signans imperium divinum — quo Deus omnia fecit. Sic:

In *Ps.* 33, 6 ubi legitur: « Verbo Domini caeli firmati sunt » novissima versio psalterii ponit « caeli facti sunt ».

3. Nobis videtur praeferenda interpretatio ut iacet in schemate: de secunda Persona SS. Trinitatis, et potius de Verbo Incarnato, nam sequendo vestigia Divi Pauli, habetur: *Col.* 1, 16: Omnia per ipsum...; *Col.* 1, 17: Et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.

Immo Christus in doctrina S. Pauli apparet ut finis creationis, sic: *Eph.* 1, 10: « In dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quae in caelis et in terra sunt in Ipso ».

Igitur Verbum, caro factum, non tantum est Redemptor, sed etiam est Creator; quae omnia apparent quasi in schemate in Epistula ad Colossenses:

In cap. 1, v. 14: « In quo habemus redemptionem per sanguinem eius ». Redemptio.

Et in cap. 1, v. 16: « Quoniam in ipso condita sunt universa... ».

Haec vinculatio inter creationem et redemptionem apparet etiam in hoc: Ipse S. Paulus redemptionem appellat novam creationem (*Gal.* 6, 15) ex quo eruitur Redemptionem esse plenitudinem creationis.

II. Similiter in eodem cap. I, eodemque n. 3, in linn. 19-25, aliam additionem exoptamus; quapropter vobis proponam ut si placuerit, inseratur ante quam schema approbetur. Dignus est laude processus evolutivus revelationis ibi descriptus. Defectionem vero patimur quam quidem vobis dicam. Deficit enim textus Epistulae ad *Hebr.*, in cap. 1, vv. 1 et 2, quem quidem in fine paragraphi adderem: « Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis: Novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio ».

Rationes etenim in ipso textu (*Hebr.*, 1, 1-2) apparent:

1. Evolutio historica organica: « olim patribus in prophetis »; « novissime diebus istis nobis locutus est in Filio ».

2. Etiam in ipso textu detegimus mirabiles vias quibus Deus communicationem cum hominibus efficit. Etenim: « Polimerós: pluralitatem virorum Spiritus " Hisch ruaj " signat ».

« Politropós: diversos modos quibus Deus cum hominibus ut amicis alloquitur indicat ».

3. Immo textus indicat progressum revelationis, si attente consideremus verba Divi Pauli in epistula ad Ephesios in cap. 3, v. 5: « (Mysterium) quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis apostolis eius et prophetis eius in Spiritu ». Patribus enim locutus est Deus in prophetis, nobis autem in Filio.

4. Etiam ex hoc textu erui potest existentia primaevae revelationis (licet sit quaestio quae sub lite est hodie) hominibus factae a Deo. Polimerós enim et politropós hoc insinuant saltem.

Ergo claritatis causa a vobis petimus ut si placuerit, talis textus Epistulae ad Hebraeos inseratur in loco apto ut sit fulcimentum incommovibile huius paragraphi.

* * *

Labor impensus in his schematibus parandis dignissimus est. Simulque effectus et fructus ex tali studio intenso ortus. Igitur assidue sinceroque animo totum decretum de divina revelatione consideravimus.

In nostro diligenti studio omnia ex integro nobis placuerunt, nihilominus aliquas observationes facere volumus ut claritas in ideis et perspicuitas in verbis appareant. Sic:

In cap. I, in n. 4, ultima paragrapho (De Christo revelationis consummatore), in pag. 7, linn. 11-17, aliam redactionem novam ex integro vobis propono.

Invenimus in schemate: « Oeconomia ergo christiana nunquam praeteribit et non est aetas historiae religiosae transitoria tantum, sed novissima et definitiva nullaque adhuc nova revelatio publica expectanda est ante finalem revelationem Domini Nostri Iesu Christi ».

Rationes quibus prima redactio reiicitur:

1. Dicitur: « Oeconomia »: hoc verbum graecum, licet rectum grammatice, nihilominus difficile est intellectionis; immo iuxta ethymologiam vocis male sonat in eius applicatione ad opus a Christo patratum.

2. Dicitur etiam: « Oeconomia ergo christiana nunquam praeteribit (*Mt.* 24, 35), et non est aetas historiae religiosae transitoriae tantum... ».

Dico: textus biblicus sese refert ad verba Christi: « Verba mea autem non praeteribunt ». Ergo adducuntur libere verba Sacrae Scripturae.

Deinde: Talis constructio grammaticalis in aequivocum duxit; etenim haec dicuntur in schemate: « Oeconomia ergo christiana nunquam praeteribit » et in sequentibus dicitur: « non est aetas historiae religiosae transitoria tantum ». Ergo etiam transitoria.

Simulque haec deductio ex textu apposita — iudicio nostro legitima — videtur opponi sequenti affirmationi: « sed novissima et definitiva ».

3. Oeconomia christiana non tantum est verbum Dei, sed etiam Sacramenta. Iam vero de iis omnibus silet schema absque — prout nobis videtur — ratione. Et merito quidem haec dicimus: nam si in initio huius paragraphi ponitur oeconomia, consequenter Sacramenta etiam nominari debent ut melius oeconomia christiana intelligatur.

Quapropter aliam redactionem vobis proponam, ut si placuerit, approbetur: haec est: « Phoedus ergo in sanguine Christi signatum numquam praeteribit, est aeternum (*1 Cor.* 11, 25). Igitur non est institutio religiosa mere transitoria. Siquidem verbum Dei et Sacramenta sunt signa novissima et definitiva; nullaque ergo nova revelatio et actio salvifica expectandae sunt ante finalem " revelationem Domini nostri Iesu Christi " (*1 Cor.* 1, 7) et consummationem salvificam absolute eschatologicam » (*Eph.* 1, 10).

Rationes:

1. Doctrina biblica circa institutionem religiosam, quae antonomastice appellatur *phoedus* sufficienter vobis cognita est. Satis est perlegere textus praecipuos Sacrae Scripturae circa hoc, uti sunt:

Ex. 24, 8: Phoedus Jahveh cum populo Israel.

Ier. 31, 33: Prophetia messianica circa existentiam, melius circa constitutionem novi et aeterni phoederis.

1 Cor. 11, 24-26: Institutio Phoederis signati in sanguine Christi. Adimpletio prophetiae Ieremiae, supra indicatae.

Igitur melius quam oeconomia inseratur verbum *phoedus* quo clarius apparet unitas historiae salutis.

2. Phoedus novum in sanguine Christi signatum non est quid mere transitorium, etenim Christi opus plenitudinem actionis soteriologicae constituit: utpote et « Ipse est lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum » (*Io.* 1, 9). Et « Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo » (*Io.* 5, 56-57).

3. Signa religiosa et cultuales huius phoederis sacri sunt verbum Dei et Sacramenta ubi Christus permanet adimplendo suam missionem per Ecclesiam quae est eius « Corpus et Pleroma » (*Eph.* 1, 23). Idcirco credimus non esse vanum inserere etiam hic realitatem Sacramentorum.

4. Sicque ex consequentia eruitur intentum paragraphi, nempe: Nulla revelatio publica erit neque aliud novum Sacramentum dabitur.

5. Sed notate, fratres carissimi: Sumus in diebus eschatologicis. Ecclesia possidet verbum Dei et Sacramenta fidei quibus et ipsa constituitur. Nihilominus et ipsa est hisce in terris in statu peregrinationis ad civitatem suam, quia Ecclesia Christi non habet civitatem huius saeculi et mundi, sed aliam, nempe, Ierusalem caelestiale, ubi est sponsus suus, Christus. Et omnia patent ex textu inspirato: « Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus » (*Hebr.* 13, 14).

Et alibi dicitur: « Carissimi, obsecro vos tamquam advenas et peregrinos... » (*1 Pt.* 2, 11). Immo desiderium Ecclesiae est illud a S. Ioanne expressum in Apocalypsi: « Veni, Domine Iesu » (*Apoc.* 22, 20).

Considerationi vestrae haec relinquo ut superiori criterio, ductu Spiritus Sancti, in hoc recte faciatis.

11

Beat.mus P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

1. Je suis pour le nouveau texte du Prooemium (n. 1, p. 5): à cause de la citation de St Jean, de celle de St Augustin à caractère nettement pastoral, et du rappel de Vatican I qui nous met en continuité avec ce Concile qui a parlé abondamment de la Révélation et de sa transmission; à cause du ton *personnaliste* que donne le texte de St Jean au Prooemium et à ce qui va être dit dans la suite.

2. Le sens personnaliste de la révélation s'exprime dans le n. 2 (pp. 5-6) en des termes qui sont adaptés à la mentalité religieuse et philosophique d'aujourd'hui (et partant termes à valeur pastorale), et vrais en eux-mêmes: « locution », « relation » personnelle avec les trois Personnes de la Sainte Trinité, « amitié », présance » etc. Cela nous enlève avantageusement à la manière de s'exprimer du texte du premier Schema. On avait l'impression que le Dieu personnel dispa-

raissait derrière les « vérités révélées ». On ne voyait pas le Dieu révélant, et actuellement révélant: valeur actuelle de la révélation divine.

Par ailleurs, pour donner plus de valeur à l'*actualité* de la révélation et à son caractère personnel, le texte joint les « gestes, les œuvres aux paroles ». Les uns et les autres se conjuguent et s'illustrent réciproquement. Les gestes par lesquels Dieu se révèle sont tout aussi bien que les paroles, authentiquement révélateurs de Dieu, et, peut-on dire, antérieurs aux paroles.

Enfin le n. 2, p. 6, insistant sur le Christ, non seulement médiateur, mais plénitude de toute la révélation, remet le Christ dans la véritable perspective du « Consommateur » de toute révélation, qui est parachevée en Lui. Le Christ Alpha et Omega de toute révélation.

3. Le n. 3, p. 6 montre très bien une gradation dans la révélation, bien mieux que ne le faisait le texte ancien: révélation naturelle dont parle St Paul dans son Epitre aux Romains (1, 19 sq.), qui est cette révélation cosmique offerte à tout esprit venant en ce monde par la création; puis une certaine révélation surnaturelle faite à nos premiers parents avec la promesse d'un Rédempteur; enfin une révélation fondée sur l'alliance et qui part d'Abraham pour aboutir à J. C.

Ce texte est plus précis que celui du précédent Schema *de revelatione*, par le choix du vocabulaire théologique, par les nuances sauvegardées et par les liens nécessaires et bien notés entre les différents moments de la révélation.

4. Le n. 4 nous remet dans le contexte personnaliste de la révélation: Il insiste sur le Christ « homme envoyé aux hommes », sur « ses œuvres, ses signes et ses miracles », sur « la Mission du St-Esprit ». Certes la *locutio formalis* a encore son importance. Elle révèle aussi. Mais les faits et l'histoire sont aussi porteurs d'une révélation qui se complète par les paroles.

De plus, les citations viennent, à point, éclairer les vérités affirmées, et donnent ici valeur probante aux diverses idées développées: p. e. le texte de *Io.* 1, 1-18: le Fils créateur communiquant aux hommes les profondeurs de Dieu. La citation de *Io.* 3, 34 fixe l'attention sur le Christ, parole vivante, qui communiquera, dans sa vie, la parole écrite, et, qui, suprême objet révélé, explique les gestes et les paroles elles-mêmes. Ces gestes et paroles, fond même de la révélation, sont, en même temps, preuve de la valeur divine du témoignage du Christ. Y prend place particulière le fait de la mort et de la résurrection du Christ, la Mission du St-Esprit et la Personne de Jésus lui-même.

On a bien fait de ne pas mettre l'Eglise parmi les signes de la révélation. L'Eglise est un signe pour ceux qui croiront. Il ne s'agit dans le paragraphe que de la révélation parfaite dans le Christ.

Enfin on a préféré *Oeconomia christiana* à *Christianismus*: cette préférence était souhaitable. Elle note le dynamisme du Christianisme qui vit et qui s'adapte à toutes les époques et cultures (p. 7, par. 4, ligne 11).

L'ajout *publica* après *revelatio* était nécessaire (ib. ligne 15).

5. La composition du n. 5 est plus satisfaisante que l'ancienne: continuité d'abord avec les Conciles précédents (Orange, Trente, Vatican I et serment antimoderniste), double détermination de la nature de la foi: scripturaire et théologique, sens surnaturel de la foi et de l'intelligence de la foi. Le même Esprit qui mène à Dieu éclaire pour aller plus avant dans l'approfondissement de la foi.

6. Le n. 6, p. 7 fait bien de se rattacher à Vatican I, en décrivant, d'après lui, l'objet propre de la révélation.

Après cela, le texte insiste sur deux points: Dieu peut être connu par la lumière de la raison naturelle (il aurait pu ajouter l'additum de Pie X: etiam demonstrari), mais l'homme, de fait, après la chute originelle, ne peut avoir une connaissance universelle, ferme et droite, des choses religieuses que par révélation.

On a bien fait de supprimer de ce numéro ce qui a rapport à la vie temporelle. Le Schema XIII en parle.

La composition de ce n. 6 révisé est supérieure à celle du numéro correspondant de l'ancien Schema.

Chapitre II.

7. Je note tout d'abord que le titre « de Verbo Dei revelato » a été avantageusement changé en « de divinae revelationis transmissione ».

Le sous-titre est aussi le bienvenu: aussi bien le mot *successores,* pour marquer la continuité de la transmission et la réalité de la tradition; et le mot *praecones* qui est usité chez les PP. et qui a déjà été employé dans le Schema « de activitate missionali Ecclesiae ».

Nous continuons dans le sens personnaliste de la révélation dès les premiers mots du paragraphe, en même temps qu'avec l'affirmation de la gratuité de la révélation (n. 7, p. 15, lignes 2-3): la volonté de salut de Dieu exige la transmission à toutes les nations de la parole révélée, parole de lumière et de vie. Toute la révélation qui est consommée dans le Christ, a été confiée aux Apôtres. Cette révélation n'est pas doctrine seulement, mais source de biens spirituels.

La transmission se fait oralement d'abord, par la prédication (et ensuite par les écrits (ce qui inverse l'ordre employé à Trente, DENZ. 783). La vie, les gestes précèdent l'écrit. Les Successeurs des Apôtres ont à veiller à la transmission et de ce qu'ils ont reçu par voie orale et par la Sainte Ecriture elle-même. Et Dieu est contemplé comme en un unique miroir: tradition et Ecriture (lignes 28-29).

Notons que ce numéro affirme que la révélation ne nous a pas été transmise seulement par les Apôtres, mais par des hommes apostoliques (ligne 19). Tous les écrits du N. T. n'ont pas les Apôtres, au sens strict, pour auteurs.

Mettre *reliquerunt* au lieu de *relinquerunt* (ligne 25).

8. Le n. 8 est une nouveauté riche et courageuse.

Nous avons ici une théologie de la Tradition, ce que l'ancien Schema n'avait pas donné. Nous avons énoncés aussi les principes même du développement: ce qu'aucun Concile ni aucun document du magistère n'avaient donné jusqu'à présent. Il est signifié même que le développement ne touche pas seulement les formules dans leur extérieur, mais qu'il touche aussi la connaissance du contenu du dépôt révélé.

Par ailleurs, la tradition y est déclarée dans ses différentes étapes: apostolique, vie de l'Eglise; elle est contredistinguée clairement des simples vérités que l'Ecriture ne signalerait point. Elle est « sicque Ecclesia... in sua doctrina, vita et cultu... transmittit quod ipsa est, omne quod habet, omne quod credit » (p. 16, n. 8, lignes 10-13).

Après cela, le texte caractérise la Tradition comme vivante dans l'Histoire.

On aurait souhaité ici quelques développements sur les relations de l'Ecriture et la Tradition. C'est là une question qui a créé des difficultés à la première session du Concile. Certes, la prédication apostolique s'exprime d'une manière spéciale dans l'Ecriture (ligne 2), à cause même de l'inspiration. Mais la Tradition

nourrit la foi « cultu, ritibus, etc. ». Tradition non seulement « verbale », mais aussi « réelle » ou « factuelle » dans les gestes et les œuvres (lignes 10, p. 16). Ce qui dit la force dynamique de la tradition et son pouvoir de rayonnement. Ce qui établit la force persuasive de la Tradition, puisque « Dieu dialogue sans interruption avec l'Eglise » (ligne 25). A cause même de cela, la Tradition vivante peut reconnaître les livres sacrés dans une absolue certitude, et reconnaître aussi le vrai sens de l'Ecriture (lignes 22 sq.). Cette Tradition n'a cette valeur que parce que l'Esprit Saint est en elle.

Comme on le voit une autre question a été évitée, et qui a été soulevée à la première session: si la Tradition dit plus que l'Ecriture?

9. Un débat de plus est évité dans ce n. 9, celui de la suffisance et de l'insuffisance de l'Ecriture. Y a-t-il des vérités dans la Tradition qui ne se retrouvent ni implicitement, ni explicitement dans l'Ecriture?

On a inversé le sous-titre: priorité temporaire de la Tradition.

La question qui peut se poser à cette place: « n'y a-t-il de tradition que divine? ».

10. Après avoir essayé de montrer les liens entre la Tradition et l'Ecriture, le n. 10 essaie de voir les relations des deux au Magistère. Et il affirme le lien très serré des trois, de sorte que l'on ne peut pas considérer l'un sans l'autre, concrètement.

Ce qui est à noter ici, à la louange de ceux qui ont refait ce Schema, c'est que ce numéro traite non seulement des liens des trois réalités précitées, mais il en étudie le lien avec l'Eglise « la plebs sacerdoti suo adunata » de St Cyprien. L'Eglise toute entière possède le dépôt de la foi. Le Magistère seul l'interprète.

On a supprimé dans la nouvelle rédaction tout ce qui pouvait rappeler les « deux sources », cause de litige en 1962; on a supprimé aussi tout ce qui pouvait rappeler la distinction commode de « règle éloignée et de règle prochaine » à propos du dépôt et du Magistère. On a bien fait dans ce texte, de dire que le Magistère est lié lui-même « docens nonnisi quod traditum est » (ligne 21, p. 17). La parole de Dieu écrite ou orale, transmise dans l'Eglise, peut seule être règle de la foi. Le Magistère interprète et juge des interprétations données, *in medio Ecclesia*. Il est au service de la Parole.

On a omis de parler, comme le faisait la conclusion de l'ancien Schema, du sens des fidèles. On l'a remplacé dans le nouveau Schema par d'autres affirmations sur l'Eglise (p. 17, ligne 6).

Chapitre III.

11. Rédaction nouvelle, même contenu.

On a bien fait de changer *Revelatio* en *revelata*. La discussion des relations entre Ecriture et Tradition, de la sorte, reste ouverte.

Quelques petits autres changements, mais qui ne touchent pas au sens du contenu.

12. Des changements stylistiques. Cependant quelques ajouts qui ont leur sens: « vario modo historicis » (ligne 3, p. 28): il n'y a pas un seul genre historique. C'est une affirmation à retenir. En effet, dans le N. T. on trouve appliqués plusieurs genres historiques. « ... et aliis dicendi generibus » (lignes 3-4, p. 28): il est bon de laisser ainsi la porte ouverte à d'autres genres littéraires.

13. On a bien fait de supprimer la citation de *Hebr.* 4, 15. Ce n'est pas

sa place ici. Le texte reste identique à l'ancien texte, sauf l'ajout de *Aeterni* (Patris) (ligne 38, p. 28). Cette épithète était utile et même nécessaire pour qualifier le Père des cieux.

Chapitre IV.

14. Le changement du sous-titre est le bienvenu: il s'agit de l'*historia salutis,* non de l'*historia populi electi.*

A cause de cela, il était nécessaire d'insister davantage sur l'économie du salut et sur les promesses messianiques. On a insisté aussi sur le peuple Israël, en tant que peuple. Plusieurs points excellents.

15. Etant donné qu'on parle à des Chrétiens, on a bien fait de reprendre un sous-titre qui existait primitivement.

Par ailleurs, le texte présent exprime mieux l'imperfection de l'A. T. dans ses prescriptions morales; d'un autre côté, il montre l'intérêt religieux de ce même A. T. pour les Chrétiens, dans le développement d'un sens de Dieu, vivant et actif. Par ailleurs, le texte insiste sur la valeur pédagogique de l'A. T.

16. A noter dans ce n. 16 le changement du mot *sensum* en *significationem.* Ce changement est important. En herméneutique, le sens plénier de l'Ecriture n'est pas encore bien analysé ni déterminé.

Par ailleurs, le changement de sous-titre correspond davantage au contenu du paragraphe.

Chapitre V.

17. Ce n. 17 est nouveau. Il veut montrer que le N. T. est le témoignage divinement inspiré de la Mission du Christ. Il insiste sur la prédication faite par les Apôtres.

18. Deux points à noter: le changement du sous-titre qui est préférable au précédent sous-titre de l'ancien Schema. Ensuite, attentif à ne pas donner l'impression que tout l'enseignement apostolique a passé dans les Ecritures, c'est-à-dire à ne pas confondre Tradition et Ecriture, on à supprimé le mot *eadem* de la page 37, ligne 26. Les deux points sont à louer. La conservation des mots « tenuit et tenet » au lieu de « credidit et credit » est aussi à louer.

19. Le n. 19 est énoncé avec beaucoup de précision et de tact. Il pourvoit abondamment contre les adversaires de l'historicité de Jésus. Toute son argumentation est préoccupée par les problèmes posés par les méthodes de l'histoire des Formes et leur application. Les Evangiles ne sont pas des monographies historiques. Ce qu'ils rapportent n'est pas pure création de la Communauté primitive, mais une synthèse d'éléments antérieurs, adaptés à des circonstances précises, de temps et de lieux, et dans laquelle les Apôtres, éclairés par l'Esprit, ont transmis des faits et des paroles compris par eux à la lumière de la mort et de la résurrection du Christ. Notons que le mot « veritas » à la fin du texte veut bien dire, dans son étymologie grecque: « fermeté, sûreté, réalité ».

20. Rien de spécial à signaler.

Chapitre VI.

21. Il me semble que l'ajout sur le retour nécessaire à l'Ecriture dans la prédication comme à une norme est la bienvenue. Evidemment cette ajout n'enlève rien à la valeur de la Tradition et à celle du Magistère, comme cela fut dit plus haut. Mais cette ajout a une grande valeur œcuménique. Par ailleurs, le rap-

port mis entre la parole écrite de Dieu et le Corpus du Christ, fondée en patristique, vient à sa place. Enfin, dire que l'Ecriture est le dialogue du Père avec ses fils, est encore dans le sens personnaliste de la révélation que nous avons affirmé dès le début de ce Schema. Cette idée à déjà été développée plus haut.

22. Ce n. 22 a été refait selon les désirs de nombreux PP. qui voulaient qu'on fît mention des versions orientales, de la septante, de la Vulgate, de l'usage, en liturgie, et dans l'enseignement catéchétique, des meilleures versions. L'idée, développée dans ce texte, d'une traduction commune faite en collaboration avec nos Frères séparés, est excellente. Sa réalisation est souhaitable.

23. La louange des Exégètes et de leur collaboration avec les Théologiens est la bienvenue dans ce n. 23. L'encouragement que le Concile donne aux savants de la recherche exégétique ne peut que les aider dans le service qu'ils rendent à l'Eglise dans ce domaine de la réflexion religieuse et spirituelle.

24. Le n. 24, tout en affirmant des points importants (la sainte Ecriture, âme de la théologie; la théologie scrute le Mystère du Christ; l'Ecriture-source de la prédication, de la catéchèse, de l'homélie liturgique, etc.), reprend, en le détaillant, ce que déjà le n. 21 avait dit à la ligne 20, p. 43.

25. On a bien fait de supprimer la citation de St Jérôme du n. 25.

Le conseil que donne ce numéro non seulement aux prêtres de lire la sainte Ecriture, mais aussi aux autres prédicateurs, diacres et catéchistes, est nécessaire. De même pour le conseil sur la lecture personnelle et la culture biblique.

Enfin le conseil de propager des éditions annotées au service des non-chrétiens aussi, a valeur missionnaire (où que se trouvent ces non-chrétiens, même dans les Pays de vieille chrétienté).

26. Le retour, dans le n. 26, à la comparaison entre la Parole écrite de Dieu et l'Eucharistie, est bon dans cet Epilogue de tout un Schema où l'on a tellement insisté, et avec raison sur la nourriture à puiser dans l'Ecriture.

12

Exc.mus P. D. SIMON HOA NGUYEN VAN HIEN
Episcopus Dalatensis

1. Valde placet in praesenti forma, schema *de divina revelatione*: Doctrina debite exponitur, modo semper concinno, accurato et claro; latinitas est simplex, fluens, appropriato cum vocabulario.

Placuit distinctio inter successivos divinae revelationis gradus: praetestamentarius, patriarchalis, mosaicus ac propheticus gradus, culmen tandem christianum; quae distinctiones, non tantum ad rationem divinae oeconomiae melius perspiciendam utiles sunt, sed etiam apostolatui, maxime missionali inserviunt (v. g. respectu ad gentiles, ad musulmanos, ad iudaeos). Placuit pariter amplior expositio de sacra traditione addita, eaque non tantum verbali sed reali, et abstentio a quaestione controversa de contento obiectivo traditionis in relatione ad Scripturam, necnon expressa adnotatio de interpretatione S. Scripturae sub traditionis luce ad modum vivi permanentisque colloquii Deum inter et Ecclesiam (pag. 16; linn. 24-25; pag. 43, linn. 24-26 etc.).

Liceat breviter nonnullas animadversiones modeste proposuisse:

2. Cap. IV, de Vetere Testamento. N. 14, pag. 33, lin. 3. Brevia verba addidissem: « Amantissimus Deus, humani generis salutem intendens, *nullius quidem immemor gentis,* singulari *tamen* dispensatione populum sibi elegit... » ad significandum Israelis electionem, nullam Gentium importare reiectionem: " He who had taken the seed of Jacob for the elect people, had not therefore cast the rest of mankind out of His sight." (NEWMAN, *Apologia*). Talis notatio in prospectu missionario non esset superflua.

Ib., lin. 24. Cum V. T., non tantum pro fidelibus sed et pro aliis, v. g. Iudaeis..., forte utile scribatur: « (De momento V. T. *maxime* pro christifidelibus »).

Pag. 34, n. 15, lin. 5. Optime adderetur: « Qui libri, etiamsi plura imperfecta et provisoria contineant, *viam tamen salutis etiam variis populis indigitant,* momentum *autem* verae paedagogiae... ». Haec additio non superflua videtur in prospectu oecumenismi (cf. Declaratio altera: de Iudaeis et non-christianis).

Cap. V, de Novo Testamento.

Pag. 37, n. 17, lin. 9. *a*) Referentia corrigenda: (cf. *Io.* 12, 32). *b*) Forse melius scribatur: « ad Seipsum *trahit* » (loco traxit). Ratio est quia Christi « attractio » tempus transcendit et usque in finem perdurat.

Pag. 38, n. 19, lin. 17, post verba « edocti fruebantur », addantur: « *Perseverantes autem in doctrina Apostolorum* (*Act.* 2, 42), auctores sacri... ». Opportunitas huius additionis in eo est ut indicetur traditionem oralem praeevangelicam non in communitate irresponsabilium se evolvisse, sed in communitate constituta sub apostolorum, testium vitae, mortis, resurrectionis ac doctrinae Christi, ductu authorizato. Esset discreta ac positiva responsio ad allegationes scholae sic dictae « morphologicae ».

Cap. VI, de Scriptura in vita Ecclesiae.

N. 24, pag. 45, lin. 15. Cum Ecclesiae vita de qua in capite, non tantum internam, ut ita dicam, sed et oecumenicam et missionalem habeat dimensionem, suggerere liceat ut haec addantur: « revelantis agnoscit. *Nec tandem praetermittendum vim apostolatus oecumenici ac missionalis magnopere e Sacris Litteris promanare, cum verbum Dei scriptum, pro omnium salute dispositum, ad omnes prorsus dirigatur* ».

13

EXC.MUS P. D. PAULUS PHILIPPE
Archiepiscopus tit. Heracleopolitanus

N. 4, pag. 7, linn. 12-14: In inciso « et non est aetas historiae religiosae tantum » agitur de conceptu « aetatis historiae religiosae » prout haberi potest ex scientia historica, immo ut habetur secundum postulata historicismi, dum in inciso sequenti « sed novissima et definitiva (subintellecta: aetas historiae religiosae) », agitur de conceptu revelato aetatis historiae salutis.

Ideoque, in secundo inciso, loco expressionis subintellectae « aetas historiae religiosae », adhibenda est alia expressio, ut aetas oeconomiae christianae appareat omnino diversa.

Propono ergo sequentem mutationem: « Oeconomia ergo christiana numquam praeteribit (cf. *Mt.* 24, 35), et non est *tantum* aetas historiae religiosae transitoria,

sed *novissimum et definitivum Foedus a Deo ipso cum hominibus instauratum,* nullaque adhuc... » (« tantum » ponitur ante « aetas historiae... », utpote afficiens totam expressionem et non solum verbum « transitoria »).

N. 5. In relatione de n. 5, pag. 13, legitur: « De signis externis autem, *de quibus in problemate hic considerato non erat agendum,* inspiciatur Conc. Vat. I ... et Iusiurandum contra Modernismum ».

Haec affirmatio minime convincit! Etenim:

a) Agitur de divina revelatione, cuius oeconomiae signa externa a Deo data sunt essentialia. Ipsum schema in numero praecedenti, loquitur de « signis et miraculis » Christi. Igitur in n. 5, necessarium est saltem mentionem facere de istis signis relate ad actum fidei, quo homo revelationi divinae respondet.

b) Insuper, si S. Synodus, dum iure merito in motivis internis gratiae insistit, signa externa omnino praetermittit, favere videbitur illis qui perperam de valore istorum signorum detrahunt.

Fides utique est donum Dei, provenit a gratia, sed est etiam « obsequium rationi consentaneum »: Concilium Vat. I sedulo ambos aspectus coniunxit (cf. Denz. 1790-1791).

Mentio signorum externorum revelationis sic fieri posset: n. 5, linn. 24-25: « Quae fides ut *ex auditu Verbi Dei certissimis signis confirmati* praebeatur, opus est... ».

N. 8. In hoc n. 8, schema expresse loquitur de ipsa sacra traditione, de quo utique gaudendum est. Animadversiones tamen quasdam propono, necnon textus mutationes.

1. Secundum veritatem necnon propter opportunitatem oecumenicam, indicanda est differentia, quae in textu (linn. 8-10) non apparet, inter momentum traditionis apostolorum, quae depositum fidei definitive constituit revelatione et inspiratione prophetica, et momentum subsequens traditionis in Ecclesia, quae depositum conservat, transmittit et explicat sub assistentia Spiritus Sancti.

2. Lin. 9: « ad Populi Dei vitam sancte ducendam fidemque augendam ». Quod ab apostolis traditum est respicit primum fidem, quam gignit (utpote nuntium salutis) et auget, deinde vitam sanctam ducendam.

3. Linn. 13-16: « Viva haec traditio in Ecclesia... proficit. Crescit... ». Modus ille loquendi accipi non potest. Traditio enim hic sumitur in sensu obiectivo: id quod traditur, seu depositum fidei, id « quod Ecclesia est, omne quod habet, omne quod credit » (linn. 11-12). Porro, hoc ipsum non crescit. Id vero quod proficit et crescit est cognitio et vita quas Ecclesia sumit ex doctrina et rebus traditis, ideoque traditio in Ecclesia viva est. A. v.: traditio in Ecclesia est viva, quia necessarie implicat incrementum et profectum cognitionis et vitae, quas Ecclesia trahit ex deposito fidei seu ex divitiis gratiae ipsi a Christo et apostolis semel traditis. Ceterum, verba « proficit » et « crescit » desumuntur e loco Commonitorii S. Vincentii Lerinensis, cuius pars citatur a Concilio Vat. I (Denz. 1800). At S. Vincentius loquitur praecise de profectu *religionis* et *fidei* et deinde, in textu citato a Conc. Vat. I, de incremento et profectu *intelligentiae, scientiae, sapientiae,* et hoc quidem « eodem sensu eademque sententia ».

4. Schema loquitur de aspectu dynamico traditionis vivae in Ecclesia, sub assistentia Spiritus Sancti (linn. 13-16). Dum autem causas assignat incrementi intelligentiae traditorum, praeter contemplationem credentium et experientiam rerum spiritualium, nulla mentionem facit de ipso progressu dogmatico Ecclesiae.

Quod quidem valde mirum est! Nonne ad hoc praesertim promissa est assistentia Sancti Spiritus? Propono ergo ut imprimis notetur progressus dogmaticus Ecclesiae, deinde cooperatio fidelium, doctorum, sanctorum.

Igitur, secundum illas animadversiones, sequens textum propono: linn. 8-16: « Quod vero *apostoli acceperunt revelatione Christi et Spiritus Sancti atque tradiderunt,* ea omnia complectitur quae ad Populi Dei *fidem gignendam et augendam vitamque sancte ducendam conferunt. Deinde Ecclesia sub assistentia eiusdem Spiritus Sancti,* in sua doctrina, vita et cultu, omne illud perpetuat cunctisque generationibus transmittit quod ipsa est, omne quod habet, omne quod credit. *In hac autem viva traditione crescit et proficit Ecclesiae* intelligentia tam rerum quam verborum traditorum. *Omni enim industria Ecclesia fideliter sapienterque tractat et proponit prisca revelatae doctrinae dogmata, ita ut, aetate progrediente, pro necessitatibus fidelium necnon ad confutationem errorum, illa accipiant lucem et distinctionem, sed retineant integritatem et proprietatem in eodem sensu eademque sententia. Cui incremento respondet et cooperatur illustrata fides et consensus fidelium, studia doctorum intellectum fidei quaerentium, contemplatio, experientia et vita sanctorum.* Ecclesia scil., volventibus saeculis... ».

N. 10, lin. 15. Addatur, ante munus interpretandi, munus custodiendi et proponendi verbum Dei scriptum vel traditum: « ... vel traditum *custodiendi, proponendi et* authentice interpretandi ».

N. 19. 1. « Multa scripta vulgantur, quibus veritas factorum et dictorum quae in Evangeliis continentur, in discrimen vocatur » (Instr. *Sancta Mater Ecclesia,* Pont. Commissionis Biblicae, *L'Osservatore Romano,* 14 maii 1964). Dubia versantur peculiariter circa narrationes nativitatis et infantiae Iesu. Ideo haud sufficit dicere Evangelia vere tradere quae Iesus fecit et docuit, vel vera et sincera de Iesu nobis communicare (linn. 10-13; 23-24). Sed, « cum omne id quod auctor inspiratus seu hagiographus *asserit,* retineri debeat assertum a Spiritu Sancto » (schema, n. 11, linn. 16-18), oportet affirmare valorem historicum *omnium quae Evangelistae asserunt ut historica, habita ratione eorum modi cogitandi et scribendi,* uti docet Instructio « Sancta Mater Ecclesia ».

2. Lin. 22: « formam praeconii retinendo ». Hoc dicitur generali et absoluto modo, quasi Evangelia in omnibus suis partibus formam alicuius praeconii haberent. Textus prior formulam magis distinctam praebebat: « formam praeconii aliquando resonent ».

Dicatur ergo auctores sacros etiam retinuisse finem et modum praeconii apostolici. Quod significat « doctrinam et vitam Iesu non simpliciter relatas fuisse, eo solo fine ut memoria tenerentur, sed praedicatas fuisse, ita ut Ecclesiae fundamentum fidei et morum praeberent » (Instr. *Sancta Mater Ecclesia,* n. 2).

Sequens textum propono:

Linn. 8-12: « Sancta Mater Ecclesia firmiter et constantissime tenuit ac tenet *historicam veritatem omnium quae Auctores quattuor Evangeliorum, unusquisque iuxta suum proprium modum cogitandi et scribendi, tanquam facta vel dicta asserunt.* Apostoli quidem, *quos Iesus elegit ut essent cum ipso* (cf. *Mc.* 3, 14), post mortem Domini... ».

Lin. 22: « ... attendendo, *finem ac modum praeconii apostolici etiam retinendo,* ita semper ut non ficta... ».

N. 21, linn. 9-10: « Eas *velut* ipsum corpus dominicum semper venerata est Ecclesia ». Haec expressio non placet, quia probabiliter intelligetur ac si Ecclesia

in suo cultu eamdem venerationem adhibeat erga ipsum *librum* Scripturarum ac erga Sacramentum Eucharistiae.

Propono ut dicatur: « Eas *simul cum Corpore Domini* semper venerata est Ecclesia... ».

Linn. 20-23. Optimum est dicere Scripturam regere ac iudicare omnem praedicationem ecclesiasticam et religionem christianam. Sed, ut hoc bene intelligatur in sensu catholico, oportet notare Ecclesiam constitutam esse tanquam iudicem non ipsius Scripturae sed eius interpretationum. Cf. BOSSUET, *Réfutation du catéchisme de J. Ferry,* II, ch. 4: « Nous ne disons pas que l'Eglise soit juge de la Parole de Dieu, mais nous assurons qu'elle est juge des diverses interprétations que les hommes donnent à la Sainte Parole de Dieu ».

Ideo propono ut in lin. 23 addatur: « ... quibus reguntur et iudicantur, *sub ductu Ecclesiae, quae iudex constituta est interpretationum S. Scripturae* ».

14

EXC.MUS P. D. ANTONIUS SANTIN

Episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

N. 7, pag. 16, linn. 13-19. Mihi non placet. Non placet verbum « proficit », non placet sensus verbis laboriose datus S. Scripturae (*Lc.* 2, 19 et 51 et *Mt.* 13, 33).

N. 13. Referatur integre textus Litt. Encycl. *Divino afflante Spiritu* et quidem cum verbis « excepto errore » et « absque peccato » (DENZ. 2294).

N. 19. Verba « formam praeconii retinendo » non sunt necessaria et in errorem inducere possunt lectores.

N. 22. Expungantur verba a lin. 15 ad lin. 18. Non expediunt.

Etiamsi recens instructio Commissionis de Studiis biblicis historicitatem Evangeliorum contra infelices conatus quorumdam exegetarum defenderit, tamen in constitutione conciliari ubi de hoc agitur tacendum non est. Etiam Summus Pontifex propria manu notavit, quod nullibi accidit: Digna videntur consideratione quae hic dicuntur (pag. 53). Quare sobrie, sine ira et studio, ab his erroribus cavendum esse doceatur.

INDEX

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio Generalis XC

Congregatio Generalis XCI

Animadversiones scripto exhibitae quoad schema de Iudaeis et non-christianis

Congregatio Generalis XCII

Congregatio Generalis XCIII

Congregatio Generalis XCIV

Congregatio Generalis XCV

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA CONSTITUTIONIS DE DIVINA REVELATIONE

APPENDIX

I - Animadversiones scripto exhibitae quoad schema constitutionis dogmaticae de Ecclesia

II - Animadversiones scripto exhibitae quoad schema decreti de Episcopis ac de Dioecesium Regimine

III - Animadversiones scripto exhibitae quoad schema de pastorali episcoporum munere in Ecclesia

IV - Animadversiones scripto exhibitae quoad schema decreti de Oecumenismo

post diem 10 decembris, ante diem 20 maii 1964

V - Schema constitutionis dogmaticae de Divina Revelatione

VI - Animadversiones scripto exhibitae quoad schema constitutionis dogmaticae de Divina Revelatione

PAG.

A - *Ante diem 10 iulii 1964*: